


BIBLIOTHECA HISTORICA REGNI SICILIÆ, SIVE HISTORICORUM, QUI DE REBUS SICULIS

A Saracenorum invaſione uſque ad Aragonenſium Principatum illuſtriora monumenta reliquerunt,

AMPLISSIMA COLLECTIO.

OPERA, ET STUDIO
BREVIBUSQUE ANNOTATIONIBUS

JOANNIS BAPTISTÆ CARUSII.

TOMUS PRIMUS;



PANORMI, MDCCXXIII.
Typis Franciſci Cichè Impreſs. SS. Cruciatæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

CAROLO
CÆSARI
ROMANORUM
IMPERATORI
SEMPER AUGUSTO
REGI SUO CLEMENTISSIMO
FELICITATEM

JOANNES BAPTISTA CARUSIUS.



T animo occurrit, Princeps optime, Historicam hanc instituere Bibliothecam, statim in mentem venit, eam sub Majestatis tuæ

 Cle-

Clementiſſimo Auſpicio divulgare. Quandoquidem quùm de Regnorum gloria, atque incremento, ampliſſimo tuo Regimini à D. O. M. concreditorum ita ſollicitus ſis, ut non Armorum gloria tantùm; ſed & bonorum Artium cultu omni ſtudio prodeſſe velis: (Quod inter cæteras tuarum virtutum laudes non infimum ſibi vendicat locum:) Tantà ego animi Tui confiſus benignitate, laborem hunc qualemcumque meum, eruditorum hominum judicio Siciliæ noſtræ non inutilem, te accepturum conſtanter non dubito.

LE-

LECTORI
BENEVOLO.



SUmmâ quidem laude dignâ, ac perquàm utilis habitâ semper fuit doctissimorum hominum judicio eorum industria, qui aut alicujus clarissimi Auctoris Monumenta, aut variorum ejusdem argumenti Scriptorum hùc illùc dispersa, ac penè dissipata colligentes, in unum Corpus redigere curaverint: Vix enim dici potest quæ & quanta legentibus indè accedat utilitas. Ea sanè res fortè causæ fuit, cur clarissimus Antonius Amicus [a] primus ex nostratibus animo conciperet; dein verò eruditissimus Abbas Michael de Judice Auctoribus Italorum Litteratorum Ephemeridis [b] proponeret, colligendi, ac in unum accuratè conferendi Scriptores non paucos ad Siculam Historiam pertinentes. Verùm ille morte præventus, quod cogitaverat, præstare non potuit: hic variarum rerum curâ detentus, quod illis proposuerat, typis divulgare nequivit. Quamobrem, quod hi præstantissimi Viri in animo habuerunt, Ipse eò libentiùs absolvi, atque ad exitum perduxi, quò Siculæ Historiæ studiosis consulere, ac Patriæ pro viribus prodesse possem. Ac mihi quidem id primùm curæ fuit, ut Volumen hoc in duos distributum tomis, non solùm abstrusioris, atque obscurioris Siculæ Historiæ Scriptores complecteretur usque adhuc typis commissos; sed Monumenta etiam nondum vulgata, inventu difficillima, non sine magno labore variis ex locis comparata: multorum nostri temporis optimorum virorum exempla sequutus, qui in his nondum editis Monumentis eruendis, atque divulgandis, labores, vigiliasque suas impendentes haud sanè vulgarem sibi gloriam parant. Præthereà operæ pretium facturum existimavi hanc meam edere Bibliothecam, priusquàm nostrarum Memoriarum secunda, & tertia Pars in lucem prodirent; quò fontes, undè Sicula illorum temporum Historia manat, recludantur; majorque illis fides habeatur, dum omnibus, quæ ibi citantur testimonia, patent. Id certè nunc grati animi ratio silentio præterire non sinit, aliquos illustres Amicos in hoc opere concinnando, (quemadmodùm res ipsa postulabat) non parùm contulisse laboris. Inprimisque doctissimum

(a) In calce dissert. Historic. de antiq. Urb. Syracus. Archiepiscop.
(b) tom.6. art. 14. pag. 510.

simum Jacobum Longo, quicum mihi maxima intercedit necessitudo: Thomam Hobartum Anglum, qui nobis latinè redditum Chronicon misit, quod arabicè manuscriptum in Bibliotheca Cantabrigiensi asservabatur: Exemplaria cùm Chronici Romualdi Salernitani, tum Anonymi Historiæ à Normannis ad Petrum Aragonensem, quæ ex Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ transcribere meo rogatu curavit clarissimus, mihiq; amicissimus Joannes Filingerius: Epitomen, quæ Historiam Saracenico-Siculam excipit, eruditissimus Hieronymus Justinianus è Societate Jesu latinitate donavit: Amplissima deniquè Monumenta, quę à pag. 905. ad finē operis leguntur, ex variis Auctoribus Græcis, & Latinis excerpsit supralaudatus Abbas Michael de Judice, quibus ut adjūgeretur Chronicon Juvenatii operam dedit Illustris Præses de Cavallariis, Patriæ, & litterarum amantissimus. Porrò mihi ipse persuadeo, ni Me mea fallat opinio, nostros hosce labores, qualescumque sint, ab eruditis hominibus probatum iri tum propter eorum utilitatem, tum vel maximè propter doctissimorum Virorum judicium, quos inter Justi Fontanini, Marchionis Scipionis Maffei, & præter cæteros Ludovici Antonii Muratorii, qui nunc ingenti cum laude sedulam navat operam collectioni Scriptorum Rerum Italicarum. Quamprimùm etiam typis emittenda, Deo adjuvante, confido consequentia volumina, quæ Scriptores Rerum Sicularum sub Andegavensibus, & Aragonensibus usque ad tempora nobis propinquiora complectentur, inter quos non infimum sibi locum vindicabunt Bartholomęus Neocastrus nondùm editus, & Historiæ Nicolai Specialis continuatio, auctore Michaele de Platia; cujus propè unicum exemplar asservabatur in Bibliotheca Hieronymi de Septimo Marchionis Jarratanæ, quem, dum inter vivos versabatur, magistri loco habui. Cæterùm est in animo, si vita, & facultas dabitur, Bibliothecam quoquè Historicam Siciliæ veteris conficere, quæ priscos comprehendat cùm Græcos, tum Latinos Historicos; Thucydidem videlicet, Herodotum, Polybium, Diodorum, Livium, aliosque temporum posteriorum, qui aliquid de Sicilia scriptum nobis reliquerunt: ut hoc uno opere magno cum Studiosorum emolumento collectum, ac colligatum sit omne id, quod de Sicilia cùm Veteres, tum Recentiores Scriptores memoriæ prodiderunt: Vale.

IN-

INDEX
SCRIPTORUM,
Qui in hoc Primo Tomo continentur.

Prolegomena.

Scriptores historiæ Saracenico-Siculæ.

Scriptores historiæ Normanico-Siculæ.

CL. MARII ARETII
DE SITU
SICILIÆ.

DE CLAUDIO MARIO
A R E T I O
BREVIS NOTITIA.

EX BIBLIOTHECA SICULA ANTONINI MONGITORE TOM. 1. PAG. 141.



Laudius Marius Aretius Patritius, & nobilis Syracusanus, vir eruditissimus, politioribus literis excultus, poesi Latina, Itala, ac Sicula claruit. Historici Imperialis titulo à Carolo V. Imp. insignitus eminuit, cujus monumentis nonnuli historias illustrarunt suas, teste Joanne Vigintimillio *de Poetis Siculis cap. 5. pag.* 33. Floruit circa aunum 1544. De eo Rocchus Pirrus *in not. Eccl. Syrac. pag.* 213. Jacobus Tirinus *in indice Auctorum in calce operis in Sacram Scripturam*, & Andreas Schottus *in Biblioth. Hispana tom. 2. pag.* 313. ubi mendosè legitur Cl. Marius Arelius. Inter alia scripsit: *de Situ Insulæ Siciliæ* librum. Prodiit primò Panormi typis Antonii de Mayda 1537. in 4. exinde recognitus. & emendatus, Messanæ in Officina Petrutii Spiræ 1542. in 4. Cum Beroso, aliisque historicis, Lugduni apud Joannem Temporalem 1554. in 16. tom. 2. à pag. 397. In volumine inscripto: *Rerum Sicularum Scriptores ex recentionibus præcipui.* Francofurti ad Mœnum apud Andream Wechellum 1579. in fol. Demum in libro, cui titulus: *Italiæ Illustratæ, seu Rerum, Urbiumque Italicarum Scriptores varii notæ melioris.* Francofurti 1600. in fol. Nunc sextò damus in hac collectione mendis typographicis expurgatum; multisq. notis, (ubi opus fuit) melioratum, & auctum.

ELISABELLÆ GONSAGÆ

MULFETTANORUM PRINCIPI

CL. MARIUS ARETIUS.

Cum diu cogitassem, prudentissima Princeps, tot Populos, tot Civitates, tot denique hujus Insulæ Siciliæ Oppida, quæ toti ferè terrarum Orbi ornamento fuere; temporum varietate, atque belligerantium sævitia, tum deleta, novaque erecta, tum etiam quæ cum priscis illis haud faciunt, mutata nomina, mœrore quodam, ac potius pietate affectus, tamdiù fleti, donec amicorum multi, qui meorum studiorum erant conscii, ut aliquid de Sicilia scriberem persuaserint. Quare ejus situm, primordia, & conditores, rursus & clades perstrictiore stylo memoriæ commendare decrevimus. Quippè si aliquando nitendum, pro patria potissimùm, pro qua labores jucundi, morsque vita futura est, & his præsertim, qui virtutis studio moti, vitam non modò vivi honestam, verùm & post mortem monimentis litterarum assequi cupiunt, nitendum est. Cæterum id ubi deliberatum, prolatumque opus in lucem, haud cui dedicarem diu cogitavi: Tibi enim, quæ splendidis natalibus orta, cujus forma insignis, & florentissima ætas, animi, constantia, & moderatio maxima, uni dumtaxat inscribendum succurrit; præsertim quòd nostra Respublica Ferrando Gonsagæ conjugi tuo omni virtute, omnique militari disciplina prædito domi, à Divo Carolo Quinto Cæsare post captum Tuneta, regenda, ac gubernanda, quæque militia quoque gerenda forent, tradita sunt; ut Siculi omnes sub tanto Duce optima disciplina ubi instituti, Turcharum tyranni, si quæ paratæ, rejiciantur insidiæ. Superest ut Tu, quæ maximis quibusque rebus digna es, tenue opus, nec candidum quidem, politumque, tanto tuo Nomini dicari permittas: nam si permittes, ubi naturæ deerit beneficium, ibi gravitas, atque tui Nominis aderit authoritas. Vale.

CL.

CL. MARII ARETII

VIRI PATRICII SYRACUSANI,

DE SITU INSULÆ SICILIÆ

L I B E R.



ITUM Insulæ Siciliæ scripturus, oppidorum, ac Civitatum, quæ à Sicania, & Sicula primia conditoribus constructæ: licèt cæteras antiquitate præcedant, eo quod aliquid haud reperitur monimenti: nullus enim illis scribendi usus, quo rerum gestarum memoria superesset, nullam faciam mentionem, verùm de expulsione, eorumque successoribus, Polybium, Thucydidem, & Strabonem imitatus, qui hoc ordine, de Sicilia plura memoriæ commendarunt. Sicilia Insula Scyllæo freto, Siculo pelago, Africo etiam, ac Tyrrheno clauditur. Ejus tria Promontoria, quibus Trinacria, & Triquetra appellata. Pelorus unum, ad Italiam, & Aquilonem vergens, contra Scyllam, decem milliaribus ab Messana distat, à Peloro Annibalis navis gubernatore, nomen sortitum, qui eò delatus, dum invium pelagus, seseque delusum putaret, illum interfecisse fertur. Est in promontorio turris recens, non quòd maris defendat angustias, sed procul venientibus, qua transeant, vadum ostendat. Scylla scopulus in continenti, ubi oppidum Scyglum, Scyllæum à Plinio appellatum. Charybdis verticosum mare, Galofarna quasi Calofaros, à nostris nuncupatum: Ibi enim faces noctu accenduntur, nautis portum petentibus signum. Vorticibus terra ipsa, qua Messanæ portus efficitur brachium Sancti Rainerii hodie) resistit. Utrumque navigiis exitio. Mulieres has, & meretricea fingunt, in monstra, canesque marinos versas, quorum audiri latratus, ac morsibus aterahi naves. Alteri Pachynus ab aeris crassitudine nomen, nunc Caput Passarum, à Pachyno ipso deductum nomen (omne Promontorium caput nautæ vocant.) Cujus duo sunt, ad ortum unum, alterum quod ad austrum spectat; Pachyni inter utrumque portus. Ad meridiem Odyssiam, sive Ulyssiam Prolemæus collocat. Cicero Odyssæ portum, nos portum de Palis vocamus. Tertium est Lilybæum, Africæ, & Libyæ oppositum, à puteo, cui nomen tunc Lilybæo, nostra ætate Caput Boei, pro Libybæi, dicunt, centum milliaria non amplius, à Mercurii promontorio, haud longè à Carthagine ad Orientem, quod hodie Caput Bonum nominant, remotum. Strabo licèt, & cum eo Plinius, aliter sentiant Memoriæ proditum, quemdam è specula prospicientem naves Carthaginis portu egredientes, Libybætanis renuntiasse. Strabo à Peloro ad Cumas tractum esse igneum tradit.

Trinacria igitur sub quarto sita climate, ut continens primum, ita maris dein avulsa impetu, Insula facta: ac in valles tres à nostris discreta, singulæ singulum adsignantibus promontorium. Nemorum una, quorum plena, quæ Pelorum complectitur, Altera Nothi, Vallis frumentaria tum campis, tum nemoribus læta, pecorumque fœcunda Pachynum continet. Tertia Mazaræ, frugiferarum arborum propè impatiens, messibus, armentisque abundans, Lilybæum sibi vendicavit promontorium.

Ambitus haud indiligenter facta mensione, sexcentis ac sexdecim milliaribus definitur. A Peloro ad Pachynum centum quinquaginta. Hinc ducentis & quatuor ad Lilybæum. Rursum ad Pelorum ducentis sexagintaduobus. Fretum, quo à continenti divisa, quodve supernantem bovem Herculem transsilire in fabulis scripsit Diodorus, tribus ferè millibus passuum, à turri, quam supra diximus, ad scopulum Scyllæ, continetur. Latera duo concava, tertium autem à Lilybæo ad Pelorum proveniens, quod cæteris est majus, curuum.

Prima omnium Romanorum Provinciæ Sicilia, ac cella penaria, Romanæque plebis nutrix. Populi omnes, præter paucos qui parvos vicos habitant, & in Valle Mazaræ potissimùm, Græco adhuc sermone utentes, lingua, moribus, & institutis hodie non differunt; apud veteres suæ cujusque Civitatis legibus agebantur. Verùm qui primùm eam incoluissent, nemini compertum. Cyclopes ipsos (hi fabricam ferream, ut author est Plinius, invenerunt] & Lestrygones indigenas tradunt. minimèque aliarum gentium advenientibus, & hospitiis mixtos, Ætnam, ejusque campos habitasse. Omnes enim qui successere, classibus advectos, multi probant, horum autem nulla memoria, liber nullus est, qui doceat originem, nisi quòd his monstris Siciliam detentam crudelissimis, carnemque edentibus humanam, memorant. Cyclopes à rotundo oculo, à latrociniis dicti sunt Lestrygones, eorum campi, ut apud Strabonem legimus, inter Catinam & Leontinum à pelago surgentes. Post hos Æolum, atque Oenopionem Orionis patrem, in Sicilia regnasse,

pari-

D. F

pariter & Italum, de cujus nomine Italiam dici, fabulosis prædicant narrationibus. At Sicanos (quorum Rex Sicanus, Cereris conjunx) Hispaniæ citerioris populos [iia Sicorim amnem, à quo nominantur, nunc Sergam, juxta Ilerdam tenent] suis sedibus extorres, inque Siciliam appulsos, terram aspectu pulchram, salubrem Cælo, felicem, ac cultu fœcundam, primos omniū inhabitasse constat,[a] eamque potissimùm partem, quæ ad occasum pertinet, nomenque illi Sicaniæ indidisse. Item Trojanorum multi post captam Trojam, ubi navibus illuc profugi devenere, dicti Elymi, loca juxta Sicanorum fines, nullis positis ædificiis insidentes, Erycem, & Egestam statuere Civitates. Phocenses, quibus accessere, Libyam primùm, mox in Siciliam delati. Eryx in montis vertice (montem Sancti Juliani hodie vocant] Drepanum prospicientis per id tempus ab Trojanis, qui Ilio everso in Sicilia suas fixerunt sedes, conditur Fabulæ ab Eryce Veneris filio conditore, qui ibi fanum, quod toto ferè Orbe veneratione, ac mulierum frequentia nobili num fuit, faciendum, matrique dicandum curasset, eam dici fingunt. Fani ædificium Romam ante portam Collinam transvectum, vocatumque Veneris Erycinæ Templum, porta à sale hodie Salaria nominatur. Horum quoque Egesta, sive Segesta Trojanorum ædificium, sicuti Eryx, & quod à comitibus Amphilocte erectum, fabulosum puto, Ciceronis accedens opinioni, qui in Verrem, Segestam pervetus oppidum, Æneam à Troja fugientem, atque in hæc loca venientem condidisse, ait: quòd cum maritimum, nec procul ab Eryce ad mare Tyrrhenum, Diodorus, & Thucydides collocassent, id esse credimus, quod dirutum penitus, Conterrana vocitantur Segesca magis mediterraneo erat, prope Calatafimim ad lævam hodie Divi Viti Fanum in scopulo quotidianis miraculis insigne; quo mortales confugiunt, canum rabiosorum morsibus accepto vulnere, mortis periculum evasuri. In dextro littore Segestano: ū celebre Emporium, quò Strabo triginta à Panormo miliaribus disjunxit, falcato sinu inflectitur: Castrum ad Mare de Gulfo hodie vocatum. Erat Segestæ ex ære simulacrum Dianæ, tum summa atque antiquissima præditum religione, tum singulari opere artificioque perfectum; cujus in basi P. Scipionis Africani nomen incisum, virtutis, & victoriæ monumentum. Quòd dum C. Verris ministris exportaretur, Segestanas matronas & virgines omnes magno cum luctu, & gemitu, multis cum lacrymis, & lamentationibus convenisse constat, thure odoribusque incensis usque ad agri fines prosecutas esse. Æmilio Censorino Segestanorum tyranno Aruntius quidam Paterculus nomine, equum ex ære factum, in quo cruciandi includerentur, obtulit, qui ab ipso tyranno in æreum injectus equum, periit: hæc Plutarchus in Parallelis apud Aristidem se legisse ait. (1)

Juxta emporium, de quo diximus, fluvius in proximum Tyrrhenum mare effunditur: quo rivus calidus prope oppidum ruinis affectum, Calatamet nunc dictum, ubi thermæ sunt, hauritur. Fluvium Belhim, oppidum (2) Scheram antiquitus appellari conjectura docet. Calatafimis supra fluvium ad Orientem oppidum, recens nomen, ut reor. Quo haud procul Cereris (3) Templum, cui stantibus columnis, parietes omnes desiderantur, Cererisque nomen hodie. Mons Bonifati, vulgò Bonifacii, oppido imminet; in vertice Urbs est diruta, quæ an sit (4) Acesta [Acestienses siquidem populos Cajus Plinius citat] dicere quis posset? Quis (5) Alcamum his vicinum oppidum, condiderit, nisi velimus ab Alcamo Thrace, qui ut Dares Phrygius scripsit, Priamo auxilio venerat, conditum, incertum omnino est. Nec de (6) Corilione, sive Coniglione, atque Partāna (7) oppidis nisi pars Ennæ, quasi statutum esse ab Ennensibus, sit legēdum, aliqua fit conjectura.

Aliquot deinde post annis Siculi, qui Latium insederunt, Duce Siculo, cum domi potentes essent, virtute ac militari disciplina cæteris omnibus præstarent, forti cum manu in Siciliam trajecere, pro certo habentes facile fore totius Insulæ imperio potiri. Dionysius tamen Halicarnassæus fugam his causam adventus fuisse autumat. Qui quibus prœliis, quove labore voti compotes, nec unquam memini me legere: omnes enim quorum de Sicilia aliquid scripti relictum est: à Siculis Siciliam occupatam, Sicanis prælio victis, atque ad eam missis partem, quæ ad meridiem, & occasum pertinet, eorumque ante Græcorum adventum annis propè trecentis fuisse, proque Sicania Siciliam appellasse, tantùm protulerunt. Siculos eam plagam mediterraneam, ubi Centuripis est [Trinacrini, quibus vicini, & genere cognati] occupantes, quamvis ob temporum, hominumque ignaviam, quæ & quando omnes, ut ante dictum, lateat, oppida tamen, & Urbes statuisse, verissimo constat argumento. Nam à successoribus non condita quidem, sed his pulsis eorum oppida detenta, Polybius, & Thucydides testimonio sunt. Græci postmodum navibus profecti, omissa protinus deinde navigatione, ut iidem authores scripsere, Motiam, [b] Soloentem, & Panormum Urbes Elymorum finitimas construunt, eorum freti societate. Igitur Motia ab his conditur, quæ ubi loci fuerit argumento, & conjectura utentibus, tantummodo constat. Porrò inter Pachynum & Lilybæum parum à mari distat Modica, Motucam, quod Ptolemæus vocat, oppidum

[a] & hoc inter fabulas.

[b] Multò antequam Græci in Siciliam Colonias deducerent, à Phœnicibus Motia, Soloës, & Panormus, occupatæ fue[illegible]

(1) De Æmilio Censorino, & Aruntio Paterculo infra. (2) Schera ex Cluverio eadem est ac Corileonis Civitas (3) Templum hoc Dianæ non Cereris fuit. [4] Acesta eadem ac egesta, & segesta; & Acestienses ac Segestani. [5] Alcamum ab Adelcamo Saracenorum Amira nomen accepit: ex Fazel. (6) Corileonis Civitas Grecè eadem est ac Pagum D. Leonis, ex Cluverio, ut diximus, Schera antiquitus vocabatur [7] Partanna novi nominis Oppidum, nil habet cum Ennensibus comune.

nostra ætate haud quidem ignobile. Item alterum in media ferè Sicilia eversum penitus, hodie Moxinis, quorum neutrum, cùm Diodorus lib. 13. Motiam nec à mari, nec à Panormo multùm sejunxisset, sinumque dixisset habere maritimum; & Thucydides Elymis finitimum statuisset, Motiam esse arbitramur, sed tumulum, qui nec procul est à Panormo occasum versus, quem Mundellum dicunt. Sunt etenim haud procul ruinę in prędio (Feudum recentiores vocant) cui Capacis nomen. Soloenti iisdem erectæ Urbi, ut autor est Thucydides, quæ Panormũ haud multùm refugit ad Orientem (Solantum nostri vocant) præter turrim ad navium factam commoditatem, quę ut frumento onerentur, in ea conveniunt loca, domus nonnullæ sunt. Sunt quoq; pauca vestigia in montis cacumine, montem Catalfarum nominant. In ejus mari thymnorum ingens captura. Ejus campi Eleuthero fluvio, ubi pons ruptus (sic eum vocant) ad dexteram jacentes infunduntur.

De Urbe Panormo.

URbem Panormum ab his Græcis conditam supra dictum est, cujus ea tantummodo para erat, qui Cassarus dicitur. Nova deinde illi addita fuit, qua vetus à maris littore divisa, Neapolis nomine, ut Polybius est auctor. Felix in præsens Urbs, omniumque maxima Siciliensium, in amœna valle sita, ad septentrionem spectat, pelagoque abluitur Tyrrheno, muris septa perquam altis, quod opus est Federici Regis: plures quibus cæmentitios aggeres latis fossis cinctos augmento, ac Civium securitati in præsentiarum addunt: quorum duo cæteris omnibus antecellunt: alter ad Orientem ferè, & eurum petinet, qui Templum cognomento Spasmum ambit: alter verò ad Occidentem, & corum vergit supra portam, quem Novam appellant. Secundum mare arx est, quæ nostra tempestate amplificata, quòd Castrum ad mare nominant. Hujus arcis præfectus hodie Hieronymus Fuxa Panormita, homo patritius, qui dies octo æstivo tempore agit sine potu. Tres item antiquæ Civitatis portæ, & veteres muri, multis cum turribus lapide quadrato constructi, & nunc manent. Patitillorum una, ubi lapides literis inscripti, quibus Noæ tempore fuisse Panormum planè constat. Obscura altera nominata. Tertia est, quæ Bosuemia porta ab ipsis nuncupatur, ad eam vergens Urbis regionem, quam Brigarsam, vulgarium antiquitus, vocant. Supra murum ad occidentem Rogerius Comes Tancredi filius, victis Pœnis, Turrim Rubeam, quam vocant, faciendam curavit: alteram Chirimbrim nomine, Vilielmus Rex, cognomento Malus: tertiam demum (Turrim Pisanam hanc vocant) qua palatium perfectum, Vilielmus filius quem Bonum appellarunt. Intus sacellum marmoreum ædificium totam, Divo Petro dicatum, pulcherrimum, & religiosum, cujus parietes porphyrito, parioque marmore, vermiculatis ad hominum, & animalium effigies crustis, punctisque aureis vestiti, pavimentumque structum. Ibi subterraneus carcer, quo primariæ nonnullæ mulieres anno millesimo post Christum ducentesimo quadragesimo secundo, mense Martio, quòd plurimi reguli tumultum fecerant, ab Federico Imperatore conjectæ, nec unquam deinde visæ, quæ antiquo vulgi proverbio, Donnæ, quæ malæ venerunt, vocatæ sunt. Ducentos post atque nonaginta quinque ferè annos, cùm locum fabricandi gratia homines confoderent, tria earum cadavera nulla putredine vitiata, integris cum vestibus, sericisque Calanticis inventa sunt.

Templum quoque est ingens Panormi, exteriores parietes multo pulcherrimi, à Gualterio Archiepiscopo Vilielmi Regis affine dedicatum: ibique quatuor sunt ex porphyrito marmore sepulchra, opus sanè cunctis spectabile, Siciliæ Reges in quibus sepultoa ajunt: quorum medium locum tenet marmoreum quoddam, ubi Constantia Regina condita. Sacellum item Divæ Christinæ parietibus marmoreis, atque auratis laquearibus extructum. Ipso in Templo cautum est in statutis, ne privatorum quisquam sepeliatur; Regibus namque dumtaxat, & Episcopis concessum. Prope est ad Orientem fermè celebris Hospitalis domus, nec multum ante patrum nostrorum memoriam ædificata: cujus ministris curandi ægros, atque infantes alendi, quos vel paupertas, vel mulierum verecundia clam exposuerit, maxima cura. Altera parte est locus, quod Toccum appellatur, ubi aut vetera consuetudine, aut regia gratia aureas coronas Reges accipere consuescere, ipsi Panormitæ evulgant, adducuntque inter eos, qui ibi regio diademate donati, Rogerium, utrumque Vilielmum, Tancredum, Henricum Imperatorem, Federicum ejus filium, Manfridum, & Petrum Aragonum Regem.

Insignis erat Panormi regia ab Andrea Claramonte, tempore quo plures reguli à regia fide defecere, ipsius defectionis auctore, extructa, Sterium tum vocarunt, quæ nostra ætate in mercium horreum (Doanam hodie appellant) ubi portitores ad regia vectigalia exigenda disponuntur, mutata est. Curia item est prætoria, ubi duæ statuæ ex marmore antiquissimæ, nec cui quidem dicatæ scire possumus: sunt enim nudæ, atque alteram manuum mortalium incuria mutilæ. Et propè Fanum vetus, sacrum è marmore, puntisque aureis, licèt vetustate deletis, factum. Marturanam Panormitæ vocant, ibi Virgines plures Deo perpetuò dicatæ. Auctæ postea Civitati Tancredus, primi Vilielmi spurius, pomerium protulit. Et Rogerius Comes ædem, quæ Divo Joanni sacrata est, eorum hospitium, qui elephantia vitiati, trans Oreti amnis ostium, (flumen Miragiæ hodie vocant) ubi pons est lapideus insignis, ædificavit. Flumen in Panormitana valle oritur, inque agro Parco nomine.

Ipse

Ipsa Panormi vallis pluribus irrigatur fontibus. Inter Soloentem & Panormum fons est, Buccuti nomine, cujus latices emolliendi alvum, purgandique virtutem habent. Et fons Misilmire, vulgò Misilmeli, ferè ad Orientem in planitie ortus. Et ex rupe multis undique factis scatebris, qui quod stagnum propen odum facit, Mare dulce nominatur. Et juxta fons Ambler nomine. Inque Montis Regalis radicibus Sanctæ Dominicæ fons magnus, præter quam in ipsis quoque radicibus duo, major & minor Gabriel, quibus major est, quem Nixum vocant, quo Zizæ ager infunditur. Ziza punicum nomen; estque suburbana domus hortis, ac viridariis amœna; afroque more extructa. Sunt præter hanc duæ, major & minor Cubba, eodem artificio, eademque Pœnorum Colonia, quibus tum Sicilia occupata, ædificatæ, habentque hortos ad omnem usum fermè, & voluptatem ex omni parte consitos, ac fontium etiam rivulos, loca quippè amœna, & voluptuosa, quibusvis tristissimis prorsus exterminandis curis perquam apta. Sunt præterea fontes Baida, Xarabus, Siccharia, Ainisindis; & juxta mœnia Chamberlingus versus Occidentem. Intus quatuor Bonripolus, Guilla, & tertius sine nomine, sub porta Obscura in pilam influens, ac demùm celeberrimus, omniumque longè notissimus Garraphus. Panormi Thynnorum multi piscantur.

Diocles Panormita cognomento Phimes, illustris summusque orator fuit. Antonius Bononius Panormita, nobili ortus genere fuit, homo quidem bonarum literarum valdè peritus, Alfonso Regi gratissimus. Dulcium arundinum, quarum ex recocto succo fit saccarum, fertiles in Panormitano agro fiunt messes; quòd sic faciunt. Principio campum non multum à mari remotum (proinæ ledenim messibus officiunt) bene pastinant, inque paulò eminentiores disponunt sulcos. Martio deinde mense arundinum dulcium nodos, qui ad summum pertinent, foliis librisque exutos ita conserunt, ut sulcorum latera tribus, aut quatuor cum geminis frustis uno ictu perforentur. Sicque implent omnes campi sulcos. Irrigatur terra æstate, simul & à luxuria assiduè purgatur. Brumale demùm propè sol stitium, radicibus tantummodo pro altera sat ione (biennium durat) relictis, franguntur arundines. Quarum ex maturis, dulcissimisque nodis in minuta incisis frusta, eo artificio, quo oleum, elicitum succum uno ex tribus in hypocausto dispositis, aheno purgatur, ac vili percolatur panno. Colati mox succi partem (sic enim recoquunt) in alterum conjiciunt ahenum, & hinc rursus in tertium reponunt confestim, verberantque ferventem, unde extractum subnigrum erit saccarum. Idem denique itidem semel, iterum & tertium si fuerit recoctum, candidum elegantissimumque fiet. Altera verò illis ex radicibus messis, nisi mense Majo stercoretur campus, vix emerget.

Quatuor miliaria ad Occidentem à Panormo abest Mons Regalis Civitas in vallo colle sita, quam Vilielmus Rex Bonus statuit. Ibique nobile Templum Divæ Mariæ Dei Matri fecit, cujus pars, quæ à medio ad Altare usque surgit, albo marmore, porphyrito, ac Lacedæmonio, guttisque aureis & lineamentis ad diversarum rerum imagines cùm esset structa, non ulli quidem in toto ferè Orbe comparandum: ubi ipsius Vilielmi conditoris sepulchrum. Et hos, qui modò Carinim, Cætariam olim tenuisse non longè à mari situm oppidum existimo; ultra Panormum plurimæ gentes agunt. Earum oppida, quæ ad Orientem pertinent, Ciminna Soloenti proximum, Caccamus, & moltò remotiora Barrafranca, Calatinissetta, quod à Petrapertia oppido Himeræ amnis vada dirimunt. Bonvicinus nostra propemodum tempestate erectum oppidum. Castrum novum propinquius: & Vicaris, quod mediterraneum quanquam & Himeræ vicinum Ptolemæus & Thucydides collocassent (Hyccaram ipsi vocant) Diodorus tamen scribit ab Atheniensibus Hyccara maritimum vicum expugnatum, Laidemque puellam, quæ in Peloponnesum deinde adducta formosissima meretrix fuit, inter captivos captam. Et oppidulum, Mezuinfisa nomine, propè Vicarim ad Occidentem. A Panormo haud longè Fundus, hodie Feudum, à fide dictum, cui Cifala nomen, ostenditur, aquæ ubi calidæ ægrotis admodum salubres.

Nunc de Græcis dicendum, qui ad Siciliam appulsi, leges, ac vivendi ritus, moresque hominea docuere: Theocles Atheniensis vento in Siciliam fortè delatus, visaa terræ virtute, & solitudine (non enim totat plena id temporis) Athenas reversus est, atque Chalcidensium ex Eubœa, Joniumque & Doriensium, Megarensium pariter magno numero comparato, illuc rursus navigans, Naxum obtinuit, aramque Apollini consecravit Archegeto, ubi antequam è Sicilia oracula perituri solverent, sacra facere consueverant. Urbe (locum ubi tum erat, Schison vocant (postea à Dionysio inferiore tyranno eversa, Andromachus Timæi historici pater, homo dives, ut Diodorus tradit in Philippo, Taurum collem propinquum, iis qui excidio supererant coadunatis, inhabitavit, vocavitque Tauromenium; quæ inter Catinam, & Messanam aperto pulsatur mari, & Sole inspicitur oriente, ubi pars vetustissimi Amphiteatri adhuc extat; ac duæ cisternæ, quarum altera ruinosa, altera duabus cum fornicibus octo quadratis, ac cæmentitiis fulcitur columnis (Stagnonem ipsi vocant) cujus longitudo centum ferè, & triginta pedibus, trigintasex latitudo, ac triginta demùm altitudo continetur. Ad dexteram Tauromenius amnis, Vibius Sequester est autor, nunc Cantaræ flovius nuncupatus; ibi enim pons erat, quem Alcantaram Punici vocant. Timæus orator, & historicus Andromachi, quem supra nominavimus, fuit filius.

De

De Urbe Syracusis.

ALtero post Naxum anno Archias Corinthius, quem ab Hercule traxisse originem ajunt, eam Syracusarum partem, quam Insulam vocamus, Naxon & Ortygiam nonnulli, pulsis Siculis insedit, eamque suæ gentis Colonia auxit, amplificavitque. Quicquid autem de Archia & Myscello scripserit Strabo, fabulis mixtum pro certo habemus. Urbem igitur Syrscusas maximam pulcherrimamque, ac triplici septam muro, opibus & viribus potentem fuisse, multi sunt testes. Ea capta prædæ tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset, cum qua viribus æquis certabatur. Et Dionysius tyrannus centum viginti peditum, equitumque duodecim millium exercitum, ac naves ad quadringentas ex Urbe una eduxit Syracusis. Quæ cum manu munitissima, tum loci natura erat; & portus adhuc habet duos, qui cum diversos inter se aditus habeant, in exitu sunt conjuncti, quorum conjunctione Insula ipsa disjungitur. Ea tanta fuit, ut ex quatuor tunc urbibus constaret, quarum una ea est, quam dixi, Insula, quæ duobus illis portubus cincta, magnum & parvum vocant, quæque in præsentia, cæteris solo adæquatis, tantummodo stat. In faucibus portuum, ubi nunc Castrum Marchet est, arx erat tyrannorum, Hieronisque Regis domus, qua Prætores postea uti solebant, thesauro plena, ac, ut Plutarchus ait, armorum copia ita munita, ut hominum septuaginta millia illis armarentur. Ibi mea tempestate est pons lapideus (quo Insula ipsa adjungebatur) & obrutum propter temporum injuriam, ac Urbium eversionem, arcis inventum ædificium, multæque statuæ, & caput è marmore his literis inscriptum, Extinctori Tyrannicæ.

Hanc arcem, quia tyrannorum receptaculum, à Timoleonte Corinthio deletam, quis restituisset (Prætores enim, ut à Cicerone probatur, dein uti solebant) mihi haud compertum quidem. Fuit iterum ab Romanis eversa, & in ruinis Castrum Marchet, de quo supra dictum est, erectum. Nec eorum quidem accedo opinionibus, & argumentis, qui Labdalum, de quo statim fiet mentio, tyrannorum fuisse receptaculum adfirmant. Habitare in ea Insula (est enim locus quem vel pauci possunt defendere) M. Marcellus Syracusanum neminem, post Urbem Siracusas captam, permisit.

In ea Insula ædes erant complures, sed duę quæ longè cæteris antecellebant: Dianæ una, quæ modò diruta nihil exhibet, præter vestigia pauca, domo inclusa, in ea regione, quam Resalibram dicunt, contra Sancti Pauli ædem. Altera Minervæ, ante C. Verris adventum ornatissima, nunc Antistitis sedes, tredecim ex omni latere striatis ex lapide vastis cum capitulis, abacisque, & trabibus, columnis suffulta; in qua pugna erat equestris Agathoclis Regis in tabulis picta, quibus tabulis interiores Templi parietes vestiebantur. Viginti præterea tabulæ pulcherrimè pictæ, in quibus erant imagines Sicilię regum, & Tyrannorum, quæ non solùm pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum, & cognitione formarum. Erat & Medusæ caput pulcherrimum cinctum anguibus, valvæ item magnificentiores ex auro, atque ebore, & in eis bullæ auro graves, & miro artificio cælatæ. Ejus tectum anno post Christum Deum millesimo centesimo corruit: quam ob rem, qui sacris faciendis in altari incumbebant salvis tantùm, mortales omnes, quorum ædes ipsa ferè plena erat, periere. Arx est pulchra in ipsius magni portus introitu, à Georgio Maniaco lapide quadrato ædificata, castrum turris Maniaci nominata. In majore porta duo erant ænei arietes, hodie in ædicula Castri ad Mare Panormi positi sunt. * Atque altera parva in parvi portus ostio, quam quia recens ædificium est, Casam novam vocant.

In hac Insula est fons, cui nomen Arethusa, tunc incredibili magnitudine, plenus piscium, qui fluctu totus opertus fuisset, nisi munitione, ac mole lapidum à mari fuisset disjunctus, dum hinc atque inde dulcis salsave præda arundine capiebatur. Arethusam nympham, Dianæ comitem, Poetæ assignant, quæ ab Alpheo Peloponnesi fluvio adamata, ac subter mare usque ad hanc Insulam fugiens, in fontem sui nominis mutata est. Diodorus fontem Arethusæ, Nymphas Dianæ produxisse, ejusque pisces sacros fuisse, refert: quæ omnia fabulosa. Ejus ante os Alpheus ipse mediis in fluctibus placidus emergit, quem Oculum Zilicæ nostri vocant. Arethusa ergo, quamvis non ea magnitudine, è rupe tamen, veluti è Civitatis latere usque in hunc diē in portum magnum effunditur: à quo non multùm distat Alpheus, qui, ut dictum est, ante ipsius os è salsis undis caput erigens, impetu cum magno ita erumpit, ut aut cymbas, aut nantes homines sese vix adire permittat. Est & alter fluvius in portum magnum influens, vulgò Alpheus dictus; hic Anapus est, de quo Thucydides, aliique plures meminerunt. Ortus ejus ad fontem Gufferam, juxta Buxemam recens oppidum. Hic vallem, qua ab eo quod diximus oppido, Paciorus, nunc Palazolus, dividitur; præterfluit, aditque Gucyrum, hodie Cassarum (sunt hæc mediterranea à Ptolemæo citata oppida) & Ferulensibus, recentioribus uti reor, ad lævam relictis populis, Sortinum, cujus ab his, qui de Sicilia scripsere, nulla facta mentio, abluit. Fontibus denique pluribus absorptis, agrum Syracusanum ingreditur, quo Cyanes latices celeberrimi, notique fontis, duobus propè antè ostiū miliaribus, hauriuntur. Æneus fluvius, haud procul à Netho Civitate Fundum (nunc Feudum dicunt) cui nomen Cardinalis patris mei, domusq; Aretiorum multis antè annis, interluit; statimque, ubi ad ejus finem ventum, in

* *Nunc in Regio Palatio Panormi.*

B pro-

profunda vale, facto stagno, absorbetur, peritque totus; simul ac per undecim ferè miliarium spatium, in Syracusano agro juxta Anapum, non longè ab ipso fonte Cyane, rursus ex immensæ profunditatis emergit lacu, inque Anapum clementer, ac mirabili lenitate decurrit. Lacum, quem Piscinam prius, deinde Pismam nostri vocarunt, in eo loco, unde Ditis cùm abrepta Proserpina exivit, existere antiquitus putavere. Quapropter Syracusani ibi dies festos anniversarios agebant, celeberrimo virorum, mulierumque conventu, propter hujus opinionis vetustatem, quòd eorum in his locis vestigia, & propè incunabula deorum reperiri dicebant, author idoneus est Cicero in Actionibus in Verrem. Fontem item Cyanen, hodie Cyrini Pismam appellatum, Nympham ipso Anapo dilectam fuisse, inque sui nominis fontem resolutam tradunt. Tres, præter quos, de quibus diximus, fontes in Syracusano agro Plinius commemorat, Temanitem, Archidemissam & Mergeam, quorum cum recentioribus non faciunt nomina.

Jovis Olympii Fanum mille & quingentis ab Syracusis passibus, cum oppido Olympico everso, nunc è parvo tumulo Anapum respicit, ubi Athenienses, multis post annis, deinde & Romani, ut Thucidydes, & Livius scripserunt, castra posuere, cujus adhuc extant columnæ. Nec longè ab Olympico Acarnaniam, quæ in præsentia nihil penitus ostendit, urbem statuit Cicero. Locum hodie in ea, qui Pantanus dicitur, regione, Carranum vocant. Per paludem ad Olympicum, quam Lysimeliam Thucydides, nos Pantanellam appellamus, via magnis instructa lapidibus nostra ætate reperta, cujus lapides, Carolo Quinto Imperatore regnante, Urbi muniendæ maximè profuere, pergebant. Palus hybernis aquis, multoque cœno fœdata, nullum præbet adeuntibus accessum, donec veris, novæque æstatis calore desiccata.

Trans Anapi ostium via Elorina, nunc Calorina dicta, ad meridiem, & Plemmyrium promontorium distenditur. Plemmyrium, de quo Virgilius meminit, promontorium, & ibi oppidum eodem nomine, quod Gylippus Corinthius Syracusanis ab Atheniensibus obsessis auxilio profectus, ibi enim hostes munitiones fecerant, hostiliter depopulatus est: promontorium hodie Massaoliverem contra Insulam, portus magni ostio dividente, appellant. Alterum juxta promontorium Raiscansir Afro nomine. In ipso portu Plemmyrium spectat parva Insula. Supra sexto propè miliario Longum promontorium, modò Lognina, & statio parva: et mediterraneus ager, Longarinus nuncupatus. Ibique nec à mari remotæ Thersones, hodie Thiresæ ruinæ. Giartis ager, quem Dionysii tyranni fuisse, Plutarchus scripsit in Diona, qui tum campestrium rura, tum saltus, ac vertices montium, jugumque ad Occidentem extensus continet, nunc Cava Georgiæ nuncupatus.

Altera Syracusarum pars, cui Neapolis nomen est, Insulæ propinquior, de qua, quod postremum ædificium, postramò verba facienda duximus. Est igitur parum eminens ager, duas qui Syracusarum Urbes Achradinam, & Tycham complectebatur, Neapoli ab Insula divisus. His duabus Urbibus nulla vel pauca Romanorum providentia remanent antiquitatis vestigia. Ager post ruinam, ac damnum à Cn. Pompejo factum, Terra Tichæ, Terrachati postea, vocatus est. Nunc, ut quomodo paulò antè Insulam, sic Achradinam, & Tycham sequar. Achradina igitur mari propinquior, cujus murus fluctu abluebatur, author est Livius. Forum in qua maximum, ubi C. Verres filii nudam, suamque in equo statuam posuerat. Ibique Concordiæ ara, ut idem Livius scripsit. Pulcherrimæ item porticus, ornatissimum Prytaneum (locus ad quem judices convenerant) & in hoc Sappho erat, quæ epigramma Græcum habebat in basi. Amplissima erat Curia, locum ipsum Buleuterium vocabant. Templumque egregium Jovis Olympii. Erat præterea turris in extrema parte Urbis, quæ ad Septentrionem spectat, quam Galeagram antiquitas, nostri Scalam Græcam vocant. Et sub hac Trogilum oppidulum suburbanum, locus in præsens Targia dicitur, ubi turris proximis annis ædificata, atque Trogilorum portus, de quo Livius fecit mentionem, Statio, hodie Stinctinus dicta.

Tertia est Urbs, quæ quòd in ea parte erat, ubi Fanum Fortunæ fuit, Tycha nominata est, in qua locus eminens & præruptus à superficie Epipolæ dictus. Et ibi arx Labdalum, quòd Livius Exapylum vocat, nostri verò Montem Bellisim, modò eruta ingentem lapidum acervum, veluti sui imaginem ostendit. Juxta Epipolas locus erat, cui Pentapylum nomen, ubi illustrè Dionysii horologium fuit, Gymnasium quoque erat amplissimum, quòd superioris domum Dionysii fuisse, libro duodecimo scripsit Plinius. Ædes præterea Æsculapii, & in ea Pæanis signum præclarè factum, sacrum tum & religiosum. Aristæi alterum in æde Liberi. Jovis quoque Imperatoris in ea Templum erat, ubi notissimum simulachrum. Etenim tria Jovis Imperatoris signa uno in genere ferebantur in Orbe terrarum, unum illud Macedonicum, quòd Romæ in Capitolio posuerat Flaminius, alterum in Ponti ore, & angustiis, tertium quòd in hoc Templo erat. In radicibus ipsius Tychæ Timolionis Corinthii suburbana domus, illi à Senatu Populoque Syracusano, tanquam de Republica benè merito, donata; ubi jam senior & cæcus ipse habitavit. Domibus modò ruinosis, Templum est parvum Divo Petro dedicatum, atque fons perennis: nostri Trimiliam vocant. Portæ Agragariæ propè erant, quas juxta sepulchrorum copia. Tyramis porta urgebat ab meridiem.

Quarta autem erat Urbs, quæ quis postrema, ut ante dictum est, ædificata, Neapolis nominabatur, & in eo loco, qui nunc Mura-

gli

gli dicitur: quam ad summam Theatrum in hunc diem est maximum, ex ipso saxo inciso, factum, cui nil quidem desideraretur, nisi scæna deesset, ex cujus fundamentis superiori anno lapides extracti. A quo haud procul Amphiteatrum, ovalem formam continens, quod eversum jam, pauca ostendit vestigia, id tum Granatorum fossam, tum Coliseum nuncupant. Fons, qui Theatrum abluit, Galermis, qui Amphiteatrum Paradisus hodie vocatur. Hi maximo hominum labore amplis, cæcisque factis meatibus, in hæc loca erumpunt. Duo item tunc Templa erant egregia. Ex his unum Hiero superior Cereri, alterum Libero dicavit. Signumque erat Apollinis, qui Themistes vocabatur, pulcherrimum & maximum. Columnarum capita, quæ Syracusarum in Templis erant, Romæ in Panthei Templi vestibulo, nunc Divæ Mariæ vulgò Rotundæ, ut Plinius censet à M. Agrippa posita. Menetides quoque portę in Urbe erant, per quas ab Anapo Achradinam Dionem ascendisse, narrat Plutarchus. Et Plinius signum fuisse Syracusis claudicantis pueri, cujus ulceris dolorem etiam spectantes sentire videbantur.

Lautumiæ, quas Tagliatas nos vocamus, sub terra carceres, quæ, ut Varroni placet, & Lapicidinæ dicuntur. Opus est ingens ex saxo in mirandam altitudinem depressum, & multorum operis penitus excisum. In has, si qui publicè custodiendi erant, etiam ex cæteris oppidis (author est Cicero) deduci imperabantur. Sunt adhuc quinque insignes, omnes carentes testudine, præterquam una ad meridiem conversa, Syracusani Autrum Sancti Nicolai nominant, ubi carcer ille, qui à Dionysio tyranno factus fuit. Alterum huic adhæret Antrum (Grotta quæ Favellat hodie dicitur) eo factum artificio, quo loquentibus Echo ita dictiones singulas, & syllabas, accentusque omnis reddit, ut quemquam seriò inclusum omninò crederes. Tres item specus in hac Urbe memorabiles sunt, dictuque mirabiles. Una in Divi Joannis æde, quæ cæteris est major. Hæc viis latis, multisque transversis, uti oppidum subterraneum, divisa continetur, cujus in parietibus sepulchrorum multa ex inciso saxo sunt. Altera ad Divæ Luciæ Martyris Fanum, quod locum esse ubi ipsa tormenta passa fuit, Syracusani volunt, quæ non natura quidem, sed mortalium manu, & artificio factæ sunt. Tertia autem est specus in Templi hortis, quod Deiparæ Mariæ Jesu dicatum, eò per angustum hiatum passibus propemodum duo de viginti descendentibus, perque cæcum rursus callem triginta ferè Orientem versus pergentibus, lacus aquæ dulcis occurrit. Sunt qui hanc Civitatis partem parvam admodum faciunt: Achradinam cum Insula conjungentes, eo quia Neon Corinthius (ut ait in Timoleone Plutarchus) Achradinam arcis muro conjungerat: at si animadvertissent murum, quem belli necessitate ille extruxerat, ab Syracusanis deinde fuisse dirutum, ut Livius libro tertio secundi belli punici scripsit, non idipsum quidem affirmarent. Præterea si Achradinam Insulæ proximam facimus, certè Neapolim exiguam relinquimus, quemadmodum qui locum viderunt, testes idonei sunt, & Syracusas ex quatuor Urbibus maximis tunc constare legimus. Falsum est igitur, quod ipsi prædicant. Livius ait, Marcellus, ut Euryolum neque tradi, neque capi vidit posse, inter Neapolim, & Tycham (nomina partium Urbis, & instar Urbium sunt) posuit castra; & Cicero libro septimo, actione nona in Verrem, inquit, ea tanta est Urbs, ut ex quatuor Urbibus maximis constare dicatur.

Est Syracusis loci natura Cœlique, ut nullus unquam dies tam magna, turbulentaque tempestate fuerit, quin aliquo tempore Solem ejus diei homines viderent, quòd & si Cicero ipse affirmat in Verrinis Actionibus, nos tamen non semper id usu venire dicimus. Syracusarum ędificia omnia, publica, privata, sacra, & profana, quibus M. Marcellus posteà quàm Urbem illa tempestate fermè omnium pulcherrimam subjectam oculis vidit, humaniter pepercit; præter pauca, quæ Romam asportata sunt, in ædem Honoris & Virtutis. Cn. Pompejus penitus delenda curavit. Insulam dein, quam nunc habitamus, Augustum restituisse Strabo commemorat. Suprà ad meridiem duodecimo ferè miliario, ultra Longarinum agrum (de quo diximus) Cacyparis est amnis, author est Thucydides, Cassibilis hodie nuncupatus, & statio vicina, quas Fontanas Blancas appellant, Plinius Naustachmum portum. Enimverò nullus inter Syracusas, & Pachynum, præter stationes, reperitur portus. Erineus ultra sex miliaria fluvius, Miranda nunc dictus, qui campis, ubi arundines fiunt dulces, cùm hauriuntur latices, nullum prorsus in præsentia facit ostium. Ad ejus fontes Avola oppidū, quod ex alto colle Pachynum prospectat: & Syracusanorum victoria insigne Asinarum tum flumen, nunc Falconara. Athenienses quoniam, & Nicea eorum Dux, hic à Syracusanis intercepti, præter eos qui capti, atque in Latumiis labore consumpti, ad unum omnes trucidati, ob quam causam eo in loco ad nonas Calendas Junias diem festum celebrabant quotannis. Oritur juxta Nethum antiquam Urbem, hodie Nothum, quæ ab Avola, de quo diximus oppido, sex miliaribus, ab Syracusis autem quatuor & viginti, supra Pachynum octo ferè miliaria, natura ipsa ab omni parte munita, distat. Flumen ipsum omnium ferè arborum probatissimos præbet fructus. A quo Elorina Civitas ad Elori amnis ostium deleta penitus, sex miliaria abest. Elori ostium Pachyno proximum hodie Labisum. Pachynum hunc fuisse amnem aliqui autumant. At rursus parte ex alia à Syracusis, quæ ad septentrionem pertinet. Bidenos populos parum à Syracusis remotos statuit Cicero. Oppidum tenue Bidis nomine, nunc Bigenis ager inter Tapsum & & Euryalum, ubi Pyramis est semidiruta. Euryalum tumulus, & in eo arx, ut author est

est Livius, Belveder nunc dicta, quæ utrumque mare prospicit Tapsi hinc, illinc verò Syracusarum portum. Contrà mons est præceps, ex rupe utrinque excisa, cujus frons ad ipsum Euryalum, dexterum latus ad Anapi amnis vada, lævumque ad Tapsum vergit. Vertex Lepas à Thucydide, hodie Mons Crimitis nominatur. Et Leo locus erat, ut idem author ait, uno ferè miliario ab Epipolis. Livius Leontiam vocat, munitum locum, quinque milia passuum ab Exapilo, locus, qui in præsens vestigia demonstrat. Tapsus in præsentia Insula de Manghisi [1] dicta, penisula: ubi antiquitatis nihil extat, portu ab occasu munita, quatuor ab Achradina una Syracusarum Urbe distat miliaribus. Item Thucydides juxta Syracusarum muros Sicam oppidulum collocat, modò agrum esse Sinecham nomine, qui propè Sicham est, ipsa docemur conjectura. [2]

Officinam C. Verres maximam fecit Syracusis, artifices in qua ferè omnes, cælatores, ac vascularios convocari jussit. Lex fuit Syracusis, author est libro undecimo Diodorus, quam Petalismū appellarunt. Causa ferendi legē Tyndarides fuit dives juvenis, & incautus, variisque illecebris potens: hic conviviis & commessationibus advenas cunctos, ac seditiosos ita sibi aggregaverat, ut Senatui suspicioni fuerit, veluti, qui ex industria illorum uteretur consuetudine, ut pessimis consilis viris publicam occuparet libertatem. Inclinatis ob id jam omnium ad credendum animis, hominem observant, eumdemque nequissimorum quorumcumque stipatum agmine circumsistunt: tum comprehensum nituntur socii eripere, quibus, cum dispares essent viribus, trucidatis, vinctum conjectis catenis temerarium, ac damnatum pœnam sequi oportuit. Et confestim procerum consilio advocato, Tyndaridis invidia, & audacia, ac communi periculo recitatis, quibus ille merita affectus pœna, legem conscribunt, ut ejus qui tyrannidis suspicionem tulisset, olivæ folium inscriptum nomine illi daretur, sciret propterea se exulatum ire quinquennium oportere. Lex ab olivæ folio, Petalismus appellata. Atheniensium exemplo, qui quòd in latere nomen scribebant, Ostracismum, eamdem vocarunt. Petalismo igitur lege multi ex primoribus cùm in exilium acti, eorumque diminutus numerus, atque ob hanc causam in plebejorum arbitrium esset Respublica declinata, qui Civitatis statum multifariam distractum, cæca confusione, atque multiplici miscebant seditione, eandem confestim aboluere.

Altera quoque lex Syracusis, ut refert Cicero lib. 4. act. 7. in Verrem, de religione, quę in annos singulos Jovis Sacerdotē sortito capi jubebat (Sacerdotii dignitas apud Syracusanos amplissima putabatur) ad hunc modū. Cū suffragiis tres ex tribus generibus creati erāt, res vocabatur ad sortem, ut quot essent renuntiati, tot in hydriam sorte conjicerentur, cujus nomen exiisset, ut is haberet sacerdotium. Hieronia præterea lex, de Hieronis nomine dicta, quæ decumas vendendas, ut idem author scripsit, jubebat. Mos fuit Syracusis, ut si qua dere ad Senatum relatum erat, diceret sententiam qui vellet, nominatim nemo rogabatur, & tamen ut quisque honore, & ætate antecellebat, ita primus solebat sua sponte dicere, idque à cæteris ei concedebatur: si quando tacuissent omnes, tunc sortitò cogebatur dicere. Magistratum annuum, quem Famulatum vocarunt, quemque trecentos fermè post annos, ut in Philippo scripsit Diodorus, ipsi Syracusani abolvere, Timoleon, victo inferiore Dionysio, instituit.

Cæterum quia plerosque audimus, illis, qui Urbem Syracusas tantæ fuisse potentiæ narrant, tum instanter adversari, tum leniter, quasi timidè credentes, annuere; de his pauca facienda verba jucundissimum fore judicavimus. Quippè & Regali potestate, & Magistratu totius Insulæ Siciliæ Syracusanos Imperio potitos facilè probabitur: Gelo igitur Syracusanorum Rex, Carthaginensibus bello jam profligatis, universæ Siciliæ dominatum obtinuit, quem Hieroni fratri (hic superior fuit Hiero) postmodum ex testamento reliquit. Victo item aliquot post annis Trasibulo Tyranno, cæteras Siciliæ Civitates libertate ipsi Syracusani donarunt: hincque pax alta ad Dionysii usque tempestatem fuit: qua re Jovi Liberatori ingentem statuam dedicarunt. Advenas item complures, qui in Cives ascripti belli necessitate fuerant, officio quocumque fungi minimè posse lege sanxerunt, author est Diodorus libro undecimo: idem author cæteris jam in potestatem redactis, Trinacrinos, qui obtemperare recusabant, ab ipsis Syracusanis victos, Urbemque direptam fuisse in sequenti libro testatur. Strabo præterea reliquos Siciliæ Populos Syracusanorum ditioni adauctos in suis scriptis reliquit. Et Dionysius demùm superior, universæ Siciliæ Imperio occupato, forti cum manu in Italiam copias traduxit. Ac ubi Romanorum Provincia Sicilia facta est, Syracusis Prætoriam domum, ibidem qui jus dicebant, judices mansisse nemo est, qui improbet: Cicero enim libro quarto in Verrem de Sopatro quodam loquens, citatur, inquit reus; causa agitur Syracusis. In eodem, Stenium Thermitanum dum defendit, edicit, ait, statim, ut calendis Decembris adsit Stenius Syracusis. Ibidem cum de censoribus faciundis diceret: concurritur, inquit, undique ad istum Syracusas, flagrabat domus tota Prætoria studio hominum, & cupiditate. Item libro septimo ait: eo tempore (de Cajo Verre loquendo) ad luxuriam, libidinesque suas domo sua regia, quæ Regis Hieronis fuit, qua Prætores uti solent, contentus non fuit. Fuisse igitur Urbem Syracusas omnium

1 * *Magnisi hodie.*
2 * *Sica, eadem Tycha ex Bonann. in Syrac. illustr.*

nium Siciliensium facilè Principem fateamur oportet.

Ac etiam de viris illustribus, aliqua dignia memoria, quos Urbem Syracusas peperisse reperimus. Lygdamus Syracusanus tertia, & trigesima Olympiade victor fuit in stadio, cujus ossa medullis carere fama vulgavit. Asylus, & Hisbio, 1. ille septuagesimaquarta, hic nonagesimanona Olympiade in stadio quoq; victor fuit. Hermocrates Dux, & orator summus. Callicrates animo, & militari arte præstantissimus: is, & Lamachus Atheniensis Syracusis singulari certamine icti cecidere. Heraclides homo bellicæ virtutis peritus, levis tametsi, & instabilis. Eurides vir clarus & illustris. Menandrum Syracusanum ephebum ab elephante adamatum refert Plinius. Mentor in Asia cum claudo Leone cōgressus, blandientis ex illius pede surculum extraxit. Zenagoras, qui sextum remorum ordinem invenit. Diocles legum lator, legem conscripserat, in qua ne quis forum cum armis accederet, cautum erat: verùm cùm esset domi gladio accinctus in hostes impetum facturus, audito parui momenti tumultu domo egressus est, cui quidam ex Civibus, tuam, inquit, ipsius negligis legem: at Diocles, minimè ait, imò eam ipsam confirmabo, & stricto gladio necem sibi illico conscivit. Theocritus Syracusanus, quem Virgilius imitatus est, Bucolico carmine illustris. Epicharmus poeta comicus, trium literarum inventor, zita, xi, psi, quem Plautus est imitatus. Horatius in Epist. Plautus, inquit, ad exemplar Siculi properare Epicharmi: hujus sententia, ut Cicero scripsit in Tuscul. quæst. Emori nolo, sed me esse mortuum nihil æstimo. Ejus socius Phormus Geloni gratissimus, Dinolochus Epicharmi discipulus. Et ille Philemon, qui unum supra centum vixit annum: ejusque filius Philemon uterque poeta, Corax, Latinè Corvus, artis oratoriæ primus inventor, ut Cicero in primo libro de oratore, & Hermogenes in rhetorica scripserunt. Is Tisiam Syracusanum pacto docuit pretio, cui discipulus petenti mercedem: si tibi Corax, ait, persuasero, non solvam; sin minus, veluti qui à te artem minimè edoctus, etiam non solvam. At Corax, si tibi, inquit, Tisia persuasero, certè solves; si verò id efficere non potero, dignus ero mercede, quòd me doctiori discipulo id persuadere nequeo: quibus Judices (quod proverbium fuit) mali corui malum ovum. Antiochus Syracusanus (ut Dion. Halicarn. refert) historicus, qui Italicos vetustissimos conditores scripsit. Lysias Gorgiæ discipulus orator summus, quamquam Cicero in Bruto, Athenis eumdem, & natum, & mortuum faciat. Bion item orator, & Simmias philosophus, Nicolaus, ut ait Diodorus libro tredecimo, qui duobus filiis orbus, pro victis Atheniensibus, quorum manibus ipsi filii interfecti erant, orationem, ut inimicis parceretur, habuit. Et poeta divinua Sophron, cujus poema Platoni admodum placuisse ferunt. Philemon Alexandri tempestate comicus poeta, à quo nonaginta sunt editæ comœdię, qui ubi totidem vixit annis, risu vehementi animam effudit. Sosiphanes Syracusanus Philippi Macedonici ętate, ex septem Tragicis unus. Theodorus orator, qui de re militari scripsit. Themistogenes historicus, à quo de Cyro plura edita. Athenagoras orator: & Acheus poeta comicus. Duo pręterea fratres Epicydes, & Hippacras, & armis & literis prædìti. Dion vir illustris, Platonica disciplina eruditus; cujus soror Aristomacha Dionysii superioris tyranni conjux. Dionysius Syracusanorum Tyrannus à puero institutis, & artibus ingenuis eruditus, musicorum studiosus, quem acrem fuisse, & industrium; natura maleficum, & injustum, ejusque in victu maximam temperantiam, cumque fugitivis barbaris, & facinorosis vixisse, apud Ciceronem scriptum accepimus. Mater ejus cùm prægnans eum in alvo contineret, somniavit se peperisse Satyriscum; cui Iterpretes portentorum (Galliatæ hi in Sicilia dicebantur) responderunt, eum, quem illa peperisset, clarissimum fore. Item paulò antequam regnare cœpit in agro Leontino, cùm equum flumine summersum maxima contentione non potuisset extrahere, discessit; at cùm aliquantulum progressus esset hinnitum exaudivit, atque equum alacrem aspexit, cujus in juba examen apum consederat. Quinque & viginti compleverat annos, cùm tyrannidem occupavit, regnavitque duo de quadraginta. Filias Dionysius, ne tonsori collum committeret, tondere docuit; adultas verò, ferrum earum manibus removens, candentibus carbonibus capillum, & barbam adurere. In carcerem demùm quodammodo ipse se inclusit, atque ex turri alta concionabatur.

Hic tunicam, & gladium, cùm pila ludere vellet, adolescentulo, quem amabat, tradidisse dicitur, cui quidam familiaris jocans, huic, ait, vitam tuam committis? Ille utrumque jussit interfici. Damocles assentator, propter ejus opes, atque rerum abundantiam, Beatum Dionysium assiduè in sermone commemorabat, cui Dionysius, vis ne igitur, inquit, ò Damocle sic te esse Beatum? Cùmque ille se velle dixisset: hominem Dionysius in aurea sede collocari jussit, mensasque instrui conquisitissimis epulis, pueros delectos consistere, jussitque rursus fulgentem gladium à lacunari seta equina appensum demitti. Damocles itaque gladium suspicens, nec plenum artis argentum, nec pulchros administratores aspiciebat, nec manum porrigebat in mensam: exoravit denique tyrannum, ut abire liceret, quòd jam Beatus nollet esse. Damonem, & Pythiam ea amicitia conjunctos ferunt, ut cùm alteri Dionysius diem necis destinasset, alterum vadem mortis accepit, donec ille causa commendandorum suorum profectus reverteretur, qui, ut vadem suum liberaret, præsto fuit ad horam morti destinatam, quorum fidem admiratus tyrannus, eos dimisit, atque utinam ego, inquit, tertius vobis amicus scri-

1. *Hiperbius ex Diodoro Sic. l. 12.*

berer. Aristides Locrus filiarum unam in matrimonium petenti Dionysio respondit, mortuam mallem, quàm tyranno filiam nuptam aspicere. Anus quædam, cùm diis immortalibus pro Dionysii vita preces assiduas funderet, cùmque eam Dionysius interrogaret, cur sola ita taceret, ne tibi, inquit, extincto deteriorem tyrannum suffectum videam.

In Acarnania Urbe Jovis Olympii signum gravis ponderis aureo pallio ubi spoliaverat, atque laneo induerat, illud neutri, dixit, idque utrique esse aptum tempori: idem è fano quodam cùm mensas aureas, quæ bonis diis inscriptæ, subtrahi jussisset, dixit se bonitate deorum uti. Aureas pateras, quas porrectis manibus simulachra quædam sustentabant, substulit: admodum, inquit, unumquemque decere, quod Dii porrectis manibus offerunt, accipere. Apollinis simulachrum Epidauri absque barba, barbatumque Æsculapii, quem Apollinis filium fingunt, videns, auream barbam, illius allectus pondere, accepit, non licere, adfirmans, imberbem patrem, filium verò barbatum esse. Locris Proserpinæ fano spoliato, cùm ipse solvisset, secundo vento spirante, videte ait, navigationem, quæ à Diis immortalibus, ipsis sacrilegis conceditur. Aristippus philosophus, & facetus, cujus consuetudine tyrannus utebatur, ad Diogenem philosophum, qui vitam agebat solitariam, una cum Dionysio ivit, cui, quia olera lavantem offenderit, summissa voce: si Dionysio, ait, obsequutus esses olera non comederes. At Diogenes, si olera, inquit, comederes, Dionysio non obsequutus esses. Dionysius pedibus tractum tyrannum, non insidentem equo, ut ait Livius, relinquere tyrannidem debere, dicebat.

Dionysius item hujus Dionysii filius philosophus quoque & tyrannus, qui Syracusis expulsus Corynthi ludum aperuit, puerosque docuit: ad ultimum verò sordidissimam agens vitam, popinas, & lupanaria dum frequentaret, de minimis quibusque rebus vulgo infertus disceptabat. Nysæus, qui eo tempore, quo alter Dionysius exulavit, Principatum Syracusis obtinuit. Et Cephalus, ut scripsit Diodorus, per id tempus legum conditor. Agathocles humili progenie ortus, Rex deinde Syracusanorum: cujus filius Eudoxus poeta comicus. Callias historicus, is qui ipsius Agathoclis gesta scripsit. Philistus poeta, & historicus, homo dives, Dionysii superioris amicus, qui armis, nedum literis insignis, quem doctum hominem, & diligentem fuisse testatur Cicero in libro, quem de divinatione scripsit. Philiscus philosophus, Monimus quoque philosophus, Hiero Rex prudens, & strenuus, Polidorus legum conditor. Polynæus orator, ejusdem Regis tempore. Et ipsius Hieronis gener Andronodorus orator, cujus uxorem Damaratam, interfecto Hieronymo, Syracusani trucidarunt. Scopias (ut Vitruvius scripsit) Syracusanus mathematicus multas res organicas, & gnomonicas numero, naturalibusque rationibus inventas, atque explicatas posteris reliquit. Hippocrates, & Epicides Duces perquam strenui, ut apud Livium invenimus.

Archimedes insuper unicus spectator Cœli, syderumque, is, ut Cicero in Tusculanis quæstionibus tradit, Lunæ, Solis, & quinque erraotium motus in sphæra alligavit. Bellorum item machinator, tormentorumque unicus inventor. Hic cùm se terræ globum movere posse gloriaretur; rogante Hierone Rege, procul assidens nullo corporis nixu (author est Plutarchus) navem onerariam adduxit. Hiero præterea cùm auream coronam votivam diis immortalibus in quodam fano constituisset ponendam, immani pretio locavit faciendam: opifex autem ad tempus opus manufactum subtiliter Regi approbavit: postea quàm indicium factum est, dempta auri parte, tantùdem argenti coronæ addit. Indignatus Hiero, neque inveniens qua ratione id furtum reprehenderet, rogavit Archimedem, ut in se sumeret, sibi de eo cogitationem. Tunc is cùm haberet ejus rei curam, casu venit in balneum, & eò cùm descenderet (balneum parvo dolio erat simile) animadvertit, quantum corporis sui in eo insideret, tantùm aquæ extra effluere; qua de re cùm ejus rei rationem explicationis offendisset: domû reversus, duas dicitur effecisse massas æquo pondere, quo etiam fuerat corona: unam ex auro, alteram ex argento. Quæ quidem, licèt æquo pondere, non tamen æquo corpore: etenim majoris erat corporis argentea, cùm sit aurum majoris ponderis. Cùmque ita fecisset, vas amplum ad summa labra implevit aqua, in quo demissa argentea massa, multùm aquæ extra vas effluxit; qua exempta, vas iterum implevit, in quo rursus aurea massa demissa, uti minoris erat corporis, quamquam eodem pondere, non tantùm effluxit aquæ: cùm id esset 1, rursus auream pleno vase demisit, ac ea exempta, repletoque vase, coronam, quam opifex fecerat, demisit, invenitque plus aquæ in coronam, quàm in auream massam eodem pondere. 2. Et ita ex eo, quòd plus defluxerat aquæ in corona, quàm in massa, ratiocinatus deprehendit argenti in auro mixtionem, & manifestum furtum. Archimedes præcipè balneum ingressus super uncto corpore unguento geometricas figuras, liniamentaque, sui ipsius oblitus, digito describebat. Amicos item, ut Sphæram cum Cylindro post mortem sepulchro imponerent, orasse fertur. Quod aliquot post annos ad Agragarias portas cũ Cylindro, & Sphæra, in cujus basi epigramma erat, se Cicero reperisse gloriatur. Postremò captis Syracusis, in tanto tumultu Archimedem intentum formis, quas in pulvere rescripserat, ab ignaro Milite quis esset, interfectum esse constat. Coi, M. Marcellus sepulchrum faciendum curavit.

Vilielmus Pernus Syracusanus proavus meus maternus, vir Patritius, Juris Consultissimus, à quo plura edita. Et Thesta mu-

..lier

1. adde *factum*. 2. adde *effluxisse*?

lier Syracusana superioris Dionysii soror, Polixeni (qui unus ex primoribus) coniux, fratri arguenti, quòd viri fugam minimè nunciasset, respondit: adeò ne Dionysii vilis, & abjecta visa tibi sum, ut si conjugis mei fugam ipsa præscissem, ejusdem navigationis comes, & fortunæ particeps esse noluissem? Apud Plutarchum in apophthegmatibus, interrogatam Hieronis uxorē, cur sibi, quod os fęteret, nunquam nunciasset, viro respondisse legimus, ita omnes olere viros existimabam. Et duæ quoque Syracusanæ mulieres animo etiam in morte præstantissimæ: Hermonia inferioris Gelonis filia, Themistis conjux, cùm seditiosis, qui omnem prorsus regiam stirpem tollere conabantur, alteram puellam regali cultu ornatam à nutrice expositam intueretur: puellę haud interitum pertimentis admirata fidem, exclamavit, se esse, & non illam Hermoniam, quo utraque unius horæ momento periit. In parallelis refert Plutarchus, authorem adducens Cyanippam, Dositheum Syracusanum Baccho sacra facere negligentem, ebriumque ob hanc causam factum; Cyanem filiam invitam violasse, eandem patris annulum, criminis indicium, subripuisse. Pestilentia postea sæviente, ut impietatis author diis immortalibus immolaretur, responsum esse à Pythio, Cyanen idcircò patrem violatorem necasse.

Septimo post anno Theocles, & Chalcidenses è Naxo profecti Leontinum Urbem ferè omnium fœcundissimam, & Catinam, prælio perdomitis Siculis, tenuere: Polybio nihilominus quinto post Syracusas anno id fuisse placet. Leontinum igitur, modò Lintini, populosa Civitas, & dives, muro tunc cincta, (uam quæ deinde addita, novam Civitatem appellarunt, author est Diodorus in historia Philippi) paludibus fœda, & humidior, duobus collibus, tribusque contenta vallibus, Catinam, atque Ætnam respicit montem. Ibi Turris adhuc tribus angulis ædificata ad nostrum usque tempus, quam domum Gorgiæ fuisse prædicant, quasi posteris servatum monimentum. Et murus ruinis quoque actus. Urbi altus imminet collis Hieropolis nómine, Heronia polum hunc antiquitas appellabat, cujus in verticis planitie plura plumbea frustula aratoribus inveniuntur. Campi porrò omnium rerum, quæ ad victum humanum pertinent, longè feracissimi: tritici enim, omnisque leguminum generia lætissimas ferunt segetes, ita ut ibi arare terram, ac frumentum ab ea mortales extorquere Cererem docuisse credunt. Qua re Leontini, rei frumentariæ principes appellabantur. Ibi quoque armentorum copia, & pecudum; aucupii etiam maxima commoditas.

Circa Leontinum fluvius prolabitur, qui ex duobus fit fontibus, quorum uni Gileppi nomen, alteri Passanito propè Francum Fontem oppidum: & Hidram ab Ptolemæo citatum oppidum, ubi Turris tantùm hodie rotunda, sex ferè miliaribus ad occidentem à Leontino, nostri Cadram vocant. Et fons hic, de quo diximus, oppidum Militellum, haud antiquum, quidem alluit. Juxta Leontinum ex his unus fit fluvius, ubi Pons, quem Reginæ Pontem vocant, cujus seriò (ad initis prius maris fluctibus obturato ostio, Lacus, qui Pantanus nominatur, piscosus admodum, efficitur. Ultra pontem lacus est alter milia propè duo à Civitate manu factus, non multùm ante patrum nostrorum memoriam, cui Bivarium nomen. Ex quo piscium, quos mari captos minutissimos eò alendi gratia conjiciunt, incredibilis multitudo expiscatur, ac in omnes fermè Siciliæ partes mittitur. Aliasque complures habet Leontinum paludes, quibus perniciosa propemodum Cœli temperies. Hic nundinæ ab omnibus ferè Siculia magna hominum, ac mercatorum frequentia circiter calendas Majas celebrantur. Locus erat antiquitus in Leontino agro Phoces nomine, & Briciunia arx. Gorgias Leontinus philosophus, & orator summus, Socratis magister, qui, ut ait Cicero in rhetoricis, omnibus de rebus oratorem optimè posse dicere existimavit: centum, & septem complevit annos, nec unquam à suo studio, atque opere cessavit: qui cùm ex eo quæreretur: cur tam diu vellet esse in vita, nihil habeo, inquit, quòd incusem senectutem. Hic primus hominum, & auream statuam, & solidam Delphis in Templo sibi posuit, primusque qui artem oratoriam Athenienses docuit, ut Hermogenes in sua rhetorica testatur. Herodicus Gorgiæ frater medicus quàm celeberrimus. Icetes à Syracusis oriundus, Leontini ortus, Leontinorumque Princeps, vir admodum inquietus, & audax.

Supra Leontinum Hidram oppidum, de quo paulò antè diximus; nec plus sex miliaria Boccherium recens oppidum, ubi fons aquæ lacteæ, quem Birigerim vocant. Bideni antecedunt populi, quorum oppidum nunc Bizinis haud ignobile, & proximum Licodia.

Cæterum altera ex parte Murgantium octo ferè millibus passuum à Leontino ad Symethi amnis ostium Civitas affecta cladibus tota, à Murgentinis Asiæ populis ut erecta, ita à Carthaginensibus postea deleta, Murgus nostra tempestate nuncupata, turrim tantùm frumenti emporium, in ipsius Siculi maris littore continet. Symethi ortus ex quinque fontibus; nomina autem recentiora, Mucuba, Luchula, ubi casæ. Canaliscalcagnus, & Fons ferratus, quibus vicina est Nea Urbs antiqua (Neam Diodorus libro undecimo vocat; Menas Ptolemæus, nos Minium. Populos verò Menaninos Plinius, Cicero Menenos, qui potior est author) in alto est sita colle, eandemque à Ducetio Cive in planitiem translatam volunt, locus nunc Burgus dicitur. Inter hanc, Symethique vada Stagnum Palicorum, olim ipsis Diis Palicis sacrum; Symetho tamen plus quàm Urbi propinquius, cui jusjurandi numen inesse antiquitus credebant. Thaliam etenim Nympham Juxta Sy-

me-

rupe ex una parte in excelsa altitudine excisa: oppidum, ubi antiquitus fuisse, quòd ruinę, atque antiquitatis adhuc visuntur vestigia, vicini populi testantur: ejusque incolas Siculis tunc Gallos, qui Siciliam opprimebant, trucidantibus, tantùm assentire negasse; unde proverbium: quòd Siculis placuit tantùm Sperlinga negavit. Engium pervetus, & exiguum oppidum, nostra tempestate Gangi, inter mediterranea Ptolemæus numerat, Accolas Enginos Marcus Tullius vocat, apud quos Matris magnæ Fanum, in quo loricas, galeasque æneas cælatas opere Corinthio, hydriasq; grandes, P. Scipio posuit, suumque non en inscripsit. Conditores Leontinos ferunt: Diodorus scripsit in Philippo Leptinem Enginum Tyrannum à Timoleone expulsum, inque Peloponnesum migrare coactum. Porrò oppidum à Federico Rege anno Christianæ salutis ducentesimo nonagesimonono supra mille dirutum, quarto rursus post anno ab eodem restitutum in ipsius oppidi annalibus inveni.

A fronte Politium Urbem magnificam hodie excipit, nihil de qua memoriæ proditum. Ipse à Palicis Diis, sive à Polluce nomen sortitam crediderim. Medio ferè itinere Petralejum oppidum occurrit, à petra, de qua fons manat, ex cujus unda oleum elicitur, quasi petra olea, Petralia in præsens, oleo post annum ad animalium curandas ægritudines utuntur. Duo hoc nomine vicina oppida. Inferius id, quod nominavimus, superius alterum, Populi horum duum Petrini erant olim, ut refert Cicero. A tergo Nicoxia, de quo ante dictum, & mox ad Orientem in excelso Ætnæ æmulo, ac undique prærupto monte Trahina Urbs constituta, Ulpianus de cēsibus Trahinopolim hanc vocat. 1. Huic proximum Gaglianum oppidum, quod ab Agyra ille amnis, quem supra nominavimus, separat. Galeriam antiquitus appellatum, populi Galerienses, authore Diodoro in Philippo. Ipsa Agyra, ut plura Siciliæ oppida, in Montis cacumine sita, nunc Sancti Philippi, miraculis insignis, in ejus siquidem die festo, spiritus, quos Diabolos vocamus, ab obsessis mortalium corporibus expelluntur, S Philippus Agyronis modò nuncupatur. Hic Herculem pro Civium meritis lacum effodisse, ejusque boves saxis vestigia impressisse Diodorus narrat in fabulis. Hæc ipsius Diodori, qui vir fuit in scribendis historiis, quàm celeberrimus, patria; Tyberii namque Cæsaris tempestate historias in libros quadraginta digestas, quam Bibliothecā appellavit, de Ægyptiorum antiquitate, Siciliæ, ac aliarum Insularum, deque Trojano bello, Alexandri, atque Romanorum gestis ad suam usque ætatem scripsit.

Ciramis, de quo nemo mentionem fecit, oppidum est contra Trahinam versus Aquilonem. Et Ptolemæus Capityum dixit, quod nos Capitium, Capitynam Cicero. Ingenti frigore infestatur Randatium Urbs, propterea quod sub ipso ferè Ætna Monte posita, ad septentriones maximè vergit, olim Triracinum quam vocari credimus, à Plinio quoniam de Triraciensibus facta est mentio. 2. Gurridam appellant fluviolum quinque miliaria non amplius distantem ad Occidentem, quem à specu quadam absortum, fama est, illum esse, qui Catinæ pluribus in locis scaturiens mortiferam inducit contagiem, atque Judicellus Catinensibus appellatur.

Brontes quoque antiquum oppidum, ad fontem (de quo supra diximus) amnis, de Brontis Cycolopis Vulcani socii nomine, de quo Virgilius meminit; nam in nemoribus est, quæ inter Randacium, & Adranum medio loco clauduntur. In Montis radicibus Ætnæ, & in ea parte, quæ ad Occidentem pertinet Adranum, nostra ætate Aiernò, adhæret supra Teriam amnem, ab Hadrano Deo deductum nomen, quem Siculi propè omnes maxima celebrabant religione: et mox alterum, Paternò nomine, sive quòd ipsum sit Adranum, sive de ejus nomine, ubi fons aquæ ferreæ, qui fervens, nec foras erumpens, linteum, aut pannum, trita galla prius cum aqua infectum, mox nigrum reddit. Maimonis fontem hunc appellant.

Et nunc ad Ennam vetustissimam Urbem venio, Castrū Ennę postea, vulgo Castrogiovanni vocatam. Quæ quia in medio ferè est Insulæ, umbilicus Siciliæ nominatur. Enna igitur in loco est præcelso, atque edito, quo in summo est æquata agri planicies, & fons aquæ perennis, tota verò omni aditu circumcisa, atque dirupta est. Quam circa, & in ea plaga, quæ ad meridiem pertinet, est lacus, antiquitus Perguta nomine, quo non piscium quidem pleno, sed colubris, ad linum molliendum dumtaxat, cujus magna ibi copia, Ennenses utuntur. Ennam, ut author est Strabo, Eunus quidam multis fugitivorum comitatus, adeò latrociniis, & populationibus affecit, ut vix Romani eum loco expulerint. In hac Urbe Deam Cererem, & liberam filiam, quam Proserpinam vocant, natas, raptumque ipsius fuisse Proserpinæ; ideoque ipsis consecratam non tantùm Siculis, verùm etiam mortalibus omnibus, tunc persuasum fuit: etenim propè est spelunca quædam conversa ad aquilonem infinita altitudine, qua Ditem ferunt repente cum curru exiisse, abreptamque ex loco virginem secum asportasse, & subito non longè à Syracusis penetrasse. Hæc eadem Ceres antiquissima, & Princeps fuit omnium sacrorum, quæ apud omnes gentes, nationesque fiebant. Atqui Cererem Siculorum Reginam constat, ac leges statuisse, frumenti item usum homines docuisse, ejusque filiam Proserpinam ab Orco Molossorum Rege, quem Ditem dixerunt, raptam, Erat in Templo,

1. *Trajanopolis Urbs Cilicia est, non Sicilla; Traina autem antiqaitus Imachara fuit ex Cluverio.*

Triracium, seu potius Tiracia, Urbs celeberrima, & nunc diruta, incerti situs hodie est.

cujus pars adhuc ftat, fimulachrum Cereris è marmore, & in altero Liberæ. Præterea quoddam ex ære modica amplitudine, ac fingulari opere cum facibus perantiquum. Ante ædem in aperto, ac propatulo loco figna duo erant, Cereris unum, alterum Triptolemi, pulcherrima, & perampia. Infiftebat in ipfius Cereris manu dextera fimulachrum pulcherrimè factum victoriæ. Philonides Ennenfis Medicus fuit celeberrimus. Oppidum vicinum hodie Galathafibetta, valle ingenti ab Enna difcretum. Afferum olim ampla Civitas fuit, nunc Affarum. In ipfo Crifa amne (de quo paulò antè mentionem fecimus) & in ea via, qua Affaro itur Ennam, erat Fanum, tunc fingulari religione Crifæ confecratum, (is apud Afferinos habebatur Deus,) & in eo ipfius Crifæ fimulachrum præclarè factum è marmore.

Ætna Mons, Mongibellus hodie dictus, fuis mirus incendiis, cùm fit materia plenus fulpburea, quæ humidis generatur nutrimentis, veluti in Epheftis Lyciæ Montibus, ut Plinius tradit, intra fiftulas, cavernafque ventorum incluſo impetu, & Euri potiffimùm, Subfolani, Boreæque, quibus ipfe plufquam cæteris patet, accenfos ignis globos, exefis undique ex crateribus, eructat. Thucydides in tertio de bello Peloponnefiaco libro, ab eo tempore, quo Græci Siciliam tenuere, ad bellum, quo Syracufani ab ipfis feditiofis acciti Meffanam ceperunt, tres Ætnæi ignis inundationes commemorat. In fexto Strabo, fuperioribus annis, ait, campos Ætnæis cineribus fparfos omnium propè rerum maximam exuberantiam præbuiffe, atque Anapiam, & Amphinomum fratres, flammas eructante Ætna, parentes humeris ex flagrantibus extraxiffe ignibus, quibus Cives fepulchrum feciffe, Piorumque locum vocaffe. Aliquot poft annis dein hujufmodi ignem ex Ætnæ hiatu emanaffe legimus. Orofius præterea refert, Servio Fulvio Flacco, & Quinto Calpurnio Pifone Confulibus arfiffe Ætnam; & eo quoque anno, bellum fuiffe fervile in univerfa propè Sicilia præter Meffanam. Et M. Æmilio, Lucioque Orefte etiam Confulibus, horrendis cum fonis flammas eundem eructaffe Montem. Ac Lucio denique Cæcilio, & Q. Tito Flaminio Confulibus, his majorem ignis cladem; quamobrem Romanos decennio tributum Catinenfibus remififfe. Arfit & altero poft S. Agathæ Catinenfis martyrium anno, qui fuit ducentefimus quinquagefimufquartus poft Chriftum, Menfe Februario. Millefimo item centefimo, ac fexagefimo, Februario quoque menfe ejufdem Montis fonantibus ruinis terra adeò concuffa fuit, ut ipfius Divæ Agathæ domorum lapfu Sacerdotes omnes obruti. Junio præterea Menfe, anno verò poft Chriftum natum millefimo tricentefimo vigefimonono, quo etiam Solem defeciffe legimus, quatuor factis profundiffimis hiatibus, magnum prorupit ignis flumen: ac denique priore anno, & hoc quoque quo ipfe fcribo millefimo quingentefimo trigefimofeptimo menfe Majo, incredibilis magnitudinis igneam maffam, de incenfo fulphure factam, ex ipfius Ætnæ novis crateribus prolapfam, quæ ab aere aliquantulum condenfata fuperficie, non velociter quidem, fed paffim ruebat, colles, nemora, faxa, ac rupes, pagos etiam duos (mons pagos multos continet) Mompiler unum, quem vocant, alterum verò Nicolofim, combuffiffe vidimus, ac denique Montis cacumine flammis continuis una ex parte prolapfo, ampliorem factum craterem. Ipfe ignis globus, quem incenfum fulphur effe conftat, inter diu fub nigrum, noctu autem igneum totum, horrendumque fe fe fpectantibus oftendit. Tonitrus, plurimis diebus, contiguos mortales terrentes, exaudiri, atque adultis, nigrifque cineribus non Siciliam modò, verùm & Calabriæ partem opertam, Cœlumque totum infeftiffimo fumo, nos, qui has infedimus terras, teftimonio fumus. Ætna rurfus plenus eft nemorum, fructufque elegantiffimos producentium arborum, cinctufque oppidis, quæ radicibus fparfa.

Verfus meridiem Catina eft in planitie, ad Eurum verò arx in fcopulo, quæ cum fuo pago de nomine Acidis fluminis, Jacis nuncupatur. Inter utramque Ulyffis portus, nunc Logninæ, portus parvus admodum, quem Ætneis ignibus, accenfa materia, vaftatum Catinenfes pro certo affirmant. Cyclopum tres Scopuli (de quibus Plinius meminit) contra Xiphonium promontorium, parum à Sicilia divifi, Scopuli Pharaglioni, promontorium Caput Molinorum, hodie appellantur. Ora autem, quæ ad Orientem, & Mare Jonium fpectat, partim nemora, partim planitiem habet, quam Mafcaris planitiem, eodem nomine, & oppidulum vocant. In hac regione Ætnam Civitatem collocant ad Tauromenium fpectantem. In planitie flumen nomine Frigidum, quod Acis flumen antiquitus fuit, non longè à Tauromenii amnis oftio, in mare prorumpens. Acidem, Galatheæ Siculæ puellæ adamatum puerum, faxoque ab Polyphemo Cycople contritum, atque in flumen mutatum, in fabulis fcriptum eft. A cujus ortu non diftat Calatabianum oppidum, ar undinum dulcium à fronte ftipatum mellibus. Et alterum exiguum in nemoribus Ætnæ remotiori in loco Linguagroffa. Ad Tauromenii (quem nominavimus) amnis fontes, fitum eft Francavilla, & Caftiglionum, quæ ab oppido tenui la Motta, cognomento Camaftra, ipfum dirimit flumen.

Hincque ad fpatium duodecim miliarium in circuitu Ætnæ Randatium, & Cifarò: medio verò in itinere Ruccella, ac inde rurfus ad Adranum, & Catinam. Sub Ætna Enceladum gygantem Virgilius conftituit, Typhœum Ovidius. Seleurus quidam cùm fele Ætnæ filium faceret, ac latrociniis affiduis campos ferè omnes infeftaret, miffus tandem Romam, in gladiatorum foro belluarum morfibus laniatus fuit.

Eft

Est Recalbutum oppidum inter Agyram,& Ætnam, cujus nomen unde, sive à quo sit derivatum, me latet adhuc, nisi conjecturâ utendo Alceum esse velimus. Alcæos namque Centorupi vicinos populo multi constituere. Cives tametsi ipsi, quòd ædiculam, quam nunc demonstrant, à quodam Rege voto dicatam ferunt, Regale votum vocari maximè contendunt. 1. Amplissima Centuripis tunc Civitas, Ætna antiquitus appellata, ut author est Strabo,2. in valdè edito loco, propè Ætnæ radices, in ea plaga, quæ ad Occidentem pertinet, tum sita, nunc Centorbis vocata, à Pompejo diruta, quamvis ab Augusto dein restituta, ut idem author scripsit: nunc tamen, non casis, sed omni prorsus carens ædificio, paucis junco, & palea contextis tuguriis contenta est. Per id ferè tempus, quo Chalcidenses Leontinum, & Catinam obtinuerunt Lampis Megarensis, à Peloponneso adducta Colonia, secundum Pantagium Fluvium, medio in itinere, quo Syracusis itur Leontinum, Portilum oppidum condidit, quod Trotilum Thucydides, nostri Curcuracim, (id quoniam esse reor) appellant, vetustate, & ruinis affectum; quamvis Herbesum inter Leontinum, & Syracusas, nec procul à Megara, constituat Livius. Ipsum Panthagium, cui ingenti murmure olim sonanti Cererem, dum filiam Diti raptam accensis facibus, quas ex Ætnæ fornacibus sumpserat, mœsta perquireret, silentium imposuisse fertur, nullo in præsentia indito nomine, fluvium in Syracusarum passu, ostium verò Marcellinum vocant, qui à fonte la Favara, inter Sortinum, & Leontinum ortus, haud multùm peragrans, in Megaræ portum diffunditur. Propè Sortinum oppidum, de quo supra diximus, vetusti oppidi apparent vestigia, locus saltibus, & nemoribus difficilis, atque flumine propemodum septus, Panthalica nomine, longo tractu ab ipso Panthagio divisus. Millia flumen inter Leontinum, & Syracusas, ut ipse Livius est author, flumen Sancti Juliani hodie.

Non multis sanè post annis idem Lampis à Leontinis loco pulsus, Tapsum Penisulam, positis ibi ædificiis, incoluit, Insulam Magnisi, ut dictum est, nunc appellatam, portu ab Occidente munitam, atque ab Syracusis quatuor remotam milliaribus. Quo verò extincto, eadem è Tapso profecta Colonia, Hyblone Rege Duce, Megaram, & Hyblam occupavit, de cujus nomine Hyblei dicti sunt. Megaram, Hyblamque unam esse multi scribunt, nobis verò, eam esse Megaram, quæ Augusta nuncupatur, ab Augusto Cæsare instaurata, magis placet, cùm à Pompejo, ut Strabo refert, fuisset devastata, atque à Marcello, ut Livius ait, ante direpta. Et Hybla supra ipsam Megaram à pluribus authoribus collocatur, nunc Milillis, quasi Mel Hyblæ. Megara Peninsula ab Occidente portum insignem habet, distatque duodecim à Syracusis milliaribus ad Aquilonem à Federico Secundo arce immensæ magnitudinis munita, ad nostrum usque tempus in ipsius Urbis aditu posita, tametsi parva in præsentiarum, nomenque illi Augusti Cæsaris maneat. Ejus Civis Theon poeta fuit. Quam inter, & Murgantium (de qua satis dictum est) Turris est ad Jonium spectans, recens, quam Bruceam nostri appellant, Tauro promontorio, quod Caput Sanctæ Crucis nominant, interjecto, frumenti nobile emporium.

Centum post annos his Megarensibus nova addita Colonia, Selinis misso Pammilo, qui eam tenebant, pulsis Phœnicibus medio fermè itinere inter Liliboeum, & Thermas occupatur. Selinis nomen de fluminis nomine, quod adhuc à salis copia Selinis nuncupatur,3. Mazara dicitur ab altero flumine Mazaro. Engion hæc à Plutarcho appellatur. Hinc ad Hymeræ ostium salsas propemodum esse aquas fateamur oportet, quòd Strabo ipse autumat. Illi autem, quibus Megara detenta, centesimo quadragesimoquinto anno, postquam Pammilus Selinim obtinuit, à Gelone Syracusanorum tyranno sedibus expulsi sunt. Supra Selinim amnem, 4. Selinis extat oppidum. Salemis nostra tempestate, à mari remotum, frugiferis arboribus insigne.

Thermæ duæ Urbes maritimæ, ad Tyrrhenum una, de qua dicemus, altera verò ad Lybicum mare spectat juxta Selinim. Quam, ut ait Diodorus, fortissimi quique à Carthaginensibus delecti, missique antequam exercitus ad explorandam Insulam mitteretur, coluere, atque ab aquis calidis Thermas vocavere (Xaccam eam hodie appellamus,) Thermæ namque ibi probatissimæ, quæ omnibus ferè morbosis locum petentibus præsentaneum præbent beneficium. Fons est, cujus aqua in vase quibusvis lineamentis febrefacto reposita, triduo densatur, fitque lapidis illis lineamentis inscriptus.

Erat inter utramque Phintia Urbs mari proxima, li Pulici nunc vocata, 5. in qua Pollucis Templum, ubi multa, licèt vetustate deleta, visuntur monimenta. Hincque ad Lapicidinas, quæ mille passibus à Selino distant, unde Templi columnæ exemptæ, nostra ætate Ramaxara nomine, via est miro labore, ac immensæ magnitudinis structa lapi-

pi-

1. *Recalbutum seu verius Raghalbutum Saracenicum nomen à Raghali, quòd Pagum latinè sonat.*

2. *Ætna sive Inessa potiùs Paternò.*

3. *Non à salis copia, sed ex erba, quam Applum silvestre latini dicunt, & Græci Selinum, nomen deduxit Selinuntina Civitas nunc diruta, in qua Pollucis fuit Templum.*

4. *Halica potius.*

5. *Phintia longe distabat à Selino, & memorato Templo Pollucis.*

Ptolemæus Heracleam magis ad Occidentem, quàm Agrigentum, & Gelam, declinantem descripsit, quòd falsum esse constat. 1.

Post centesimum & octavum annum Geloi, & Civibus, & opibus aucti, in eodem latere Agragantem, Agrigentum, sive ut nostri vocant, Girgentem, Urbem à flumine Agragante, authoribus Aristone, & Pystilo condiderunt, ut Polybius ait. Duo sunt fluvii ipso in exitu conjuncti, quibus antiqua Urbs septa est. Draco unus vocitatus, Sancti Blasii alter nomen sortitus, qui, ubi confluunt, unus erat Agragas. Nec vana quidem mihi videtur opinio, quibus borum alterum, cui Draco nomen, Agragantem fuisse placet, ut Agragas primùm; vulgari deinde pronunciatione Dragas, postremò autem Draco diceretur. Platinæ amnis, qui viginti millibus passuum ab Agrigento labitur, juxta Castrum novum ortus, ubi Suteram, & Cammaratam abluit, in pelagus diffunditur, quem Lycum fuisse Diodori Siculi, in eo libro, quem de Philippi Macedonum Regis gestis scripsit, verbis adducti existimamus. Flumen fontem excipit dextrum à monte S. Angelo effusum, qui ob præcipuum Musarum cultum, fons Musarum antiquitus appellabatur. Muxarum postea Agrum dixerunt, per quem fluit: estque haud procul la Favara oppidulum. Nec desunt tamen quibus ab Agragante hodie Monte Sicco, qui magnanimorum nutritor equorum à Virgilio appellatur, Agrigentum appellari placeat. Urbem ergo cæteris ditiorem (Syracusanorum etenim divitiis cedere nesciebant) multis post annis Carthaginenses delere, Megalus postea, atque Feriscus ab Helea Lucaniæ Urbe venientes instaurarunt, quæ demùm à T. Manlio Prætore omissis ruinis (ut Marcus Tullius in Verrinis actionibus scriptum reliquit) & illis, qui superstites, coadunatis, atque ex viciniis adducta Colonia, in colle, ubi in præsentia est, Atheneo nomine, translata, ita ut duo Agrigentinorum genera, unum Veterum, alterum Colonorum fuerint. Cautum namque erat in Senatu cooptando in Scipionis legibus, ne plures essent Colonorum numero, quàm ex vetere Agrigentinorum. In foro recentioris Urbis lapis est marmoreus his inscriptus literis.

CONCORDIÆ AGRIGENTI-
NORUM SACRUM
RESPUBLICA LILYBETANO-
RUM. DEDICANTIBUS
M. HATERIO CANDIDO PROCCOS
ET. L. CORNELIO MARCELLO Q.
PR · PR

Plura erant in illa vetere Templa egregiè facta, unum Æsculapii illa tempestate religiosissimum, in quo signum Apollinis erat pulcherrimum; Scipionis monimentum, C. Verris furtum, cujus in fœmore literulis minutis argenteis nomen Myronis statuarii erat inscriptum. Alterum Palladis, ut libro tredecimo scripsit Diodorus; ubi Gellia Agrigentinus, patria jam capta, hostium violentiam evasurus, se cum multis receperat, atque furente tumultu, moriendum esse potius, quàm hostium in manus incidendum ratus, Templum, cum his, qui aderant, combussit. Agrigentini Turrim Pucellarum appellant. Item & Sanctum Gregorium alterum, quod adhuc stat. Tertium Jovis Templum fuit, cui Carthaginensium bellum finem prohibuit, longitudo, ut idem author refert, trecentis, & quadraginta pedibus, sexaginta latitudo, altitudo autem centum, & viginti continebatur. Idque omnibus, quæ tunc in Sicilia erant, multò fuit majus, (recentiores Templis majoribus utuntur, quàm, qui in illa prisca erant tempestate viventes.) Ædificium eo erat artificio, ut columnæ rotundam exterius, interius autem quadratam formam ostenderent. Et in porticu, quæ ad Orientem conversa, Gyganteum bellum, miroque artificio sculptum; altera verò parte Trojana clades, cui domus Phalaridis tyranni adhærebat.

Lapidicinæ, nunc la Cavetta, propè Urbem unde à Carthaginensium magno captivorum, numero columnæ, & lapides exempti sunt. Item & aquæductus ab his plures subterranei fabricati memoria dignissimi, Phœaci, qui, de cujusdam Phœaci nomine, dicebantur. Una erat Piscina, quam alibi Diodorus portum vocat, ad Civium commoditatem manufacta, piscium plena. Ambitus ejus mille fermè passus. Profunditas sexaginta pedes continebat Cycnorum ubi multos nantes erat videre. Quæ mortalium dein incuria cœno referta, in agrum tandem, ubi plantarum ingens fuit copia, mutata est. Ager item ad spatium sex propè milliarium Aquilonem versus, albus solo, qui nec herbarum, nec graminis quicquam patitur, multaque continet foramina lutum liquidum vomentia, ac absortam (si conjicitur) virgam magno cum impetu foras retorquentia, Macalubam Agrigentini nominant. Mos erat illis, equus plures per virgines domi, ac pueros alere, adeò ut Exenetum Agrigentinum, nonagesimasecunda Olympiade in stadio cùm fuisset victor, trecentæ bigæ, author est Diodorus, quæ ab equis agebantur albis in Civitatem conduxerint. Plinius quoque plurimorum Agrigentinos equorum tumulis pyramides erexisse testatur.

1. *Gelam & Heracleam (celebres olim, & nunc dirutæ Urbes) non benè statuit Auctor: Gela non propè Leocatam, quæ potiùs Phinitia erat, sed ad Terramnovam: Heraclea autem, sine dubio, supra promontorium condita fuit, quod nunc Capo bianco vocamus: Acathis non hominis sive conditoris nomen, sed parvi fluminis, qui Himeræ meridionali suas miscet aquas. Consule Cluverium in sua Sicilia Antiqua. Gorgus non ante, sed post Phalaridem vixit.*

Nec multùm absunt mirandæ naturę Salinę (Cantarellæ salinas hodie vocant) quæ salem, qui in igne solvitur, densaturque in aqua, gignunt. Juxta antiquam Urbem ex cujusdam fontis unda, Aqua Sancta appellata, oleum elicitum alvum perpugnat. Horum omnium divitiis pares erant delitiæ. Propterea quod dum à Cartaginensibus, ut idem author commemorat, continua obsidione maximè premerentur, lege fuit constitutum, ne esset excubantium cuiquam culcitram amplius unam, unum lintheum, pelliciamque vestem noctu habere permissum. Id namque maximum incommodum putantes decreverunt.

Divitiæ Antisthenis, & Gelliæ Civium, luxu, atque opulentia, probantur. Illę in filiæ celebrandis nuptiis non modo his, qui domi erant, Civibus, sed etiam advenis cunctis, spectatum qui venerant, lautissimam cœnam subministrari jussit. Gellia vir nobilis, prudens in primis, atque dives, ita fuit magnanimitate præditus, ut pueri, quos in Urbis portis ipse disposuerat, peregrinos omnes domum conducerent. Centum præterea è Gela armati equites cùm repentina tempestate correpti essent, noctu Agrigentum appulere, quibus hospitio exceptis vestes Gellia omnibus præstitit madefactis. Hic ad Centuripinos orator ab Agrigentinis missus, illis hominem statura pusillum, deformemque ridentibus dixit, Agrigentinos ad claras, ac formosas Urbes proceros, pulcherrimosque legatos, ad infirmas verò pusillos, sibique similes mittere consuescere.

Acron Agrigentinus philosophus, & medicus ante Hippocratis ætatem Athenis vixit: Empedocles omni propè laude dignus, veluti omni scientia clarus, qui animum esse censuit cordi suffusum sanguinem. Et de ejus nomine nepos Empedocles tragicus poeta centum, & quinquaginta edidit tragœdias. Metellus musicus, Plato à quo musicam doctus. Moscus orator discipulus, & auditor Gorgiæ.

Phalaris Agrigentinorum tyrannus, qui primus post Theseum tyrannidem exercuit, author est Plinius. Hujus matrem, visam esse videre in somnis, ajunt, simulachra Deorum, quæ ipsa domi consecrasset, ex his Mercurium ex patera, quam dextra manu teneret, sanguinem visum esse fundere, qui cùm terram attingeret, refervescere videretur, sic ut tota dumus sanguine redundaret. Phalaris Laudomantis Cretensis filius, prima infantia parentibus orbus: uxore Erithia ducta Pauralam filium genuit. Inde ob seditiones domo profugus in Siciliam commigravit, atque Agrigenti Principatum obtinuit, vir prudens inter omnes, domi, militiæque clarus, literis, ac liberalitate insignis. Stelichoro Himerensi poetæ, qui conjurationis quamvis conscius fuisset, ob divina tamen ejus carmina pepercit, fatoque extincto in Ætnæ radicibus sepulchrum posuit. Perillus, huic Atheniensis faber plura opera miro artificio cœlata dederat, qui pluribus ob id donatus muneribus recessit: Taurum rursus Æneum naturali statura majorem obtulit, ipse non dum reserato artificio quod homo, qui morti destinatus esset, Tauro inclusus, suppositis flammis, non humanam quidem vocem, qua tyranni sævitia leniretur, sed Tauri mugitus ederet, donum benignè accepit; artificium inde doctus, Perillum, qui tale excogitaverat tormentum, omnium sævissimum, ac illo cruciatu dignum existimans, eundem facere periculum adegit. Taurus Carthaginem deinde adductus, atque à P. Scipione Africano multos post annos restitutus, quem Taurum Scipio cùm redderet Agrigentinis dixisse dicitur, æquum esse illos cogitare, utrum esset Siculis utilius, suis ne servire, an Populo Romano obtemperare? cùm idem monumentum, & domesticæ crudelitatis, & Romanæ mansuetudinis haberent.

Mediterranea, quæ Agrigentum haud multum refugiunt oppida, Siculiana, nomen à Siculis deductum. Reralmutus, Musumelis, & Sutera cæteris remotius. Narus magnifica, ac populosa Civitas, cujus nomen cum antiquis nulla similitudine comparatur. Ab Oriente Mons clarus cum arce pelagus prospiciente, hic venam habet rubei sulphuris. Trinacriam Urbem nobilem fuisse, quamquam ubi loci nemini compertum, simul, & à Syracusanis eversam planè constat.

De Messana Urbe.

MEssana à Siculis condita fuit anno Mundi 3434. atque à falce, Zancla nominata, eo quia non multùm sejuncta erat à portus sinu (falcem enim ut Polibyus, & Thucydides scripserunt, Zanclam Siculi ipsi tunc vocabant) in pago namque primo eam erexerunt haud procul ab Messana, Ciera nomine, unde post Urbis eversionem, ubi fuisset innuere volentes, hic erat, deinde Ciera, dixerunt: Strabo Naxiorum ædificium fuisse ait. Et Diodorus in fabulis Zanclorum Regem ibi regnantem ædificasse, deque suo nomine appellasse narrat fabulosè. Postea verò atque per id tempus, quo Aristonus, & Pystillus Agrigentum tenuere: Peritheres Cumanus, & Cratimænes Chalcidensis navibus prædandi gratia in Siciliam semel appulsi: mox iterum suæ gentis eò deducta multitudine, Siculos ubi ejiciunt, Urbem suæ adigunt ditioni. His deinque ejectis, Samii, & Jonii Medos fugientes Urbe potiti. Ex quibus unus Chadmus Chous vir integer, omnique propemodum virtute præditus, Syracusani his adhærere ob seditionem exules. qui Melchidę dicebantur, quibus socius ipsi Zanclei Himetam obtinuerunt. Anaxilas Cretenei filius Rheginorum Tyrannus non multis post annis eos pepulit, Urbemque diripuit, novamque erexit, deque suæ patriæ nomine Messanam appellavit (Messana Urbs Achajæ) promiscua lingua inter Doricam, & Jonicam frequentem reddens.

Hæc

Hæc igitur à portus sinu, ubi navalia sunt, & palatium, non completum aduc ædificium, portaque Castelli ad Mare (quod ibi arcem antiquitus fuisse pro certo affirmant) vocata, insurgebat, muroque ædibus incluso, qui Malsitaniam vicum, à Deiparæ Mariæ egregio, ac pulcherrimo Fano, Sanctique Laurentii ædicula dirimit, tenditque ad Divi Antonini usque portam, præcincta erat; adeò ut quicquid domorum extat formosissimæ in præsentiarum Civitati augmento additum deinde fuerit. Cæterum cùm vita functo Anaxila Micithi servi tutelæ filii puerilem ducentes ætatem crediti essent, Micithus quem sanctè gesserat; postea quam ex ephebis excessere, illis reddidit principatum. Quæ omnia gesta sunt ante Mamertinos Campanæ populos, quos sub Agathocle Syracusanorum Rege militantes, situ Urbis, & opulentia allectos, rupta fide, quia per amicitiam recepti erant, illis omnibus pulsis, Messanam occupasse, divisis inter se agris, nulli dubium; cujus olim lapidem à Leontino usque ad Fœdas, nunc Pactas, Urbem extendi, hii, qui ejus viderunt privilegia testantur: Raphael Volateranus eadem libro septimo scripsit ad verbum. Messana igitur Urbs hodie satis prospera, satisque pollens, ab Italiæ finibus Charybdis freto, portuque natura ipsa facto discreta, ab occasu collibus munita, tritici messibus, quia montibus clauditur, & pelago caret, nemoribus abundat, sed tota propè ejus messis in morororum foliis consistit. Probatissima enim à Messaneis lana serica in multas Europæ partes mittitur. Portus, tutissimum diversorium, qui Charybdis, Scyllæque rabies superare pertentant, eam Urbis partem alluit, quæ ad Orientem pertinet.

Pars antiquissimi aquæductus ante ædem Divi Francisci apparet. Fons est in ipsa Civitate perennis, atque salubertimæ aquæ juxta portum, quem Leonis Puteum ipsi vocant. Ac etiam insignis pila, nec ante patrum nostrorum memoriam facta, quo potum equos agunt (Biviratoram hanc vocamus) omnibus, quæ in toto fere Orbe pulchior. Longitudo ejus pedibus trecentis fermè, & viginti septem, duodecim latitudo continetur. Ipsam una major, atque altera minor strix cingit: in capite pila quadriformis ingens constituta, è cujus centro columna super leonibus quatuor marmoreis insurgit, & super ea altera rotunda pila cum columella, & extrema pila, qua super Messana ipsa è marmore habitu muliebri, cujus in pectore Siciliæ insignia sculpta. Aqua autem perennis ad extremam, per subterraneas fistulas decurrens, ubi ducitur, quasi de Castello per foramina usque ad quadriformem, quam diximus, pilam defluit. Hinc rursum ad his omnibus sejunctam per foramen defluit in pilam, atq; per cœcos meatus confestim in magnam ex marmorea Sirenis colubrum in manibus tenentis, umbilico decurrit. Altera verò parte puer nudus è marmore supernante delphino, qui ex naribus aquam emitti, cum lyra, cantanti similis. Effigies lapideæ duæ Scipionis, & Annibalis, antiquitate ferè corrosæ, in majoris Templi porta visuntur. Sanctæ Prophoniæ Templum Castoris, & Pollucis, uti ferunt, antiquitus fuit. Extra verò Urbem Veneris ædiculam, quæ propè portam gentilium mœnium nominatam, in radicibus montium, Sanctæ Veneræ religio dicavit Christina, quam meo tempore diruerunt: ac etiam supra Charybdim, ut fama est, Neptuni id fuisse Templum, quod Divi Nicolai in lingua Phari ruinis propemodum affectum hodie vocant. Domusque erat regia tribus milibus passuum ab Messana ad meridiem, cujus adhuc extant vestigia, locum regis Castagnitum vocant, ubi fons.

Frons Urbis, quæ vergit ad meridiem amœnis, ac locupletissimis pagis stipatur. Per Valeriam viam, author est Strabo, Messana Lilybœum pergebatur. Via est præterea Pompeja, qua ad Pelorum itur, supra fretum, ut author est Cicero libro septimo, actione decima in Verrem propè finem. Fuit Messaneus quidam ejus, homo nobilis, maximè locuples, minimèque avarus, cujus domus erat optima Messanæ, quam modo vetustate affectam contra propemodum Antistitis palatium, est videre: & in ea sacrarium perantiquum, in quo signa pulcherrima quatuor, unum Cupidinis marmoreum Praxitelis opus; parte ex altera Hercules egregiè factus ex ære, quem Myronis fuisse fama vulgabat. Erant præterea duo signa ænea non maxima, verùm eximia venustate virginali habitu, quæ manibus sublatis sacra quædam reposita in capitibus sustinebant, Canephoræ ipsæ vocabantur. Sacrarium, hodie vetus est ædicula Divo Michaeli dedicata. Ædes in ea Urbe, ut supra memoravimus, Sanctæ Mariæ, quæ proximis annis pulcherrima columnis, celebrique pavimento extructa, insignis Archiepiscopi sedes.

Messana item ut ab ea parte, quæ maximè ad Orientem pertinet (ut supra dictum est) ne dum mari, verùm & ipsius Charybdis accedente æstu est admodum munita: ita ex altera, quæ ad Occidentem altis collibus, jugisque continuis eminentibus, non satis tuta erat. Præsertim quòd præliandi ratio in præsentia nullam quasi cum antiquis habet similitudinem. Quapropter Ferrandus Gonsaga Mulfettanorum Princeps, qui Prorex, omnique ferè militari disciplina Dux longè peritissimus, ubi Messaneos, quæ suæ Reipublicæ securitatis, & gloriæ semper avidi fuere, magnoperè hortatus est, ut de Urbe ex omni parte munienda cogitarent, modumque illis dedit, quo id perfici potuisset, exercitum in Africam quamprimum trajecit anno 1540. ubi Susam, Monasterium. Africam Sfax, oppida maritima, pariter & Insulam non longè à continenti, quam Chierchianim nos, Ptolemæus, & cum eo Plinius Cercinam vocant, vi cœpit. Quorum populi multi comprehen-

ti, atque interfecti, multi ex altera oppidorum parte aufugientes mortis periculum evitarunt, militibus inter se prædam dividentibus. Quibus jam peractis in Siciliam reversus est, atque Mamertinis ne cœptum opus deficeret, vel maximè persuasit. Propterea magistratus muris instruendis, turribus erigendis, fossis, & aggeribus faciendis totis viribus, & sine intermissione incubuit. Sequenti dein Autumno, quemadmodum ipse Ferrandus Prorex in omni expeditione in Turcbas, & Mauros, Christianæ religionis hostes, erat à Carolo Quinto Imperatore totius exercitus Dux creatus; ita accitus ab ipso Cæsare in expeditione Alger (Civitas est Numidiæ) Drepano solvens, ad Cæsarem ivit, ubi Septemtrionis, simul atque Aquilonia repentinis spirantibus flatibus, undique incredibili cum impetu irruentibus, cùm nullus esset ibi portus, nec statio ulla, verùm littus tantummodo arenosum, pars ipsius classis naufragium fecit. Quare Cæsar nullo facto belli periculo in Hispaniam navigavit, Ferrandus verò aliquibus cum triremibus in Siciliam. Quo Messanam appulso operi perficiundo Messanei plus æquo, operam, studiumque navarunt.

Partem enim Civitatis, quæ ad Septemtrionem pertinet, inciderunt, domos aliquot diruentes: rursus quicquid ibi solo adæquarunt fronti alteri, quæ ad meridiem ferè spectat, muro, & aggeribus vallantes, addiderunt. Ubi Hospitalem domum (quod ægrotantium hospitium est) quam maximam, sumptuosam, & memorabilem omni cura, ac diligentia construunt. Agger unus cæmentitius in tumulo eminentiori munitissimus, de Spiritus Sancti nomine vocatus (Templum quoniam propè erat, ubi Virgines Deo dicatæ habitabant, quod penitus delere) quasi tutissimum contra hostes propugnaculum. Aggeres Turres Vitruvius nos verò tum Bastiones, tum Turriones appellamus. Protinus dehinc murus descendendo cubitum facit, atque ad veterem Civitatis murum (qui totus instauratus) ubi ventum, facto angulo ad extremam usque Urbis partem, & maris littora distenditur, Turris ubi (quem aggerem vocamus) cui nomen Don Blascus fuit, hodie S. Georgius, ad totius fermè Euripi defensionem instaurata. Ad lævam altera, Turria Moza appellata, modò verò Sancti Joannis nomen retinet, supra portum posita.

Duo item in illa Urbis fronte, quam ad Septentrionem spectare supra demonstravimus, cæmentitii quoque vasti aggeres; alter juxta mare, la Cardilla nominatus, quem in præsentia Sanctum Jacobum vocant. Alter verò in collis cacumine situs, Sancti Francisci, eò quia propè Templum, nomen sortitus est. Ille supra portus fauces; hic montium juga, & colles oppositos spectat. Ambo nostra tempestate, atque ipso Ferrando Gonsaga Prorege, jactis fundamentis ædificati. Inter utrumque turris parva de Sancti Vincentii nomine. Nec procul ad Occidentem specula quædam, veluti moles, tribus gradibus non amplius æquali mensura supra murum constituta, inque maximam altitudinem elata (hodie Cavalerem vocamus.) Unde hostium insidias speculari, & ab Urbe quamcumque eruptionem igneis machinis, & sagittariis Cives procul arcere valeant. Cæterum à Divi Francisci (quem diximus) aggerem murus declivis ad portam usque (Buzettam portam illam nominant) deflectit, unde mox surgit, collemque ascendit, atque arci, quod Castrum Matagryphone vocitant, aliquot ante annis, immò ante patrum nostrorum memoriam erectum, conjungitur. Declinat iterum murus, atque iterum in verticem usque alterius collis, sub quo Templum Deiparæ Mariæ cognomento de Alto situm, (Monasterium hoc est) facto non parvo sinu perducitur. Verùm in vertice duæ sunt turriculæ non longiore quidem muro annexæ (Cortinam nostri appellant) ad Occidentem fermè conversæ. Quæ, quia omni ferè tormentorum genere completæ, hostium irruentibus turmis, possunt non modò maximum inferre detrimentum, verùm etiam & ne accedant penitus repellere. Hinc tertium ubi ad planiciem usque murus declinat, alter nascitur, vicinumque tumulum, ingenti, ac falcato relicto sinu, conscendit, ut tali modo duo muri cùm fuerint instructi, alter alterum missilibus armis, & crebris tormentorum ictibus tueri possit; murus itaque postea quam in tumuli (quem diximus) summitatem perductus, aggeri, Sancti Martini nomine conjungitur, atque parvo deinde interjecto spatio aggerem illum adit, quem de Spiritus Sancti nomine nuncupatur, de quo supra mentionem fecimus.

Moles una in ipsius fermè portus angustiis (Molum recentiores vocant) muro Civitatis adhærens, haud in magnam quidem altitudinem constructa, sed parùm eminens, suo muro circumdata est, quæ non ad cymbarum quidem, & navigiorum commoditatem facta, sed ut sagittariis, tormentisque æneis (quos cannones hodie dicimus) completa, classi cuicumque portum ingredi tentanti ingressum prohibeat; & huic similis altera in portu propemodum sinu, juxta ædiculam Divæ Mariæ lo Pileri appellata. Sic demùm septa Civitas, sic ex omni parte munita, inexpugnabilis ferè sese vilentibus præbet.

Est & contra Urbem arx in loco, quod brachium Sancti Rainerii nominant, (de quo diximus) tres turres suis muris conjunctas, continens, una haud longè est à Charybdis vorągine, ad meridiem vergit altera. Tertia verò, quæ rotunda est, portus faucibus imminet. Hæc nostra tempestate ab ipso Ferrando Gonsaga Prorege erecta. Templum Salvatoris, de cujus nomine ipsa nuncupatur (Salvatorem quoniam vocant) à Rogerio Tanchredi Normandi filio ædificatum, suis muris complectitur. Quæ præter annonam, præsidio, & vigiliis die, noctuque custoditur.

Col-

Collia est supra torrentem propemodum li Cammarim, unde maximum detrimentum, si hostes eum superassent, Urbs accipere poterant. Ibi enim Carolus Comes Provinciæ alias Castra posuit, quapropter locum ipsum fedium vocarunt. Idcircò Arcem nomine Gonsagam Mamertini ibidem erexerunt; ipsiusque Ferrandi Gonsagbæ nomini dedicarunt. A rx igitur loci natura, bellicis tormentis compluribus, & machinis, cisternis insuper, ac omnibus ferè rebus, quæ ad hostes arcendos, Civitatem tutandam, & montes, pertinent, longè munitissima est. Quam proculdubio maximis sumptibus confecere: nam ut collis vertex facilè à peditatu superari poterat, ita equitatu difficile erat. Qua de re vias multas ut currus ascenderent, atque descenderent, qui cæmentum, calcem, & lapides conveherent, prius instruere oportuit.

Aquam insuper, quæ in ipso li Cammari pago concipitur, in Civitatem perducere Messaneis diu cogitantibus, eò quia impedientibus inie jectis collibus difficilè erat factu, vir quidam Tauromenitanus, nomine Ciccua Camiola, faber murarius, omnium prorsus litterarum expers, natura ipsa mathematicus, id, quod desiderabant (montem quendam perforare necesse erat) se facturum pollicitus est; cui tale promittenti beneficium Civitatis patres crediderunt, eidemque statim negotium dederunt. Ipse autem (ubi pactum ad certum tempus fecerunt) utrinque operarios, hinc, atque inde destinavit: qui eo ipso instante, modumque effodiendi quotidie demonstrante, tamdiu simul incredibili labore montem ipsum per cœcos cuniculos pergentes, foderunt, dum in medium fermè iter pervenerunt, ubi æquis ictibus se ipsos certè percussissent, nisi montis resonantes cavernæ illos arguissent. Monte igitur perforato, perinde atque si una norma, filoque uno perrexissent, aquæductum quàm maximum fecerunt, per quem rivus in Civitatem perductus. Simachus Messaneus septuagesima octava Olympiade victor fuit in stadio, in duodecimo libro uti scripsit Diodorus. Leonticus Messaneus fortis supra hominum vires cognomento Acrochersites. Euhemerus omni ferè scientia eruditus, qui de Deorum natura scripsit. Dicearchus peripatheticus, philosophus, & orator summus Messaneus Aristotelem audivit, situm, moresq; Peloponnesi scripsit, suisque legem edidit: hic quia difficilis erat animi, quid, aut qualis esset intelligentia, nullum omninò animum esse dixit. Aristoteles Siculus Messaneus de morali, ac naturali philosophia decem scripsit libros.

Ibycus poeta Lyricus, & historicus, hic à latronibus cum jam interceptus, antequam interficeretur, grues volantes suspiciens, illis: vos, inquit, saltem meæ mortis ultrices eritis: paucis post diebus fortè evenit, ut sedentes latrones in theatro spectandi causa, volantes grues conspexerunt, atque summissa voce alter alteri: ecce, ait, Grues Ibyci; quòd secus sedentes ut audivere, Prætori renunciarunt: quapropter capti latrones, ac judicio convicti, laqueis crimen luerunt: unde proverbium in re certa disseminatū fuit: Grues Ibyci. Lycus, latinè Lupus, cui & Butheras tum nomen, historicus, à quo de Sicilia multa scripta relicta sunt. Polycletus Phalaridis tempestate Messaneus divinæ mentis medicus. Colam cognomine Piscem, naturam piscium habentem cunctos mirari decet. Quoniam ad ima descendens maris, biduo, uti piscis, cibum capiens, inter mortales illæsus deinde visus est, tametsi Charybdis voragines, cavernasque semel, & iterum scrutatus, primorum precibus tertiùm tentare ausus, numquam estet egressus. Joannes Gattus paucis ante annis Messaneus Cephaleditanus Episcopus, philosophia, nostraque Christianæ religionis scientia longè eruditissimus, amicis sæpè dixit, sacros libros, si fortè amitterentur, ob firmam suam memoriam, se posse rescribere. Andreas Barbatius Jurisperitus Messaneus.

Oppida, castravè plures inter Messanam, & Tauromenium in montium saltibus dispositæ: quæ super fretum meridiem versùs Fortia, Limina, Scalecta, Itala, Savoca, Casale vetus, All, Mandanichi, Locadi, Giudimandri, & li Pagliara. Flumen Enisès, nunc Flumen di Nise, cum oppido eodem nomine, quod Phaonem habitasse volunt. Venæ hic, quæ aurum, argentum, porphyritumque marmor gignunt passim reperiuntur, sed quæ alumen cæteris omnibus abundantior. Hæc nostra tempestate aliis compluribus apertis aucta est, & amplificata, atque à Carolo Quinto Cæsare ipsi Ferrando Gonsagæ Proregi dono donata. Argenum postmodum promontorium, quod apud Siculos Caput Sancti Alexis dicitur, quatuor, & viginti à Messana miliaribus distat, sex à Tauromenio Urbe.

Parte ex altera haud procul ab ipso Peloro duo sunt lacus, alter horum minor, quem, quòd ibi anguillæ, quæ in Scyllæo piscantur freto, nec prægrandes quidem, sed gustu cunctis omnibus elegantiores capiuntur, perfossa terra fluctus admittere crediderim. Circa Messanam, & Mylam arescere fontes Hyeme, Æstate verò scaturire Plinius testatur. Ad Pelori lævam Falacrium promontorium, Rasoculmum à nostris nuncupatum: secundùm quod Farum oppidulum, la Massa, Castanæa, Salicis, Gibisum, Sanctus Gregorius, & in maris littore Turris Divetus, Dimethus à Ptolomæo vocata. Sed antequam ad Mylam ventum, in collibus oppida sunt Calvarusa, Bavusa. Inter utrumque Torrens, mox Saponara, & Rametta flumine ea dividente, & littori propinquius Vineticum. Super verò existunt la Rocca, Maurojannis, ac ultra flumen Monfortis tribus milibus à mari remotum. Trans fluvium populi sunt, quorum oppida, Samperis, Galteris, & lo Condrò, cum flumine eodem nomine. Nec multùm quidem distat alterum vastum flumen: quorum medio in loco Sancta Lucia oppidum, quod

quod quatuor miliaribus à Tyrrheno littore situm est, & mox Myla Urbs (Milazum modò nuncupatam) quam & mari, & portu propè cincta, vi capi difficilè esset. A Zanclæis hanc derentam Strabo commemorat. Supra Mylam oppidum recens, ut mea fert opinio, Castrum Regale nomine, à quo octo miliaria non amplius fons Veneris sulphureus, siquidem Sanctæ Veneris fontem in præsentia vocant, atque, eò quia scabiosos sanat, miraculosum credunt.

Item in montibus oppida Tripis, Casalenovum, Furnaris, Oliveris, & Mons Albanus. Ad fontem autem Heliconis fluminis (lo Vigliatori dicunt) Nohara oppidum à mari octomiliaria remotum. Heliconis autem superato ostio, Tyndaris Urbs in parvo tum sita tumulo, mari imminebat, nunc penitus eversa: quam à Tyndaro Lædæ patre conditam ferunt: verumtamen à P. Scipione hostium spoliis ornatam, omninò constat: inter quæ Mercurii simulachrum pulcherrimè factum, Tyndarum hodie locum vocant, Divæ Mariç, ubi ædicula, fama est ad hæc loca cum Dianç fascelis simulachro Orestem appulisse. Mox ad Occidentem Thimetus amnis, fluvius de Pactis nunc appellatus: ultra ostium Urbs Pactæ contra Æolidas Insulas, passibus mille à mari posita, Antistitis decorata dignitate: & quia de hac Civitate ab authoribus nihil in scriptis relictum est: nec à Tyndaride ad Agathirsum ullos populos habitasse legimus, eandem propterea ex Tyndaris ruinis erectam, sive recentem esse censeremus, nisi in privilegiis Messanæ legissemus, eandem tum Fœdus, tum Fœdera vocari, unde Pactæ nomen deductum fuit.

Sunt prærerea vicina parva oppida, Librieis, Giulaguardia, Montagna, Casale Pactarum, Currentinis, Pirainus, Samperis Pactarum, quod cæteris remotius: inque fœcundis nemoribus, nec à pelago quidem procul, Aluntium accessu difficili, (quod S. Angelum nostri appellant,) populi tunc Aluntini, author est Cicero. Et post flumen, quod S. Angeli flumen vocatur, Racuja in montibus, & Sinagra: ac juxta littus arx Brolus nomine (ad Tyrrhenum hæc spectant usque ad Drepanum ferè.) Medium locum tenet oppidum recens, ut reor, la Ficarra vocatum, & flumen de Sancti Juliani nomine dictum: & supra li Martini oppidulum, quod non multùm refugit Nesus, nunc Nasus à Nesia regione sic dictum, haud ignobile quidem, milia quatuor à promontorio, quod Caput d'Orlando nostri vocant, sejunctum, cui vicina ædicula est antiqua Orientem versus, quç Sancta Maria Nasida nuncupatur.

Sunt & montuosa oppida, nemorosaque usque ad Cephaledum, & Himeræ hostium, Castanea, Galatis, Galata à Plinio vocatum, quod Galatheæ patriam fuisse prædicant. Et Myrthus juxta flumen, cum suis pagis, Myrthilone, Salvatore, utroque Crapi, Belmonte, & Franzanone. Nec longè situm est Turturicis, cujus Cives conflandi metalla peritissimi artifices, cum suo fluvio, qui Myrthum, de quo paulò antè mentionem fecimus, adit.

Et ultra, oppidum est lo Salvatore nuncupatum, deinde mare versus, S. Marcus, & Chila flumen memorabile, Rosmarini flumen vocitatum in præsentia. Prætere Larcara, Militellus, & S. Fradellus oppida, quæ à fluviolo de Fiano nuncupato, divisa. Tumulus, qui inter Tyrrhenum littus, & S. Fradellum, in quo trium Fratrum, Alphii, Philadelphi, & Cyrini martyrum hodie fanum est, antiquissimæ Urbis plura continet vestigia, quam Agathyrsum fuisse contendunt. Propterea quòd à Tyndaride triginta millibus passuum Strabo reposuit, quòd Ptolemæus quoque sentire videtur. In jugo parum à pelago sejunctum citra torrentem Halesa Civitas, quam Halesinam Marcus Tullius vocat, modò, ut tantùm suadet conjectura, Caronia dicitur, nisi quis Colisanum esse mallet. Halesinis pro multis, & magnis in Rempublicam Romanam meritis, atque beneficiis decrevit Senatus, ut Claudius Appii filius pulcher de Senatu cooptando leges conscriberet. C. Claudius leges dedit, in quibus multa sanxit de ætate hominum, de quæstu, de censu deque cæteris rebus, quæ apud illos diu valuere. Dion Halesinus fuit nobilis, & dives, à quo C. Verres sexterria decies centena milia auferenda jussit. Ultra amnem Mistrecta, quæ Amastra antiquitus fuit; & propè Castelluccium oppidum, & Serravallis cum flumine ejusdem nominis. Nec his procul est la Motta cognomento Fermo; ac Pictienses 1. à Plinio citati populi, quorum oppidum in præsens Pictineum, de cujus nomine fluvius Tyrrhenum mare ingreditur pergentibus, mox occurrit S. Marcus oppidum.

Tusa in collis vertice duobus miliaribus à mari sepositum; inde Pollina cum flumine, quam Aletem Civitatem fuisse, nisi de Apolloniensibus Cicero dixisset, pro certo haberem. 2. Aletem Thimolion Corinthius, Leptino victo tyranno, libertate donavit, veluti Syracusas, victo Dionysio inferiore tyranno, nunc parvum oppidum à montis cacumine mare prospectat. Torrens dein, quem Monalim amnem antiquitus fuisse credimus, à nostris Malpertuso nuncupatus, ubi Castellum Bonum, & Giracis oppida; & ultra flumen Golisanum oppidum in montibus situm. Monalis igitur superato ostio, ipsa sub alta rupe, altisque montibus constituta Cephaledo, quæ pelago alluitur Tyrrheno, hodie Ciphalu: in ea ædes sacra, quæ Antistitis est sedes, à Ro-

ge-

1. *Non Pictienses, sed Phintienses habetur apud Plinium l. 3. c. 8. ex Phintia, nunc Licata, Civitate uti dicimus ad mare Africanum.*

2. *Civitas quam Aletem nominat auctor in Sicilia nulla fuit, sed Aluntium invenimus in hoc Insula latere; Leptines Apolloniæ Tyrannus est apud Plutarchum, non Aletinæ Civitatis.*

gerio majore dedicata. Cephaleditano pelago thymnorum magna captura, quorum ova stringunt, præmuntque, ac salsamento condunt. In montibus oppida Castellum Bonum, Gracteris, Asinellus, quod an ab Asine flumine, de quo Plinius meminit, traxerit nomen, dicere non possum.

Himeræ amnis Insulam dividentis, ut Livius scripsit, duo sunt ostia diversa, unum Cephaledo proximum ad Tyrrhenum erumpit; propè Gelam alterum in Libycum effunditur mare, Flumen Salsum hodie vocant. Eodem nomine Himera Urbs à Zanclæis, Euclide, Simo, & Sacone Coloniam ducentibus detenta, quibus Chalcidenses plurimi, ac Syracusani exules ab altera factione superati, auxilio venerunt: distabat à Thermis octo ferè miliaribus, in paulò eminentiore loco posita, amnis ostio eas dividente. Structura omnis lateritia propter lapidum penuriam; ejus Templa Gelo Syracusanorum tyrannus Carthaginensium spoliis ornavit, quorum manibus multis post annis ea deleta, hi, qui excidii calamitatibus superstites fuerant, ad Thermas se receperunt, exhausti oppidi in alterum transfundentes reliquias; quam ob causam Therme Himeræ ab hinc nuncupatæ, Cicero in Verrinis actionibus est author. In ea signa erant ex ære plura, quæ Carthagine victa, ut P. Scipio reportavit, sic Verres postea substulit. In illis mira pulchritudine ipsa Himera in muliebrem figuram, habitumque formata, quæ cornu in manibus floribus, ac spicis plenum tenebat, quæ adhuc sunt Civitatis signa. Stesichori etiam poetæ statua senilis, incurva cum libro. Stesichorus Himerensis poeta, sacrum quem, & scientiarum, musarumque eruditum appellat Phalaris. Et Plinius in Stesichori ore infantis Luscinium avem cecinisse refert. Horatius Flaccus graves Stesichori camœnas vocat. Fama est Stesichorum in Helenæ vituperationem carmina edentem ab Castore, & Polluce infensis oculis privatum, postea Apollinis responso monitum in laudes ejusdem scripsisse, ac eo, quod amiserat, restitutum beneficio, vita huic functo Templum à Phalaride dedicatum, sepulchrumque in Ætnæ radicibus contra Catinam erectum.

Thermæ Himerę, ut dictum est, ultra amnis ostium hodie Termini vocatur, frumenti nobile emporium, in alto colle sita est, cujus pars, quæ mari imminet, in rupe, & ibi arx in præsentia. Aquę ex rupe manant calidæ juxta littus Civitatis, à quibus nomen adepta, ubi etiam nunc per antiquum sanè, ac structile suia cum concamerationibus ędificium, ubi ægroti multi conveniunt. In fabulis legimus fontes calidos Minervæ, Hercule veniente, Nymphas aperuisse. Quæ in hunc diem sunt antiquitatis fragmenta. Aquæductus, aliquibus cum pontibus torrentes sub quibus nonnulli in mare erumpebant; plumbeæque fistulæ, & aqueductus etiam plumbeus semidirutus. Amphitheatrum ruinia ferè affectum cum scalis compluribus quadrato instructis lapide. Pyramis una marmorea multis statuis incisa, estque in vestibulo recentioris Templi, marmorea tabula fixa parieti his inscripta literis,

G. MAESIO AQUILIO
FABIO TITIANO CU. COS
OPTIMO CIVI, AC PATRONO
BENEMERENTI ORD. ET POPULUS
SPLENDIDISSIME. COL. AUG.
HIMERORUM TERMIT.
PECUNIA SUA POSUIT.

Pars quoque [1] Astenii domus ubi marmor his literis inscriptum ASTENII ÆDES. Astenius homo primarius, & dives, qui ante C. Verrem Prætorem multis propter suas divitias, postea propter suam calamitatem, atque Prætoris iniuriam omnibus fuit notus. Signum cupidinis, hujus Astenii nomine inscriptum, argenteum cum lampade à Thermis ad Veneris Erycinæ Fanum tranalatum fuit. Madunia mons ab Himera ad Politium usque distensus, cujus pascua pascentium ovium dentes auratos faciunt; is Nembrotes mons est, uti reor, ubi damarum copia, à quibus nomen habuit. Flumina duo propè Thermas Panormum versus collocant. Agateriam unum hodie nomine, & Teresiam alterum, quod fontem Trabiæ esse opinamur. In jugia mediterranea oppida, ac recentiora quidem, Calatavulturis, parvumque Sclafanis. Caccamus, de quo supra diximus, Thermis propinquius, quod Soloentem, & Panormum non multùm refugit.

Acræ [2] (de Acrensibus populis meminit Plinius) & Casmenæ à Syracusanis habitatæ sunt, Acræ septuaginta annis post Syracusas, viginti Casmenæ post Acras, quę ubi fuissent nullum docet argumentum, nisi sit Acræ Claramons oppidum, ut principio Acræmons, postea Claramons esset appellatum. Cui vicinum oppidum recens hodie Mons Rubeus nomine. Casmenæ, quod Comisum vocamus, ubi fons uberrimus. Ii quoque Syracusani centesimo, ac trigesimoquinto anno post Syracusas ab Archia amplificatas, Dascone, & Menecola authoribus Camerinam Urbem inter Pachynum, & Lilybœum, de qua Virgilius mentionem fecit, condidere; hodie Cammaranam dicta, cum flumine, prorsus eversa. Conditores eam postea delere, restituitque Gelo (Thucydides Hippocratem Gelę tyrannum restituisse ait) rursus idem Gelo diruit, ac etiam demum novam deducens Coloniam erexit.

Est vicinus amnis Dirillus modò nuncupatus, ab Occidente, qui apud Bidenos ortus, à Li-

1. *Astenii, lege Stenii, nam Stenius non Astenius dicebatur illustris hic Thermitanus.*
2. *Transit nunc Auctor ad oppositi Insulæ lateris oppida.*

à Libyco tandem excipitur mari. Inter utrumque oppidulum paucis contentum casis lo Vicaris à nostris appellatum. Nunc de his, quæ inter Camerinam, & Pachynum sunt, dicendum. Palus igitur, quam desiccatam ferunt, quave Urbem captam, ab ipso stagnante fit flumine. Fons item est juxta Camerinam, cujus ostium Graphuscolarum vocant; alter verò fons Dianæ in agro Sanctæ Crucis, modò Paradisus nuncupatus, de quo Julius Solinus fabulosè meminit. Ac Urbs affecta cladibus, cui in præsens Longobardo nomen est juxta mare, quam Buccam antiquitatem appellasse mihi persuasum est. Mox flumen Il Maguni appellatum, apud Ciratanos populos, quorum à Cicerone facta est mentio, qui Ciratanam incollunt oppidam, nostra ætate Jarratanam, oritur, ac Ragusam, quod est recens nomen, interluens, mare haud statim ingreditur, quod Hirminium antiquitus fuisse existimo. Plinius inter Camerinam, & Pachynum reposuit, & medio fermè itinere inter hunc, & Motucanum amnem Annælucatæ fontis ostium exiguum, qui littus parum refugiens, an ab Acathe lapide nomen sibi vendicasset, quis novit? contra, aquæ dulcis scaturigines in salsis videntur undis. In dextro maris littore turris recens Puzallus nomine, atque fons deinde Fucallus nuncupatus.

Motuca oppidum mediterraneum quamvis, non multùm tamen ab Afro pelago remotum populosum valdè. Modicam quod nos vocamus, ad amnis fontes situm: quarto supra id oppidum miliario puteus Prunorum dictus, unda hyberno tempore pedibus ferè duodecim sursum emittit. De Muticensi agro Cicero in Verrem fecit mentionem. Amnis ubi Xiclim longè amœnissimum oppidum (quod Siculum tunc dictum puto) adit, sese in pelagus effundit. Nec mediocri quidem magnitudine fontes tres inter hunc, & Elorina stagna, medium locum obtinent, ostia omnes, duo tantum piscosos lacus facientes. Samuelt uni hodie nomen, alteri Sancti Pauli fons. Lacum autem non eodem nomine, nam Cirehurini vocant. Tertius est in planicie la Favara dictus, juxta Spacc furnum exiguum oppidum, quod Ispicæfundum, ab ipso flumine deducentes nomen, in publicis vocant rationibus: ipsa flumen, quod à Motuca quatuor milibus passuum oritur (locum ipsum, Ispicam dicunt) raptis secum multis fontibus, postquam Spaccafurnum ipsum relinquit, piscoso facto stagno, Busaitono nomine, in mare Libycum diffunditur, & mox ipsa Elorina stagna juxta Pachynum.

Præter quàm ea, de quibus supra diximus, plura erant in Sicilia oppida, quæ modò non extant, partim enim defecere. Strabo, quæ inter Catinam, & Syracusas fuerant defecisse, multa quinque meridionali in latere ab Cartaginensibus deleta memorat; nec hodie quidem Megara peninsula, atque parum à mari remotis, Hybla, & Leontino exceptis, inter Catinam ipsam, & Syracusas aliqua inveniuntur. Partim verò in nova translata, Prisca illa penitus amiserunt nomina: quapropter illa indagandis, quo magis operam navamus, cùm nulla eorum, quæ extant, vel similitudo, vel vicinitas, ubi loci fuissent, arguat, eò minus, quæ sint quæve fuerint, explicare possumus: veruntamen operæ precium est, ut apud authores inventa sunt, ita ea describere. Callipolim à Naxiis erectam, atque Eubœam à Leontinis apud ipsum Strabonem legimus. Plinio de Turpinis facta est mentio, & item de Nepinis, Edinis, Heubolensibus, Mutustratis, Magellis, Paropinis, Semellitanis, Trisinensibus, Triocalinis, quorum Civitas Triocla à Ptolemæo appellata est: ipse insuper Ptolemæus Civitates numerat Abaconam, Tissam, Agurium, Sergentium, Legum, Anerimam, & Phthinthiam. Cicero verò de Acherinis, & Letinis meminit. Livius Acillas Urbem, flumenque Anatim dixit. Polibyus verò Mucellam, Hipponam, & Mutistratum.

Lex erat in Sicilia, quæ Senatores vel gratis, vel suffragiis faciendos jubebat. Prætor per triennium durabat, bini Censores in singulas creabantur Civitates. Consuetudo præterea erat, quod suos dies, mensesque congruere volebant cum Solis, Lunæque ratione, ut nonnumquam si quid discreparet, eximerent unum aliquem diem, vel biduum ad summum ex mense, quos illi Exeresimos dies nominabant: item nonnunquam uno die longiorem mensem faciebant, aut biduo, author est Cicero libro quarto Verrinarum Actionum.

Sed nunc de Principatu dicendum. Phalaris primus, eodem tempore, quo Tullius Hostilius regnabat, Agrigentinos domuit. Ad cujus ætatem, nisi sæculorum imperitiæ vitio demus, omnium rerum famam, eò quòd nihil memorabile compertum, per silentium venisse arbitramur. 1. Iametsi Æmilium Centorinum Segestæ tyrannum fuisse in parallelis Plutarchus memoret, & Anaxilam Messanæ regnasse, ut satis dictum est, multi authores probent. Telemachus deinde, & Emmenides filius. Is Enesidemum creat Theronis patrem, Therone Terillus ortus. Cleander item Pataræus Gelæ tyrannus à Sabillo interfectus, cui frater succedens Hipocrates ad Hyblam Siculis bello illato morte occubuit. Cujus filiis Imperio, quo nondum maturi erant, fraudatis; Gelo, qui equitum Dux erat, regnavit Gelæ ortus, à Telo insula oriundus. Hic id temporis, quo Xerses Persarum Rex, facto in Hellesponti angustiis ponte, in Græciam trajecit, Syracusanorum Rex creatus. Hiero postea frater principatum accepit, is, qui

Ca-

1. De Æmilio isto altum silentium in historia Sicula, unde quod de eo Plutarchus narrat, si non erroneum dubium certè est.

Catinæ eodem tempore extinctus, quo ad Cremeram, ut Diodorus scripsit, trecenti Fabii una die cecidere. Trasibulus frater huic successit, qui Syracusis tandem ejectus apud Locros miserè vixit, obiitque miserè. Ducetius Menenius Siculorum tyrannus, & Dionysius superior non modò Syracusanorum, verùm & totius Insulæ Siciliæ dominatum obtinuit. Dionysius inferior illius filius, qui exul Corinthi ludum aperuit. Agathocles sordido genere ortus, Rex deinde in Sicilia, quo morbo implicito, atque dein mortuo. Pyrrhus Epirotarum Rex, cùm jam esset in Italia, à Syracusanis accitus, Rex appellatus est. Hiero Rex Syracusanus, qui etsi ab Gelonis stirpe, natus tamen ex ancilla. Hic cum Romanis, quia Appium Claudium Mamertinis auxilio Senatus, Populusque Romanus miserat (quæ prima Romani navigatio fuit) fœdus, pacemque fecit. Cui Hieronymus nepos puer successit. Qui cùm moribus multum dispar esset, Leontini confossus vulneribus occubuit. Ex Prætoribus deinde Romanis P. Cornelio, & Octacilio, postea M. Marcello Sicilia decernitur, à quo Urbs Syracusæ capta. Senatui dehinc, Populoque Romano, atque Imperatoribus Sicilia universa obtemperavit, donec Georgio Maniacho, & mox à Pœnis occupata. Multis deinde post annis Rogerius Tanchredi Normanni filius victis, ejectisque Pœnis eandem obtinuit, cui filius anno post Christum millesimo centesimo tertio Rogerius Rex successit: duo Vilielmi Malus, & Bonus postea regnarunt, ac Tanchredus Vilielmi spurius, Constantia sorore, quæ legitimo orta matrimonio, in Cœnobio religionis sacris dedicata. Hæc demùm illinc exempta, Herrico Romanorum Imperatori in matrimonium data, in sua propemodum senectute Federicum genuit, quo Corradus, & Manfridus spurius creati, quorum demùm altero demortuo, Manfridus regnavit fratris filiorum tutor, quem Carolus, qui Comes Provinciæ dicebatur, occidit, occiditque Corradinum Corradi filium. Quamobrem Galli Siciliæ annos fermè decem, & septem dominati, quibus à Siculis ferè omnibus, anno millesimo ducentesimo octuagesimo, trucidatis, Petrus Aragonum Rex decernitur: huic etenim Constantia Manfridi filia in matrimonium ducta; qui Alfonsum, Jacobum, & Federicum crearunt. Ex quibus Jacobus, Federico fratri natu minori relicto Regno, in Hispaniam remeavit. Federico Petrus natus est. Petro Lodovicus, qui Regnum accepit, quo vita functo, Federicus frater, Mariæ pater, & Martinus ejusdem Mariæ conjunx, moxque Martinus pater. Et post hunc Ferrandus, quem Castellæ infantem vocaverunt. Quo Alfonsus, & Joannes orti. Alfonso, filiis dumtaxat spuriis relictis, Joannes frater successit. Joanni Ferrandus natus cognomento Catholicus, Ferrando Joanna, qua Carolus Quintus Imperator Optimus Maximus.

CL. MARIUS ARETIUS

ANDREÆ ARDUINO

Cæsaris Consultori.

ETsi gravioribus negociis impeditus, ab aliis quibusvis curis jure optimo abstrahi deberes, Aristotelis tamen initiatus documentis, qui intelligentem quemcumque quadam propemodum necessitate etiam phantasmata speculari oportere dicebat, tot rerum sarcinis aliquando remissis, ad nostra jucundissima studia tua cum dignitate te humanissime confers, quod Ciceronem, quodque Cæsarem fecisse constat. Cùm igitur res hujus Insulæ Siciliæ nequaquam satis explicatæ essent, eo quot nemo primordia, conditores, simul atque ruinas ad nostrum usque tempus uno perstrinxit volumine, Tu omnis scientiæ, omnisque antiquitatis diligentissimus indagator, cùm unà toties cum amicis essemus, quorum consuetudine familiarissime uteris, qui primùm Siciliam inhabitassent, quique Civitates, & oppida erexissent, à me peraccurate quæsivisti, quasi persuadens, ut de his quicquam memoriæ commendarem. Quam ob rem ipse tua authoritate motus, quæ apud plures authores inveni, atque uno perstrinxi fasciculo, in lucem protuli. Ac demum Elisabellæ divinæ propè mentis mulieri, Ferrandi Gonsagę cõjugi Mulfettanorum Principis, qui Cæsaris in Sicilia uicem gerit, tua ipsius persuasione inscripsi. Proinde si id totum, quod legisti minus aptè, aut candidè scriptum, tibi, cæterisque in hoc genere scribendi disertissimis authoribus videretur, non mihi quidem attribuenda erit culpa, sed tibi, qui grave opus mihi perficiendum præcepisti. Vale.

CL.

CL. MARIUS ARETIUS


BALDASSARI SACCANO.

SOlent multi Baldaſſar Saccane, munere non æquis viribus impoſito, juſſa capeſcant necne, diu multumque dubitare. Veruntamen cum difficilius ſit, quibus plura debemus, id quod imperant negare, quàm efficere, ne ingratitudinis crimini dari poſſit, deliberatione quadam, quæ vires, animumque omninò facit, vel arduam Provinciam ſumere æquum eſſe arbitrantur. Suaſiſti cùm de his, multis cum primoribus ageretur, ut ſitum noſtræ Inſulæ Siciliæ latinis litteris luſtrarem. Quòd etſi ingenii vires, atque mentis imbecillitas diſſuaſiſſent, mandatum tamen, qui jubere potes, adeò impulit, ut veluti, qui æſtuantis Scyllæ, Charybdiſque freto noctu ſe credere malunt, quàm ei, qui juſſerat, abnuere; feci pro viribus. Te igitur ut quæſturam Meſſanæ ſanctiſſimè geris, utque tot amicos, quibus comitatus, & honoribus aſſiduis, & beneficiis proſequi minimè ceſſas, ſic animum, ſic obedientiam læto cum vultu accipias, obſecro, ut ad majora me impellas. Vale.

FINIS.

LUPI
PROTOSPATÆ
CHRONICON.

DE LUPO PROTOSPATA
ANTONII CARACCIOLI
JUDICIUM.



Eperi hoc breve Chronicon inter antiquas Schedas Joannis Francisci Rubei, vir quidem non legum solummodò, sed humanarum etiam literarum apprimè periti. Porrò cùm ea ipsa, quæ hoc Chronico continentur, habeat vulgari lingua Diarium illud, in M. S. Cod. Ducis Andriæ, quod continuatur à Juliano Passaro, existimo, vel Passarum ipsum, vel alium aliquem è latino in vulgarem Italicum vertisse sermonem, & quòd is quo usus est liber nullum præferret Chronici hujus auctorem, nemini proinde suppofuisse hunc fœtum. Nos igitur & primi typis committimus, & latinè, uti à Lupo Protospata compositum hoc Chronicon, sive Diarium est, publici juris facimus. Et hic sanè libellus utilis erit ad Apuliæ potissimum turbas, cladesque noscendas.

Quisnam autem Auctor iste fuerit, nullo hactenus extante nostratium Scripturarum Nomenclatore; equidem divinare non possum. Conjicio tamen Civem fuisse Barensem, & genere Græcum. Prius ex eo colligo, quòd in rebus Barensibus crebrò versatur, & quòd simpliciter, ac quasi antonomasticos ad annum 886. & 890. Barii Dynastam, Principem vocat. Græcum autem genus prodit, tum quia sæpè græcissat, uti eruditus lector observare poterit, tum etiam, quia Græcos impensè se ostendit amare, cùm ad annum 1085. Dei misericordiam potentiamque laudat, quòd Robertum Nortmannorum Ducem adversus Imperatorem Græcorum cum ingenti classe trajicere parantem, inopinato profluvio ventris extinxerit. Vox præterea Protospata idipsum fortè innuit, sive stirpis nomen fuerit, sive Officii. Et verisimile est, virum genere Græcum, & in Apulia ortum, Protospatarium (sic enim habet Cod. Andr. non Protospatam) fuisse Strategi, sive Catapani Apuliæ, hoc est, Palatinorum militum Primipilum. Hoc ipso Chronico legitur Sergius Protospata, & Joannicius Protospata, vel, ut utrobique habet Cod. Andr. Protospatarius. De qua voce, & dignitate multa afferunt ex Codino Meursius, Pontanus, Bullengerus, & qui antea dici debuit, doctissimus Pancirola. Hos, qui plura volet, adeat.

AD LUPI JUDICIUM

APPENDIX.

P. D. Antonius Caracciolus Neapolitanus è Principibus Sancti Boni Clericus Regularis, cujus doctrinam, ac sanctimoniam latè celebrant Josephus Silos *in hist. Cler. Reg. par.* 3. *lib.* 7. *à pag.* 261. *& lib.* 12. *pag.* 540. Franciscus Maria Magius *in vita P. D. Josephi Caraccioli cap.* 14. *à pag.* 296. aliique multi, utpote antiquitatum studiosissimus, omnium primus Lupi Protospatæ Chronicon edidit Neapoli anno 1626. cum Heimpertl, Anonymi Cassinensis, & Falconis Beneventani Chronicis. Exinde Camillus Peregrinius Campanus, vir eruditissimus, *in lib.* 2. *Historiæ Principum Longobardorum par.* 1. Neapoli an. 1644. in lucem emisit *Castigationes in Chronicon ejusdem Lupi à pag.* 72. Antoninus Amicus Messanensis iterum typis tradere promiserat *in dissert. de Urbis Syracus. Archiep. pag.* 59. at non evulgavit. Ad Apuliæ res dignoscendas publici juris fecit Caracciolus: nos verò post Aretium de Situ Siciliæ, veluti preliminare ad res Siculas elucidandas, simul cum Castigationibus V. CL. Camilli Peregrinii, & Cronicon Fossanovæ, secundò damus; nam de Principibus Northmannis, qui, profligatis Saracenis, Sicilia potiti sunt, nonnulla habent, sed non tanta ut in Scriptorum Siculorum serie meritò collocentur.

Ex Caracciolo conjicitur Barensem fuisse Lupum, & genere Græcum; in rebus enim Barensibus multus est, ac sæpè græcissat: *simpliciter, ac quasi antonomasticos ad ann.* 886. *&* 890. *Barii Dynastam, Principem vocat.* At in utroque anno, ut observat Peregrinius, Alum commemorat, qui non Barii, sed Beneventi Princeps fuit: & Beneventanus erit Lupus, quibus ea arridet argumentatio. Alii Materensem volunt, sed infirmæ innixi conjecturæ, nempè, quòd ad annum 1093. ait: *Urbanus Papa venit Materam*: venire enim pro ire sæpissimè confundi observat eruditissimus Peregrinius. Apulum fuisse, & genere Græcum pro certo habemus, ex eodem Peregrinio, qui addit, in antiquissima columna apud Brundusium inveniri insculptum: *Protospata Lupus*: at dubitat Peregrinius laudatus, an legendum ordine inverso. *Lupus Protospata*, utpote in orbiculari superficie hæc inscripta verba: ideoque haud facilè dixeris quid primum, quid secundum. *Si is*, concludit Peregrinius, *fuit hic noster, certè vel patria, vel incolatu, aliave occasione Brundusinus censendus est.* Claruit Lupus anno 1088. ut ex ejus Chronico ad hunc annum.

LUPI

LUPI PROTOSPATÆ

RERUM IN REGNO NEAPOLITANO GESTARUM, AB ANNO SAL. 860. USQUE AD 1102.

BREVE CHRONICON.

Cum Appendice Inc. Auct. usq. ad ann. 1519.

Adjectæ sunt variæ Lectiones ex M. S. Cod. Italico Illustriss. Ducis Andriæ.

NEC NON CASTIGATIONE CAMILLI PEREGRINII:



NNO 860. Indictione 8. comprehensa est Civitas Barum ab Imperatore Constantinopolitano.

Anno 861. Indictione 9. mortuus est Michael Imperator, & surrexit Basilius Parascensumenua filius ejus, & regnavit ann. 21. ipse solus, & ann. 9. cum filiis suis.

Anno 866. intravit Ludovicus Imp. Beneventum.

a Anno 867. incensa est Matera à Ludovico Imperatore, & idem Imperator intravit Civitatem Oriam.

Anno 868. Indictione prima exierunt Agareni à Baro Civitate per Francos, tertia die intrante mensis Febr. eodemque anno comprehensus est prædictus Ludovicus in Benevento.

Anno 875. intraverunt Græci Barum mense Decembr. die Natalis Domini, feria 3. & Gregorina Stratigo, qui & Bajulus dicebatur.

Anno 880. exierunt Agareni de Tarento.

b Anno 884. indict. 2. surrexit Alo Princeps mense Octubris.

Anno 885. mortuus est Basilius Imperat. & & cœperunt regere Leo, & Alexander filii ejus ann. 26. soli, cum eo verò ann. 9.

Anno 886. facta fuit proditio in Baro mense Junii, quando Princeps fecit prælium cum Stratigo Trapezi, & Græcis.

Anno 890. obiit Alo Princeps, & surrexit Ursus frater ejus.

Anno 891. intraverunt Græci Beneventum mense Octobris, & Stratigo Sabbatichi in Siponto mense Junii.

Anno 894. exierunt Græci de Benevento mense Aug. per Francos.

Anno 900. descendit Melisianus Stratigo in Apulia.

c Anno 901. descendit Abraham Rex Saracenorum in Calabriam, & ivit Cosentiam Civitatem, *d* & percussus est ictu fulguris.

Anno 912. complentur ab obitu S. Martini anni 51.

Anno 913. Indictione prima coronatus est Constantius Imp. filius prædicti Leonis, qui regnavit ann. 47.

e Anno 916. exierunt Agareni de Gariliano, & fuit anni 350. quo intraverunt Longobardi in Italiam sub Alboun Rege eorum.

Anno 916. explentur 40. anni, ex quo Agareni introierunt in Italiam.

Anno 920. introierunt Ungari, idest Uni in Italiam mense Februarii.

f Anno 921. interiit Ursileo Stratigo in prælio de Asculo mense Aprilis, & apprehendit Pandulphum Apuleo.

g Anno 924. capta est Oria à Sarracenis mense Julii, & interfecerunt cunctas mulie-

res,

a *Zonaras hoc anno figit obitum Michaelis, & initium Imperii Basilii. Sed Græcorum calculus dissidet à calculo Latinorum, ut notat Baronius Tom. 7. ad ann. Christi 610.*

b *Cod. Duc. Andr. Alo creatus est Princeps Barii.*

c *Id accidit juxta latinorum calculum ann. 909. Vid. Jo. Diac. in Actis transl. S. Severini Abb. & ex eo Summont. lib. 1.*

d *Cod. Andr. & cum pervenisset ad Ecclesiam S. Pancratii, fulgure ictus obiit. Summontius lib. 1. Hist. Neap. ex Cod. Andr. figit obitum hujus Regis Abrahami ad ann. 902.*

e *Reponerem for 918. Sed pag seq. eundem numerum 916 firmat hic Auctor. Vid. ad an. 966.*

f *Cod. Andr. Commissum in Civitate Asculi, inter Pandulphum, qui captus est, & Ursileonem Strategum, qui interiit.*

g *Cod. Andr. pro Landulpho semper habet Neldulphum: sed vitio, ut puto, librarii.*

rce, reliquos verò deduxerunt in Africam, cunctos venundantes. *Cod. Andr. & hoc anno Eusebius obiit Clusii.*

a Anno 926. comprehendit Michael Sclabus Sipontum mense Julii,

Anno 927. fuit excidium Tarenti patratum, & perempti sunt omnes viriliter pugnando: reliqui verò deportati sunt in Africam. id factum est mense Augusti in festivitate Sanctæ Mariæ.

Anno 929. Indict. 2. Pandulphus, & Guaymarius *b* Princeps intraverunt in Apuliam.

Anno 936. venerunt Ungari Capuam.

Anno 939. obscuratus est Sol, & apparuerunt stellæ mense Julii *c* astantes tres dies, feria 3. ad horas tres, Luna 29

d Anno 940. introierunt Ungari, vel Unni in Italiam mense Aprilis, & factum est prælium in Matera à Græcis cum Longobardis cum Stratigo Impogalapto, & navigavit cum Pao in mari.

Anno 942. obiit Pandulphus Princeps die 10, mensis Aprilis,

Anno 945. Ind. 3. ceciderunt Romanus, & Ubo mense Decembri, & perierunt Ungari à Rege Othone.

Anno 946. factum est homicidium Bari mense Decembris inter Cives.

Anno 947. introierunt Ungari In Italiam, & perrexerunt usque Hydruntum. Et Platopidi *e* sedit in Civitate Cupersani, & fuit eo anno bonus introitus *f* per omnem terram.

Anno 950. obsederunt Græci Asculum, & obtinuerunt,

g Anno 951. Malachianus fecit prælium in Calabria cum Sarracenis, & cecidit.

Anno 955. descendit Marianus Patritius in Apuliam,

Anno 956. incensi sunt *h* Murancius Cleri, & Excelsula in Baro.

Anno 960. Indictione 3. obiit Constantinus Imp. qui regnavit ann. 47. & surrexit Romanus filius ejus, & fuit prælium inter *i* Adralistum, & Ismael.

Anno 961. capta est Insula Cretes à Græcis sub Romano, mense Martii, & *k* Titabomen capta est à Sarracenis, & obscuratus est Sol.

Anno 963. obiit Romanus Imperator, & elevatus est Nichiphorus, qui regnavit ann. 7. & Otho Rex intravit Romam, & obscuratus est Sol.

Anno 965. introivit l *Manuyci Patritius in Siciliam, & ibi mortuus est.*

Anno 666. introivit Nichiphorus *m* Magister in Civitatem Bari, & sunt anni 400. ex quo *n* introierunt Longobardi in Italiam.

Anno 967. descendit Otho Rex, & senex, pater Othonis Regis, qui pugnavit cum Bulcassimo Sarracenorum Rege, & interfecit eum.

Anno 969. descendit Otho Rex, & senex, pater Othonis Regis, qui pugnavit cum *o* Bulcassimo Sarracenorum Rege, & interfecit eum.

Anno 969. introivit Otho Rex in Apuliam mense Martii, obsedit Civitatem Bari irrito conatu, & in alio anno intravit in Calabriam mense Octobris, & Sol obscuratus est mense Decembris.

Anno 970. occidit Simischi Nichiforum Imp. & elevatus est ille.

Anno 972. pugnavit Asto filius Transamundi Marchisii cum *p* 40. mil. Sarracenorum Caytus eorum Bucobolus vocabatur, & vicit Asto cum 60. suis prosequens Agarenos usque Tarentum.

An-

a *Cod. Andr. Itatachel Slovorum Rex cum suo exercitu obsedit, & cæpit Sipontum, mense Julio, die S. Felicitatis feria 2.*

b *Cod. Andr. Principes Longobardorum.*

c *Cod. Andr. mense Julio, die 3. fer. 3. hora 3. Luna 29.*

d *De hac Ungarorum excursione Sigonius lib. 6.*

e *Cod. Andr. Platopondius,*

f *Cod. Andr. boum interitus.*

g *For. Melesianus, idem qui supra ad ann. 900.*

h *Cod. Andr. Marraccius de Cremero, & Fesulus combusti sunt Baril.*

i *Cod. Andr. Adrascum.*

k *Cod. Andr. Zatrobonem.*

l *Cod. Andr Manuel.*

m *Cod. Andr. non addit, Magister.*

n *Id intellige à capta in Italiam expeditione; nam alioqui Historici ferè omnes consentiunt, Longobardos cum Alboino ingressos esse Italiam ann. 568. die 2. April. fer. 2. post Pascha, Ind. 1.*

Ita etiam intelligo hunc Scriptorem infra ad an. 1083. Sed dicere etiam possumus (quod fortassis propius erit Protospatæ menti) Græcos, ut acutè Heruvartus observat, Christi Epocham biennio citius figere. Denique facilè fuit, hunc scriptorem falli, ob Dionysii corruptum à librario Cyclum; quod sphalma etiamnum extat apud Bedam Tomo 3. Ibi enim Cyclus Dionysii habet Pascham Kal Aprilis, non anno 568. ut Paulus Diac. refert lib. 2. cap. 7 sed ann. 566. Vide, Lector, quanti referat emendatos libros habere.

o *Cod. Andr. pugnavit cum Bulcassimo Sarracenorum Rege, & interfecit eum, & in eo prælio perierunt 40 millia hominum.*

p *Cod. Andr. 14. millia Sarracenorum Dux eorum dicebatur Bucobolus; & Otho in subsidium misit sex millia suos: prosequens Agarenos Tarentum usque.*

Anno 973. Indict. 1. *a* obiit Passarus Protospata.

Anno 975. Ismael interfectus est, & Zacharias Botuntum cœpit.

Anno 976. obsederunt Sarraceni Gravinam irritoconatu, & obiit Simischi Imp. qui & Joannes, & cœperunt regnare Basilius, & Constantinus germani.

Anno 977. incenderunt Agareni Civitatem Oriæ, & cunctum vulgus in Siciliam deduxerunt.

Anno 978. mortuus est Joannes Episcopus, & surrexit Pao Archiepiscopus.

Anno 979. occidit Porphyrius Protospata Andream Episcopum Oretanum mense Augusti.

b Anno 981. fecit prælium Otho Rex cum Sarracenis in Calabria in Civitate Cotrona, & mortui sunt ibi 40 mil. Pœnorum cum Rege eorum, nomine Bulcassimus.

Anno 982. tradita est Civitas Barii in manus Chalocbyri Patritii, *c* qui & Delfina, à duobus fratribus Sergio, & Theophilacto mense Junii 18. die, & Otho Rex obiit Romę.

Anno 983. apprehendit *d* prædictus Delfina Patritius, Civitatem Asculum mense Decembris.

Anno 985. descendit Romanus Patritius cum filio suo in Apuliam.

Anno 986. compreheoderunt Sarraceni *e* Sanctam Chiriacbi Civitatem, & dissipaverunt Calabriam tottam.

Anno 987. occisus est *f* Sergius Protospata à Barensibus mense Februarii, & mortuus est *g* Adraliscus à Nicolao Crioti mense Augusti 15. die, & obscuratus est Sol.

Anno 988. Indict. prima depopulaverunt Sarraceni Vicos Barenses, & viros, ac mulieres in Siciliam captivos duxerunt.

Anno 989. descendit Joannes Patritius, qui & Ammiropolus, & occidit Leonem Cannatum, & Nicolaum Critis, & Porphyrium.

Anno 990. occisus est Bubalus, *h* & Petrus Exubitus mense Martii.

Anno 991. fecit bellum *i* Asto Comes cum Sarracenis in Tarento, & ibi cecidit ille cum multis Barensibus.

Anno 992. magna fames per totam Italiam, & annonæ caritas.

Anno 993. defunctus est Pao Archiepiscopus, & Chrysostomus elevatus est.

Anno 994. obsessa est Matera à Sarracenis tribus mensibus, & quarto capta ab eis. *Cod. Audr. in qua mulier quædam fame coacta proprium comedit filium.*

Anno 997. occisus est Marcho Theodorus Excubitus 1. Civitate Oriæ à Smaragdo, & Petro germanis.

Anno 998. venit *k* Busitus Coytus cum prædicto Smaragdo Barum mense Octobris, & prædictus Smaragdus Eques intravit Barum per vim à porta Occidentali, & exiit iterum: tunc Busitus cognita fraude discessit.

Anno 999. descendit *l* Trachamotus Catapanus, qui & Gregorius, obsedit Civitatem Gravinam, & comprehendit Theophilactum.

Anno Domini 1000. Indict. 13. captus est prædictus Smaragdus à Trachamoto mense Julii 11. die, & obiit Rex Otbo Romæ.

Anno 1002. obsedit Saphi Caytus Barum 2. Maii usque ad Sanctum Lucam mense Octobris, tunc liberata est per Petrum Ducem Veneticorum. *Cod. Andr. à bona memoria dictum.*

Anno 1003. Indict. prima Sarraceni obsederunt Montem Scaviosum mense Martii, & nihil profecerunt.

Anno 1005. rediit Durachium in manus Imperatoris per Theodorum.

Anno 1006. descendit *m* Xyphea Catapanus mense Julii.

Anno 1007. defunctus est prædictus Catapanus in Civitate Bari.

Anno 1008. descendit *n* Curcua Patritius mense Maii

Anno 1009. cecidit maxima nix, ex qua siccaverunt arbores olivæ, & piscea, & volatilia mortua sunt, & mense Maii incepta est rebellio, & mense Augusti apprehenderunt Sarraceni Civitatem Cosentiam rupto fœdere nomine Cayti Sati.

Anno 1010. obiit Curcua, & descendit Basilius Catapanus cum Macedonibus mense Martii, & Syllistus incendit multos homines in Civitate Trani.

Cod. Andr. eodem anno 1010. Longobardia rebellavit à Cæsare opera Melo Ducis: isque accurrens præliatus est Botunti contra Barenses, ubi ipsi obierunt, & Ismael præliatus est cum Græcis in Monte Pelusio, ubi peremptus est Dux.

Cod.

a *Cod. Audr. ann. 975. obiit Passarus Protospatarius. Ismael interfectus est, & Zacharias Bitumtum cœpit.*

b *Cod. Andr. anno 981. Sipontini, & Asculani præliati sunt in Valle Sentilli.*

c *Cod. Andr. qui & Prima.*

d *Cod. Andr. prædictus Prima.*

e *Cod. Audr. Sanctam Civitatem Hyeracem.*

f *Cod. Andr. Sergius Protospatarius.*

g *Cod. Andr. Adralistus à Nicolao de Crito.*

h *Cod. Andr. & Petrus Porphyrus.*

i *Cod. Andr. Otho Comes.*

k *Cod. Andr. Busichius Caycus.*

l *Cod. Andr. Tratamorus.*

m *Cod. Andr. in Apuliam.*

n *Cod. Andr. Cursira.*

Cod. Andr. Basilius Aatapanus Barium obsidione cinxit à die 11. Aprilis, usque ad 11. Junii, & capit eam cum quibusdam conditionibus.

Anno 1014. venit Henricus Imp. Romam mense Februarii, & Cassaous incensa est mense Augusti.

Aono 1015. apparuit Cometa mense Februarii, & Samuel Rex obiit, & filius regnavit.

Anno 1016. occisus est filius prædicti Samuelis *a* ab ejus consobrios filio Aroni, & regnavit ipse, & Civitas Salernum obsessa est à Sarraceois per mare, & per terram, & nihil pro fecerunt.

Anno 1017. obiit Butunti *b* Mesardoniti Catapanus, & mense Novembris interfectus est Leo frater Argiri, & descendit Turnichi Catapanus mense Maii, & fecit prælium cum Melo, & Normannis. Leo Patianus Exubitus iterum mense Julii xx die prælium fecit prædictua Turnichius Catapanus, & vicit Melum, & Normannos, & mortus est Patianus ibi.

Anno 1018 Indict. prima descendit Basilius Catapanus, qui & Bugianus, & Abalautins Patricius mense Decembris, & Ligorius *c* Tepoteriti fecit prælium Trani, & occisus est ibi Joannatius Protospata, & Romoald captus est, & in Coostantinopolim deportatus est.

Anno 1019. fecit prælium supradictus Bugianus mense Octobris cum Francis, & vicit, & Melus fugit cum aliquibus Francis ad Henricum Imp. *Cod Andr & hoc prælium factum est ad Civitatem Cannensem.*

Anno 1020. descenderunt Sarraceni cum Rayca, & obsederunt Bisinianum, & illud apprehenderunt. Et hoc anno mortuus est ipse Amira, & Melus Dux Apuliæ.

Anno 1021. captus est *d* Dattus, & iotravit in Civitatem Barum equitatus in Asina, 15. Junii.

Anno 1022. venit Henricus Imp. Beneventum mense Martii, & obsedit Trojam in Capitinata.

Anno 1023. venit Rayca *e* com Saffari Criti Barum mense Jooii, & obsedit eam uno die, & amoti exinde comprehenderunt *f* Palagianum oppidum, & fabricatum est Castellum in Motuls.

Anno 1024. factum est signum magnum in Episcopio Acherontino sub Præsule secundo Stephano Materiensi in 5. die Paschæ: crucifixus enim magnus argenteus concussus est tribus vicibus capite, brachiis, & pedibus, cunctis hoc aspicientibus, & cecidit nix magna. Et transfretavit Bugianus in *g* Corbathia, & comprehendit ipsam Principissam uxorem *h* Cosmici, & direxit illam Constantinopolim, & mortuus est boc anno Henricus Imp. & surrexit Conus nepos ejus.

Cod. Andr. 1027. Despotus Nicus in Italiam descendit cum ingentibus copiis Russorum, Vvandalorum, Turcarum, Bulgarorum, Brunshorum, Polonorum, Macedonum, aliarumque nationum, ad Siciliam capiendam. Captum est autem Rhegium, & ob Civium peccata, destructū est à Vulcano Catapano. Et Basilius Imp. obiit anno secundo. Itaque Græci recesserunt die S. Martini. Jam verò Basilius, vivens renuntiavit imperio, sibi substituens Romanum, cui uxorem dedit Zoam filiam suam.

Anno 1028. descendit Oresti Chetoniti mense Aprilis, & tunc obiit Barensis Episcopus Joannes, & factus est Bisaneius Archiepiscopus.

Anoo 1029. venit Eustachius cum filiis Basilico, & Mandatora, & elegit Catapanum Christophorum, & Orestes prædictus ascendit in Costantinopolim cum Bugiano, & mortuus est Constantinus Imperator in vigilia S. Martini, & se vivente imposuit in Sede sua Romanum, & dedit ei uxorem Zoem filiam suam. Tandem Rayca & Saffari obsederuot Castellum Obbianum, qui Obbianenses extrangos tradentes pacificaverunt cum ipsis, & mense Julii venit Potho Catapanus, fecitque pugnam cum Rayca in Baro. *Cod. Andr. & hoc anno obiit Guaimarius Salerni Princeps.*

Anno 1031. mense Junii comprehenderunt Sarraceni Cassianum. *Cod. Andr. in terra Hydruntina*, & tertio die mensis Julii fecit prælium *g* Potho cum Saracenis, & ceciderunt Græci.

Anno 1032. descendit Ichiacon, & Chetoniti, & secum adduxit ipsos Anacolichium.

Anno 1033. Iodict. prima die prima mensis Maii descendit Constantinus Protospata, qui & Opo vocabatur Catapanus Italiæ.

Anno 1034. die 11. Aprilis obiit Romanus Imp & surrexit Michael Imp.

Cod. Andr. anno 1035. die Epiphaniæ obiit Costantinopoli Byzantius Episcopus Barensis. Qui sanè fuit Orphanorum pater, & primariæ Ecclesiæ Barensis Fundator, Custosque Civitatis, ejusque egregius propugnator adversus Græcos. Electusque est Episcopus Romulantes Protospatarius: sed is Aprili mense ab Imperatore Constantinopolim evocatus exul obiit, & in ejus locum electus est Nicolaus.

Anno 1038. descendit Michael Patricius, & Dux,

a *Cod. Andr. à Fierada ejus consobrino filio Cronii.*
b *Cod Andr. Basilius Catapanus.*
c *Cod. And de Zepotericon.*
d *Cod. Andr. Rayca.*
e *Cod. Andr. cum Caphare de Crito.*
f *Cod. Andr. Corilianum.*
g *Cod. Andr. Carbachia.*
h *Cod Andr. Cisigni.*
i *Cod. Andr. Protorapanus.*

Dux, qui & Sfrondili vocabatur, & transfretavit cum Maniachi Patricio in Siciliam.

a Anno 1039. mense Februarii descendit Nicbiphorus Catapanus, qui & Dulchianus dicebatur.

Anno 1040. prædictus Dulchianus excussit Contractos de Apulia, & prædicti Contracti occiderunt Chirisactora Crithiri Imperatorem subtus Mutulam, & Romanum Materiensem mense Maii, eoque mense obsedit Argyrus filius Meli Barum Civitatem, & percussit Mulandrum, & ligavit eum vinculo, & introivit cum eo Barum, & Contracti dispersi sunt.

b Anno 1041. descendit Dulchianus à Sicilia, ivitque Asculum, & mense Martii Ardumus Lambardus convocavit Normannos, in Apulia in Civitate Melfiæ, & prædictus Dulchianus fecit prælium cum Normannis, & ceciderunt Græci, & mense Maii iterum præliati sunt Normanni fer. 4. cum Græcis, & fugit Dulchianus in Barum.

Anno 1042. venit . . . mense Augusto, fecitque bellum cum Normannis 3. die mensis Septembris, & comprehensus est ille ibi, & in Melfiam deportatus est. Et mense Decembris obiit Michael Imper. & elevatus est Cæsar nepos ejus nomine Michael Imp. & mense Febr. factus est Argyrus Barensis, Princeps, & Dux Italiæ. Et mense Aprilis descendit Maniachus Magister Tarentum, & mense Junii Monopulim abiitque ad Civitatem Materam, & fecit ibi grande homicidium, & mense Septembris Gulielmus electus est Comes Materæ; & hoc anno depositus est prædictus Cæsar Michael à Regno, & excæcatus est, Zoes, & Theodoræ sororum jussione, & Constantinus Monomachus factus est Imperator, & 3. die mense Julii capta est Juvenaties ab Argyro Duce, & mense Augusti ivit prædictus Argyrus ad obsidionem Trani, seditque super eam mense uno.

Anno 1043. reversa est Civitas Barum in manus Imp. & mense Septembrie descendit Pardus Patricius cum multo auro, quem Maniacbes fecit occidi, seque Imp. ab omnibus appellari, & mense Octobris venit Barum, minimeque illum recepit. Mense verò Februarii descendit Theodorus Canus Magister, & Catapanus, & Maniacbes prædictus perrexit Dyrrachium.

Anno 1044. Guillelmus filius Tancredi descendit cum Guarimari Principe in Calabriam, feceruntque ipsum Squillacii Castellum.

Anno 1046. perrexit Argyrus Patricius Constantinopolim, & Palatinus Catapanus, qui & Eustasius revocavit omnes exiliatos ad Barum, perrexitque Tarentum, & 8. die in Trano mense Maii commisit prælium cum Normannis, & ceciderunt Græci, & hoc anno venit Conus Rex Alemannorum Romam, eò quòd erant ibi tres Pontifices, Sylvester in Ecclesia S. Petri: in Laterano, Gregorius, & Benedictus in Tusculano, quibus ejectis confirmatus est ibi Papa nomine Clemens à prædicto Imperatore; deinde dictus Imp. venit Beneventum; Beneventani verò ad ejus injuriam absciderunt streuutas equi ejus, hoc etiam anno obiit Guidelmus, & frater ejus Drogo factus est Comes.

Anno 1047. apprebensum est oppidum Scyra à Guarangis mense Octobris, & mense Decembris depopulaverunt Litium, & mense Junii dictus Papa Benedictus per poculum, veneno occidit Papam Clementem.

Anno 1050. Indict. 3. obiit Zoe Imp. soror Theodoræ, quæ fuerunt filiæ Constantini Imperat. Zoe enim habuit viros tres, primum Romanum, secundum Michaelem, tertium Constantinum Monomachum; regnavit cum his tribus viris ann. 21. Post mortem verò prædictæ Zoes regnavit ipse Constantinus Imperator cum Theodora sua cognata jam novem annis.

Anno 1051. descendit Argyrus Magister Vesti, & Dux Italiæ filius Meli mense Martii, & abiit Barum, & non receperunt illum Adrali-

a *Cod. Andr. anno 1039. obiit Asculi Nicephorus Catapanus die 11. Januarii, & die 5. Martii occisus est Michael à Chato, qui & Chirosatus vocabatur, sub Castro Mottulæ. Ipseque & alii omnes septima die venerunt Barum una cum Argyro filio Meli, isteque Argyrus captivum fecit Musandrum, virum inter eos primarium, & in carcerem trusit. E contra Romanus Materanus obsedit Argyrum intra Barum, & Musandrum vinxit manibus, & Barum cum eo intravit.*

b *Cod. Andr. 1041. Michael Protospatarius descendit è Sicilia in Lombardiam, & inde in Apuliam. Is etiam Dulchianus vocabatur, & in mense Novembri exiit Asculo, & intravit Barum: isque jussit suspendi Cives quatuor Barenses, primarios viros, super murum Bituntinæ portæ. Et die 17. Martii unà cum Arduino Lombardo congregavit exercitum in Civitate Melphiæ; & fer. 3 prope fluvium Beneventi factum est ab eis prælium cum Normannis: & perierunt multi Græci Russi, & Ossarani. Dulchianus autem cum reliquiis sui exercitus fugit ad Montem Pelusium. Postea mensis Martii die 4. collectis omnibus Græcis apud Aufidum amnem sub Monte majori commissum est atrox prælium, in quo etiam Græci profligati sunt: plurimique Natalitæ, Ossacani, Russi, Calabri, Lombardi, & Apuli occisi sunt. Ibique obiit Angelus Sacerdos, & Stephanus Archiepiscopus Tarentinus. Traduntque ii, qui prælio adsuere, obiisse ea die ad 4. millia Normannorum, & 8. millia Græcorum, qui adeò consumpti fuere, ut vix domestici aliquot servitores Michaelis jam dicti vivi remanserint: iique semivivi ob metum crudelium Nortmannorum. Accersivit igitur è Sicilia subsidiarios milites Calabrosque cum Macedonio, & Paolo. Quibus collectis cum aliis in Catuna Montis Pelusii, ecce descendit in Apuliam Catapanus filius Budiani: & Michael jussu Imperatoris in Siciliam, unde venerat, reversus est.*

lißus, ac Romoaldus cum Petro ejus germano; sed non post multum temporis Barenses receperunt eum sine voluntate Adralisti, & aliorum. Sed Adralistus fugit. Romoaldus verò, & Petrus fratres ab Argyro sunt comprehensi, & catenis vincti Constantinopolim deportati sunt. Hoc anno Drogo occisus est in Monte Ilari à suo compatre, & frater ejus Umfredus factus est Comes.

Anno 1053. in fer. 6. mense Junii, Normanni fecerunt bellum cum Alemannis, quos Papa Leo adduxerat, & vicerunt, & fuit hoc anno magna fames in Italia.

Anno 1054. obiit Sico Protospata Materiensis.

Anno 1055. obiit Constantinus Imperator, qui & Monomachus.

Anno 1056. cœpit regnare Regina prædicta Theodora Augusta soror Zoes Imperatricis. Et Umfreda obiit, & Robertus frater ejus factus est Dux, & obiit Petrus Archiepiscopus Consentiæ.

Anno 1057. mortua est Theodora Augusta, & Michael Bringa factus est Imperator.

Anno 1058. Tromby Patricius fecit occidere Scribonem in Civitate Cotroni.

Anno 1059. mortuus est Bringa Imper. & Isachius Oconnus factus est Imperator.

Anno 1060. elevatus est Imperator Constantinus Ducas.

Anno 1061. Robertus Dux cœpit Civitatem Acheruntiam.

Anno 1062. factus est Papa Alexander Lucanus, & Robertus intravit Dux in Civitatem Oriæ, & iterum apprehendit Brundusium, & ipsum Mirtarcham.

Anno 1063. comprehensa est Civitas Tarenti à Normannis.

Anno 1064. comprehensa est Matera à Roberto Comite mense Aprilis.

Anno 1065. Robertus Dux intravit Siciliam, & interfecit Agarenorum multitudinem. & tulit obsidionem ex Civitate Panormo.

Anno 1066. Loffredus Comes filius Petronii voluit ire in Romaniam cum multa gente, sed obstetit illi quidam ductor Græcorum nomine Mabrica, & Princeps Richardus intravit Terram Campaniæ, obseditque Ciparanum, & comprehendit eum, & devastando usque Romam pervenit.

Anno 1067. mense Maii mortuus est Constantinus Duras Imp. & Michael filius ejus suscepit Imperium, & apparuit stella cometa, & Comes Normanniæ Robertus fecit bellum cum Arnaldo Rege Angelorum, & vicit Robertus, qui & factus est Rex super gentem Anglorum.

Anno 1068. 16. Februarii Robertus Dux obsedit Civitatem Montisipilosi, ubi nihil proficiens cum paucis abiit Obbianum, & recepit eam, & traditione cujusdam Gottofredi intravit ipse Dux in dictam Civitatem Montisipilosi.

Anno 1069. mense Septembris prædictus Dux obsedit Barum, & Romanus Diogenes, qui cum prædicto Michaele privigno suo tenebat Imperium, fraude prædicti Michaelis privigni sui apud quandam Civitatem Armeniæ comprehensus, & cæcatus est.

Anno 1070. mense Januarii magnum homicidium actum est Brundusii, nam Normanni volentes eam comprehendere, tenti sunt ex eis quadraginta cum aliis eorum ministris quadraginta tribus, & capita omnium prædictorum ad Imperatorem portata sunt.

Anno 1071. Robertus Dux intravit Brundusiopolim, dimissa ante Barum obsidione, nam ipse Dux fecit fieri pontem in mari, quantus concluderet portum prædictum Urbis Bari; hoc etiam anno dolo cujusdam Argirichi filii Joannazzi occisus est Bysantius cognomento Guinderlichus in Baro, & 15. die Aprilis cœpit Robertus Dux Civitatem Bari, *& mense Julii Dux prædictus transmeavit Adriatici maris pelagum, perrexitque Siciliam cum 58. navibus.*

Anno 1072. mense Junii die 10. intravit Robertus Dux Panormum in Sicilia.

Anno 1073. intraverunt primo Normanni in Trano in octava Epiphaniæ cum Petrono Comite, sed Robertus Dux, ejecto Petrono, introivit in eam ipse Civitatem in Purificatione Sanctæ Mariæ.

Anno 1076. comprehensus est quidam nepos Africani Regis à Rogerio fratre Ducis, qui prædat Siciliæ cum 150. navibus in Civitate Mazariæ, & dedit prædictus Dux filiam suam, nurum ad Imperatorem Constantinopolitanum.

Anno 1077. obsessa est Civitas Salerni à Roberto Duce Normanno, & comprehensa est ab eo.

Anno 1078. Indict. 1. obsessa est Neapolis à Richardo Principe, & minimè comprehensa; & Robertus Dux obsedit Beneventum, sed ejus obsedio dissipata est à Rodulpho Pipino Comite, & hoc anno obiit prædictus Richardus Princeps.

Anno 1079. intravit Petronus in Tranum, & Barum rebellavit, ejecto exinde præside Ducis, & Bajalardus filius Umfredæ comprehendit Asculum. Et ejectus est Imperator prædictus Michael à Regno, & Botoniates quidam factus est Imperator, qui & abstulit prædicti Michaelis uxorem, & abusus est ea, & fuit hoc anno mortalitas hominum in Matera.

Anno 1080. Inventum est Corpus B. Canionis in Acherontis ab Arnaldo Archiepiscopo, & idem Archiepiscopus construere cœpit novum Episcopium, idest Ecclesiam Sanctæ Dei Matris Mariæ. Hoc anno Barum Civitas reversa est in potestatem Roberti Ducis, & idem Dux obsedit Civitatem Tarentum, & mense Aprilis comprehendit eam, & iterum obsedit Castellanetam, & cœpit eam. Et hoc anno Imperator Micheal descendit in Apuliam, quærendo auxilium à Roberto Duce contra Botaniatem, & mense Julii 27. die mortuus est Robertus Comes eximius, & ejecti sunt Normanni à Matera secundò, & cœ-

cœpit regnare Loffredus Comes filius ejus, pro eo in Matera, in vigilia Sanctæ Mariæ mense Augusti.

Anno 1081. Robertus Dux intravit Tricharim mense Octobris, & eodem mense Archirizi perrexit ad Michaelem Regem Sclavorum, deditque ejus filio ejus filiam in uxorem, & Robertus Dux cum prædicto Michaele Imp perrexit Hydrontum; missisque antea navibus in Insula Corife, quæ apprehenderunt eam, ubi & ipse paululum unà cum Imp. transfretavit, posueruntque mense Julii ante Dyrrachium obsidionem per mare, et per terram, quam stolus Veneticorum veniens dissipavit, aperuitque Dyrracenis mare. Hoc anno Botaniates factus est Monomachus, et Alexius factus est Imp. et Alemannorum Rex Henricus venit Romam, ut ejiceret exinde Papam Gregorium.

Anno 1082. hoc anno complentur ab initio mundi 6281. ad Urbe condita 824. Alexius Imperator collecto grandi exercitu iniit bellum cum Roberto Duce haud longè à Dyrrachio, et tergaversus fugit, cecideruntque in ea pugna plusquam 6000. ex suis, fuerunt autem in ejus exercitu 70. mil. hominum, et dominante isto Alexi Imp. Episcopus Rubensis nomine Guislibertus donavit Priori Montispilosi Ecclesiam Sancti Sabini, quæ est in Civitate Ruhi, qui prior tenebatur omni anno ad quatuor libras ceræ in die Sabbati Sancti, et mittere unum hominem equestrem ad suas expensas, quando Episcopus Rubensis ibat ad Barum, seu ad Canusium, et mense Januarii Robertus Dux cœpit Civitatem Dyrrachium traditione quorumdam Veneticorum: et hoc tempore prædictus Rex Henricus obsedit Romam, ut vi introiret, et faceret ibidem Papam Ravennensem Archiepiscopum, sed minimè potuit; et Dux rediens ab Epidauro sub lecto sibi Boamundo filio suo perrexit Romam ferens auxilium Papæ Gregorio, cum Rex jam in partibus moraretur Lombardiæ, ad debellandam Mathildæ Provinciam; quæ cum Papa tenebat Gregorio. Hoc anno Bajalardus perrexit ad Constantinopolitanum Imperatorem Alexium causa auxilii; et eo anno die 16. Maii dedicatum est in Matera novum Templum in honore Sancti Eustasii ab Arnaldo Archiepiscopo sub Domino Stephano Abbate auctore ipsius Templi.

Anno 1083. hoc anno complentur 517. anni, ex quo intraverunt Longobardi in Italiam, et cyclus Solaris 28. et cyclus Lunaris 17. et cyclus novennalis primus, et Epacta Luna.. et hoc tempore Romani à Papæ Gregorii societate discedentes Legatos ad prædictum direxerunt Regem, quo eum Romæ mitterent: sed Dux hoc anticipans dixerit plusquam triginta millia solidorum Romam, quatenus sibi eos, Papæque reconciliaret, quod & factum est. Attamen Rex Romam adveniens, cœpit totam religionem trans Tyberim, in qua Apostolorum Principia eminet Templum: & mense Junii relicto ibidem præsidio suo, ac filio in Castello, quod ipse illic statim construxit, ad debellandum Gregorium Papam, qui in Laterano, ac in Cœlio Monte se continebat, cum quadraginta obsidibus Roma secessit in partes Tusciæ; & Dux in mense Mai posuit ante Cannas Civitatem Apuliæ obsidionem, & mense Julii comprehendit eam.

Anno 1084 Robertus Dux, collecta multitudine Normannorum, Longobardorum, aliarumque gentium, perrexit Romam, ut Papam Gregorium dura obsidione retentum liberaret, quod & factum est; nam Romam adveniens & Urbis maximam partem cœpit, & Papam exinde viriliter abstrahens secum, devexit Salernum.

Anno 1085. prædictus Dux grandi apparatu navium, hominumque innumerabili exercitu Brundusiopolim veniens, deposita ibidem navali machinatione, ingressus est Adriaticum pelagus, perrexitque in Insulam nomine Cassiopim, ubi stolus Veneticorum, & filius Ducis Venetiæ cum plurimis navibus erat infestus Duci Roberto: sed bello in mari inter eos confecto, victoria ad Normannos concessit. Cæsa sunt in ea pugna plusquam quinque millia hominum; præterea naves quinque captæ; & duæ cum hominibus submersæ sunt, ita ut qui gladium potuere evadere bellatoris, pelagi eos vorago glutiret.

Hoc anno mense Maii prædictus Papa Gregorius dum Salerni moraretur, diem clausit extremum, quo moriente tanta fertur grandinum, tonitruumque extitisse procella, ut omnes illic positi hujusmodi turbidinibus putarent interire. Mense Julii dum jam dictus Dux moraretur in loco, qui dicitur, *Veneti victi*, à devictis Venetis, exercitusque ejus ob quandam Civitatem capiendam in Cephalonia moraretur Insula, ipse autem in prædicto loco cum parte exercitus resideret, præparans se qualiter cum grandi apparatu navium, & militum innumera multitudine ad Regiam tenderet navigio Civitatem, jussu misericordiosissimi, & Omnipotentis Dei, qui dissipat, ac reprobat cogitationes, vel consilia Principum, non ex suo procedentia, profluvio ventris extinctus est.

Anno 1086. Rogerius filius prædicti Roberti Ducis factus est Dux.

Anno 1087. mense Maii corpus Beatissimi Nicolai Mirensis Archiepiscopi à quibusdam Barensibus à prædicta Mirea ablatum, in Barum devectum, caput Civitatum Apuliæ. Hoc anno Abbas Desiderius Sācti Benedicti montis Cassini, consensu quorumdam Nobilium Romanorum factus est Papa Romanus, vivente adhuc Clemente Antipapa, qui fuerat Ravennæ Episcopus.

Anno 1088. mense Septembris factus est grandis terremotus per totam Apuliam, ita ut in quibusdam locis turres, ac domos ruisse feratur; *tunc enim capta est guerra inter Rogerium Ducem, & Boamundum fratrem ejus, hoc anno comprehensa est Syracusa, Siciliæ quondam*

dam caput, à Rogerio Comite, in qua fertur homines comeſos, & infantes, ob diuturnitatem obſidionis.

Anno 1089 facta eſt Synodus omnium Apulienſium, Calabrorum, ac Brutiorum Epiſcoporum in Civitate Melfiæ, ubi affuit etiam Dux Rogerius cum univerſis Comitibus Apuliæ, ac Calabriæ, & aliarum Provinciarum, in qua ſtatutum eſt, ut Sancta Trevia retineretur ab omnibus ſubjectis. Hoc anno obiit Urſua Barenſis Archiepiſcopus, & Papa Urbanus nomine, venit in Civitatem Barum, & conſecravit illic confeſſionem Sancti Nicolai, & Heliam Archiepiſcopum, vivente adhuc prædicto Antipapa Clemente, & conſecravit Brunduſinam Eccleſiam prædictus Papa Urbanus.

Anno 1090. menſe Auguſti Acherontia admirandum in modum cremata eſt à ſe ipſa, & mortuus eſt Jordanus Princeps.

Anno 1091. jurata eſt à Normannis Trevia Dei. *Cod. Andr. & finiunt ab O. C. anni* 6291. *Epacta* 19.

Anno 1092. cum obſideretur Ories Civitas à Boamundo auxilio quorumdam, Orietani obſidionem diſſipaverunt, & ipſo Boamundo fugam petente, cunctum ejus apparatum, & ſigna cœperunt.

Anno 1093. Indict. prima obiit Eugenia Abbatiſſa Sancti Benedicti Monaſterii Materienſis menſe Octobris, & eodem menſe Urbanus Papa [a] venit in Materam, & applicuit ad cœnobium Sancti Euſtachii cum grandi plebe hominum.

Anno 1095. menſe Aprilis in nocte diei 4. ſubitò viſi ſunt igniculi cadere de Cælo, quaſi ſtellæ per totam Apuliam, qui repleverunt univerſam ſuperficiem terræ, & ex tunc cœperunt Galliæ populi, imò totius Italiæ pergere ad ſepulchrum Domini cum armis ferentes in humero dextro Crucis ſignum.

Anno 1096. *Rogerius Comes Siciliæ cum 20 mil Sarracenorum, & cum innumera multitudine aliarum gentium*, et univerſi Comites Apuliæ obſederunt Amalphim, et cum ibi perſeverarent, ſubitò inſpiratione Dei Boamundus cum aliis Comitibus, et pluſquam 500. Equitibus facientibus ſibi ſignum Crucis ſuper panno in humero dextro reliquerunt obſidionem, et tranſfretantes perrexerunt in Regiam Urbem, quatenus cum Alexii Imp. auxilio bellando cum paganis, pergerent Hieruſalem ad Sanctum Sepulchrum noſtri Redemptoris.

Anno 1097. Boamundus cum Comite Sancti Ægidii, et cum Comite Normanniæ, et aliis Comitibus Occidentis cum innumera multitudine menſe Aprilis à Regia Urbe ſe moventes transfretaverunt, et cœperunt omnem terram, quam Turchi Impp. abſtulerant, et facto bello cum Turchis, victoriam Chriſtus ſuis conceſſit Chriſtianis; fertur enim fuiſſe Paganos 150. mil. Hoc actum eſt circa Niceam Civitatem.

Anno 1098. menſe Octobris apparuit ſtella cometes, et Chriſtiani bellando venerunt uſque Antiochiam, et obſederunt eam, et menſe Aprilis comprehendentes interfecerunt ibi pluſquam 60. mil. hominum, iterumque commiſſa pugna Chriſtiani vicerunt, et cœperunt multa ſpolia Turcorum; *& hoc anno comprehenſa eſt Capua à Rogerio Comite menſe Martii.*

Anno 1099. menſe Octobris Papa Urbanus congregavit univerſam Synodum in Civitate Bari, in qua fuerunt 185. Epiſcopi, et menſe Junii in feſtivitate S. Petri Apoſtoli comprehenſa eſt Hieruſalem Civitas à Chriſtianis, et omnes, quos ibi invenerunt, occiderunt. Fertur autem occiſa ibi eſſe 200. mil. hominum, et tunc levaverunt ſibi Chriſtiani Regem Gottofridum, qui fuerat [b] Svevorum Dux, et menſe Julii prædictus Papa Urbanus obiit, et electus eſt Paſchalis Papa.

Anno 1100. mortuus eſt Gottofridus prædictus ab Urſo egrediens à ſalto, quem antea ipſe fortiter ferierat.

Anno 1101. comprehenſa eſt Cæſarea à Chriſtianis, et ad ſolum uſque perducta, et menſe Septembris mortuus eſt Goffridus Comes, et [c] Alexander filius ejus intravit Materam, et . . . . . . incœperunt habitari à Montenſibus. Hoc anno obiit Arnaldus Archiepiſcopus Acherontinus, *& Rogerius Comes Siciliæ menſe Julii.*

Anno 1102. Indict. 10. menſe Novembris obiit Stephanus Abbas Materienſis, et Simeon Abbas ſucceſſit ei, et menſe Maii electus eſt Petrus Acherontinus Archiepiſcopus.

a *Ex his verbis, Agnellus Pacca, vir eruditus, arguit Auctorem hujus Chronici fuiſſe Civem Materanum; ſed ego nihilominus arbitror potius Barienſem. Ut ut fuerit, Apulus certè fuiſſe videtur.*

b *Cod. And. Dux Helvetiorum.*

c *Cod. And. Alexius.*

FINIS LUPI PROTOSPATÆ.

A P P E N D I X.

INCERTI AUCTORIS, E RUBEI COD. PAPYRACEO.



NNO 1212. succedit Federicus secundus Imperator, ab Honorio Papa confirmatur, obiit anno 1253.

Anno 1253. succedit Conradus, regnat anno uno, veneno necatur a Manfredo.

Anno 1253. Manfredus succedit, regnat annis 13. à Carolo interfectus fuit, qui regnat annis 17.

Anno 1267. Carolus Ludovici frater à Clemente Quarto fit Rex, ut solvat 40. mil. aureorum pro feudo.

Anno 1281. intitulatur hic Carolus Rex Hierusalem propter Mariam Antiochiæ Regis filiam.

Anno 1284. succedit, & in Regnum Ungariæ pro Uxore regnat annis 26. obiit anno 1309.

Anno 1309. succedit, Rubertus, regnat annis 33. in S. Clara sepultus.

Anno 1333. Andreas Ungariæ Regis frater regnat annis 3. laqueo perimitur, sepultus est in Episcopatu Neapolitano in Capp. S. Loysii, relicta Joanna uxore.

Anno 1347. Joanna prædicta alio consobrino nupta, cum quo vixit annis 26. adoptat Ludovicum Andegavensem, dat Avinionem Ecclesiæ, & Ecclesia relaxat censum.

Anno 1365. Clemens Quartus 4. Kalendas Julii anno primo Pontificatus sui concessit perpetuò hoc Regnum Domino Carolo Comiti Andagavēsi filio Domini Ludovici VIII. Regis Francorum fratris Sancti Ludovici.

Anno 1380. Carolus Regio genere natus ex primo Carolo, succedit, & Reginam necat.

Anno 1382. succedit in Regno Ungariæ, & dolo necatur 1383.

Anno 1384. Ladislaus succedit, regnat annis 29. veneno perit anno 14 4. moritur in Castronovo, sed sepelitur in S. Joanne ad Carbonetum.

Anno 1414. Joanna Secunda succedit, regnat annis 21. repudiat virum Jacobum de Marcha. Regnum dividitur; alii, & plures sequuntur Alphonsum, alii Ludovicum Andegavensem.

Anno 1433. 15. Decembris filia Regis Catholici venit Neapolim ad videndum Reginam prædictam.

Anno 1434. 16. Novembris die Dominico, obiit Ludovicus Tertius unicus filius D. Reginæ, Dux Calabriç, & Andegaviæ.

Anno 1435. 2. Februarii hora 3. noctis obiit Regina Joanna Secunda sepulta in Annuntiata; relicto . . . . & gubernatoribus Regni. Publicè Titulus Justitiæ erat hoc modo: sub Reginæ gubernatur Respublica Regni Siciliæ, seu ordinatorum præclaræ memoriæ per Serenissimam Reginam Ungariæ, Hierusalem, & Siciliæ Reginam anno primo. Per dictam mortem succedunt Renatus Andegavensis, & Alphonsus adoptivi.

Anno 1435. Venit Alphonsus 5. Augusti, & à Joanne capitur.

Anno 1438. 19. Maii venit Renatus Neapolim, & regnat annis 7. cum infinitis malis.

Anno 1438. 3. Augusti Renatus vadit ad campum versus Aprutium pro pacando Regno; ultimo Septembris liberatus venit ad obsidendum Neapolim; diç 17. Novembris ejusdem anni propè Sanctum Angelum in Arena interfectus Infans Castiliæ, frater Alphonsi ictu bombardæ sepultus in Monasterio de Carmelo, propter quod discessit ab obsidione 29. ejusdem mensis, & fuit captus.

Anno 1442. 2. Junii intravit Alphonsus per puteum propè S Sophiam in domo Citelli, expulso Renato, qui fugit in arcem novam, & inde per mare cœpit regnare à die mortis Reginæ.

Anno 1452. venit Imp. Federicus Neapolim cum magnis triumphis.

Anno 1456. 5. Decembris hora 11. magnus terremotus, qui adæquavit aliquas terras solo, & maximè damnificavit Neapolim, & destruxit Ecclesiam S. Joannis Majoris, & alias domos.

Anno 1459. 26. Julii pestis per sex menses; moritur Alphons Primus in arce Ovi, demum multos post annos reducitur ad Sanctum Dominicum cum pompa.

Anno 1459. equitavit Rex Ferdinandus Primus per Civitatem regnat annis 36.

Anno 1459. 15. Octobris. Armata Ducis Joannis filii Renati cum 19. triremibus apparuit in maritima Neap. in Dohana salis, & recessit inglorius.

Anno 1465. Venit Neapolim Hippolyta Sfortia uxor Alphonsi Secundi.

Anno 1470. Elionora Ferdinandi filia nupsit Herculi Estensi.

Anno 1476. Beatrix Aragonia Ferdinandi filia Regi Ungariæ nupsit. 18. Septembris exit ad Virum.

Anno 1477. prima Septembris Joanna Tertia soror Catholici Regis uxor Ferdinandi primi venit ad Virum.

Anno 1480. Hydruntum capitur à Turcis 27. Julii.

Anno . . . 23. Januarii Ferdinandus Secundus equitavit ut Rex, & duxit Joannam Quartam Infantam ejus amitam, & filiam

Fer-

Ferdinandi Primi ex Joanna Tertia uxore.

Anno 1484. 22. Augusti moritur Papa Xystus. Eo anno 25 Augusti venit Neapolim D. Franciscus de Aragonia filius Regis Ferdinandi.

Anno 1490. Regnum Granatæ capitur.

Anno 1494. 25. Januarii obiit Ferdinandus Primus, & sepultus est in Tribuna Sancti Dominici, ubi & cadaver Alphonsi erat. Isto anno fuit repertus Tarenti liber Sancti Cataldi consistens in tribus laminis plumbeis, videlicet, duabus extremis semiscriptis, & media scripta ex utroque latere, qui præsentatus fuit Domino Regi, loquens de dicti Regis repentina morte, & sic fuit, repente mortuus. Eo die Alphonsus Secundus ex prima uxore equitavit Rex, & eo anno legitur coronatus per legatos in Episcopatu cum magno triumpho.

Anno 1495. Alphonsus sentiens adventum Gallorum, diffidens auxilio Magnatum, qui eum oderant, spontè reliquit filio Regnum, *ipse in Sicilia secedit . . . . . ubi moritur in Messana*. 23. Januarii discessit Neapoli.

Anno 1495. Carolus Ottavus cum 80. mill. armatis capta vi Cajeta, eaque devastata, & data in sanguinem militibus, Regnum obtinuit, expulit Ferdinandum in Isclam, intravit Neapolim 22. Februarii in Castro Capuano, sanavit plures Neapolitanos morbo schrophularum. Eo anno quia Cives Neapolitani sufferre non poterant injurias Gallorum, 7. Julii redeuntem cum classe Regem Ferdinandum Secundum receperunt per portam Mercati, Gallis undique trucidatis; & ipse Carolus versus Galliam se salvavit, aliàs de eo, & exercitu suo actum fuisset.

Anno 1496. 7. Octobris moritur strenuissimus Ferdinandus Secundus, & sepultus est in S. Dominico; eo anno, & die equitavit Rex Federicus in Civitate Capuæ, quia Neapoli erat pestis. Regnat annis quatuor cum Serenissima Isabella Baucia uxore, ex qua genitis tribus filiis masculis, & duabus femellis, expulsus ad Ludovicum Regem vadit, casu ejus domo igne combusta prius, postea moritur.

Anno 1502. 4. Augusti convenientibus contra Federicum Ludovico Franciæ Rege, Duce Mediolani, Catholico Ferdinando; & uxore, misso Domino de Obegni per Franciam cum magno exercitu Neapolim, & Consalvo Ferdinando cum alio in Calabriam Regnum obtinent. Facta est divisio Regni, facta deditione Neapolis. Capua prædata est per Gallos nolentibus Civibus se dedere.

Anno 1503. quia Regnum non capit duos, commissis pluribus stragibus, die Veneria Aprilis, in Cirignola victi Galli, iterum mense Decembri in Garigliano. Denique cum victorioso exercitu intravit Neapolim Prorex Magnus Capitaneus 16. Maii die Martis hora 20. & demum una die quasi per duas horas cepit arcem novam; aliæ se dederunt.

Anno 1503. mense Decembris habita est notitia mortis Reginæ Isabellæ, superstite Joanna filia, & Ferdinandus duxit aliam uxorem.

Anno 1506. prima Novembris die Dominico venerunt in Regno Rex Catholicus, & Regina Germana, de Foix uxor ejus cum quatuordecim triremibus, & aliis lignis; intravit Civitatem rupta porta, sub pallio aureo, arcubusque triumphalibus per totam Civitatem ostendens lætitiam, dedit ei omnes gabellas, quas rehabuit, pro 30. mil. aureorum. Eodem anno 4. Junii discesserunt Rex, & Regina cum Illust. Magno Capitaneo, relicto Joanne de Aragonia Comite Ripecursiæ in Regno.

Anno 1507. 16. Maii. Captus est piscis Neapoli centum cantariorum, de quo factum est oleum.

Anno 1508. 14. Septembris rediit Neapolim Beatrix Serenissima Regina Ungariæ. Moritur, & in Sancto Petro Martyre sepelitur, cùm per prius venisset de Ungaria.

Anno 1511. 2. Novembris Vicerex Regni descendit Bononiam cum exercitu pro tuitione Ecclesiæ contra Gallos.

Anno 1513. 21. Februarii moritur Julius Papa Secundus hora 6. Eodem anno, 11. Martii, creatur Papa Joannes de Medicis, qui creatus Pontifex de natione Florentina, vocatur Leo X.

Anno 1514. mense Novembris Tyberis inundavit, & eodem anno 2. Decembris Isabella Estensis filia Eleonoræ Aragoniæ uxor Marchionis Mantuæ, equester venit Neapolim ad videndum Reginam, & discessit Neapoli 15. ejusdem.

Anno 1516. 23. Januarii obiit Rex Catholicus, & eo die successit Joanna, & Carolus, maximus ejus filius.

Anno 1517. 7. Januarii, die Mercurii, prima hora noctis obiit Joanna Tertia, soror Catholici Regis.

Anno 1518. 28. Augusti, obiit Joanna Quarta filia Joannæ Tertiæ prædictæ, die Sabbati.

Anno 1519. 12. Januarii Moritur Maximilianus Imperator.

Eodem anno 7. Julii habita est notitia per litteras, qualiter est electus Carolus Rex Romanorum, & Imperator.

FINIT APPENDIX AD PROTOSPATAM.

CA-

CASTIGATIONES.

CAMILLI PEREGRINII

IN CHRONICON

LUPI PROTOSPATÆ.



HIC Auctor genere Apulus, in cujus regionis rebus est, ferè, totus, Materensis Civis nonnullis reputatus est, ex illa dicendi forma sibi usurpata ad ann. 1093. persuasis. *Urbanus Papa venit in Materam*. Nescio cur hoc eodem argumento non illum fecerint Antiochenum, qui ad an. 1098. dicat. *Christiani bellando venerunt usque Antiochiam*. At latinissimè dictum *venire*. pro. *ire*. tritum est: illud minus, quod observavit Salmasius ad Hadrianum Spartiani *redire*. pro. *ire*. sicut. *reddere*. pro *tradere*. Apud præsentes etiam Italos pr ora illa duo vocabula sæpe confundi, vel pueri norunt. Alii autem Lupum crediderunt Barensem; *quòd ille simpliciter, ac quasi antonomasticos ad an 886. & 890. Barii Dynastam Principem vocat*. Ab his minimè dissentirem, in rebus enim Barensibus multus est Lupus, si Barii, non Beneventi Princeps fuisset Ajo ille utrobique descriptus. Erit igitur, dices, Beneventanus. Erit, quibus ea argumentatio probatur; eritque etiam genere Græcus, *quia sæpe Græcissat, at Græcos impensè se ostendit amare*. Mihi autem Apulus est; quam gentem diù Græcis, variaque fortuna olim subditam, & commixtam, pleraque illorum vocabula quotidiano etiam in sermone usurpasse, ac ut fieri per factionem solet, plerosque Apulos etiam post sæcula Græcorum amorem animo servasse, non est diffitendum. Verùm fuerit nè munere, an gente dictus. *Protospata*: fueritque ex Græci Protospatarii muneris nomine gentile deductum suæ genti nomen, comperti nil habeo. Illud novi, in antiquissimi operis lapidea columna apud Brundusium, referente Scipione Ammirato ubi de Logotheta, & Protonotario, insculptum literis sequioris ævi haberi hoc Epigramma. *Protospata Lupus*. ni inverso ordine legendum sit. *Lupus Protospata*. utpote in orbiculata superficie descriptum, in qua non facilè dixeris, quid primum, quid secundum. Si is fuit hic noster, certè vel patria, vel incolatu, aliave occasione Brundusinus censendus est. Hæc de Auctoris genere de ætate vide ad an. 1088.

An 861. Ind. 9. Mortuus est Michael. Imp. & surrexit Basilius Parascenfumenus, filius ejus. Michaelis obitum alii omnes notant ad an. 867. At Basilius, quem Michael in filium adoptavit, pridem fuerat ipsius *Paracœmomenus*. Latinè. *Accubitor*. quæ vox in Hist Miscella lib. 17. in hanc simul significationem usurpata, atque in *Paracœmumenum* detorta, præsenti est loco restituenda; itemque in Luitprandi Legatione, ubi leviori errato legitur *Paracœuomenus*; & in antiquis quibusdam schedis, quæ habent. *Paracemimenus*. Parum circumspectè nonnulli id verbi vertentur. *Cubicularius*. Meursium vide in Gloss. qui Xilandrum sugillat; estque eadem censura dignus Glaber Rodulfus lib. 4. cap. 1. & Codini interpres Gretserus cap. 2. num. 6. qui postmodum in Commentario ejusdem operis, *Paracœmomenum* nulla attentiori observatione, *Accubitorem cubiculi*, esse exponit. Alii nil melius in Hist. Curopalatis *Præfectum Regii cubiculi*. Ab hujus munere aliud fuit minus *Paramonarii*; qui latinè. *Stationarius*, & *Mansionarius*; deque eo alibi in Notis ad antiquum Rituale Campanæ Ecclesiæ Cathedralis: nam alter personæ: alter domus custodiæ, & servitio invigilabat.

An. 875. Intraverunt Græci Barum, mense Decembri, die Natalis Domini, Feria 3. Restituo. *an. 876. Intraverunt*, &c. quo anno Christi Natalis incidit in Feriam. 3. Erchempertus Num. 38. ista aliquantò fusius, actaque dicit, non multò post quam Imp. Ludovicus Lotharii filius ex hac Cis Tyberina Italia ultimum discessit, decessitque qui in anno sanè obiit 875. Vide Chronol. Comitum Capuæ N. 5. par. 13. & 14.

Ann. 884. Ind. 2. surrexit Alo Princeps, mense Octobris. Si mense Octobris: ergo Indictione 3. quæ numerari cœpta ab antecedente Septembri. Sed non. *Alo*. nec Princeps Barii, ut autumant. Cujus Dynastiæ nomen sensim, & per tempora inductum Nortmannorum, serò Auctoribus expresse usurpatum legitur; ex alia nimirum panlò antiquiori nuncupatione *Ducis, & Principis Apuliæ, & Italiæ* natum, de quo nonnihil infra ad ann. 1042. sed uberius alibi: quandoque enim fuit Apuliæ caput Barium. Scribe igitur. *surrexit Ajo*: ille inquam, qui Princeps fuit Beneventi post Radelchim 2; de quo Erchempertus Num. 48. Ostiensis lib. 1. c. 45. aliique recentioribus etsi benè noti, parum tamen benè observati; quibus omni cessante argumento reputatus il-

le est Barensis. *Alo*. autem ex. *Ajo*. eodem factum est errore, quo in Anonymo Cassin. ad an. 1125. *Sulu*. pro *Suin*. oppidi nomen ad dexteram Lyris ripam à medicinalibus aquis clarum: & in Ostiensi lib. 1. cap. 17. & 18. *Calazzano*. pro *Cajazzano*. lib. 2. cap. 26. *Papinianus*. pro. *Papinianus*. lib. eod. cap. 72. *Decinlanum*. pro. *Decinianum*. & lib. 3. cap. 19. *Miulanensis*. pro. *Minianensis* quod etiam nomen restitui debet apud eundem Auctorem lib. 2. cap. 63. pro quo Editio Neapolitana habet. *Mutelanensis*: Veneta autem verò magis accedens. *Minlanensis*: antiqui enim Librarii minusculum. *i*. eadem altitudine, qua minusculum. *l*. depingentes, ansam errandi minus attentis lectoribus dedere; qui nihilominus hanc in iis differentiam servarunt: nempè parvulum. *l*. ab ima parte, ut modò etiam fit, leviter dextrorsum inflactentes.

An. 886. Facta fuit proditio in Baro mense Junii, quando Princeps fecit prælium cum Stratigo Trapezi, & Græcis. De hac proditione, ac Barensium rebellione Erchempertus num. 76. deque regione à Principe Beneventi Ajone tunc pervasa Cedrenus pag. 489; qui id refert ad ann. 2, Imperii Leonis 6. (hic fuit Christi 887.) eundemque Principem primitivo, ac desueto nomine apnellat *Ducem*, & depravatè *Angaum*. Certè in Lupo annus 886. vacillat. confert etiam Erchempertum dicto loco cum Chronico Comitum Capuæ Num. 9. Cæterum adversus Principem Ajonem missum ab Imperatore Constantinum, dignitate Patritium, idem Cedrenus Erchemperto concordans perhibet; quem Lupus à munere simul, & dignitate appellat Græco vocabulo. *Trapezim*. idest. *Dapiferum*. sic enim vertunt id verbi in Nicephoro Gregora lib. 7.

An. 890. Obiit Alo Princeps, & surrexit Ursus frater ejus. Idem hic est Ajo, de quo supra, Beneventi Princeps; post quem Ursus quidem surrexit, sed ejus filius, non frater. Vide Fragm. Anonymi Beneventani Num. 8. & Chronicon S. Sophiæ par. 2. num. 12.

An. 894. Exierunt Græci de Benevento mense Augusti per Francos. Nempè per Ducem Spoletii Guidonem. Quanto autem tempore Græci Beneventum, in anno à se persuasam 891. mense Octobris, obtinuerint, variant Anonymus Salern. par. 4. num. 4. & seqq. Ostiensis lib. 1. cap. 48. & Chron. S. Sophiæ par. 2. num. 13. & 15. Sed in hoc conveniunt, non minorem eis spatium tribuentes annorum quatuor. Igitur exierunt Græci in anno 895; de quo in Principum Beneventi Chronologia pluribus.

Ann. 912. Complentur ab obitu S. Martini anni 58. Suppleo Typographi defectum, scriboque *anni* 510. nam Lupus æque, ac Sigebertus Sancti Martini obitum ad Christi annum retulisse videtur 40?. Rigordus de gestis Philippi Augusti à cæteris omnibus absurdissime discrepans, quos vide apud Petavium inde Doctrina, & in Rationario temporum part. 2. lib. 4. cap. 12; fluxisse tradit ab Incarnatione Domini usque ad transitum S. Martini annos 445. à cujus morte Franci consueverunt tempora supputare, ut pridem observavit Baronius ad an. 351.

An. 913. Ind. 1. Coronatus est Constantius Imp. &c. Verè hic dictus est *Constantinus*, non *Constantius*. utriusque tamen nominis ob affinitatem sæpe invicem facta est confusio, quod docti viri notarunt: sicuti nomen quoque *Maximini* Imp. transivit in. *Maximiani*. in actis S. Barbaræ apud antiquum Capuæ Breviarium; ibique in Actis etiam legitur S. Rufini, Campanos aliquos Langobardos ejusdem Divi *Rufini* nomen cum nomine commutasse *S. Rufi*.

An. 916. Exierunt Agareni de Garigliano, & sunt anni 150. ex quo intraverunt Langobardi in Italiam. Sunt hæc invicem separanda. Agarenorum exterminatio de Gariglisno ad annum referenda est 915; de quo vide Seriem Abbatum Cassin. in Joanne. 1. Collectio autem annorum ab adventu gentis Langobardicæ figenda ad annum est 916: nempè juxta Lupi computum, quem pari calculo, ad an. 966. & ad ann. 1083 Langobardorum Epocham ad annum Christi retulisse volunt 566. Ibi tamen vide. & ad Anon. Cassin. ad an. 1172.

An. 916. Explentur 40. an. ex quo Agareni introjerunt in Italiam Otiosè repetitur annus Christi 916. nam Auctor antecedentem, præsentemque collectionem sub unico notaret contextu. Sed hæc summa annorum 40. neque ex vero, neque ad Lupi est mentem, qui dixerat, *Agarenos à Baro exiisse in an. 868*. Saraceni enim Barinm advenerunt in anno ferè 840. Erchempertum vide num. 16. Ignotum Cassin. num. 4. & quæ ibi notavi ad oram, ubi legendum. *An annos*, &c. ambiguè, & per interrogationem.

An 921. Interiit Ursileo Stratigo in prælio de Asculo, mense Aprilis, & apprehendit Pandulphum Apuleo. Si in prælio illo interiit Dux Græcus, certe *Landulfus* Princeps (nullus enim tunc in hac Cis Tyberina Italia vivebat *Pandulfus*) apprehendit, hoc est cepit Apuliam; nec ipse ab ignoto hoc *Apuleone* apprehensus, hoc est captivus factus est. Sanè Princeps Pandulfus, qui à Græcis tempore Imp. Othonis. 1. bello victus in illorum venit potestatem, ac duobus non integris annis in vinculis tentus est, de quo Anonymus Salern. part. 7. num. 4. & 6. cum hoc, sivè dicas *Landulfo*, sive *Pandulfo*. confundendus non est. Est autem de eo capiendns Cedrenus pag. 5?6; apud quem tamen depravatè appellatur. *Dandn ylbus*. & imperitè. *Rex*. eademque cum simul perhibeat Curopalates, eodem vitio laborat. Nec de alio Principe Luitprandus Ticinensis in Legatione; ubi perhibet, *Principem Landulfum septennio potestativè Apuliam sibi subjugasse*.

An. 926. Comprehendit Michael Selabus Sipontum mense Julii. Scriptus Codex Ducis Andriæ addit captam Sipontum *die Sanctæ Felicitatis, Feria* 2; quæ in Kalendariis notatur

tur 6. Idus Julii; verèque descripto anno dies illa in secundam incidit Feriam: quod noto, ut hinc constet, Lupum non semper in annis Christi ab aliis discrepare. Vide etiam hic ad annum 1051.

An. 927. Fuit excidium Tarenti patratum, &c. Hæc Marinus Freccia de Subfeudis lib. 1. cap. de Prov. & Civit. Regni, ut pleraque alia ex hoc Auctore mutuatus, in annum refert 928. Cujus Codices qua ipsius, qua Typographi incuria multis cum scateant mendis, cautè ad hanc Lupi censuram sunt adhibendi.

An. 929. Ind. 2. Pandulfus, & Guaimarius Principes intraverunt in Apuliam. Ista paulò fusius in Anonymo Salernitano inedito; apud quem non *Pandulfus*, sed ut dicebam. *Landulfus* Guaimario Principi Salernitano novo fœdere junctus, Apuliam iterum invasit: sive jam persuasam armis retinere studuit. Qui ab Imp. Leone VI. jam pridem in an 910. Patritiatus honore decoratus, cum ab Græcis, ut superius dictum est, in anno descivisset 921: iterum ad officium postea rediit; namque in Tabulario Campanæ Ecclesiæ S. Angeli in Formia data legitur antiqua chartula *in anno 26. Imp. Constantini, Principatus Landulfi anno 35; Atenulfi fratris 25. Atenulfi filii anno . . . . . . mense Aprilis, Indictione octava. Capuæ*. quæ de anno est Christi 935; consimilesque alias plures observare est per subsequentes annos ad annum usque 30. *Imp. Constantini*; 40. *Landulfi*; 30. *Atenulfi ejus fratris*; 7. *Atenulfi filii* (scribo 8.) 1. *Landulfi filii superius dicti Landulfi, mense Febr. Ind. 13*: hoc est ad annum Christi 940; quo anno iterum ad arma Græci, ac Langobardi redierunt, ut infra ex Lupo.

Ann. 940. Factum est prælium in Matera à Græcis cum Langobardis cum Stratigo Imogalapto, & negavit eum Pao in mari. Fuerit nè Græci hujus Ducis nomen ex nomine ductum *Omogalactos*: sive dicas agnomen; quod valet. *Collactaneus*. non definio. At illud. *negavit*. vel stat pro. *necavit*: promiscua enim fuere elementa. *c*. & . *g*. ut in *Sico*. & *Sigo*. *Acerentia*, & *Agerentia*. &c. de quo alibi: vel stat pro. *in aquis necare*, & *submergere*. Leges Alamannorum Tit. 84. §. 3. *si quis aliquam clausuram in aquam fecerit, & ipsa aqua inflaverit, & ibi alicujus pecus negaverit*. &c. sed ibi intransitivè. Pao autem quisquis ille, si modò sincera ea est lectio, Strategum videtur necasse. De Langobardis nil certi statuo, copiæ ne illæ fuerint præfati Principis Landulfi, an Salernitani Principis Gisulfi, qui ætate triennis Guaimario 2. patri successerat in anno 913. sub tutore Prisco. Sed vide an ad hos referas annos, quæ Luitprandus lib. 4. cap. 4. Sanè antiqua Chartula apud nostri Michaelis Monachi Sanctuarium pag. 634. data legitur *anno 33. Imp. Constantini*; 43. *Principatus Landulfi* (scribendum 41.) 9. *Atenulfi ejus filii*. & 2. *Landulfi alterius filii prædicti Landulfi. mense Magio, indict. 14*; quæ de anno est Christi 941. Illa igitur ætate nostrates Principe Langobardi varia usi fortuna, modò Græcis hostes, modo obnoxii fuere: nunquam tamen ditionem universam amiserunt. Idem Luitprandus in Legatione Imperatorem Nicephorum, sibi exprobrasse ait, quod *Principum Capuæ, & Beneventi Patres, & Avi suo Imperio tributa persolverint*. Nec doctissimo assentior Baronio, qui in Annal. ad an. 942. num. 11. *eo tempore*, inquit, *Constantinopolitanos potitos esse Calabria, Apulia, atque ea Campaniæ parte, quam Volturnus alluit, posita antea sub ditione Ducum Langobardorum Beneventi, & Capuæ*. Pro me certè ipsum stat Privilegium ab eodem Baronio ibidem ex Chronico S. Vincentii ad Fontes Volturni relatum; quo Impp. Romanus, & Constantinus *die 2. Aprilis Indict. 15*. (hic est annus Christi 942.) *indulsere præfatæ Ecclesiæ, & Monasteriis, quæ sub ea sunt mansione, ut excusaretur ab omni tentatione* (scribo. *datione*.) *angaria publica, & ab ipsis Patritiis, & Strategis Græcorum*. &c. *Insuper ab ipsis Langobardis Patritiis, Castaldeis, vel ab omni homine Græco, & Langobardo, cui creditur servitium publicum*. Patritiorum Langobardorum appellatione nostrates certè veniunt Principes, ea tunc dignitate, dum Græcis parebant, decorati. Quod cum dicam, minimè tamen Beneventanos Dynastas, nec Salernitanos omnem tunc retinuisse antiquam ditionem pronuncio, de quibus alibi fusè.

An 942. Obiit Pandulfus Princeps die 10. mensis Aprilis. Editus Codex suæ insistit lectioni, ego meæ. & insuper scribo. *An. 943. obiit Landulfus*. &c. nam de hoc Principe ad annum usque 43. *ejus Principatus*, 3. *Kal Februarii*, *Indictione* 1. qui fuit Christi jam dictus annus 943. mentionem in Chartulis legi, ulterius verò nullam.

An. 945. Ind. 3. ceciderunt Romanus, & Ubo mense Decembri. Horum alter Græcorum Imp; alter Rex Italiæ, quorum obitus ad unum referri non debuit annum. Cecidit Romanus anno 944. mense Decembri, Indictione 3. inchoata. *Ubo*, sive *Ugo*, vel *Uvo*, nam idem, in anno sequenti; licet alii illum defunctum dicant aliquanto post. *Ubo* autem, ut dixi, & *Uvo*, & *Ugo* ob literarum. *b*. *u*. & *g*. affinitatem idem valent. In Catalogo Pontificum Romanorum in M. S Cod. S. Mariæ Monialium Capuæ in Euthiciano. *Iste constituit fruges super Altare tantum Favæ, & Ube benedicerentur*. pro. *Fabæ*. & *Uvæ*. In Actis S. Sebastiani Martyris apud Campanum Breviarium *Lucina Matrona religiosissima* ex viso monita *levans eum, posuit in Pavone suo*. Glossis Isidori. *Pavo*. dicitur. *Pabo*, quod esse interpretatur. *Vehiculum unius rotæ*. pro quo non oportebat substituere. *posuit in Pilento suo*. Sicuti nec mutandum ibidem fuit. *adduxit ad domum suam per scalam excelsam*. pro *add. in dom. suam in insula excelsa*, *ubi manebat in Palatio*. Nec in *Hippodromum* Palatii pro in *Epidromum*. nec tandem. *pendens in unco*: pro. *pendens in gonphos* sive. *gompho*. hoc est *Clavo*.

quæ

quę ſinceræ erant antiquorū omnium Codicū lectiones. *Epidromus* ſanè, ſive. *Hypodromus.* longe aliud ab *Hippodromo*: diſparitatem obſervavit Sirmondus ad Sidonium, & ex eo La Gerda in Adverſ. Sacriſ. De ejuſmodi conſimili Porticu, quæ locus facta eſt tormentorum, Syneſius epiſt. 57. & Suidas ubi de Menandro Protectore. In Palatio autem, ſcilicet in Romanæ Urbis decima regione, hoc appellata vocabulo, Inſulas fuiſſe duo millia ſexcentum quadraginta quatuor, P. Victor auctor eſt. Sed hæc obiter.

An. 956. *Incenſi ſunt Murancius Cleri, & Excelſula in Baro.* Melior videtur lectio in Cod. Ducis Andriæ. *Marraccius de Cremero, & Feſulus.* &c. Freccia id figit ad an. 966; ſed ex Typographi vitio; atque cum Indictione componit 14; quæ in annum incidit 956. combuſtos dicens Barii Marancium, & Theſulum magnos Duces.

An. 965. *Introivit Manuyci Patritius in Siciliam, & ibi mortuus eſt.* Cod. Andr. habet. *Manuel.* à quo ſtat etiam Cedrenus pag. 539.

An. 966. *Introivit Nichiphorus Magiſter in Civitatem Bari. & ſunt anni 400. ex quo introjerunt Langobardi in Italiam.*] *Nicephorus* iſte in vita B. Nili è Græco in latinum verſa ab Cariophylo. *Magiſter.* (honoris, & muneris id nomen) dictus etiam reperitur; *qui regebat utramque Provinciam, Italiam, & Calabriam noſtram* (ſic ibi) cumque *Chelandia* (navigia ſunt) fabricari feciſſet, inceuſa ſunt a Roſſanenſibus, qui B. Nili interceſſione vindictam effugerunt. Lupus autem tum hoc loco, tum ſupra ad ann. 916, tum tandem infra ad ann. 1083. conſtanti, eademque perverſa ſententia Epocham Langobardorum ad annum ſtatuiſſe videtur Chriſti 566; nam conſtat ex Paulo Diac. lib. 1. cap 6. ſive 7. Alboinum illorum Regem è Pannonia cum omni ſuo Populo egreſſum, Italicum iter arripuiſſe menſe Aprili, *per Indictionem primam, alio die poſt ſanctum Paſcha; cujus feſtivitas eo anno, juxta calculi rationem, ipſis Kal. Aprilibus fuit; cum jam à Domini incarnatione anni quingenti ſexaginta octo eſſent evoluti.* Hæc Paulus, tempora peritè conſignans. Verumtamen alia quadam interpretatione Lupi verba eſſe excipienda, ejuſque textum in annorum numeris depravatum haberi, dicam ad an. 1083.

An. 967. *Deſcendit Otho Rex, & ſenex, pater Othonis Regis, qui pugnavit cum Bulcaſſimo Saracenorum Rege, & interfecit eum.* Codex Andr. addit. *& in eo prælio perierunt 40. millia hominum.* Utraque autem ſimul juncta Editus Lupi Codex iterat ad an. 981. de quo etiam dixi in Hiſtoria Principum Langobardorum pag. 221. ſed ibi, nè textum ad meæ ſententiæ præſidium, quam tunc firmare conabar, videret caſtigare, indefinitum manere volui, ad quem annum hæc ſint abſolutè referenda: modò cum conſtet, tum ex ibidem, tum ex dictis in Serie Abb. Caſſinenſium, ubi de Aligerno, Othonem 2. à Lupo appellatum *ſenem.* ad diſcrimen Othonis 3; qui *puer* dictus eſt, verè in anno 981. cum Saracenis in Calabria proſperè conflixiſſe: cumque in omnibus antiquis monumentis nulla de altero, anteriorique illo conflictu ſit mentio, nec de adventu quidem ipſius Imperatoris in hanc Cis Tyberinam Italiam ante annum 968, delenda hæc prorſus eſſe, tamquam loco non ſuo poſita, conſtanter pronuncio.

An. 986. *Comprehenderunt Saraceni Sanctam Chiriachi Civitatem.* Conſtantinus Porphyrog. De Them. lib. 2. Them. 10. oppidulum nomine dicit. *Sanctæ Cyriacæ.* ſcribendum igitur in Lupo. *Sanctæ Cyriacæ Civitatem.*

An. 987. *occiſus eſt Sergius Protoſpata à Barenſibus menſe Februarii.* &c. Freccia addit. *Indictione 5. die 15. Februarii.*

An. 994. *Obſeſſa eſt Matera à Saracenis.* &c. Freccia hoc ad an. refert 996.

An. 997. *Occiſus eſt Marcho Theodorus Excubitus.* &c Latinè. *Excubitor.* ſed populari tunc ſermone. *Eſcubito*: unde in latinam formam. *Excubitus*: ſed non latinè. Nec aliter leges ad an. 990. & 1017 ubi depravatè. *Exubitus.* muneris nomen in Aula Græci Imperatoris, de quo frequens mentio in Hiſtoria Miſcella, & apud alios. id valet, quod. *corporis cuſtos.* & *vigil.* in quo munere plures ſimul erant, unde. *Comes Excubitorum.* Et apud Conſtant. Porph. De Them. l. 1. Th. 12. *Præfectus Regii agminis, quod excubitorum dicitur.*

An. 998. *Venit Buſitus.* &c. *Et prædictus Smaragdus Eques intravit Barum per vim à Porta Occidentali, & exiit iterum.* &c. Freccia ſic. *Indictione 11.* (ſcribe 12.) *Smaragdus vi per Portam Orientalem ingreſſus eſt Barim, & cognitis inſidiis, receſſit.*

An. 999 *Deſcendit Trachamotus Catapanus.* &c. Codex Andr. *Tratamorus.* Freccia. *Drachamotus.*

An. 1002. *Obſedit Saphi Caytus Barum 2. Maii uſque ad S. Lucam menſe Octobris: tunc liberata eſt per Petrum Ducem Veneticorum.* Freccia. *& auxilio Petri, dicti Bonæ memorię liberata eſt.* ſic etiam Codex Andr. Eſt autem *Caytus.* ſive. *Gaytus.* militaris muneris nomen apud Saracenos. Idem Lupus ad an. 972. *Caytus eorum Bucobulus vocabatur.* & apud Ugonem Falcandum ſæpe. eſtque hoc *Saphi* nomen hic reſtituendum ad an. 1009. ubi modo legitur. *Cayti Sati.* Cæterum *Kayſus.* in Hiſt. Nonnoſi apud Photium proprio nomine ſic dictus vir fuit Princeps Saracenorum.

An. 1006. *Deſcendit Xyphea Catapanus menſe Julii.* Freccia habet. *Siphea Catapanus capta Apulia, Bari obiit.* Sed de ejus obitu Lupus anno ſequenti. Codex Andr. *Deſcendit in Apuliam Xyphea.* &c.

An. 1008. *Deſcendit Curcua Patritius menſe Maii.* Non de hoc Curcua Cedrenus pag. 558. multo minus pag. 516. & 519. ubi de tertio quodam, & utroque antiquiori Joanne Curcua, de quo etiam Conſtantinus Porph. de Adm. Imp. cap. 45. Fortè hic noſter ex illorum gente.

An. 1010. ex Cod. Andr. *Baſilius Catapanus*

nus Barinm obsidione cinxit à die 11. *Aprilis usque ad* 11. *Junii*, *& cepit eam cum quibusdam conditionibus*. Freccia hæc ad annum notat 1013. his verbis. *Die* 11. *Aprilis obsessa Bari à Basilio Catapano*, *& habita ca pacifice*, *facta est sedes magnorum virorum Græcorum*.

An. 1017. *Obiit Butunti*, &c. *Leo Patianus Exubitus*. &c Lege. *Excubitus*. ut sup. ad an. 997. qui Guillelmo Apulo lib. 1. proprio nomine dicitur. *Pacianus*.

An. 1018. *Indict.* 1. *Descendic Basilius Catapanus*, *qui & Bugianus*. &c *Bugianus* hic, & infra est Lupo, qui Ostiensi lib. 2. cap. 37. 38. 50. & 51. *Bolanus*. & in manu exarato exemplari tum. *Bobanus*; tum *Bojanus*. Guillelmo Apulo. lib. 1. *Bagianus*.

An. 1024. *Factum est signum*, &c *in* 5. *die Paschæ*. &c. Freccia. *in die Sancto Paschæ*.

An. 1027. ex Cod Andr. *Despotus Nicus*. &c. *& Basilius Imp. obiit anno secundo* & infra. *Jam verò Basilius viveni renuntiavit Imperio*, *sibi substituens Romanum*, *cui uxorem dedit Zoam*, *filiam suam*. Igitur utrobique scribendum. *Constantinus*. non. *Basilius*. quod clarum vel ex ipsomet Lupo ad an. 1029. quo sanè anno, sive extremo anno antecedenti Constantinus iste obiit, suffecto sibi Romano. &c.

An. 1028. *Descendit Oresti* &c *Et factus est Bisancius Archiepiscopus*. Infra ad ann. 1035. *Byzantius*. & ad an. 1071. vir alter cognominis *Bysantius*.

An. 1029. *Venit Eustachius*, &c. Ex Cod. Andr. *Et hoc anno obiit Guaimarius Salerni Princeps*. At hujus Guaimarii obitus in annum incidit 1031. quod ex Salernitanorum PP. constat Chronologia. Igitur vel luxatus censendus est Lupi textus in Codice illo; vel ejusmodi notula ad oram Autographi, sive alterius antiqui exemplaris primum depicta, quæ ad annum 1031. erat referenda, in textum demum illata, ac loco est descripta non suo. Sic quoque pari errore, & anticipatione etiam pari altera notula obitum ex eodem Codice demonstrans Imp. Constantini, toto biennio, ut prædixi, veram præit temporis cationem.

An. 1033. *Indict.* 1. *die* 1. *mensis Maii descendit Constantinus Protospata*, *qui & Opo vocabatur*, *Catapanus Italiæ*. Hic dictus videtur. *Leo Opus*. Cedreno pag. 604. & 610. De nominis *Italiæ* usurpatione, qua Opo appellatur *Italiæ Catapanus* vide infra ad an. 1042. & 1083.

An. 1038 *Descendit Michael* Patritius, *& Dux*, *qui & Sphrondyli vocabatur*, *& transfretavit cum Maniachi* Patritio *in Siciliam*. Ostiensis lib. 2. cap. 67. præsens *Maniachi* est. *Moniacus*. Sed Ganfredo Malat. lib. 1. cap. 7. *Maniacus*. Cedreno pag. 623. *Georgius Maniaces*. At Michael ille priori loco demonstratus, tu vide an dicendus. *Sphondylus*. quod latinè sonat. *Verticillus*. cognomen viro, forte, natum à pedum pernicitate, & quod mentis quadam velut vertigine actus, diutius uno haud consisteret in loco. Hac certè de causa vir ille, Campanus civis, è Pago *Le Carte*. Vincentius in Hist. Pauli Jovii lib. 26. clarus ob servatam suis latrociniis à fame Neapolim ab Odecto Fuxio Lautreco obsessam in an. 1528. *Verticillus* dictus est: nominis occasionem latius tradente Leonardo Sanctorio Casertano in Hist. sui temporis inedita.

An. 1039. *Mense Februarii descendit Nichiphorus Catapanus*, *qui & Dulchianus dicebatur*. Melior lectio Codicis Andr. quæ Nicephorum à Dulchiano distinguit, illius obitum ad jam dictum notans annum, & diem 11. Januarii: & ad an. 1041. *descensum*, sive adventum *Michaelis Protospatarii è Sicilia in Lombardiam*, *& inde in Apuliam*, *qui etiam Dulchianus vocabatur*. Hic absolute dicitur. *Dulcianus* Ostiensi lib. 2. cap. 67. *Michael Protospatharius Doceanus* Cedreno pag. 623. *Michael Dochianus* Guillelmo Apulo lib. 1. Quem è Sicilia in Lombardiam transfretasse, sic accipe, ut de Lombardia id dictum capias eadem acceptione, qua ipse etiam Lupus in Cod. Andr. ad an. 1010. dixerat, *Lombardiam*, hoc est *Apuliam rebellasse à Cæsare*, *opera Meli Ducis*. Et apud Ostiensem lib. 2. cap. 2. *Marianus* quidam *Imperialis Anthipatus*, *Patritius & Stratigi Calabriæ*, *atque Langobardiæ*, *sigillum fecit Aligerno Abbati Cassinensi*. &c. de cujus nominis usurpatione alibi pluribus; quam non advertens Lupi librarius, deque Lombardia SubAlpina illum locutum reputans, glossulam hanc addidit. *& inde in Apuliam*; quod nempè vidisset Dulchiano deinde in Apulia rem fuisse: quæ vacat.

An. 1040. *Prædictus Dulchianus excussit Contractos de Apulia*; &c. Hæc in annum referenda videntur 1041; quo è Sicilia Dulchianum advenisse, jam dictum est. At *Contractos* Antonius Caracciolus Clericus Regularis tum generis claritate, tum eruditione præsignis, dictos putat depravatè pro. *Contragos*; Theophanemque, sive Historiam dicas Miscellam Auctorem pro se laudat lib. 19. in qua sanè de Bulgaria magna, & Contragis supra Meotides Paludes habitantibus. At qua occasione ad nos longissimè ab eis dissitos, quovè itinere ultimis his temporibus pervenerit gens, alias quoque huc progressa, quæ nobiscum mansit sub ætate Beneventani Ducis Romualdi, de quo in *Dissertationibus de Finibus Ducatus Beneventani ad Orientem*, *& ad Septemtrionem*, nil Caracciolus. An auxiliares Græcorum fuerant, sicut *Ossacani*, & *Russi*; de quibus Lupus ad an. 1041. ex Cod. Andr.

An. 1041. *Descendit Dulchianus à Sicilia*, *ivitque Asculum*; *& mense Martii Arduinus Lambardus convocavit Normannos*. &c. Ostiensis lib. 2. cap. 67. *Arduinus quidam Lombardus*, *de famulis scilicet Sancti Ambrosii*. &c. hoc est, ut tunc etiam dicebant; *de familia Archiepiscopi Mediolanensis*. Anastasius Bibl. in Silverio. *Eodem tempore tanta fames fuit per universum mundum*, *ut Dacius Episcopus Civitatis Mediolanensis relatione sua hoc eviden-*

ter narraverit; quod in partibus Liguriæ mulieres filios suos comedissent penur a famis, quas retulit ex Ecclesiæ sua fuisse familia. Vide Sigonium de Reg. Ital. lib. 7. ubi de Othone. I. Arduinus autem ille Lombardus, ac Insuber, sive *Ligur* (nam in *Liguria* Mediolanum aliquando, ut dicam ad Anonymum Cassinensem anno 1135.) Guillelmo Apulo lib. 1. *Harduynus*: Gaufredo autem Malaterræ lib. 1. c. 8. dicitur. *Arduinus Italus*.

An. 1041. ex Cod. Andr. *Michael Protospatarius.* &c. *isque jussit suspendi cives quatuor Barenses.* Falsò Freccia *cives omnes*.

An. 1042. *Venit ...... mense Augusto, fecitque bellum cum Normannis.* &c *& mense Februarii factus est Argyrus Barensis Princeps, & Dux Italiæ.* Græcum Patritium, qui in prælio captus est, appellat *Bojoannem* Cedrenus pag. 623. & 624. Sed Guillelmus Apulus lib. 1. & Ostiensi lib. 2. cap. 67. *Exaugustum*: cognomine ex occasione, fortè, illi imposito. At à Lupo cum vides, Barensem Argirum hoc loco appellatum *Principem, & Ducem Italiæ*; & infra ad an. 1051. absolutè. *Ducem* femina hinc agnoscere poteris Barensis Principatus; de quo plenè alibi; ibique simul exponam, *Italia* nomine apud eundem Auctorem, aliosque plures ipsius æquales, haud omnem duplici mari, & Alpibus clausam demonstrari Italiam; sed *Apuliam*, cujus Barium tunc fuit caput; quandoque *Italiam* dumtaxat *Cis Tyberinam*: quam nimirum acceptione *Rogerius*, & uterque *Guillelmus*, *Rex Siciliæ, & Italiæ*, ignota aliis, diuque frustra hujusmodi nuncupationis ratione quæsita, multotiens dictus reperitur. Certè *Italiæ* vocabulo in Vita B. Nili verbis relatis ad ann. 966. *Apulia*, Græcis tunc possessa, denotatur: & Lupo metipsi ad an. 1033. & 1051. quem confer cum Ostiensi l. 3. cap. 10. initio. Et me vide infra ad Falconem Benev.

Ann. 1046. *Perrexit Argyrus*, &c. *Et hoc anno venit Conus Rex Alemannorum Romam.* &c. Ostiensi lib. 2. cap. 57. *Conus* est pater hujus Regis; qui cap. 78. & 79. hæc refert in an. 1047.

An. 1053. *in Feria 6. mense Junii Normanni fecerunt bellum cum Alemannis.* Die scilicet 18. præfati mensis; ut tradit Hermannus Contractus in Chron; quæ verè hoc anno in sextam incidit Feriam. Lupus igitur non semel communem Christi Aerem tenuit. Sed vide an. 1082. & 1083.

An. 1055. *Cæpit regnare Regina.* &c. *Et Umfreda obiit; & Robertus frater ejus factus est Dux.* &c. Supra ad an. 1051. *Umfredus.* infra ad an. 1079. *Filius Umfredæ*: nempè cum vulgò hujus viri nomen efferetur. *Umfreda*; latinè dicebatur. *Umfredus*; quæ varietas etiam in Chartulis antiquis inspicitur; in quibus insuper tum ipse, tum Drogo ejus frater, & antecessor, *Ducis* titulo, & simul *Comitis* insignitus legitur. Hoc autem noto, nè falso dici putes, Robertum factum *Ducem* post Umfredi mortem, quem Ostiensis lib. 3. c. 16. *Ducem* cœpisse appellari perhibet post captam Rhegium Urbem, nam uterque benè; Ostiensis enim solemnem inaugurationem denotavit, de qua etiam Gaufredus Malaterra lib. 1. cap. 36. & Guillelmus Apulus lib. 2. Lupus verò, & Chartulæ vulgi consuetudinem, qua primi Nortmannorum ductore promiscuè *Comites*, *Ducesque* dici consueverunt. Eademque varietate idem Lupus ad ann. 1064. Robertum *Comitem*, non *Ducem* nuncupavit; fuere enim *Comites* Drogo, aliique ex gentis institutione, de qua Ostiensis lib. 2. cap. 67. *Duces* autem ex usurpatione, & ad exemplum Apuliensium, qui suos Præfectos dixere quoque *Duces*; unde in hoc Lupi Chronico ad ann. 1042. *Argyrus* Dux *Italiæ*.

An 1059. *Mortuus est Bringa Imp. & Isachius Oconnus factus est Imperator.* Scribendum. *Isacius Comnenus.* De annis autem Imperatorum nil dico, quia non semper ex librariorum culpa, quorum menda mens est castigare, varius ab aliis videtur Lupus.

An. 1062. *Factus est Papa Alexander Lucanus.* &c. Alexander hujus nominis secundus, patria Mediolanensis, Urbis Lucæ fuerat Episcopus, unde latinè exit. *Lucensis*; nam *Lucanus* è *Lucania* fit regione. Sed hic Græcismus est, ut etiam apud Agathiam lib. 1. ad finem his *Lucani*; Etsi Cluverius in Ant. Ital. lib. 2. cap. 3. vult utrobique legendum *Lucani*. quod tamen, se fatente ubi de Minturnis, Romano ore sonat. *Lucani*.

An. 1069. *mense Septembris prædictus* Dux (Robertus) *obsedit Barum, & Romanus Diogenes* &c. *comprehensus, & excæcatus est.* Freccia obsessam Barium dicit in an. 1064. Gaufredus Malaterra lib. 2. cap. 40. in ann. 1067. quo sanè anno id oportet contigisse, si vera sint, quæ de Barensis obsidionis intervallo tradidit Guillelmus Apulus inferius producendus. Romanum autem Diogenem non hoc; neque sequenti anno comprehensum volunt; sed in an. 1071; de quo nil statuo, ex causa paulò antè exposita.

An. 1071. *Robertus* Dux. &c. *& 15. Aprilis cepit Robertus* Dux *Civitatem Bari.* &c. Gaufredus Malaterra lib. 2. cap. 43. Barium à Duce Roberto captam dicit in an. 1070. qui obsessam dixerat in an. 1067. Et sanè integro triennio (quadriennio circiter Ostiensis lib. 3. cap. 15.) ad eam subigendam insudatum, tradit etiam Guillelmus Apulus lib. 3. Lupi quidem sive lectio, sive sententia ex hoc quoque capite vacillat; quod in anno 1071, quando dedicata est Cassinensis major Ecclesia, Dux Robertus, ut Ostiensis auctor est lib. 3. cap. 30, Panormum oppugnabat: Barii autem deditionem Panormitanam expugnationem præcessisse, idem Ostiensis jam dicto lib. 3. cap. 16. Gaufredus Malat. lib. 2. cap. 45. & Guillelmus Apulus lib. 3. exponunt; *atque Gaufredus expressè captam Panormum* dicit in an. 1071. Lupus tamen, sibi constans, in an. 1072.

An. 1077. *Obsessa est Civitas Salerni à Roberto Duce Normanno, & comprehensa est ab eo.*

eo. Variant Auctores de anno captæ à Roberto Salernitanæ Urbis, quorum sententiæ in Chronologia Principum ejusdem Urbis ex professo erunt mihi examinandæ. Dicam nunc, sive Lupum hallucinatum, sive ipsius librarium; namque alteruter nimis etiam serò captam ponit, ut jam declaravi, Panormum.

Ann. 1078. *Ind.* 1. *obsessa est Neapolis à Richardo Principe, & minimè comprehensa. Et Robertus Dux obsedit Beneventum; sed ejus obsidio dissipata est à Rodulpho Pipino Comite. Et hoc anno obiit prædictus Richardus Princeps.* Minimè Princeps Capuæ Richardus eodem anno, quo Neapolim obsedit, vita functus est; sed Neapolim aggressus initio mensis Maii, anno 1077. obiit quinta feria Cœnæ Domini, anno 1078: hoc est Nonis Aprilis; de quibus alibi fusè. Pro me certè stant tum alia monumenta, tum Anonymus Cassinensis, consueta nimirum cautione capiendus, quam exposui in Serie Abbatum Cassinensium in Theobaldo. Nec annus firmatæ Beneventanæ obsidionis cum anno confundendus est disjectæ; quos distinguit Petrus Diac. in Auctario ad Ostiensem lib. 3. cap. 44; perhibens insuper Principem Capuæ Jordanum, qui Richardo patri successerat in mense Aprilis, castra à Duce Roberto in Beneventum metata dissipasse; conspirantibus cum illo universis Comitibus Apuliæ. Lupum tamen mendacii non arguo, quod Rodulfum Pipinum, aliis *Rainulfum*, hujus dissolutæ obsidionis faciat auctorem; nam cum Jordano Rainulfum ejus patruum in Robertum hoc tempore conjurasse, Guillelmus Apulus lib. 3. tradit. Sed Petrus Diac. Jordano rem omnem adscribit, quia ille dignitate major: Lupus Rainulfo, quia hic ætate, & consilio. Chronicon autem S. Sophiæ par. 3. num. 14. nullo pacto conciliari Petro valet, in quo habetur, Robertum è Beneventana obsidione expulsum 6. *Id. April. Ind.* 1. hoc est triduo post obitum Principis Richardi; qua die Pascha dicto anno 1078. est celebratum. Romualdus Sal. neutri, nec Lupo in omnibus concordat.

Ann. 1082. *Hoc anno complentur ab initio Mundi* 6281. *ab Urbe Condita* 824. &c. In consignandis annis Mundi Lupus secutus est Eusebium Cæsariensem, Christi Natalem ad annum Mundi referentem 5199. qui cum adnotato Christi anno 1082. jam dictam summam conficit annorum 6281. Anni verò Urbis conditæ diminuti admodum sunt in Lupo ob librarii incuriam, qui antiquas numerales notas in prisco exemplari repræsentatas hac forma. *MDCCCXXXIV.* ac præ antiquitate, forte, exoletas, interpretatus est. *DCCCXXIV.* recentioribusque notis reddidit. 824. Sanè Lupus in hac, quam dico, summa annorum 1834. Christi Natalem ad annum Urbis statuisse videtur 752. cujus sententiæ plerique etiam inter antiquos fuere Auctores.

An. 1083. *Hoc anno complentur* 517. *anni, ex quo intraverunt Langobardi in Italiam. Et cyclus Solaris* 28. &c. *Et cyclus novennalis primus, & epacta Luna....* &c. Annum Christi 1083. certis, & sine errore characteribus consignat. Legendum tamen. *Cyclus decem novennalis primus*, & *epacta Lunæ* 11. Quo anno completos cum dicat ab ingressu Langobardorum in Italiam annos 517, constantissimè illorum Epocham ad annum statuit Christi 566; sicut etiam fecit ad an. 9 6. & 966. quæ statuenda fuerat ad ann. 568. At Lupus appellatione *Italiæ*, ut dixi ad an. 1042. *Apuliam* solet demonstrare; quam sanè Beneventani Langobardi sub Duce Romualdo, ut Paulus Diac. perhibet lib. 6. cap. 1. primum invasere, cæso apud Siciliam à suis Imperatore Constantio in anno 668, qui Lupo fuit annus 666, juxta eandem nimirum supputationem, qua prædictus annus 568. illi fuit 566. Hac igitur mente Lupus cum in anno 1083. exactos scripsisset ab Langobardorum adventu in Italiam annos 417: in anno 966. annos 300: in anno 916. annos 250: novitius librarius, cui communis tantum præfatæ gentis in Italiam accessus, communisque ac protrita vocabuli *Italiæ* acceptio, nec alia erat nota, censorem agens, centenarium addidit, annosque 417. reddit 517; annos 300. fecit 400; annos verò 250. ad 350. produxit; ac juxta suum captum illo etiam priori in loco ad annum 916. *Alboini Regis* pro *Romualdi Ducis* substituit nomen.

An. 1088 *mense Septembris factum est grandis terremotus per totam Apuliam, ita ut in quibusdam locis Turres, & domus ruisse ferantur.* &c. En ætas Auctoris, quam pinguior in his annis detegit etiam ejus stylus. *Cæterum Lupus præsenti anno captas quoque Syracusas tradit à Comite Siciliæ Rogerio*: sed Gaufredus Malat. lib. 4. cap. 2. id rejicit in annum 1085; qui lib. 3. cap 41. annum quoque obitus Ducis Roberti anticipavit, defunctum illum perhibens in anno 1084; *nec dum à Rogerio receptis Syracusis.*

An. 1089. *Facta est Synodus omnium Apuliensium, Calabrorum, ac Brutiorum Episcoporum in Civitate Melfiæ,* &c. *In qua statutum est, ut Sancta Trevia retineretur ab omnibus subjectis.* &c. Baronius Concilium Melfitanum ad annum figit 1090. Romualdi Salernitani Chronicon laudans; cujus sunt verba. *Anno Dominicæ Incarnat.* 1090. *Indictione* 13. *Mense Septembris, Urbanus Papa Synodum celebravit in Civitate Melfiæ; in qua Rogerius Dux ligius ejus homo effectus.* &c. de mense acti Concilii concordat Joannes Archidiaconus Barensis apud eundem Baronium ad ann. 1091. num. 14. *Electo*, inquit, *Elia in Archiepiscopum Barii voluntate, atque consensu Ducis Rogerii, filii Ducis Roberti, Melfiam Papam Urbanum adivimus, qui ibidem Synodum celebrabat mense Septembri; quem rogavimus, ut usque Barum descenderet, prædictumque consecraret Eliam in Archiepiscopatus honorem, Domino Boamundo eundem Papam nobiscum deprecante, qui eo tempore Barum jam suo tene-*

ne-

nebat sub dominio. &c. Et Eliam in Archiepiscopum ordinatum constat ab Urbano *in anno* 2. *sui Pontificatus, Christi* 1089. *Indict.* 13. *die* 9. *Octobris*: Baronio metipso Bullam consecrationis referente ad annum modò dictum num. 5. & seqq. Lupus igitur rei gestæ æqualis Melfitanam Synodum ritè in annum refert 1089: imperitè Romualdus ad ann. 1090. qui integro ferè seculo posterior fuit. Verum ex librarii id accidisse culpa, non dubito, qui unitatis notam detraxit, annosque à Romualdo descriptos *MLXXXIX*: reddidit. *MXC*, sicuti ex adjecta liquet Indictione 13, cœpta numerari à mense Septembri, quo Synodus Melfitana est celebrata. Trojanum autem Concilium à Petro Diac. memoratum lib. 4. cap. 7. (ni hoc sit illud ipsum, quod idem Romualdus ibidem actum notat in anno 1093.) dicendum hinc est, ab Urbano coactum in anno antecedenti; alterutroque in anno eundem Pontificem *ad Comitem Siciliæ Rogerium accessisse*, de quo Gaufredus Malaterra lib. 4. cap. 13. nil verò Baronius. At quod Lupus habet de *Trevia*, sive pace, & induciis in Melfitana Synodo statutis, nescio an id capiam de inita tunc concordia, ac fœdere inter Apuliæ Ducem Rogerium, ejusque fratrem Boamundum, inter quos idem Auctor, adstipulatorem habens Romualdum, exortum, cœptumque dixerat bellum in anno 1088. Gaufredus sanè lib. 4. cap. 10. conciliatos fratres ait post biennii dissensionem, non tamen post annum 1086. Joannes Archidiaconus verbis supra relatis illos concordes fuisse innuit tempore Melfitanæ Synodi, tradens Boamundum sub suo dominio tunc Barium habuisse: quam ipse ex novi fœderis lege obtinuit, ut idem perhibet Gaufredus loco jam dicto.

An. 1091. *Jurata est à Normannis Trevia Dei.* Ex Cod. Andr. *Et finiunt ab O. C. anni* 6191. *Epacta* 19. Postquam Dux Rogerius cum fratre concordaverat Boamundo, nulla inter Nortmannos nova emerserant adhuc bella. Trevia igitur ista iteratò inita an vacet, exque notula ad libri ora depicta in textum immigraverit, velim, Lector, expendas; qui facilè advertere etiam potes, annum Christi 1091. cum anno Orbis Conditi concurrere 6590; quo anno Epacta fuit 9; nam salutis annus 1082, ut Lupum supputasse vidimus, fuit mundi 6181.

An. 1096. *Rogerius Comes Siciliæ cum* 20. *mil. Saracenorum, & cum innumera multitudine aliarum gentium; & universi Comites Apuliæ obsiderunt Amalphim. & cum ibi perseverarent, subito inspiratione Dei Boamundus cum aliis Comitibus*, &c. *reliquerunt obsidionem. & transfretantes perrexerunt in Regiam Urbem.* &c. Petrus Diac. lib. 4. cap. 11. Boamundum tunc fuisse dicit *una cum patruo suo Comite Rogerio in expeditione in partes Campaniæ*; cui vir magnus Baronius inhæret, deque Capua tunc in deditionem accepta ab utroque Rogerio, & à Principe Richardo 2. illum capit. Neutri ego assentior; nam pro Lupo stat Petrus Tudebodus in Hist. de Hierosolymitano itinere lib. 1: itemque Gaufredus Malaterra lib. 4. cap. 24, *qui Malphi*, & *Malfam*, pro *Amalfiam* dicunt; nam utroque modo efferebatur id nomen; remque minutius Gaufredus enarrat, deque anno etiam subscribit Lupo: illum adi. Capuæ autem obsidio, & deditio minimè in ann. 1096; sed post fuit, de qua statim. Torquatus Tassius, ut Parergon hoc addam, summus absque controversia Vates, mihique hæreditario quodam jure impensè cultus, poetica usus licentia, Tancredum Boamundi nepotem octingentos *è Campania*, nempè quæ felix, & beata antiquia dicta est, ad sacrum Hierosolymitanum bellum equites duxisse, perhibet; quos illi solos, nec alios plures aliunde quæsitos adscribit:

„ *Gli ottocento à cavallo, à cui fa scorta*,
„ *Lasciar le piagie di Campagne amene*,
„ *Pompa maggior della Natura, e i colli*,
„ *Che vagheggia il Tirren, Fertili, e molli.*

nam nec Tancredo, nec Boamundo ulla unquam in hæc loca potestas fuit, præfatique temporis in instanti Capuam Princeps genere Langobardus, Neapolim verò Dux suus obtinebat, solamque Aversam, novam Urbem, in anno Christi trigesimo supra millesimum conditam, & si qua alia minora oppida Nortmanni, alterius tamen generis, possidebant.

An. 1098. *Mense Octobris apparuit Stella Cometes. Et Christiani bellando venerunt usque Antiochiam, & obsederunt eam, & mense Aprilis comprehendentes.* &c. *Et hoc anno comprehensa est Capua à Rogerio Comite, mense Martii.* De anno captæ Antiochiæ consentit Guillelmus Tyrius lib. 5; & recentiores omnes: non sic de mense, id referentes ad diem 3. Junii, quæ in anno jam dicto incidit in Feriam quintam, ut benè notat Anonymus Cassinensis, non quartam, ut habet Ordoricus Vitalis lib. 9. Idem tamen Anonymus perperam ad annum id figit 1096: Petri Diaconi scilicet errorem secutus lib. 4. cap. 16. Igitur in Lupo mensis. *Aprilis*. suppositus est pro. *Junii*: sicuti ad eandem normam hoc pariter loco dicitur, Capuam captam à Comite Rogerio mense *Martii*, qui Aprilem præit, pro *Maii*, qui antecedit Junium. Nam Comes ille, ut Gaufredus Malaterra auctor est lib. 4. cap. 26. cum Pharum transisset prima hebdomada Aprilis, festumque Pentecostes celebrasset cis Beneventum, juxta fluenta Sabati, quod ante diem 10. Maii celebrari nunquam contingit, Capuam dein pervenit; quam simul cum Duce Apuliæ Rogerio, & cum Principe Richardo 2. acriter obsidens, *post quadraginta obsidionis dies*, ut inquit Romualdus Salern. & Anonymus Cassin: *æstivo tempore*, ut Petrus Diac. lib. 4. cap. 10; cui suffragatur Edinerus in Vita S. Anselmi lib. 2. apud Surium 10. Kal. Maii, deditione facta obtinuit, reddiditque Richardo, qui post Jordani patris obitum, ac ineunte anno 1091. ab ea fuerat pulsus. Capua itaque recuperata est, ut citius, extremo mense Majo, atque ingruen-

gruente Æstate, numerandi cum videantur quadraginta dies obsidionis non ab accessu Comitis, sed ab die, qua Princeps Richardus 2. qui Aversam proximam Urbem retinuerat, Capuam solus circumvallaverat; nam alioquin receptam eam fuisse, dicendum est, mense Junii: quod equidem non recusaverim, si Lupo mensis *Martii* restitui debeat. *Junii* non *Maii*. Verum enimvero mensem *Martium* pro *Majo* sæpe alias suppositum, manifestum est; idque ex ea, forte, occasione natum, quod nomina propria cum sub Normannorum ætate capitalibus tantummodo literis depictis compendiarentur, *Martius* mensis sic descriptus, pro *Majo* à recentioribus librariis sæpenumero est acceptus. Sicut in Kalendario antiqui etiam Breviarii Campani, in quo Festum S. Potentianæ Virginis perperam notatur ad diē 19. Martii, quod colitur 19. Maii. Et in percelebri quoque Diplomate præfati Comitis Rogerii apud Surium die 5. Octobris, in quo habetur, structas in eum, dum in Capuæ manebat obsidione, insidias *Kal. Martii*; ubi legendum esse *Kal. Maii.* jam olim docti censuerunt viri: etsi nec talis castigatio omnem removet scrupulum, si vera exposuit nobis Gaufredus, Rogerium dicens, Pentecosten celebrasse propè fluenta Sabati, dein autem Capuam pervenisse. At hoc ipso in Diplomate aliud insidere mendum, legendumque in eo opinor, Rogerium reversum *vigesimanona Junii mensis Squillacium* (non *Julii*: nisi mavis *nona Julii.*) *perhabita Capuæ Civitate, & per quindenam tontiuam fuisse ibidem infirmatum*; Privilegiumque fecisse *die 2. Augusti, anno ab Incarnatione Domini 1098. Indictione 6.* (malè nonnulli edunt. *Indict. 7.*) *confirmāte Joanne Squillatensis sedis Episcopo, residente juxta fores Ecclesiæ*. Nec cum viro docto sentiendum est, Privilegium datum quidem in anno 1098: minimè tamen Capuam obsessam, receptamque, ut Lupus perhibet, eodem anno; sed anno antecedenti: sicut habet Gaufredus Malaterra, qui ejusce obsidionis tempore *affirmat*, *ibi impregnatam in anno MXCVII. Comitissam Adelasiam de Comite Rogerio*: haud, inquam, annus dati Diplomatis ab anno Campanæ obsidionis, ægrotantisque Comitis Rogerii distinguendus videtur; nec Comes ultroneam suam donationem post susceptum beneficium in annum sequentem distulisse, nulla interim exposita ejusmodi dilationis occasione, quæ sanè nulla: quinimmo convenientissimè dixerimus, non revoluto, nec anniversario anno Rogerium redjisse Squillacium; sed cum primum è Capua illuc appulit, ac per valetudinem valuit, præfatum Privilegium indulxisse. At Gaufredus, dices, Capuam obsessam in anno MXCVII: anno scilicet ante datum Diploma, in superius relatis verbis exponit. Ita quidem, si ea notula Gaufredi, nec Glossula reputanda sit ociosi alicujus adnotatoris, quæ ut facilè est observare, è libri ora in textum traducta, continentem ejusce Auctoris narrationem importunè perturbat, ac dividit. En Malaterræ integer, qui huc facit, locus è lib. 4. cap. 26, & quidem ad ipsius Cesaraugustanæ editionis exemplum religiosè expressus. *Ipse autem Comes*, inquit, *omni diluculo ante lucem surgens, utrumque exercitum, pontem transeundo* (quem nempè super Volturnum construxerat, ut suo exercitui, & Ducis Rogerii, Principisque Richardi communis, facilisque pateret via, qui trans flumen ad Septemtrionem Capuam obsidebant) *inuisens, utrum attenti essent ad excubias, visum ibat. Porrò ipsi rubore perfundebantur, quod juvenes ipsi, & ad quos peculiarius negotium attinebat, segniores fuerent: Comite provectioris ætatis, & corporis plagarum, laborumque asperitatis viro vigilantiore existente. Nam & ab omni exercitu ejus vigilantia admirationi erat, omnesque in ejus exemplo vigilantiores reddebantur.*

Anno Dominicæ Incarnationis MXCVII. ibi se imprægnavit Comitissa Adelasia de Comite Rogerio.

Cap. 27. *Cùm ista aguntur, Papa Urbanus colloquium Ducis, & Comitis desiderans, à Roma progrediens, Capuam, ubi obsessionem tenebant, venit.* Sic ibi. Sed esto, talia ipse adnotarit Gaufredus: simulque detur, nec de Comite Rogerio præfati Comitis Rogerii filio tunc à matre concepto, quod aliquando consentientibus mihi acris ingenii viris sum opinatus, quemque Gaufredus ejusmodi dignitate auctum certè non vidit, ibi esse sermonem, sed de patre Rogerio: an satis certi erimus, numerus annorum Christi sincerè, nec depravatos, diminutosque vel à librariis, vel à Typographo nobis fuisse repræsentatos, à quibus consimilia alibi commissa menda frequentissimè dolemus? sanè Gaufredus, qui in Præfatione libri 2. & lib. 4. cap. 18. temporum, annorumque ordinem servaturum se professus est, cum exposuisset eodem lib. 4. cap. 25. quæ in anno gesta fuerant MXCVII. mense Maii, dein cap. 26. & seqq. quibus obsidionem, deditionemque Capuæ enarrat, retulisse videtur, quæ successivè, nec ante acciderunt. At Comitem Rogerium in prima hebdomada Aprilis Pharum transisse, continentique itinere Capuam pervenisse, tradit. Subsequenti igitur anno Christi MXCVIII. id evenisse oportet. Sit autem & hoc nullius roboris argumentum: an ipsimet Gaufredo, à cujus dicto lis hæc omnis pendet, fides erit deneganda; qui anno Incarnationis millesimo nonagesimo septimo, mense Majo Comitem Rogerium, non Capuæ in Castris præsentem facit, sed filiam suam è Sicilia Alamanno Regi Ungarorum (*Colomannum* dicit Antonius Albizius in Stemm. Principum Chisi; cujus unicam, neque hanc facit uxorem) matrimonio conjungendam maritimo itinere transmisisse sub ducatu Henrici Episcopi Lescastrensis (certè *Leoratensis*) aperto manifestat sermone? minimè itaque hic Auctor alio anno Capuam obsessam à Comite Rogerio; quam eodem, quo Lupus, statuit: itemque non alio,

quam dati ab eodem Comite Diplomatis, de quo dictum est; quibus ineditum antiquum Cavense consentit Chronicon, & Anonymus quoque Cassin. sed cantè interpretandus, ut ibi dicam.

An. 1099. *mense Octobris Papa Urbanus congregavit universam Synodum in Civitate Bari; in qua fuerunt* 185. *Episcopi; & mense Junii in festivitate S. Petri Apostoli comprehensa est Hierusalem Civitas à Christianis*, &c. Distinguenda sunt ista, Synodusque Barensis ad annum antecedentem est referenda, quam actam eodem anno, quo Capua à Comite Rogerio, ejusque asseclis est expugnata, ex Edinero in Vita S. Anselmi lib. 2. aperitur. nullo tamen anno palam ibi exposito, sed tam dicto tantummodo mense celebrati Concilii. *Deinde*, inquit, *soluta obsidione* (Capuæ scilicet) *multa prece Anselmus Papam* (Urbanum, qui, ut verbis dicam Gaufredi, *colloquium Ducis, & Comitis desiderans, à Roma progrediens, apud Capuam, ubi sessionem tenebant, venit*) *ad hoc flectere conatus est, quatenus ab onere Pontificali eum absolveret, & quieti liberum vacare concederet. Verum cum quantum ad effectum ad nihilum laborasset, fretus benedictione ejus, Sclaviam reversus est* Pagum nempè in Diœcesi Calatina, vulgò *Li Schiavi*, in Campanæ Ecclesiæ, sive dicas Campani tunc Principatus Provincia eidem Auctori antea descriptum, quò Anselmus Æstivi caloris inclementiam vitans, diverterat; indeque à Duce Rogerio accersitus, ad Castra super Capuam ab eo firmata accesserat, soluta autem obsidione, iterum illuc se receperat) *opperiens tempus Concilii, quod idem Papa apud Barum, Kalendis Octobris erat celebraturus.* Hæc Edinerus. Et verò quinam potuit Urbanus Concilium in Civitate Barii congregare in anno 1099. mense Octobris, cum diem obierit, Lupo metipso fatente, mense Julii eodem anno, quod sanè verum: celebrata nimirum Romana Synodo, quam dicunt Tertiam Urbani, in 3. hebdomada post Pascha, de qua Bertoldus Constantiensis jam dicto anno his verbis? *Romæ*, inquit, *Dominus Papa generalem Synodum centum quinquaginta Episcoporum, Abbatum, & Clericorum innumerabilium tertia hebdomada post Pascha collegit.* &c. Quæ Synodus distinguenda haud videtur ab illa, quam Secundam appellant, actamque volunt post Barensem, in tertia simul hebdomada post Pascha, verba pro se laudantes præfati Edineri loco antedicto, quæ sunt. *Finito*, inquit, *Concilio Barensi, Romam cum Apostolico profecti sumus. Transactis autem aliquantis diebus, venit Romam* Willelmus *ille, cujus in exitu Angliæ memoriam fecimus. Inter alia hoc effecit apud Apostolicum, ut inducias Regi Angliæ daret usque ad festum S. Michaelis Archangeli. Quod Anselmus agnoscens, illico Lugdunum redire volebat; sed prohibitus à Papa est propter Concilium, quod se tertia hebdomada Paschæ Romæ habiturum statuerat.* Haud, inquam, Romanum, quod post Barense celebratum ab Urbano est Concilium, in duo est dissecandum; nam ejusmodi duplicitatem simplex, unusque annus, qui intercessit Capuæ obsidionê, quam proximè Barensia Synodus est subsecuta, & Urbani obitum, non admittit; dierumque uniformitas, quibus tum Romana Synodus à Bertoldo descripta, tum quæ ab Edinero, est celebrata, de earum unitate dubitare me non sinit. Guilelmum Malmesburiensem sanè de priori illo Concilio loquutum dum putant, in quo idem Auctor perhibet, *Papam cum omnibus sententiam excommunicationis vibrasse in Laicos investitores Ecclesiarum, & investitos à Laicis; & in taliter investitos consecrantes, & in illos, qui pro Ecclesiasticis honoribus laicorum homines fiunt*, hoc ipso argumento antedictam à me utriusque Synodi unitatem confirmant; inter Canones enim prædicti Concilii 3. Rom. apud Binium, T. 7. p. 1. celebrati ann. 1099. *Pr. Kal. Maii* in Sabatho scilicet Prid. Dominicam 3. post Pascha dicti anni, quam Urbani postremum fuisse statuunt, cum de 2. nulla extare acta, adfirment omnes, subsequens legitur Canon. sententiæ haud dissimilis ab Malmesburiensis enunciato. *Nullus Abbas* (verba sunt Canonis) *nullus Ecclesiarum Præpositus, quæ juris sunt Ecclesiastici à Laicis accipere sine Episcopi concessione præsumat.* Unam itaque Romanam Synodum post Barensem, ac post annum 1098. Urbanus celebravit, in anno nimirum 1099. Quo anno, ut ad Lupum redeam, nullo errore expugnatam ipse asserit Hierosolymam; sed diem pravè consignat, cum id inciderint in Idus Junii, ut Tyrius habet lib. 8. cap. 5. & 18. aliique nulla discrepantia.

AD APPENDICEM LUPI, quæ justius Appendix ad Chronicon Anonymi Cassinensis dicenda est, namque istud in anno substitit 1212. à quo ipsa exorditur, paucula hæc in patriæ meæ gratiam observo, plurimis aliis omissis, quæ æque ac ista, non librariorum incuriæ, sed Auctoris imperitiæ videntur imputanda, mihique pro suscepti operis munere minimè impræsentiarum sunt castiganda.

An. 1459. *Equitavit Rex Ferdinandus Primus per Civitatem. Regnat an.* 26. At cætera antiqua omnia monumenta Alfonsum Ferdinandi primi patrem vita functum notant anno 1458. *Quo mortuo*, inquit Jovianus Pontanus de bello Neapol. lib. 1. *Reguli, Civitatesque missis Oratoribus, Capuæ conventu habito (nam pestilentia Neapolim infestabatur) in Ferdinandi verba de more juravere.*

An. 1496. 7. *Octobris moritur strenuissimus Ferdinandus secundus*, &c. *Eo anno, & die equitavit Rex Federicus in Civitate Capuæ, quia Neapoli erat pestis*, &c. Qui potuit eadem die Capuam Fridericus advolare, Barones Regni, ut oportebat, secum habens, quem ad eandem Urbem ea sanè die literas dedisse de suscepto à se Regno post mortem Nepotis, Campana monumenta, ipsæque ejus, quæ extant

tant

tant in ejusdem Urbis Archivio literæ, testantur? Certè ex actis Regiæ Cancellariæ coronatum illum solemni ritu Capuæ constat *in Ecclesia Cathedrali per manus Apostolici Legati Cæsaris Cardinalis Borgiæ 4. Idus Augusti, anno 1497. Indict. 15. præsentibus Archiepiscopo Consentino, Pontificis tunc Alexandri 6. à secretis, & quamplurimis Prælatis, Archiepiscopis, & Episcopis, atque nonnullis Oratoribus: videlicet Oratore Regis Romanorum, Regis Hispaniæ, Venetiarum, & Ducis Mediolani; Prospero Columna Duce Trajecti, Fabritio Columna Duce Tagliacozzi, Alfonso de Aragona de Piccolomineis Duce Amalfiæ. Ferdinando Francisco Guevara Marchione Piscariæ, Trojano Caraczulo Duce Melfiæ, Alberico Carrafa Duce Ariani, Andrea de Altavilla Duce Termularum, Francisco de Ursinis Duce Gravinæ, Petracono Caraczulo Comite Pulicini, Joanne Thoma Carrafa Comite Mataloni, Trojano de Cabanellis Comite Montellæ, Bellisario de Acquaviva Comite Neritoni, Marco Antonio Caraczulo Comite Neocastri, Joanne Carrafa Comite Policastri, Vito Pisanello Regio Secretario, Antonio Grisono Regio Camerario, Roberto Bonifacio Milite, & aliis Donnicellis, Baronibus, & Militibus.* &c. Sylvester Guarinus Aversanus in Diario sui temporis non dum edito, Italicè descripto, de eadem Frederici Coronatione sic habet. *Giovedì à 10. di Agosto 1497 La Maestà del Signore Re Federico s'incoronò al Vescovato di Capua alle 17. ore con gran trionfo; ed il Legato, che lo andiede à coronare era filio à Papa Alesandro, ch' era Cardinale de Valentia, dove furono assai Baroni, e Gentiluomini bene in ordine; ma non ci fù nessun Barone di casa Sanseverino. E dopo la Maestà sua cavalcò per Capua, ed il Signor Ferranuo d' Aragona gettava una sorte di moneta, che valeva mezzo carlino, quale moneta aveva da una banda un libro dentro una fiamma di foco, ed il motto diceva. Recedant vetera; dall'altra vi era una corona, e il motto diceva:* A *Domino datum est istud. Domenica à di 13. sua Maestà fece un bel convito alli Baroni. ed al Cardinale di Valentia, e fecero gran festa, e trionfo. E Lunedì sua Maestà se ne andò in Napoli insieme con il Cardinale. Al convito si trovò il Principe di Bisignano, di casa Sanseverino.* Hæc ille.

F I N I S.

CHRONICON
FOSSÆ NOVÆ
JOANNE DE CECCANO
AUTHORE.

N

IN CHRONICON FOSSÆ NOVÆ JUDICIUM.



CHronicon, cui, & Fossæ Novæ, & Ceccani nomen, ob laudatos in eo sæpius Ceccani Comites (ut clarissimus Ughellus autumat) inscriptum est, ingentibus laudibus extollunt authores nonnulli, sed primus edidit laudatus Ferdinandus Ughellus Florentinus Ordinis Cisterciensis in calce Tomi primi Italiæ Sacræ Romę Anno Chr. MDCXLIV. typis Bernardini Tani, & nos ut supradiximus secundo damus, eo quia ad res Siculas spectantia nonnulla præsertim in fine habeat.

Auctor Chronici hujus, Comitum Ceccani familiarem fuisse videtur, Ceccanum, verò, Campaniæ oppidum est, cujus Dinastæ, ex nobilissima Anagninentium Comitum Familia genus duxerunt, ex qua tot Viri belli, pacisque artibus illustres erupere, virtute à primis majoribus, olim Tusculi Comitibus, non degeneres.

CHRONICON FOSSÆ NOVÆ JOANNE DE CECCANO AUTHORE

Ab anno primo nostræ salutis usque ad annum M.CCXVII. ex pervetusto M. S. exemplari cœnobii Fossæ Novæ.



Hronica Romanorum Pontificum, & Imperatorum. Chronicon græcè, latinè dicitur tempus: inde chronica (idest) tempora. Octavianus Augustus imperavit annis 56. anno nono Imperii ejus ab eodem Octaviano Augusto annus bisextus inventus est, & cyclus solaris constitutus est 33. anno imperii ejus.

Postmodum autem trigesimo nono anno imperii ejusdem facta est descriptio universi Orbis per edictum Cæsaris sub Præside Siriæ Cirino. Hoc anno in Syria prima facta descriptio à Præside Cirino; quæ, vel sic dicitur æra, solvendo ære, vel ab hoc quod est ibi scriptum.

Exiit edictum dicta est indictio prima.
In cujus quarto rerum Davidica Virgo
Parturiit Solem Syon inducens Salomonem
Ungitur in Regem, pacis præfert tibi legem.
Sicque tenens apicem dijudicat hic metricem.

Anno Domini primo indictione 4. anno quadragesimo secundo imperii Octaviani Augusti natus est JESUS CHRISTUS filius Dei in Bethleem Judæ ex Maria Virgine. Post nativitatem Domini nostri JESU CHRISTI Octavianus Augustus imperavit annis 14.

12. Indictione 15. hoc anno remansit puer Jesus in Hierusalem, quando invenerunt eum parentes ejus in templo in medio doctorum audientem illos, & interrogantem Ann. 15. ind. 3. Tiberius imperavit annis 18. usque ad annum, quo passus est Dominus noster Jesus Christus.

30. indict. 3. Hoc anno baptizatus est Dominus noster Jesus Christus à Joanne.

33. indictione 6. Hoc anno passus est Dominus noster. Post passionem Domini Tiberius Imperator imperavit annis 5.

34. indictione 7. post passionem Domini Beatus Petrus Apostolus Princeps Apostolorum, filius Joannis Provinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ, tenuit Sacerdotalem Cathedram annis 7. in Antiochia.

39. indictione duodecima Gajus, qui & Caligula annis 3. mens. 10. diebus 8.

41. indictione decimaquinta Claudius imperavit annis 14. mens. 7. dieb. 28.

44. indictione secunda Deinde venit Romam, ibique triginta quinque annis, & mens. septem, & diebus octo Cathedram Sacerdotalem tenuit.

56. indictione 14. Nero imperavit annis 13. mens. 7. diebus 28.

59. indict. 12. Linus Italicus de regione Tusciæ patre Æsculano sedit annis undecim mensibus tribus diebus undecim. Hic constituit ex præcepto Beati Petri Apostoli, ut mulieres in Ecclesiam velato capite introirent. Galba mensibus sex.

70. indict. 13. Vespasianus imperavit annis novem mensibus undecim diebus viginti duobus.

80. indict. 8. Cletus natione Romanus de regione Vicopatritii, patre Æmiliano sedit annis undecim mens. uno diebus undecim. Titus annis tribus.

83. indictione undecima Domitianus imperavit annis 13. mensibus 5.

91. indict. 4. Clemens natus Romæ de regione Cælio Monte, ex parte Faustino, sedit annis 9. mens. 2. diebus 10. Hic dum multos libros zelo fidei Christianæ religionis adscriberet, martyrio coronatur. Hic fecit septem regiones, divisit portariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicitè, & curiosè, unusquisque per regionem suam diligenter perquireret.

96. indict. 9. Nerva ann. uno & mensibus tribus.

98. indict. undecima Trajanus annis decem, & novem.

100. indict. 13. Anacletus natione Græcus de Athenis, ex parte Antiocho sedit annis 9. mens. duobus diebus decim, & cessavit Episcopatus ejus diebus tresdecim. Hic memoriam Beati Petri construxit, & composuit.

109 indict. 7. Evaristus natus Græcus ex parte Judæo nomine Juda de Civitate Bethleem, sedit annis decem. Hic titulos in Urbe constituit, & divisit Presbyteris, & septem Dia-

Diaconos constituit, qui custodirent Episcopum prædicantem propter stilum veritatis.

118. indictione prima, Hadrianus imperavit annis vigintiuno.

120. indictione 3. Alexander natus Romanus ex parte Alexandri, de regione caput Tauri, sedit annis octo mens. uno dieb. duobus, & cessavit diebus triginta quinque. Hic passionem Domini miscuit in prædicatione Sacerdotum quando missæ celebrantur. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in cubiculis hominum.

128. indict. undecima, Sixtus natus Romæ ex parte pastore, regione Via lata, sedit annis decem, mensibus tribus, diebus viginti & uno, & cessavit dieb. duobus. Hic constituit ut ministeria sacrata non tangantur nisi à ministris. Hic constituit, ut quicumque Episcoporum evocatus fuisset ad Sedem Apostolicam, & rediens ad parochiam suam, non susciperetur nisi cum literis Patriarchæ salutationis plebi, quod est formata.

139. indict. 7. Telesphorus natus Græcus ex Anachoreta, sedit annis undecim, mensib. tribus, dieb. viginti duobus, & cessavit dieb. septem. Hic constituit, ut septem hebdomadæ ante jejunium celebrarentur, & tres in Natali Domini missæ celebrarentur. Nam omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumat celebrare, qua hora Dominus noster ascendit crucem, & ante sacrificium hymnus dicetur Angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo. Antoninus Pius cum filiis suis imperavit annis viginti duobus, mensibus tribus.

150. indict. tertia, Higinus natus Græcus de Athena, cujus genealogia non invenitur, sedit annis quatuor mens. tribus dieb. sex. Hic Clerum composuit, & distribuit gradus.

154. indictione septima, Anicetus natione Synis ex parte Joanne de Vico Mirra, sedit annis novem, mensib. trib. dieb. quatuor. Hic constituit ut Clerus comà non nutriret secundum præceptum Apostolorum.

16·. indict. decimaquarta, Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio imperavit annis decem & novem.

163. indictione prima, Pius natus Italicus de Civitate Aquileja, ex parte Rufino, sedit annis undecim, mens. trib. dieb. viginti uno, & cessavit dieb. quatuordecim sub cujus temporibus Episcopus Hermen librum scripsit, in quo mandatum continet, quod ei præcepit Angelus Domini, cum venit ad eum in habitu pastoris, & præcepit ei ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur. Hic constituit à Judæo hæreticum venientem suscipi, & baptizari, & constitutum fecit de Ecclesia.

174. indictione duodecima, Soter natione Campanus, ex parte Concordio de Civitate Fundi, sedit annis novem, & mensibus duobus, diebus viginti uno, & cessavit diebus vigintiduobus. Hic constituit, ut nulla Monacha pallia sacrata contingeret, nec incensum poneret in Sancta Ecclesia.

180. indictione tertia, Commodus post Antoninum imperavit annis tresdecim.

183. indictione sexta, Eleuterius natus Græcus ex parte Abundio de oppido Nicopoli, sedit annis quindecim, mens. sex, dieb. quinque, & cessavit dieb. sex. Hic accepit epistolas à Lucio Rege Brittonio, ut Christianus fieret per mandata. Et hoc iterum firmavit, ut nulla esca usualis à Christianis repudiaretur, maximè fidelibus, quod Deus creavit, quæ tamen rationalis, & humana est.

193. indictione prima, Ælius Pertinax, & Severus imperavit annis decem & novem.

199. indictione septima, Victor natus Afer ex parte Fœlice, sedit annis decem, mens. duob. dieb. decem, & cessavit dieb. duodecim. Hic constituit ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur, sicut & Pius. Hic fecit frequentes Clericos, & constituit, ut necessitate faciente ubi inventum fuisset, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum Christiana confessione credulitatis clarificata, quicunque hominum ex gentili veniens, ut baptizaretur.

209. indictione secunda, Zepherinus natione Romanus ex parte Abundio, sedit annis novem, & mesibus sex, dieb. decem, & cessavit Episcopatus diebus sex.

211. indictione quinta, Antoninus Caracalla imperavit annis septem.

218. indictione undecima, Calixtus natus Romanus ex parte Domitio, de regione Urbe Ravennatium sedit annis quinque, mensibus duobus, diebus decem, & cessavit dieb. sex. Hic constituit jejunium die Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini, & olei, secundum prophetiam, quarti, septimi, & decimi. Hic fecit Basilicam S. Mariæ in Transtiberim.

219. indictione duodecima, Martinus anno uno.

220. indictione decimatertia, Antoninus Aurelius imperavit annis tribus.

223. indictione prima, Alexander imperavit annis tresdecim.

225. indictione tertia, Urbanus natus Romanus ex patre Pontiano, sedit annis octo mens. undecim, diebus duodecim, & cessavit diebus triginta. Hic fecit misteria sacrata omnia argentea. Hic sua traditione multos convertit ad baptismum.

233. indictione undecima, Pontianus sedit annis quinque, mensibus duobus, diebus duob.

236. Indictione decimaquarta, Maximus imperavit annis tribus.

238. indictione prima, Antheos sedit annũ.

239. indictione secunda, Fabianus natus Romæ ex patre Fabio, sedit annis quatuordecim, mens. 11. dieb. 11. & cessavit diebus septem. Hic regiones divisit Diaconibus, & fecit septem Diaconos, qui septem notariis iminerent, & gesta martyrum in integrum colligerent, & multas fabricas per cœmiteria fieri præcepit. Gordianus imperavit annis sex.

245. indictione octava, Philippus cum Philippo filio suo imperavit annis septem. Hic primus Imperator Christianus fuit.

252. indictione decimaquinta, Decius anno uno, mensibus tribus.

253. indictione prima, Cornelius sedit ann. duobus, mensibus quinque, diebus decem. Gallus cum Volusiano annis duob. mens. quatuor.

255. indictione tertia, Lucius sedit annis tribus, mens. trib. dieb. trib.

257. indictione quinta, Valerianus cum Galieno filio imperavit annis quindecim.

258. indictione sexta, Stephanus sedit annis quatuor mens. tribus, dieb. duobus.

261. indictione decima, Sixtus sedit annis duobus, mens. sex, diebus octo.

264. indictione decimasecunda, Dionysius sedit annis duobus, mens. tribus.

266. indictione decimaquarta, Fœlix sedit annis duob. mens. decem, dieb. vigintiquinque.

268. indictione prima, Euticianus sedit anni novem, mens. decem, diebus quatuor, & cessavit diebus octo.

272. indictione quinta Claudius imperavit anno uno, mens. undecim.

275. indictione octava, Aurelianus Imperavit annis quinque.

277. indictione decima, Gajus sedit annis undecim, mens. tribus, dieb. novem, & cessavit diebus undecim.

280. indictione decimatertia, Tacitus mensibus sex.

281. indictione decimaquarta, Probus imperavit annis sex, mensibus tribus.

287. indictione quinta, Carinus, & Numerianus annis duobus.

289. indictione octava, Marcellinus sedit annis septem, mens. duob. diebus vigintiquinque, & cessavit annis septem, mensibus sex diebus vigintiquinque. Diocletianus cum Maximiano annis duobus. Constantio, & Licinio imperavit annis quindecim.

304. indictione septima, Marcellus sedit annis sex.

306. indictione nona, Maximus Galerius imperavit annis tribus.

309. indictione duodecima, Constantinus imperavit annis trigiota, mensibus decem.

310. indictione decimatertia, Eusebius sedit annis duobus, mensibus duobus.

312. indictione decimaquinta, Melchiadis sedit annis tribus, mẽsibus septem, diebus octo, & cessavit diebus sexdecim.

316. indictione quarta, Silvester sedit annis viginti trib. mensibus decem, diebus undecim, & cessavit diebus quindecim.

339. indictione duodecima, Constantinus cum Constantino, & Constante fratribus imperavit annis vigintiquatuor.

340. Indictione decimatertia, Marcus sedit annis duobus mens. octo, diebus viginti. S. Hilarius claruit, primus latinorum theologus.

343. indict. prima, Julius sedit annis undecim mens. duobus, diebus septem, qui sub Constantino Imperatore decem mensibus exilia, & tribulationes perpessus, post mortem cum magna gloria ad suam sedem reversus, quievit in pace. Hic constituit, ut nullus Clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesias, & sine causatione, vel instrumenta, aut donationes, aut manumissiones à Clericis in Ecclesia celebrarentur.

354. indictione duodecima, Liberius sedit annis decem, mensibus septem.

363. indictione sexta, Julianus annis duobus mensibus octo.

364. Indictione septima, Fœlix anno uno.

365. indictione octava, Iterum Liberius sedit annis quinque, Jobinianus mens. septem.

366. indictione nona, Valentinianus cum fratre Valente imperavit annis decem.

370. indictione decimatertia, Damasus sedit annis quindecim decem, & octo mensibus duobus diebus decem, & cessavit diebus viginti uno.

376. indictione prima, Valens cum Gratiano, & Valentiniano imperavit annis quatuor.

380. indictione octava, Gratianus cum Valentiniano fratre Theodosio imperavit annis sex.

386. indictione decimaquarta, Theodosius Imperator cum Valentiniano imperavit annis undecim.

388. indictione prima, Siritius sedit annis quindecim, mensibus undecim, diebus vigintiquinque, & cessavit diebus viginti.

397. indictione decima, Arcadius Imperator cum Honorio imperavit annis tresdecim.

405. indictione tertia, Anastasius sedit annis duobus, diebus vigintiduobus, & cessavit die viginti uno.

407. indictione quinta, Innocentius sedit annis quindecim, mensibus duobus, diebus viginti, & cessavit diebus viginti duobus.

410. indictione octava, Honorius Imperator cum Theodosio imperavit annis quindecim.

412. indictione quinta, Zosimus sedit anno uno, mensibus octo, diebus vigintiquinque, & cessavit diebus undecim. Hic constituit cereum Sabbato Sancto benedici in Ecclesia.

415. indictione octava, Bonifacius sedit annis tribus, mensibus octo, diebus tresdecim, & cessavit diebus novem. Theodosius minor Imperator cum Valentiniano genero imperavit annis vigintisex.

418. indictione undecima, Cœlestinus sedit annis octo, mens. uno, diebus undecim, & cessavit diebus vigintiuno. Hic constituit psalmos David, antiphona, ad Sacrificium.

436. indictione quarta, Sixtus sedit annis octo, diebus decem, & novem. Hic accusatus de adulterio fecit Synodum, purgatus, est damnatis accusatoribus.

444. indictione duodecima, Leo primus Doctor sedit annis vigintiuno, mens. uno, diebus vigintiseptem, & cessavit diebus septem.

452. indictione quinta, Martianus, & Valentinianus imperaverunt annis septem.

459. indict. duodecima, Leo Primus Imperator imperavit annis decem & septem.

465. Indictione tertia, Hilarius sedit annis sex, mensibus tribus, diebus decem, & cessavit diebus decem.

471.

471. indictione nona, Simplicius sedit annis quindecim, mens. uno, diebus septem, & cessavit diebus sex.

476. indictione decimaquarta, Zeno imperavit annis viginti sex.

485. indictione nona, Fœlix Tertius sedit annis octo, mensibus duodecim, diebus decem & septem, & cessavit diebus quinque.

492. indictione decimaquinta, Anastasius imperavit annis vigintisex.

495. indictione tertia, Gelasius sedit annis quatuor, mensibus octo, diebus decem & novem.

499. indict. septima, Anastasius sedit annis uno, mensibus undecim, diebus vigintiquatuor.

50.. indictione nona, Simachus sedit annis quindecim, mēsibus septem, diebus vigintiocto & cessavit diebus septem.

516. indictione nona, Hormisda sedit annis decem, diebus decem & octo, & cessavit diebus sex.

518. indictione undecima, Justinus imperavit annis novem.

526. indictione quarta, Joannes Primus sedit annis duobus, & mensibus novem.

527. indictione quinta, Justinianus Imperator imperavit annis triginta & octo.

528. indictione sexta, Fœlix Quartus sedit annis quatuor, mensibus duob. diebus tresdecim.

532. indictione decima, Bonifacius sedit annis duobus.

534. indictione duodecima, Joannes Secundus sedit annis duob. mensibus quatuor.

536. indictione decimaquarta, Agapitus sedit mensibus undecim.

537. indictione decimaquinta, Silverius sedit anno uno, mensibus quinque. Hujus temporibus obsessa est Roma à Gothis anno uno in circuitu, sed liberatur à Belizario patritio.

540. indictione tertia, Vigilius sedit annis decem & septem, mensibus sex, diebus vigintisex, & cessavit mensibus tribus, diebus quinque. Hujus temporibus capta est Roma à Gothis, sed à Arsi Patritio postmodum occiso Totila recepta est.

558. indictione sexta Pelagius Primus sedit annis quatuor, mensibus decem, diebus decem & octo, & cessavit mensibus tribus.

563. indictione undecima, Joannes Tertius sedit annis tresdecim, mensibus undecim, diebus vigintiseptem, & cessavit mensibus decem, diebus tribus.

565. indictione decimatertia, Justinus imperavit annis undecim.

566. indictione nona, Tiberius imperavit annis duobus.

577. indictione decima, Benedictus Primus sedit annis tribus, mense uno, diebus decem & octo. Hujus temporibus Longobardi invaserunt Italiam.

580. indictione decimatertia, Pelagius Secundus sedit annis decem, mensibus duobus, diebus decem, & cessavit mensibus sex, diebus vigintiquinque.

583. indictione prima, Mauritius imperavit annis viginti.

591. indictione nona, Gregorius Doctor primus sedit annis tresdecim, mensibus sex, diebus decem, & cessavit mensibus quinque, diebus sexdecim. Hic adjunxit in Canone: Diesque nostros in tua pace dispone, & ab eodem incepta est Litania in festo Sancti Marci ad S. Petrum.

603. indictione sexta, Phocas imperavit annis septem.

606. indictione nona, Sabinianus imperavit anno uno, mensibus quinque, dieb. decem & novem.

608. indictione undecima, Bonifacius mensibus octo, diebus viginti & octo.

609. indictione duodecima, Bonifacius sedit annos sex, mensibus octo, diebus duodecim, & cessavit mensibus septem, & diebus vigintiquinque.

610. indictione decimatertia, Heraclius Imperator cum Costantino filio suo imperavit annis trigintauno.

616. indictione quarta, Deus dedit sedit annis tribus, diebus viginti, & cessavit mense uno, & diebus decem & septem.

619. indictione septima, Bonifacius sedit annis quinque, diebus tresdecim, & cessavit mensibus septem.

625. indictione decimatertia. Honorius sedit annis duodecim, mensibus undecim, diebus decem & septem, & cessavit mensibus septem, & diebus decem & octo.

638. indictione undecima, Severinus sedit annis duobus, mensibus quatuor, diebus viginti & octo.

641. indictione decimatertia, Joannes sedit anno uno, mensibus octo, diebus decem & novem, & cessavit mense uno, diebus tresdecim.

641. indictione decimaquarta, Constantinus cum Iradona fratre ejus imperavit annis viginti & octo.

642. Indictione decimaquinta, Teodorus sedit annis sex, mensibus quinque, diebus octo, & cessavit diebus quinquagintaduobus.

648. indictione sexta Martinus Martyr sedit annis sex, mense uno, diebus vigintisex, & cessavit diebus vigintiocto.

654. indictione duodecima, Eugenius sedit annis duobus, mensibus novem, dicbus vigintiduo, & cessavit mensibus duobus.

656. indictione decimaquarta, Vitalianus sedit annis quatuordecim, mensibus sex, diebus tresdecim.

670. indictione decimatertia, Constantinus Imperator imperavit annis decem & septem.

671. indictione decimaquarta, Deodatus sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus quinque, & cessavit mensibus quatuor, diebus vigintiquinque.

676. indictione quarta, Donus sedit anno uno, mensibus quinque, diebus decem, & cessavit mensibus duobus, & diebus quindecim.

678.

678. indictione sexta, Agatho sedit annis duob. mensibus sex, diebus trib. & cessavit anno uno, & mensibus septem, diebus quinque.

681. indictione nona Leo Secundus, mensibus decem, diebus sexdecim.

682. indictione decima, Benedictus sedit mensibus decem, diebus sexdecim.

685 indictione decimatertia, Joannes sedit anno uno.

687 indictione decimaquinta, Conon sedit mensibus undecim. Justinianus Imperator imperavit annis decem.

688. indictione prima, Sergius sedit annis tresdecim.

697. indictione decima, Leo Imperator imperavit annis tribus.

700. indictione decimatertia, Tiberius imperavit annis septem.

701. indictione decimaquarta, Joannes sedit annis tribus, mensibus duob. diebus tresdecim, & cessavit mense uno, diebus tresdecim.

704. indictione secunda, Joannes sedit annis duod. mensibus sex, diebus sex, & cessavit mensibus quatuor.

707. indictione quinta, Sisinnus diebus viginti. Justinianus II. imperavit annis sex.

708. indictione sexta, Constantinus sedit annis septem, diebus quindecim, & cessavit diebus quadraginta.

713. indictione undecima, Philippus anno uno.

714. indictione duodecima, Anastasius imperavit annis tribus.

715. indictione decimatertia, Gregorius sedit annis sexdecim, mensibus octo, diebus viginti duo, & cessavit diebus trigintaquinque. Hic statuit quinta feria in quadragesima jejunari, & missarum celebritatem sicut tota hebdomada per totum annum in Ecclesia fieri, quod antea non agebatur.

717. indictione decimaquinta, Theodosius anno uno.

718. indictione prima, Leo cum Constantino filio imperavit annis vigintiquinque.

731. indictione decimaquarta, Gregorius Tertius sedit annis decem, mensibus novem, diebus vigintiquatuor, & cessavit diebus octo. Hic adjunxit in secreta: Quorum solemnitas hodie in conspectu gloriæ suæ celebratur triumphus in toto Orbe terrarum. Et fecit recedere totam Italiam à potestate Leonis Augusti Hæretici ob depositionem imaginum.

741. indictione decima, Zacharias sedit annis decem, mensibus quatuor, diebus quindecim, & cessavit diebus tresdecim. Hic ob infestationem, Astulfi Regis Longobardorum pergens in Franciam, unxit Pipinum filium Caroli Regis, & duos filios ejus in Reges Francorum. Qui Rex simul cum eo veniens in Italiam abstulit Ravennam, & viginti alias Civitates eidem Astulfo, & sub jure Sancti Petri redegit: unde etiam Patritius Romanus factus est.

743. indictione undecima, Constantinus cum Helena matre imperavit annis decem, mensibus duobus, diebus duobus.

752. indictione quinta, Stephanus II. sedit annis quinque, diebus viginti octo, & cessavit mense uno, diebus quinque. Hic Francorum Regem Carolum Magnum fratrem Pipini fecit Clericum, & misit eum ad Casinense Monasterium fieri Monachum, cui etiam Monasterio dona plurima cum privilegio Sedis Apostolicæ contulit.

753. indictione sexta Constantinus, & Leo filius ejus cum Pipino Rege Francorum, & Carolo Magno filiis suis imperavit annis sexdecim.

757. indictione decima, Paulus sedit annis decem, mense uno, & cessavit anno uno, & mense uno.

768. indictione sexta, Constantinus anno uno.

769. indictione septima, Stephanus Primus sedit annis vigintitres. Hic obiit Pipinus Rex Francorum, & Patritius Romanorum.

773. indictione undecima, Adrianus I. sedit annis vigintitres, mensibus duo, diebus vigintitribus. Hujus precibus vocatus Carolus filius supranominati Pipini Regis, obsedit Longobardos in Apulia, ubi cœpit Desiderium Regem, & uxorem ejus, quos captivos portavit in Franciam. Et veniens Romam reddidit omnia, quæ Pater ejus Pipinus dederat D. Petro, adjuncto ei quoque Ducatu Spoletino, & Beneventano: & ob hoc ipse Patritius Romanus dictus est.

796. indictione quarta, Leo III. sedit annis viginti, mensibus quinque, diebus sexdecim, & cessavit diebus tres. Hic dum pergeret die Sancti Marci cum Litania ad Sanctum Petrum captus est, & obcæcatus est, præcisa ejus etiam lingua. Sed Deus Omnipotens reddidit ei visum, & loquelam: & pergens ad Carolum Regem Francorum susceptus cum honore rediit Roma cum præfato Rege, & facta vindicta de inimicis suis purificavit se Papa per Sacramentum de quibusdam criminibus sibi illatis. Idem Rex est coronatus in Imperatorem Romanorum.

796. indictione quarta, Constantinus Imperator excæcatus est.

801. indictione nona, Carolus I. accepit imperium Romanorum, & imperavit annis tresdecim, mense uno, diebus quatuor.

811. indictione quarta, Michael Imperator imperavit annis sexdecim.

816. indictione nona, Stephanus III. sedit mensibus septem. Ludovicus cum Lothario filio imperavit annis 25.

817. indictione decima, Paschalis I. sedit annis septem, diebus decem & septem.

824. indictione undecima, Eugenius II. sedit annis tribus, mensibus duobus.

827. indictione quinta, Valentius sedit diebus quadraginta.

828. indictione sexta, Gregorius IV. sedit annis sexdecim.

841. indictione tertia, Lotharius imperavit annis novem.

844.

844. indictione septima, Sergius II. sedit annis tribus, & cessavit mensibus duobus, diebus quindecim.

847. indictione decima, Leo IV. sedit annis octo, mensibus tribus, diebus sex, & cessabit mensibus duobus, & diebus quindecim.

850. indictione decimatertia, Lotharius cum Ludovico filio imperavit annis quinque.

855. indictione tertia, Ludovicus imperavit annis decem & novem.

856. indictione quarta, Benedictus III. annis duobus, mensibus sex, diebus decem, & cessavit diebus quindecim.

858. indictione sexta, Nicolaus I. sedit annis octo, mensibus duobus, diebus viginti.

868. indictione prima, Hadrianus Secundus sedit annis quinque.

873. indictione sexta, Joannes Octavus sedit annis decem, diebus duobus.

876. indictione nona, Carolus Secundus imperavit anno uno.

881. indictione decimaquarta, Carolus Tertius Imperator imperavit annis vigintiduobus.

883. indictione prima, Diarinus anno uno, mensibus quinque.

884. indictione secunda, Hadrianus Tertius anno uno, mensibus quatuor.

885. indictione tertia, Stephanus Quintus sedit annis sex, & diebus octo.

891. indictione nona, Formosus sedit annis quinque, mensibus tribus.

896. indictione decimaquarta, Bonifacius Sextus, diebus quidecim.

897. indictione decimaquinta, Stephanus anno uno, mensibus quatuor.

898. indictione prima, Romanus mensibus tribus, diebus vigintiduobus.

899. indictione secunda, Theodorus diebus triginta.

900. indictione tertia, Joannes Nonus sedit annis undecim, diebus quindecim.

902. indictiona quinta, Benedictus Quartus sedit annis tribus, mensibus duobus. Ludovicus imperavit annis quatuor.

905. indictione octava, Leo V. diebus quadraginta, Christophorus mensibus septem, hic ejectus de Pontificatu factus est Monacus.

906. indictione nona, Sergius III. sedit annis septem, diebus sexdecim.

908. indictione undecima, Berengarius imperavit annis sex.

913. indictione prima, Anastasius III. sedit annis duobus, mensibus duobus.

915. indictione tertia, Lando mensibus sex, Joannes X. sedit annis tresdecim, mensibus duobus, diebus tribus.

916. indictione quarta, Berengarius imperavit annis quatuor.

921. indictione nona, Hugo imperavit annis sex.

928. indictione prima, Leo VI. mensibus septem.

929. indictione secunda, Stephanus VII. sedit annis duobus, mense uno.

931. indictione quarta, Joannes XI. sedit annis quatuor, mensibus decem. Hic fuit filius Sergii Papæ. Berengarius imperavit anni octo.

936. indictione nona, Leo VII. sedit annis tribus, mensibus quatuor, diebus quindecim.

943. indictione prima, Marinus II. sedit annis tribus, mensibus sex, diebus quatuordecim.

946. indictione quarta, Agapitus II. sedit annis decem, mensibus sex, diebus decem.

948. indictione sexta, Lotharius imperavit annis duobus.

950. indictione octava, Berengarius cum Adelberto filio suo imperavit annis undecim.

956. indictione decimaquarta, Joannes XII. sedit annis septem.

962. indictione quinta, Otto I. imperavit annis sex.

963. indictione sexta, Benedictus V. sedit anno uno, mensibus sex.

964. indictione septima, Leo VIII. sedit anno uno, mensibus quatuor.

965. indictione octava, Joannes XIII. sedit annis septem, mensibus undecim. Hic à Petro Præfecto Romanæ Urbis comprehensus, & in Castellum Sancti Angeli, deinde in Campaniam in exilium missus, post decem menses, & dies viginti & octo Romam reversus est, & de persecutoribus ejus ab Ottone Imperatore supplicium sumptum.

968. indictione undecima, Otto II. cum Ottone filio imperavit annis octo.

973. indictione prima, Benedictus VI. sedit anno uno, mensibus sex. Iste comprehensus est à Cintio Theodoræ filio, & in Castello Sancti Angeli retrusus, ibiq; strangulatus est.

974 Indictione secunda, Donus II. sedit anno uno mensibus sex.

975. indictione tertia Bonifacius VII. sedit anno uno, mense uno.

976. indictione quarta, Benedictus VII. sedit annis novem, mensibus septem.

985. indictione decimatertia, Joannes XIV. mensibus novem. Hic in Castello Sancti Angeli retrusus, & per quatuor menses famæ afflictus, mortuus est, & fertur occisus.

986. indictione decimaquarta, Joannes XV. sedit annis decem, mensibus sex.

996. indictione nona, Gregorius V. sedit annis duobus. Otto IV. imperavit annis quinque.

998. indictione undecima, Joannes XVI. mensibus decem.

999. indictione duodecima, Sylvester II. sedit annis quatuor, mense uno, diebus novem. Otto Imperator puer Beneventum venit.

1001. indictione decimaquarta, Otto III. Imperator Sutri, & Henricus filius Patrui sui fit Rex.

1002. indictione decimaquinta, Saraceni venerunt super Capuam.

1003. indictione prima, Joannes XVII. mensibus quinque.

1004. indictione secunda, Joannes XVIII. sedit annis quinque.

1007. indictione quinta, à tempore Longobardorum usque hunc annum sunt anni 400. Landulphus Princeps Capuanus obiit

1009. indictione septima, Sergius IV. sedit annis duobus, mensibus novem.

1010. indictione octava, Joannes Abbas obiit Beneventi.

1012. indictione decima, Benedictus VIII. sedit annis duodecim.

1013. indictione undecima, Salis defectus, & fames valida fuit.

1014. indictione duodecima, Henricus Rex venit Romam, & coronatus est à Papa Benedicto. Pandulphus Princeps obiit.

1016. indictione decimaquarta, Luna quasi sanguis facta est.

1017. indictione decimaquinta, Normanni Melo Duce cœperunt expugnare Apuliam.

1022. indictione quinta, Henricus Imperato venit Italiam, & creavit Principem Theobaldum, qui fuit Comes Teani, & Pandulphum Principem vinctum secum portavit. Sed mortuo Imperatore iterum fusutus redit. Uno obsedit Capuam cum Græcis, & vi recepit eam. Idem ingressus est Neapolim, & obtinuit eam anno uno, mensibus quinque. Obiit Arnulphus Abbas.

1024. indictione septima, Joannes XIX. sedit annis novem, mensibus octo.

1025. indictione octava, à tempore Ludovici Imperatoris sunt anni 159. quando Capua capta est à Græcis, & Comite Pandulpho.

1028. indictione undecima, Conradus coronatus est.

Hic nonnulla desiderantur.

in Papam Clementem constituit. Adinulphus Comes Cannetum dissipavit. Anno Domini 1084. indictione septima. Henricus Rex à Romanis intromissus Romam 12. Kalendas Aprilis, & stetit usque 11. Kalendas Junii. Et venit Robertus Dux cum ingenti exercitu, & tradita est ei Roma à quibusdam Romanis, & multa mala ibi commisit. Accepto Papa Gregorio egressus est.

1085. indictione octava, Fames, & mortalitas maxima fuit Gregorius Papa apud Salernum moritur. Robertus Dux moritur, Jordanus fit Princeps, Henricus imperavit annis sexdecim.

1086. indictione nona, 13. Kalendas Martii, prima hora noctis stella clarissima in circulum Lunæ prima ingressa est.

187. indictione decima, Victor III. mens. undecim. Hic fuit Desiderius Abbas Sancti Benedicti, eodem die Corpus Sancti Nicolai venit Barim 16. Kalend. Octobris Pisani apud Aphricam debellaverunt, & vicerunt Saracenos.

1088. indictione undecima, Augustinus fit Abbas Casemarii.

1089. indictione duodecima, Urbanus Secundus sedit annis undecim, mensibus quatuor.

1090. indictione decimatertia, obiit Jordanus Princeps Capuæ, & Capuani debellaverunt Ecclesia Sancti Martini dedicata est à Joanne Tusculanense Episcopo, ubi interfuerunt Episcopi 6 numero.

1093. indictione prima, 8. Kal. Octob. Sol obscuratus est hora sexta usque ad horam nonam.

1094. indictione undecima, obiit Jonathas.

1095. indictione decimatertia, Stellæ de Cœlo visæ sunt cadere, pridie nonas Aprilis feria quarta motio magna in Hierusalem Christianorum. Claustra Casemarii incepta.

1096. indictione quarta, innumera Francorum, & Ultramontanorum, aliorumque gentium multitudo ad expugnandum Saracenos mare transierunt.

1097. indictione quinta, circundata est Antiochia in die media.

1098. indictione sexta, Antiochia capta est 3. nonas Junii feria 5. & stella cometes apparuit, & Cœlum igneum, & Sol obscuratus est.

1099. indictione septima, Rogerius Comes venit super Capuam. Postea filii Gerardi recuperaverunt Soram.

1100. indictione octava, Paschalis II. sedit annis decem & octo, mens. quinque, die 7. Hierusalem capta est à Christianis,

1103. indictione undecima, Sora cremata est cum septem Ecclesiis in Sanctæ Mariæ Luna Ecclypsim passa est 14 Kalend. Octob. cum nulla nubes appareret.

1104. indictione duodecima, Robertus filius Jordanii Principis surrexit contra Principem, videlicet germanum ejus, Ecclesia Sancti Dominici in Oct. S. Mariæ dedicata est à Papa Paschali. Obiit Gregorius Comes Ceccani 12. Kal. Octob. feria tertia.

1105. indictione decimatertia, Marchion venit Romam consentientibus quibusdam Romanis, & elegit Adanulphum in Lapam Silvestrum ad Sanctam Mariam Rotundam infra Oct. Sancti Martini, sed sine affectu reversus est, & Boemundus transfretavit in Apuliam.

1106. indictione decimaquarta, Abbas Augustinus Episcopus factus est, & Joannes fit Abbas Casemarii, & Henricus Rex obiit.

1108. indictione prima, obiit Joannes Abbas Casemarii, & Placidus fit Abbas Casemarii, apparuit stella cum cauda per dies 40. venit Robertus Princeps in Campaniam Junio, & accepit tributum à Ceperano usque Signum. Obiit Joannes Abbas Sancti Clementis.

1109. indictione undecima, Princeps Robertus venit super Anagniam.

1110. indictione tertia, Legati Regis Henrici Romam venerunt, orantes, ut Papa concederet Regi Abbas Placidus renunciavit Abbatiam, qui fuit Episcopus Ferentinus, & Amatus fit Abbas.

1111. indictione quarta, hoc anno mortui sunt Rogerius Dux, & frater ejus Boemundus

dus, & Richardus de Aquila. Rex Henricus in Italiam cum magno exercitu venit, & cœpit, & incendit Novariam, & venit Romam, & susceptus est à Papa honorificè, & intromissus in Ecclesiam Sancti Petri, ut eum coronaret. Tunc ipse Rex dolosè peragens una cum sula cœperunt Papam, Cardinales, Episcopos, nobiles Papæ jubente juraverunt Cardinales non excommunicare cum Papa, quod non in suo officio violaret eum tenere regnum, quod nulli personæ meritum redderet de eis, quod Rex fecerat eis. Henricus imperavit annis quindecim.

1113. indictione sexta, Ceperanus crematus est 11. idus Augusti, & arçem Ceccani in S. Mariæ.

1114. indictione septima, Pisani debellaverunt Majoricam, & Minoricam Insulas Paschalis Papa fecit Synodum apud Ceperanum, & dedit insignia Duci Willelmo.

1116. indictione nona, Abbas Amatus renunciavit Abbatiam Casemarii, & Benedictus fit Abbas.

1117. indictione decima. Terræmotus magnus per totam Longobardiam, & submersa sunt multa ædificia. Henricus Imperator Romam redit, & Paschali Papa faerit Beneventum.

1118. Indictione undecima, Gelasius Secundus sedit anno uno. Hoc anno 11. Kalend. Februarii, obiit Papa Paschalis. Joannes Cancellarius in Papa Gelasium ordinatur eo die. Eodem die Henricus Rex ordinavit alium Papam in Roma invitus Clericorum, Mauritius nomine in Papam Gregorium VI. id. Martii.

1119. indictione decimaquinta, obiit Gelasius Papa. Calixtus Secundus sedit annis quinque, mens. decem, dieb. tresdecim. Guilelmus Archiep. Viennæ ordinatus ast in Papam Calixtum.

1120. indictione decimatertia, Calixtus Papa venit Romam, inde Beneventum, & Dux Willelmus, & Princeps Jordanus & magnates Apuliæ fidelitatem ei fecerunt, & perexit Bari, & liberavit de captivitate Reginam Boamundi.

1121. indictione quarta, Calixtus Papa cum Romanis, & cum maxima gente venit super Arenariam, sed fallaciter hoste suo præliante vacuus revertitur.

1122. indictione decimaquinta, Stellæ innumerabiles visæ sunt cadere per totum Orbem pridie... Aprilis horæ matutinæ. Ticclena cremata est.

1123. indict. prima, Benedictus Abbas Casemarii renuntiavit Abbatiam, & Petrus Prępositus factus est Abbas. Eodem anno Calixtus Papa pacem cum Henrico Rege per Legatos, & Synodum fecit ferè quingentorum Episcoporum. Iterum, & iterum congregato exercitu post alia castra expugnavit, cœpit Magentiam, & Baro capite truncatus est, uxorque illius, & filii expositi, quia interfecerant apud Pipenum Crescentium Comitem Domini Papæ. Idem fecit Aqueputiæ.

1124. indictione secunda, obiit Calixtus Papa 19. Kalend. Januarii, consensu omnium Clericorum Romanorum post septem dies ordinaverunt Lanibertum Ostiensem Episcopum in Honorium Papam, qui sedit annos quinque, mensem unum, dies vigintiquinque.

1125. indictione tertia. Hoc anno idus Martii venit Honorius Papa cum maxima gente, & cepit Trevem, atque Magentiam, & cremavit prius Tertium, & Roccam siccam, & Julianum, & Sanctum Stephanum, & Prosseum, & abstulit Sanctum Laurentium. Postea Comites Gedefridus, Landulphus, Rainaldus juraverunt Papæ.

1126. indictione quarta, Honorius Papa cepit Segnis, & Vinculum interfecto Otto. Lotharius imperavit annis undecim.

1127. indictione quinta, Honorius Papa venit super Suplnum, & plurimi interfecti cum dedecore reversi sunt Romam.

1128. indictione sexta, Godefridus, & Raynaldus Comites Ceccani, quà plurima oppida ceperunt homines castri Frabr.... & Supini reddiderunt se Guidoni, & Joanni. Mortuo Duce Guilielmo Papa cum exercitu rediit Beneventum.

1129. indictione septima Bipæ crematus est.

1130. indictione octava, Innocentius Secundus sedit annis tresdecim, mens. septem, diebus 7. Obiit Honorius Papa, & divisa est Ecclesia. Alii ordinaverunt Innocentium Papam, atque alii Anacletum. Obiit Placidus Episcopus Ferentinensis, & electus est Dominus Gisus, sacratus ab Anacleto.

1131. indictione nona, obiit Gottefridus Comes; hoc anno fecit Rogerius per terram suam clamare Rex.

1132. indictione decima, Sol visus est habere circulum, ut arcus.

1133. indictione undecima, Rex Lotharius venit Romam cum Innocentio Papa, & ab eo coronatus recessit. Sol obscuratus est, & terræ motus grandis.

1135. indictione decimatertia, Rex Rogerius incendit Aversam, & tulit terram Comitis Raynaldi, & Unfridi, & obsedit Neapolim.

1137. indictione decimaquinta, Innocentius Papa venit cum Eleutherio Rege, & ceperunt totam terram usque Varim, & ordinaverunt Raynonem Comitem Ducem, & reversi sunt. Tunc Rex pugnavit cum Duce, & perdidit. Conradus imperavit annis quindecim.

1138. indictione prima, obiit Anacletus. Depositus est Dominus Gisus Episcopus Ferentini, & electus est Episcopus Transmundus Segninus. Kalend. Octob. fuit ventus validus, ita quod multa ædificia, & arbores prostravit. Innocentius excommunicavit Regem Rogerium cum omnibus suis fautoribus, & Gulielmum filium. Tunc Papa, & Præfectus, & Dux Robertus cum multis venientes apud Sanctum Germanum, & incendentes omnia,

ve-

veniunt Gallutium, ibi captus est Papa cum multis, & facta est redemptio tacenda.

1139. indictione secunda, Innocentius Papa congregavit Synodum in Roma, & damnavit patrem Anacleti. *Mense Junii venit Papa cum Romanus ad expugnandum Regem Siciliæ, & incensa sunt à Romanis Falvatera, & Insula, & S. Angelus in Tudicis. Et cum esset Gallucium, captus est Papa à Rege Rogerio cum multis, facta treva tum Rege reversus est Romam.*

1140. indictione tertia, *venit Rex Siciliæ, & filii ejus mense Julio, ceperunt Soram, Arcem, & usque Ceperanum.*

1141. indictione quarta, hoc anno factus est Diaconus 8. Kal. Martii hebdomada in 40. in Ecclesia S. Joannis de Ciccano.

1142. indictione quinta, Luna 13. obscuratus est 2. id. Februarii.

1143. indictione sexta, Cœlestinus Secundus, mens. quinque, diebus quatuordecim; hoc anno cecidit turris Arenariæ, 4. Kalend. Febr. & obscurata est Luna 14. in 4. non. Febr. incipiente nocte per tres horas. Obiit Landulphus de S. Joanne 4. non. Septembris. Obiit Innocentius Papa 4. id. Septemb. Guido Cardinalis in Papam Cœlestinum ordinatur. *Rex Siciliæ venit Arcim, & misit in suo jure.* Obiit Godefridus filius Domini Landulphi 16. Kalendas Novembris, & filii Regis ceperunt totam terram Marsorum.

1144. indict. septima, Lucius Secundus sedit mens. undecim, dieb. septem. Obiit Landulphus Pusanus undecimo Kalend. Aprilis feria sexta; *Venit Rex Siciliæ in mense Junio Ceperanum, & Dux filius ejus intravit in terram S. Petri, & cepit eam.*

1145. indictione octava, Eugenius Tertius sedit ann. 8. mens. 4. dieb. 20. & cessavit dieb. 2.

1146. indictione nona, obiit Petrus Abbas S. Clementis 14. Kal. Aprilis in Parasceven, & intravit Leo Abbas 16. kalend. Julii. Romani venerunt super Tiburim, & multos ex eis decollaverunt.

1147. Indictione decima, Papa perexit ultra montes.

1148. indictione undecima, 11. kalend. Aprilis interfectus est Transmundus Ferentinus in Vinculum. Dedicata est Ecclesia Sancti Clementis à duobus Episcopis 14. kalend. Septemb. feria 5. Michael Episcopus Aletrinus benedixit altare majus, quod est desuper. Leo Episcopus Verulanus benedixit altare Sancti Stephani, quod est in confessione. Postea Ferentinati elegerunt Ubaldum Episcopum, qui fuit Pratensis.

1149. indictione duodecima, Ceccanus crematus est id. Septemb. feria tertia Rex Franciæ revertitur à transmarinis partibus. Cum esset Florentini, Gregorius Fummonensis ivit invisere eum, & captus est à Papa, & abstulit ei Fummonem.

1150. Indictione decimatertia, Eugenius Papa Florentinum venit infra mens. Octob. & multos Archiepiscopos, & Episcopos ordinavit. Terracina capta est 6. kal. Decembris.

1151. indictione decimaquarta, hoc anno Bartholomæus presbyter ejectus est de Ecclesia Sancti Clementis 4. non. Februarii die Sabbati, perdidit omnia sua, & officium, sed receptus est 7. idus Julii feria secunda. Eugenius Papa ivit Castrum, & dedicavit ibi Ecclesiam Sanctæ Crucis, 10. Maii, & 6. kal. Novembris dedicavit Ecclesiam Casemarii, & reversus est Segnim.

1152. indictione decimaquinta, Eugenius Papa reversus est Romam octavo idus Septemb. Exiit Leo Abbas, & electus est Landulphus Abbas 12. kalend. Octob. die Sabbati quatuor tempora: ipso die in ipsa Ecclesia Sancti Clementis ordinatus est Subdiaconus, & conversus. Fridericus Imperator imperavit ann. 38. qui excessit alios in malum contra Ecclesiam.

1153. indictione prima, Anastasius Quartus sedit annu uno, mens. quatuor, diebus vigintiquinque. Obiit Ptolomæus Tusculanus 5. kal. Martii. Obiit Landulphus Comes Ceccani 3. id. Aprilis Sabbato in Palmis. Obiit Eugenius Papa non. Julii Tiburim. Deportatus est Romam, sepultus in Ecclesia Sancti Petri. Conradus Episcopus Savinensis consensu omnium eligitur in Papam Anastasium. Scalona capta est à Christianis 14. kal. Septemb.

1154. indictione secunda, 13. kal. Julii venit fulgur de Cœlo in valle, quæ est subtus Ecclesiam Sancti Clementis, & occidit ibi Joannem Presbyterum, & Petrum, & Benedictum, & Mariam die Sabbati. Obiit Anastasius Papa tertio non. Decemb Albanensis Episcopus eligitur in Papam Hadrianum, Hadrianus sedit annis quinque, mens. 8. diebus vigintiseptem.

1155. indictione tertia, *hoc anno Cancellarius Guilielmi Regis Siciliæ cum maxima gente infra mensem Maii venit Ceperanum; & in tertio Kal. Junii crematum est. In kal. Junii in terra S. Petri, & ivit ad montem S. Joannis, & ibi 3. non. Junii cremavit Castrum Babuci. Postea venit Frusinunem, & cremavit Tuderiam, & sic reversi sunt. Deinde venit Rex Romam, & coronatus est à Papa Hadriano in festivitate S. Petri, & reversus est Spoleti, & cremavit illum, & reversus est in terram suam.* Et duodecima kal. Septemb. Mariburellus cremavit arcem. Postea venit Apostolicus cum Cardinalibus in 7. id. Octobris ad Civitatem Soranam, & dedicavit ibi Ecclesiam S. Mariæ. Et Dominus Apostolicus una cum Principe recepit Capuam, & aliam terram, & in festivitate S. Martini crematus est Pophe.

1156. hic venit Fridericus Romam, & accepit coronam apud Sanctum Petrum ab Hadriano Papa.

1156. indictione quarta, *Hoc siquidem anno Guilelmus Rex Siciliæ pugnavit cum Græco apud Brundusium, & devicit eum, dehinc venit Barim, & destruxit eum, & fecit ex eo villa. Inter hæc Robertus Princeps fugit, &*

sa-

captus est à Comite Richardo cum suo filio, & filia in Trajectu, & datus est in manu prædicti Regis. Deinde venit Beneventum, ubi erat Hadrianus Papa cum Comite Roberto de Rotellu, & cum Comite Andrea, & cum multis aliis, & ejecit eos inde, & fecit finem cum Domino Papa, & fecit ei jurandum, & Dominus Papa concessit ei totam terram, quam in se tenebat, Mense Madio Simon Soranus interfectus est à suis hominibus filius ejus Simon fecit vindictam pro eo, fecit cremare, prædare totam Civitatem. Post hæc ascendit in arcem Surelle, & rebellavit se Regi. Tunc Rex fecit obsidere eam per totum annum. & eo amplius, & non potuit eam acquirere, & Papa reversus est Romam.

1157. indictione quinta, hoc anno Gregorius Comes Ceccani acquisivit Carpinetam in octava Sanctæ Mariæ mens. Novemb. Venit Comes Andreas cum Romanis, & Græcis, & aliis multis. Acquisivit totam terram Fundanam, & cremavit Trajectum. Pro vindicta Principis acquisivit terram Sancti Benedicti. Post hæc intravit Cominum, & cremavit portam, & Campuri, & perexit usque Atinum, & reversus ad Aquinum.

1158. indictione sexta, hoc anno in festivitate Innocentum, feria quarta post Epiphaniam perrexit Comes Andreas super Civitatem S. Germani, & pugnavit cum militibus Regis, & devicit eos, apprehendit ex illis plusquam ducentos, & omnia spolia eorum, alii fugerunt ad Monasterium Sancti Benedicti, & Comes misit Civitatem in suo jure, & ascendit in Montem, & possedit Monasterium usque in festo quadraginta Mart. dimisit omnem terram, & ivit Anconam, deinde ivit ad Imperatorem, qui obsidebat Mediolanum. In hoc anno in festo Sancti Bartholomæi Ciccanenses pugnaverunt inter se miles Landi de Valle de Montone, & miles Jonathæ Tusculanæ, qui perdidit alio die. Rogerius Abbas Sanctæ Mariæ obiit.

1159. indictione septima, hoc anno Papa Hadrianus venit Anagnim, & ibi defunctus est kalend. Septemb. feria tertia, & divisa est Ecclesia. Omnes Cardinales elegerunt Cancellarium in Papam Alexandrum. Guido de Crema, & Raymundus, & Episcopus Tusculanus elegerunt Octavianum Cardinalem in Papam Victorium, & sacratu est Pharphum, & Alexander prius sacratus est Nimpha. Hoc anno crematus est Piperrius, & Fummone. Ubaldus Episcopus Ferentinus ivit cum Vicario ad Imperatorem.

1160. indictione octava, in hoc anno Fridericus Imperator destruxit Cremam, & totam fecit cremare, & possedit Placentiam, & Mediolanum.

1161. indictione octava, Alexander Tertius sedit annis vigintiuno, duobus diebus minus, & cessit die septima. Hic venit Anagnim, & acquisivit totam Campaniam, & misit in suo jure. Hoc anno ordinavit Flaimundum Monachum de Monasterio Casæmaril in Verulana Ecclesia, 6. nonas Octob. ordinavit Rodulphum Presbyterum, & consecravit eum Episcopum in Ferentinensi Ecclesia. In eodem mense accepit filiam Comitis Berardi de Albe, Andreas Comes Comitum in conjugio prædictus Berardus reddit Comiti Andreæ pecunia, ex qua recuperavit terram suam. Insuper, & dedit ipsi totum Dominum terræ suæ, & ivit in Comitum, & spoliavit schlavos. Et postea perrexerunt in terram Sancti Vincentii, & cremaverunt plures villas, sex die intrante mense Madio apparuerunt tres Soles. Id. Octob. fuit terræ motus magnus. Hoc anno Episcopus Narniæ ivit per Episcopatum Ferentinensem, & chrismavit pueros.

1161. indictione nona, hoc anno 17. kal. Febr. in aurora fuit ingens terræ motus. Comes Robertus intravit terram usque Tarentum. Comes Andreas relicta terra ivit Constantinopolim, & multi Comites conjunxerunt se Comiti Roberto.

1162. indictione decima, in mense Martlo Imperator Henricus accepit Mediolanum.

1162. indictione decima, Alexander Papa ivit in Francia. *Et mense Martio venit Rex Gulielmus Siciliæ, & vicit Comitissam, Lathementium & cepit Tabernam, & multi Comites amissis terris fugerunt, quos persecutus est exercitus Regis usque Abbrutium, cui præerat Richardus, Isaiæ, & Rex venit in colle Aponis, & constituit milites in montem Casinum in custodiam. Et misit Comitem Lauri cum exercitu, & ceperunt montem Archanum, & uxorem Comitis Richardi, & multos qui ibi inventi sunt.* Comes Gregorius Ceccani obiit, & Episcopus Landulphus de Sora obiit in Arpinum.

1163. indictione undecima, hoc anno 3. non. Jan. ventus evertit domos, & arbores quamplurimas.

1164. indict. duodecima, hoc anno Victor Papa obiit mens. Aprilis apud Lucam Civitatem, & elegerunt Dominum Guidonem Cardinalem in Papam Paschalem. Eodem anno Ecclesia Sanctæ Marlæ de charitate ab Alatrinis, & à Frusinonibus cremata est, & ibi multi servientes Regi Siciliæ mortui sunt, & combusti.

1165. indictione decimatertia Christianus Cancellarius, & Comes Gotheolinus ceperunt maritimam, & Campaniam præter Anagniam, quam devastaverunt, & incenderunt Cisternam; & castrum, & fecerunt jurare totam terram ad fidelitatem Paschalis, & Imperatoris, & sic redierunt in Tusciam. Post eversionem illorum Comes Gilibertus, & Richardus de Gaja venerunt cum exercitu Regis Siciliæ, & intraverunt in Campaniam, & Verulani se reddiderunt, postea possederunt cum Romanis Aletrum, Ciccanum, & Arenariam, & non potuerunt illam capere, Et sic intraverunt in vallem Sancti Laurentii, & incenderunt Castrum Sancti Stephani, & Presei, & unusquisque postea rediit ad proprla,

Hoc autem anno Ripe, Turrice, & Castrum Sancti Laurentii, & Insula cremata sunt, & Alexandes Papa reversus est Romam.

1166. indictione decimaquarta, *Gulielmus Rex obiit mense Madio, & filius ejus Gulielmus successit in Regnum, cum matre sua Margarita Regina.* Et eo anno obiit Raynaldus Casinensis Abbas, & Dominus Theodinus de Scarpa electus est in Abbatem. Comes Andreas intravit terram Regis Siciliæ cum Comite Richardo, & possederunt Pastinam, & non potuerunt eam capere. Tunc perrexerunt ad Picam, & incenderunt eam, & ceperunt Itrum, & Trajectum, & reversi sunt Ceccanum, & milites Regis incenderunt Trajectum.

1167. indictione decimaquinta, hoc anno 7. kal. Januarii Arenaria incensa est: hoc anno mens. Madio Cancellarius Imperatoris Friderici venit super Romanos cum grandi exercitu, & pugnavit cum eis 3. kalend. Junii, in qua pugna fuerunt mortui de Romanis sex millia. & capti multa millia. Deinde prædictus Cancellarius devastavit, & obsedit Romam. *Ipso mense Simon de Sorella devenit hominem Regis Siciliæ, cui concessa est tunc Sorella, & Sora, & Pesclum Sodolum, & Broccum. Deinde jussit reædificare Soram, ceperunt omnes homines, qui fuerunt ex ea ibidem reversi.* Imperator Fridericus venit Romam, & obsedit eam. Papa autem Alexander ob metum Imperatoris per flumen Tiberis exivit de Roma, & ivit Beneventum. Romani autem cum vidissent impetum Imperatoris non posse se sufferre, fecerunt illi fidelitatem, & dederunt illi obsides præter majores, qui erant In munitionibus suis. Post hæc Imperator discessit à Roma cum omni exercitu suo, quia æstaa erat fervida, plurimi de ejus exercitu infirmabantur, & tot moriebantur, quod aliquia vix enumerare posset, ita ut cum paucis redierit in Alemanniam. In hoc anno pluit ab octavo kal. Augusti sæpius usque in quinto id. Novembris, & postea non pluit usque in 13. Kalend. Februarii, & flabat ventum Aquilo, eratque frigus tam forte, ut sata non nascerentur, & stagna coagulabantur, etiam Lacua Fucini penè totus ita glacie coopertus fuit, ut super eum in alteram partem homo transire posset. Hoc anno Episcopatus Soræ concessus est Conrado, qui fuerat Archiepiscopus Maguntinæ Civitatis.

1168. indictione prima, mense Aprili, Romani cum Cancellario Imperatoris, & cum Præfecto Romę perrexerunt super Civitatem Albanensem, & destruxerunt illam à fundamentis, & non sinebant illam reædificare. Prædictus Conradua Archiepiscopus voluit introire in Campaniam cum exercitu Alexandri Papæ, ut subjugaret illam, sed non valuit, quia Comitea de Ceccano resistebant ei fortiter. Hoc anno fuit fervida æstas, & non pluit, ideò Sata non impleverunt in plurimis locis. Mense Septembris, die vigesima obiit in hæresim Paschasius Papa, & pars ejus elegit electum de Albanis in Papam Calixtum.

1169. indictione secunda, mense Febr. Adinulphus de Arpino obiit apud Ceccanum, mense Martio *Comes Robertus de Loretello profectus est in Siciliam facere concordiam cum Rege.* Obiit Guido de Ceccano Comes non. kal. Octob.

1170. indictione tertia, mense Martio, die 15. Kal. Aprilis venit Alexander Papa Verulas, ordinavit ibi Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios ordines. Hoc autem anno misit Imperator Constantinopolitanus Nepotem suam cum Episcopis Græcis, & cum Comitibus, & cum multis militibus, & cum magna pecunia ad Alexandrum Papam, ut daret eam in conjugio Odoni Frajapanis de Roma, qui apud Verulas eam conjugavit, & tunc ipse Odon cum ea reversus est Romam. Postea prædictus Papa Alexander fecit fabricare Ecclesiam apud Verulas ex sua pecunia pro elephantiosis, in qua obtulit multa dona. Quinto id. Martii Papa Alexander venit ad Ecclesiam Sancti Petri de Canneto, & profectus est ad Vernlas. Septimo id. Madii tam vehemens fuit terræ motus, quod plerosque muroa Civitatis destruxit, quod etiam per se sonaverunt campanæ decem diebus, stante mense Madio para Ripæ arsit.

1172. indictione quinta, Alexander Papa fecit finem cum Romanis destruxerunt muros Civitatis Tusculanæ mense Novemb.

1173. mense Novembria, Alexander Papa venit Signiaa 6. kal. Februarii, & dedit Ecclesiam Sancti Paterniani cum omnibus pertinentiis suis. Templariis octo die intrante mense Febr. & in æstivo tempore Sulforaco radicitus tota siccavit.

1174. indictione sexta, 16. Kalend. April. Mons S. Joannis arsit 16. kal. Septemb. fuit tam ventus validus, ut innumeras domos, & arbores à radicibus diruit, & in Insula Ponti Sollarati arsit mense Augusto.

1176. indictione octava, 12. Kal. Novemb. venit Cancellarius Imperatoris ad Anagniam ad Papam Alexandrum; octavo idus Decembris ibat Papa ad Venetiam, Cancellarius Imperatoria Teuthonicorum venit super Cellaa, & eas obsedit. *Comites verò Regni Siciliæ cum ingenti exercitu insurrexerunt in eum, & gens quidem Alemanorum fuit super eos, & plerosque cepit, atque fugam verterunt 6. id. Martii.*

1177. nono kalendas Augusti, venit Imperator ad Papam Alexandrum ad Venetias, & receptus honorificè à Papa juravit Imperator ad Papam Alexandrum, & reversus est Anagniam. Rex Guilielmus filiam Regis Angliæ in conjugio recepit mense Decemb.

1178. hoc anno, 4. kal. Septemb. Joannes Strumi Tusculanum venit, & Alexandro Papæ satisfecit, pœnitentiam egit, circa eum permansit, 3. kalend. Octob. quidam de secta Schismatica inito consilio Landum Sitinum elegerunt in Papam Innocentium, ab eisdem est consecratus. 4. idus Maii. Ibat Papa Ro-

mam

mam cum Cardinalibus, & Episcopis, quem receperunt Romani honorificè; id. Septemb. Sol obscuratus est.

1179. Alexander Papa Romæ in Ecclesia Lateranensi universale fecit concilium, totius Orbis ferè congregatis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, militibus, in quo de Ecclesiæ Dei statu, & augmento compendioaè tractavit, imitatus Sanctorum Patrum decreta, & exempla, quæ per universum Mundum noviter sunt diffusa, & honorificè à quibusdam recepta. Et maxima aquarum inundatio extitit 14. Kalendas Septembris Luna obscurata est.

1180. Tiber fluvius nimium inundavit, & multas domos subvertit, & serpentes innumeros duxit in inundazione. Unde Romæ maxima mors exstitit, & per totam Campaniam. Insuper in Ecclesia Sanctæ Mariæ Rotundæ tanta aqua ex abysso emanavit, quæ non poterat minus nisi conamine Dei, & bonorum virorum, ac mulierum expulsa fuit inde aqua, mens. Jan. eodem anno Pseudo Lando Sitinus falso Papa dictus, captus ab Alexandro Papa, & illaqueatus est, & apud caveam cum complicibua suia in exilium ductus est. Eodem anno non. Octob. Ecclesia S. Joannis de Ceccano peccatis exigentibus tota combusta est cum sua Parochia.

1181. Tertio die Intrante mens. Septembria, Alexander Papa obiit. Et communicato omnium Cardinaliũ consilio Ubaldus Ostiens. Episcopus, apud Vilitrias in Papam ab omnibus diligeuter ordinatur Lucium.

1182. indictione decimaquarta, obiit Landulphus Comes Ceccani decimoseptimo Kalendas Junii, die Dominico. In mense Novembris Castrum reddiderunt filii Landulphi de Ceccano Papæ Lucio.

1183. indictione decimaquiuta, Kalend. Februarii, Rex Guilielmus apud Sanctum Germanum venit septimo kalendas Junii à corpore puellæ visibiliter in Ecclesia de Cauneto B. Petrus dœmonium expulit. Romani venerunt super Tusculanum kalendas Julii, ut eam caperent, sed minimè potuerunt. Interea Cancellariua cum magno esercitu Alemannorum venit apud Tusculanum, & Romanos ibi non invenit, sed remansit ibi cum exercitu, & cepit valde infestare Romam, & depredare. Tandem mense Aug. ibi mortuus est, & sepultus.

1184. indictione prima, hoc anno mensis Aprilis venerunt Romani super Tusculanum, & vastaverunt fortiter Tusculanum decimotertio Kalendas Maii incenderunt Palianum, & Ferronem Penestrum, & sic Romani reversi sunt. Postea Dominus Papa ivit in Lombardiam, & misit Comitem Bertoldum Legatum Imperatoris Frederici pro defensione Tusculanæ, & ad recolligendam Roccam de Papa, quam ipse calidè, & dolosè expugnavit, & eam capere potuit, tamen de bestiis Rom. sæpe sæpius prædam capiebat.

1185. indictione secunda, *hoc anno Guilielmus Rex Siciliæ fecit stolium maximum per mare, & terram super stolium maris ordinavit Capitaneum Comitem Tancredum super stolium terræ fecit Capitaneos Comitem Alduinum, & Comitem Richardum de Cerra, & mandavit eos omnes in Romaniam ad acquirendum Imperuim Constantinopolitanum.* Totum stolium intravit in mare tertio idus Junii. In Festo S. Joannis Baptistæ ceperunt Durazzi. In festo Sancti Bartholomæi adepti sunt Saloniciam cum multis Civitatibus, & Castellia, & Roccis de Romania, jurantes fidelitatem Regis Siciliæ. Tandem exercitus Imperatoris Isaac super quem exercitum erat constitutus quidam Princeps, qui dicebatur Granatus obviaus eis, cum verbis pacificis dicens, quod ultra procedere non poterant tamen si vellet ad propria reverti promisit ei securitatem, & versa vice pacem promittentes Comites Regis Siciliæ; iu festo Sancti Leonardi à Græcis decepti sunt, & Constantinopolim in captione callide ducti sunt. Sed Imperator coguita rei veritate, securitatem considerans, & pacem à Græcis non observatam Latinis, condoluit valde, & erubuit, & sic demum omnes deliberavit, & unusquisque supervivens reversus est ad patriam.

1186. indictione tertia, *hoc anno surrexit quædam secta in Regno Siciliæ de vanis hominibus, qui faciebant se nominare Vendicosor, & mala omnia, quæ facere poterant, non in die, sed in nocte faciebant. Ad ultimum Adinulphus de Ponte Corvo, qui fuerat Magister, & Princeps hujus sectæ sententia Regali judicatus, suspensus est, & multi alii ferro ardenti signati sunt.* Et quidam presbyter nomine Sinnorritto depositus est ab Aquinense Episcopo planges Episcopus, & ferè omnes homines Sancti Germani promittentes, & volentes eum redimere, ut non deponeretur, sed non potuerunt. Octavo idus Decembris venerunt Romani in Campaniam incenderunt Montem Longum, & depredati sunt sylvam mollem, & sic reversi sunt Romam. Urbanus Tertiua sedit anno uno, mens. decem, & diebus 25. Hoc anno ante Ascensionis Dominicę festum, 6. feria, & Sabbato, & Dominico die mare ubicumque probatum est inventum est dulce. Hoc anno venit Rex Henricus filius Friderici Imperatoria, & subjugavit sibi totam Campaniam præter Fummonem, & Castrum Ferentinum obsedit per novem dies, & ivit super Guarcinum; ibi commissum est bellum inter Teutonicum militem, & Latinum nomine Malpenza, & superatus est miles Teutonicus à milite Latino; vidente, & astante Rege cum toto exercitu in circuitu. Quidam Comes nomine Henricus Roccisburgæ de fidelibua Regis, discendens à Rege cum magna parte exercitus Regis fregit securitatem Babuco, & Terræ Pusanæ, & abstulit omnem robbam, & animalia omnia, quæ in Babuco, & in Terra Pusana invenit. Et Rex habuerat fodrum ab ipsis Castellis, hospitatus est in pede Castri per novem dies, omni-

omnibus tam Ecclesiis, quàm Castellis per circuitum omnia mala, quæ inferre & facere potuit, fecit. Ceperanom reddidit Richardo Reberi. Peccatis exigentibus capta est Terra Hierosolymitana à Saracenis.

1187. indictione quarta, Gregorius Octavus sedit mense uno, diebus vigintiseptem. Hoc anno Lanterius Mediolanensis miles erat Ballivus per totam Campaniam, & tenebat in sua potestate Roccam de Lariano, & Castrum. Cognita morte Urbani Papæ & sui Patrui, Mediolanum redire volente, ad notitiam Domini Jordani Abbatis Fossæ Novæ pervenit. Unde ipse Dominus Jordanus considerans, ne ad Curiam Romanam de supradictis Roccis eveniret perdendæ impedimentum, convenit ipsum Lanterium amicabili pacto, & dedit ei lib. provend. Postea Dominus Jordanus præcepit prædictas Roccas in sua cura, & conservavit integra, & assignavit Clementi Papæ.

1188. indictione quinta, hoc anno Clemens III. sedit annis tribus, mensibus tribus, diebus vigintiseptem, Dominus Jordanus Abbas Fossæ Novæ 4. Id. Martii ordinatus est Diaconus Cardinalis, 4. Non. Aprilis consecratus est Presbyter Cardinalis tit. Pastoris Sanctæ Pudentianæ. Mense Junii missus est in Legatione Alemanniæ. Oct. Idus Novembris, Mabilia filia Landulphi de Ceccano data est in uxorem Comiti Jacobo de Tricario. 5. Id. Novembris combusta est Tecclena à populo Ferentino.

1189. indictione sexta, hoc anno Dominus Jordanus Cardinalis reversus est de Legatione Alemanniæ, & applicuit Ceccanum in vigilia S.Petri 11. Kal. Julii. Et Imperator Fridericus in festo Sancti Georgii cœpit ire ultra mare cum maximo exercitu ad expugnandum Saladinum, qui ceperat Terram Hierosolymitanam, & tenebat eam in sua ditione, & perrexit per Hungariam, & Romaniam, ubi multa mala operatus est. Joannes de Ceccano accepit in uxorem Rogasiatam filiam Comitis Petri de Celano. *Mense Novembris Guilielmus Rex Siciliæ absque hærede, quod magnum periculum fuit, mortuus est. Et sic omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & universi Aulici Comites Siciliæ invicem convenientes elegerunt Comitem Tancredum, & honorificè in Regem coronaverunt.*

1190. indictione septima, 10. Kal.Januarii Joannes de Ceccano gladio militiæ accinctus est. Oct. Id. Maii Comes Bertoldus Legatus Imperii Alemanniæ ingressus est Regnum Apuliæ cum magno exercitu, & ivit usque ad Arianum, cui obviantes Comes Richardus de Cerra, & Jordanus Petri Leonis Romanus cum exercitu Regis Tancredi. Mense Septembris prædictus Comes Bertoldus ultra proficere non valens, sua voluntate exivit de Regno. VI. Idus Septembris Domina Ægidia peregrè profecta est ad Sanctum Jacobum.

1191. indictione octava, Henricus Imperator imperavit annis quinque, & mensibus undecim. Tertio Kalendas Maii ingressus est Regnum Apuliæ, obsedit Civitatem, quæ dicitur Arcis, alio die cepit eam, & incendit cum Rocca, & Castello Ancli ejecit Castellanum Mazzeon Burrellum cum omnibus Latinis, & sic omnis Terra redacta est in sui potestate usque Neapolim, & cum magno, & innumerabili exercitu ipsam Civitatem circumdedit, & obsedit, & cum multis, & diversis machinis eam debellavit.

1191. indictione octava, Cœlestinus III. sedit annis septem, mensibus novem. 7. Kal. Martii Domina Ægidia de peregrinatione prosperè regressa est. Episcopus Rodulphus Ferentinus 5. Kal. Martii mortuus est. 18. Kalend. Maii Rex Henricus cum conjuge sua Constantia in Ecclesia Beati Petri à Cœlestino Papa imperialem coronam acceperunt. 3. Kal. Maii.

1192. indictione nona, hoc anno Diopuldus post reversionem Imperatoris in Alemanniam, cœpit infestare Regnum, primo loco cepit Sanctum Germanum quantum potuit expoliavit, & omnia mala, quæ facere valebat faciebat per totum Regnum deprædabat, & homines vendebat. Hunc rangorem recipit à Decano Montis Casini, & à Joanne Monacho ejusdem loci.

Inter multa quidē mala, quæ Rex gesserat isdem,
Quatuor advenit Napolim Lunisque resedit.
Urbs manet invicta redit sine conjuge missa.
Salerni produnt capiunt miserè Panormum.
Regi Tancredo de tanto munere læto
Morbo devicti remeant ad propria dicti.
Judicio Christi remanent per rura relicti.
Vix superest tellus morientibus his sine ferro.
Rex Capuam venit, feretro se ponere fecit,
Et Dux multorum lecto defertur equorum.
Muscam cerbellum jubet hic assumere bellum,
Qui sic incœpit pro me Conrade manebis.
Innuit & vitam pro quo nec ponere vitat,
Et Roccæ Soræ Conradus dulcis in ore.
De jussu cujus arci remanet Diopoldus;
Et Dux multorum cum paucis Teutonicorum,
Et patrios lares repetit sine conjuge quam Rex
Dux erat in Regno Secum remanere paterno.
Quo Comes Acerræ sequitur caput est quia guerræ
Hunc statuit dictus Regni Dominumq; magistrū,
Corde quidē parvus fuit hic, sed corpore magnus,
Pulcher in aspectu viso velut anguæ receptus,
Et fuit in bello vel ferrum jungere ferro.
Nomine Richardus nimis ad certamina tardus.
Fallax fortuna quæ dat post prospera dura,
Deservit dictum de quo satis est modo dictum.
Hic Capuam venit, hacq; dolo non Marte recepit,
De quibus invenit nullum plus vivere quærit.
Dantur & aquæductus mouentibus his sine jussu.
Quod plaustro ponunt canis est & fluminis onus.
Et de Castello Capuæ fit pax sine bello,
Liberet ut dictus Conradus se dedit ipsum.
Nil modo plus dicam, redit gens pestis iniqua
Ad mala multorum remanent duo Teutonicorū
Hi patria fulgur Conradus est, & Diopuldus,
Hi renovant bellum perturbant undique Regnū,
Hi via cunctorum radix doctrina malorum,

Ad

Ad famam quorum rediit gens Teutonicorum,
Per mare, per terras reparantur & undiq; bella,
Ad Siculum ducat calamum nostrum mea musa,
Mentibus adducat quæ sic fortuna secuta.
Tancredum Regem cum comissa sibi gente,
Redat ut ablatam Romæ mandat cui Papa,
Reddidit hancque cito missi retulere marito,
Et pater, & natus à Summo Rege vocatus,
Deserit addicta puerum cum matre relicta,
Cui fuit & nata pro multis luca creata:
Quam sibi conjunxit rapuit, de carcere duxit
In bello doctus frammæ. Gualterius hostis,
Hæc quia fama volans Gallirum duxit ad oras,
Rex diversorum collecta gente virorum
Apuliam quærit, sulcavit & æquora remis,
Hic & Marcaldum jussit percurrere magnum
Æquoreus fluctus cum centũ navibus, aut plus,
Insimul has proras Messenæ duxit ad oras.
Rex juramentis cartabis aliisque receptis
Tunc ad Messinam gaudet venisse carina.
Hanc Urbem tollunt, mare pervenere Panormũ,
Hos intraverunt portus simul applicuerunt.
Colloquio dulci sibi primos allicit Urbis,
Et tactis sacris dedit omnibus oscula pacis,
Per Dominum veri. per cætera Numina Cœli
Unicuique sua servare per omnia jurat
Ne falax veri Comitem Richarde caleni
Dirigit ad dictam pueri matremque relictam.
Urbs ut reddatur monet ut pateat hoc Comitatũ,
Cui Liviæque datur puero pro Rege Ducatus,
Per Sacramentum puero donare Tarentum,
Si modo Castellum reddat sibi Calata bellum,
Cur nimis infælix natorum tristia quæris,
In fraudes morum non nostis Teutonicorum,
Omnia turbantur pueri cum matre ligantur;
Jussit ut eis carcer custos ducantur, & arcet,
Gallia multorum fuit istis pœna dolorum.
Fumine turbato puero post mlta necato
Mater & imbelles binæ vixere puellæ,
Quos Comes ad lucis duxit portumque salutis;
Fertur & ad Brãmã per quẽ dependit à dragma.
Hic & oves ipsas ad caulas detulit istas.
Si plus vixisset, mala quot, & quanta tulisset,
De jussu cujus mors vita prevenit hujus.
Nemo scire potest nisi solus qui regit omnes,
Omnia cum Papa gaudent de morte tyranni.
Mortuus est mitis leo raptor, vel Lupus Agni.
Mortuus est verè, qui multos perdidit ære.
Si cui dixit, Ave, fuit hoc ut ab hoste cavendũ.
Mors necat, & cuncti gaudent de morte sepulti,
Apulus, & Calaber, Siculus, Tuscusq; Ligurq;
Italicis ictus Henricus nomine dictus.
Teutonicorum natu Rex, & origo malorum,
Imperio Romæ sexto decessit ab anno,
Mille Dei centum bis demptis tribus ab istis
Transierant anni periit cum pessimus anguis.
Ad Siculas partes vitam dimisit & arces.
Ductus Messenis cupiens pœnas dare pœnis
Subditur infelix ibi mox, & ad infima venit.
Discere justitiam magna res vivere recto.
Istius exemplo poterunt perpendere certo.
Quem rota fortunæ, quem fallax gloria lunæ
Ecclypsim passum demersit ad infima lapsum.
Re patris invisus puer Regnum Rex Fredericus
Quod tenet infidus vastat Diopuldus iniquus;

Additur huic Soræ Conradus dulcis in ore
Marchio Marchaldus cupit his se jũgere magnus,
Quem Pater ad curam pueri Regni dare curat,
Cui parvum Regni parvissima cura,
Hunc necat obscura quæ nulli parcere curat.
Hic quia Celani Comitem devicerat, agris
Ceperat, & natum per quem putat esse beatum,
Non timet, instatur, insanit, glorificatur.
Hunc qui sublimat, qui ditat ducit ad ima.
Nobilis istorum mala vir sed tanta luporum
Atterit & fraudem quibus offers Aprile laudẽ.
Mille centum bis primo cum quibus anno
Per vim Francorum Capuæ, Terræque laborum
Est data magna salus, est ubi multa palos.
Teutonicorũ brammæ Diopuldũ vicit ad amnem
Agnellæ pontis Francis Gualterius ortus,
Hisque die denno venit victoria cœlo
De Junii mense quo multos vulnerat ense.
Ad Cavios victi fugiunt Castrisque relictis.
His Aquilæ, Fũdi Comes & Richardus in undis
Effugiens latum cupiens redire Traetum.
Voce petit Cœlum Socii remeate Calenum,
Nemo tantorum valet ictus ferre virorum.
Fortes insistunt quos spero vincere vincunt.
Annus idem Domini fuerat sed pugna secunda.
Victus ab hoste fuit primo Diopuldus ad undam
Põtio Catinarum prope Barulum Sulpia Salum.
Fulserat undena lux Francis illa serena,
Octubrii mensis ubi Christus pugnat & ensis,
Apuliæ molles Comitis fugat ille cohortes
Per quem Scifridus octo laviensis iniquus
Carcere cunctorum sua lugent & sociorum.
Venit ad hæc lætus Veneris certamina Petrus
Auri nummorum quem copia solum equorum
Interfectorum nescimus nomina quorum.
Corpora rure jacent omnibus illa patent.
Laudem sublimem fers Apuletuque Latinæ
Regi cunctorum qui traxit ad ore luporum.
Et nos per Francos facit amodo vivere Francos,
Annus erat quartus Domini cum mille ducentis
Quando summè Diopuldus in arce retentus
Fur lupus invisus laque per Lodoicum
Hanc decet & Jani lucem prima venerari,
Qua fuit impulsus cui tam pius extitit usus
Quatent hunc axis qui se conjunxerat astris,
Quem rota sublimat eadem deduxit ad ima.
Cujus opus gessit hinc munus rite tapescit.
Tristitiam tristi Dominus modo duplicat isti,
Nil faciendo moræ Conradus tunc cito Soræ
Custodum fraude Roccam suscepit & arcem.
Gaudeat & caveat nec nimium paveat.
Sunt quia divisi consortes ad mala nisi.
De domibus Regno veteri de Turre memento.
Tertius annus erat Domini cum mille ducentis
Quando Salerni Gualterius ille receptus,
Urbis per stultum medium fugat & Diopuldum.
Prospera mensis erat lux Francis & duodena
Quam decet à Regni venerari gente Novembri:
Quintus & annus erat Domini cũ mille ducẽtis,
Et fuit undena Junii lux in prima mensis
His octava datur judicio quæ renovatur,
Cum Comes est Bramma Sarni devictus ad amnẽ
Stultitia casu nec Marte dolo superatus.
Multos Francorum dolor angit, & Italicorum.
Est Runcevalli similis devicto Sarni.

Quando Nepos magni Caroli fortissimus armis
in campo victus Gannlus cum prodidit ipsum,
Qui revocare turba Dominum sociosque refutat.
Heu regale genus, jubar & decus omne quiritū.
Heu genus Oppofum vitiis virtute potitum
Quo cito sic eccidit multorum gloria virtus
Multis Apuliæ caput est à corde resciffum.
Et datur ut culmo viridi sedeat Diopuldo,
Qui nunquam novit quæ sit natura leonis
Indulgere quia cujus scit nobilis ira.
Parcere prostratis hic novit & humiliatis.
Culmus, idest, mundus, auriga Deus, rota curus,
Quos si quando voles ditat, terit, & levat ore.

1193. indictione decima, hoc anno Dominus Cœlestinus Papa misit Dominum Ægidium Diaconum Cardinalem Anagniæ Panormum retulit Imperatricem Constantiam, quam Salernitani dederant Regi Tancredo, & honorificè duxit eam Romam, & sic Dominus Papa honorificè remandavit eam cum suis expendiis Imperatori in Alemanniam.

1194. indictione undecima, *hoc anno Imperator præparato magno stolio per mare misit in Siciliam*, & ipse cum magno exercitu per terram veniens Oct. kalend. Sept. Campaniam applicavit, & eam totam foderavit, & data securitate & pace totius Campaniæ fecit Babucum expoliare, & deprædari. Posteaivit Salernum, & fecit magnam partem murorum diruere, & omnes homines, quos ad manus potuit habere captivavit, & totam Civitatē expoliavit pro vindicta uxoris suę, quā dederat Regi Tancredo, & sic transivit in Siciliā.

Mense Decembris cum multis falsis promissionibus recepit Panormum, & Palatium, & cum multis fallaciis, & deceptionibus, & Sacramentis abstraxit Regem Rogerium de Castro Catabellocte, ubi ipse securè, & abundanter in divitiis, & in cibaliis permanebat.

1195. indictione duodecima, *hoc anno Imperator Henricus per Sacramenta decepit Regem, & omnes Comites, & posuit eos in vinculis, & in ergastulis, & omne aurum, & argentum, quod de Regno ad manus habere potuit congregavit, & per terras, & per mare in Alemanniam misit, & ipse per terram reversus est in Alemanniam deducens secum ligatos Regem, & Comites, & quamplurimos alios in captivitatem.*

1196. indictione decimatertia, hoc anno gratia & misericordia Dei Omnipotentis tempore Domini Joannis de Ceccano Ecclesia Sanctæ Mariæ Fluminis honorificè dedicata est & consecrata. Ad quam consecrationem fuit tamquam pater Dominus Jordanus Presbyter Cardinalis, & Dominus Berardus Ferentinus Episcopus, Dominus Joannes Anagninus Episcopus, Dominus Petrus Signinus Episcopus, Dominus Oddo Verulanns Episcopus, Dominus Taddæus Alatrinus Episcopus, Dominus Tedelgarius Tarracinensis Episcopus. Officium sicut incœptum est Nono kal. Augusti post cœnam convenientibus Episcopis cum Domino Cardinali, & cum maxima multitudine Clericorum, & Laicorum, tam campaniæ, quàm maritimæ, & aliarum Provinciarum ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Fluminis ordinata est processio, in qua processione fuerunt septem paria focularum accensa, viginti thuribula argentea cum igne, & aromatibus. Quatuor Evangelistaria ar-argentea, duodecim Cruces argenteæ, & quatuor cagæ cum Reliquiis, quas Reliquias deportaverunt ad quatnor papiliones, qui permanebant in Canapinis extra circuitum Ecclesiæ, cantantes ℟. Hæc est vera fraternitas, & in unoquoque papilione septem lampades erant ardentes, & sic in papilionibus vigilatæ, & custodite sunt Reliquiæ à Clericis cantantibus, & laudantibus, & benedicentibus Dominum, & undique cantus, & laus laicorum virorum, & mulierum per totam noctem non defecit.

Octavo kalendas Augusti, facto mane convenientibus Episcopis, & congregatis cum Domino Cardinale secundum rationem consuetudinis primo loco consecraverunt corpus Ecclesiæ Beatæ Mariæ semper Virginis. Deinde reparantes processionem, euntes ad papiliones tulerunt inde Relignias, & portaverunt eas in Ecclesia Sanctæ Mariæ: præcibus omnium Episcoporum. Dominus Cardinalis locutus est tam benè, & subtiliter, quod omnes qui heri & nudius tertius eum agnoverant, incredibili admiratione mirati sunt. Nondum finito sermone ecce Dominus Joannes de Ceccano, qui graviter infirmabatur in domo sua, advenit sanus intus in Ecclesiam, quod videntes omnes homines, pro maximo miracolo recipientes, & quasi per mediam horam stupendo cum ingenti voce gratiarum, laudaverunt, & benedixerunt Dominum, qui vivit & regnat in Cœlis. Sermone finito altare majus, quod est in medio Ecclesiæ Sanctæ Mariæ situm consecratum est per manus Domini Berardi Venerabilis Ferentinatis Episcopi assistentibus, & cooperantibus ei Domino Jordano Venerabili Cardinali S.R.E. & Domino Joanne Venerabili Anagnino Episcopo ad honorem Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi. De Reliquiis istis, de ligno Domini. De vestimento Beatæ Mariæ, Petri Apostoli, Jacobi Apostoli, Marci Evangelistæ, Laurentii Martyris, Sebastiani & Sociorum ejus, Sanctorum Innocentum, Marii, Marthæ, Audifax, & Abacuc, Stephani Papæ, de lapide Sancti Stephani Prothomartyris, Chrisanthi, & Dariæ, & Sociorum ejus, Eventii, & Alexandri, Cæsarii Martyris, Aureliæ, Superantiæ, de vestimento Sanctl Thomæ Cantuariensis Episcopi. Ipso die, & ipsa hora consecratum est Altare Sancti Pauli, quod est situm in porticu prædictæ Ecclesiæ per manus Domini Oddonis Venerabilis Verulani Episcopi. De Reliquiis istis: Marcelliani, Mauritii Martyris, Naboris Martyris, Abundi, Nerei, de sanguine Beatæ Lucillæ, Secundinæ Virginis. Eo die, & adem hora Al-

ta-

tare Sancti Quirici, quod est situm in alio porticu sæpè nominatæ Ecclesiæ consecratum est per manus Domini Thaddæi Venerabilis Alatrini Episcopi. De Reliquiis istis: De signo Domini, de petra Sepulchri, Sebastiani, quadraginta Martyrum, Sanctæ Barbaræ. Ipso die, & ipsa hora Ecclesia Beati Mathæi Apostoli, quæ est juxta sæpe dictam Ecclesiam cum Altare consecrata est per manus Domini Petri Venerabilis Episcopi Signini, assistente, & cooperante ei Domino Tedelgario Venerabili Tarracinensi Episcopo. De Reliquiis istis: De vestimento Virginis Mariæ, Philippi & Jacobi, Marci & Marcelliani, Chrisanthi & Dariæ, Concordii martyris, & aliorum Sanctorum, quorum nomina Deus novit. Expletis Divinis officiis reversus est unusquisque Episcopus ad propria hospitia. Dominus Cardinalis reversus est ad Curiam. In apparatu ciborum, centum panes, sex urnæ vini, una vacca, duo porci, duo castrati, sex gallinæ quindecim pulli, unus anser, media libra piperis, & cinnamomi, & sufferanæ. Dominus Episcopus Anagninus ad Ecclesiam Sancti Joannis, nonaginta panes, quinque urnæ vini, una vacca, unus porcus, quatuor gallinæ, decem pulli, unus anser, novem qua... de annona; unum par bacilium, duæ tuallæ, una libra de cera pro candelis, & duæ pro faculis. Dominus Episcopus Alatrinus tantundem ad Ecclesiam Sancti Petri. Dominus Episcopus Verulanus tantundem ad Ecclesiam Sancti Quintiani. Dominus Episcopus Tarracinensis ad Ecclesiam Sancti Nicolai quinquaginta panes, duæ urnæ vini, media vacca, medius porcus, duæ gallinæ, sex pulli, unus anser, tres unciæ piperis, & cinnamomi, tres qu... annonæ, duo bacili, duæ tuallæ, una libra de cæra pro candelis, duæ pro faculis. Dominus Episcopus Signinus tantundem ad domum Stephani de Natoni. Magister Joannes Ferentinus, unus porcus, viginti panes, una urna vini, tres pulli, una qua... de annona, una uncia piperis ad domum Joannis Gagetani. Omnes Ecclesiæ de Ceccano secundum quantitatem habuerunt panem, & carnem. Dominus Berardus Episcopus Ferentinas remansit ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ propter Ferentinates, quibus volebat dare expensas, & dedit omnibus illis, qui recipere voluerunt, & corpus Ecclesiæ tantis hominibus dedit cibalia, ut illi qui scribere vellet fastidium generaret, sed gratia Dei nullus venit eo tempore pro cibaliis, qui vacuus recederet.

Finita consecratione Ecclesiarum, & Altarium, primam oblationem, quæ ibi oblata fuit Dominus Cardinalis obtulit, & manibus suis posuit; super majus sæpè nominatum Altare suum paratum pretiosum videlicet bonum amictum frisatum, bonum camisium frisatum, bonum cingulum frisatum, pulchram stolam cum manulo, optimam Tunicam cum dalmatica, & planetam frisatam cum tall friso, quod Dominus Cardinalis emerat in Colonia pro novem marcis de argento, optimam tirallam frisatam super Altare, pulchra sandalia cum caligis, bonum faldestorum. Secundam oblationem Dominus Joannes de Ceccano obtulit, videlicet chartam libertatis, quam ipse manibus suis supra sæpè nominatum Altare posuit taliter scriptam:

In nomine Domini: Anno Dominicæ Incarnationis M. C. nonagesimosexto, Pontificatus Domini Cælestini III. Papæ anno sexto indict. 14. mense Julii, die 24. Hac die Ego Joannes de Ceccano in præsentia Domini Jordani Cardinalis Sanctæ Pudentianæ charissimi patrui mei, & Venerabilium Episcoporum, Berardi Ferentinatis, Petri Signini, Joannis Anagnini, Thaddæi Alatrini, & Oddonis Verulani, Tedelgarii Tarracinensis, & multorum hominum totius Campaniæ, & Maritimæ, tam Clericorum, quàm etiam Laicorum; inductus amore divino, & pro redemptione animæ meæ, atque meorum parentum præteritorum, præsentium, & futurorum: concedo Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Flumine, & Domino Landulpho dilecto Abbati ejusdem Ecclesiæ, & universæ familiæ ejus, tam Clericis, quàm etiam Laicis præsentibus, & futuris plenam, & perpetuam libertatem, abrenuntiando dare malo usui & omnibus exactionibus; & si quis pro quocunque crimine commisso ad Ecclesiam istam confugerit, nec ego, nec successores mei per me, vel per ministros meos, ei dum ibidem fuerit, nec violentiam aliquam, nec injuriam inferemus, nisi in mortem meam, meorum hæredum, vel in proditione Castrorum meorum, vel in combustione Castrorum ipsorum fuerit machinatus. De ordinatione Clericorum, & destitutione me nullatenus intromittam. Si verò Clericus, aut laicus ejusdem Ecclesiæ in aliquo offenderit, Abbas cum Clericis in eorum Capitulo cogent ipsum ad justitiam exibendam, salvo jurepatronatus. De consilio igitur communi Domini Jordani Cardinalis, & omnium Episcoporum, & consensu Domini Joannis de Ceccano institutum est, ut quicunque contra hanc concessionem fecerit, vinculo anathematis innodetur, & partem cum Datham, & Abiron habeat. Ad majorem itaque cautelam, ne quod factum est, diuturnitate temporis in oblivionem veniat, Presbytero Benedicto dilecto Notario nostro id scribere mandavimus, & cartham ipsam fecimus sigilli nostri munimine insigniri.

1197. Hoc ipso anno Henricus Imperator egressus Alemanniam pridie kal. Decemb. advenit Ferentinum, & per septem dies ibi moratus cum pace, & æquitate, postea ivit Capuam, & invento ibi Comite Richardo de Cerrs in ergastulis fecit eum judicare, & per pedes ad caudam equi ligare, & per lutum omnium platearum Capuæ fecit deducere: & jussit eum post hoc per pedes appendi, & tam diu in patibulo mansit appensus, quousque Imperator mortuus est. *Post Nativitatem Domini Henricus Imperator egressus Capuam, ivit in Siciliam.* 17. kalend. Februar. Cœlestinus obiit. Eodem die Lotherius Diaconus

Car-

Cardinalis electus; 7. kal. Martii consecratus est in Innocentium III. Papam.

1198 Hoc anno Henricus Imperator obiit in Sicilia. Philippus, & Oddo electi Reges in Alemannia. Hoc anno Mercoaldus, & Diopuldus, & Conradus, Sorrelle congregato magno exercitu Teutonicorum ceperunt Sanctum Germanum, & depredaverunt, & omnes homines, & mulieres fugientes ad montem Casinum, quos capere potuerunt, in vinculis tenuerunt, & vendiderunt, & Monasterium obsiderunt per octo dies, adveniente nocte festi Sancti Mauri, Dominus misit super eos tantam tempestatem ventorum, & aquarum, quod diruit omnes papiliones, & fugientes ad Sanctum Germanum multi mortui sunt per viam. Populus, qui erat intra Monasterium egressus est mane, videns miraculum, quod factum fuerat deferens gratias Deo remiserunt papiliones, & omnia quæ ibi invenere. Et Teutonici ultra non fuerunt ausi ibi ascendere, sed custodiebant vias, ne innumerabilis populus virorum, mulierum, parvulorum Sancti Germani, & Abbatiæ fugere posset. Sciebant inopiam panis ibi esse, sed Abbas Roffridus, & Magister Gerardus Cardinalis cum consilio multorum nobilium armatorum, qui ibi erant pro defensione Monasterii dederunt 300. uncias auri Mercoaldo, & sic reliquit Sanctum Germanum valde vastatum, *& cum toto exercitu ivit in Siciliam; quot & quanta mala ibi fecit, & successores sui, magis generaret fastidium tristitiæ, quam affectum lætitiæ*. Secundo Kalend. Decembris venit Diopuldus in Campaniam cum exercitu, et cepit Ripas, et Turricem, et sedit ibi per tres hebdomadas, et deprædavit, et vastavit quantum potuit ipsa tantummodo Castella.

1199. Hoc anno venit Comes Gualterius Francigena mense Junii ingressus Regnum ivit Capuam. Diopuldus cum Comite Fundano, et cum magno exercitu ivit super Capuam ad capiendum Comitem Gualterium. Comes Gualterius cum parvo suo Comitatu, 4. idus Junii egressus foras confidens in misericordia Dei ivit super Diopuldum, et expulit eum, et fugavit de castris, multis interfectis, et captis. Videntes Capuani tantum miraculum valde obstupuerunt, et laudaverunt Deum, Cum Comes Gualterius omnia castra videret vacua de hominibus, plena magna suppellectile, et animalibus; primo loco milites omnes, quos habebat captos misit in custodiam Tianum. Postea de castris, et æquis pro suo velle, et gratia dedit benedictionem Capuanis. Alio die omnes mortuos, qui jacebant per campos fecit eos sepelire in magnum vallum. Diopuldus, Sifridus et Oddo Laviensis, et alii quam plures in Apuliam fugientes eodem anno, et tempore vires, et animum resumentes, et viriliter consortantes, cœperunt congregare exercitum, et præparare se ad pugnam campestrem in territorio Barlettæ prope pontem Cannarum; quod audiens Comes Gualterius, similiter congregavit exercitum cum Domino Roffrido Abbate Casinensi, et cum Magistro Rogerio Apuliæ Cardinali, ivit super exercitum Diopuldi paratus ad bellum; adveniente fine mensis Octob. Comes Gualterius cœpit pugnare fortissime Diopuldum, et exercitum ejus, in qua pugna Diopuldus devictus, et fugatus, captus est Sifridus, et Oddo Laviensis, et quamplures alii parvi, et magni, tanta strages mortuorum ibi facta est, quæ præ multitudine numerata non fuit. Et sic Comes Gualterius in Campo Dei misericordia victor existit.

In nomine Domini, Amen.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimoprimo, indictione quarta, Pontificatus Domini Innocentii Tertii Papæ, anno ejus quarto, kalend Maii. Hac die, in præsentia nobilissimi viri Domini Joannis de Ceccano ante portam Sanctæ Mariæ Fluminis. Ego Robertus quondam filius Domini Rayn. vice comitis miles, et habitator Ceccani vendo tibi Presbytero Landulpho, et Abbatis Sanctæ Mariæ Fluminis de Ceccano, et tuis successoribus in sempiternum unam terram, quæ est in territorio Ceccani, in loco, qui dicitur Campus amici pro 6. libris proven. et si plus valet dono ipsi Ecclesiæ præscriptæ pro anima mea, et parentum meorum, cujus latera sunt hæc à primo, secundo, et tertio latere terra Benedicti Joannis Papæ, à quarto latere via publica, et promitto me ipsam terram defendere ab omni homine, qui calumniam facere vellet jam dictæ Ecclesiæ: et si non defendero obligo me, meosque hæredes in pœna duplum, et pœna soluta venditio firma permaneat. Hujus venditionis hi sunt rogati testes.

Benedictus de Land.
Magister Spinellus.
Magister Raynon.
Petrus de Viguerla.
Magister Raynulphus.

Anno Domini millesimo ducentesimo primo, indictione quarta, Pontificatus Domini Innocentii Tertii Papæ anno ejus quarto, mense Augusti, die vigesimasecunda. Quoniam humana natura imbecillis, et debilis ea, quæ ab hominibus aguntur de facili diuturnitate temporis oblivioni mandantur, ideò in legibus, et consuetudinibus introductum est, ut scriberentur. Ego Joannes de Ceccano propria, et spontanea mea bona voluntate trado, et dono in perpetuum tibi Domino Landulpho Abbati Venerabili Sanctæ Mariæ de Flumine de Ceccano, duas petias terræ in territorio Ceccani, unam in loco, qui dicitur Campus amici, cujus latera sunt hæc à primo latere terra Roffridi de Marina, à secundo, via publica, à tertio latere, terra de Landulpho de Suffla, à quarto flumen. Alia verò terra in loco, qui dicitur Cosa, à primo latere terra Sancti Clementis, et terra Sancti Nicolai, à secundo latere Cosa, à tertio latere terra Domini Beraldi, et terra Girardi, à quarto latere via publica, pro qua donatione recipio

unum molendinum in territorio Ceccano, in loco, qui dicitur Vadum in locatione iu vita mea, à te jsm dicto Abbate, & sociis tuis, Presbytero Helia, Presbytero Nicolao Capella, Presbytero Magistri Joachim, Presbytero B. de Alberto, Diacono Christophoro, Diacono Nicolao, Subdiacono Guidone, Clerico Jacobo, & Clerico Adinulpho. Tali siquidem conditione prædictum debeo molendinum tenere, & habere in vita mea, quod post mortem meam totum integrum revertatur molendinum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ cum ferramentis, & petris, quæ tunc temporis ibi erunt; & si aliquis forte quod non credo litem aliquam, vel calumniam Ecclesiæ jam dictæ inferræ attentaverit, do tibi, tuisque successoribus plenam potestatem eos sub vinculo anathematis innodare. Ad majorem igitur cautelam præcepi, Presbytero Benedicto notario meo, ut hoc totum in scriptis redigeret, & sigilli mei munimine roboraret.

Hi sunt vocsti testes.

Dominus Joannes domini D. D.
Dominus Transmundus Saracenus.
Dominns Siginulfus.
Dominus Joannes Domini Rodnlphi.
Dominns Philippus domini Rainaldi.

In nominè Domini. Amen.

Anno Dominicæ Incarnstionis 1202. indictione quinta, Pontificatus Domini Innocentii Tertii Papæ anno ejus quinto mense Aprili die 15. Joannis de Ceccano dilecto cellerario suo Noc salutem, & amorem: volentes diligere Ecclesiam S. Mariæ Fluminis de Ceccano, & in veneratione ejusdem Ecclesiæ Abbatem Dominum Landulphum, & ejus socios habere, atque in justia petitionibus tuis te in hac parte audire, admittimns preces tuas, atque damns tibi licentiam vendendi terram, quam tu habes in territorio Ceccano in loco qui dicitur Pariti; secundum quod petisti. Ego Noe nullo me prohibente, neque vim faciente, sed propria spontsneaque mea boni voluntate vendo tibi domino Landulpho Abbati S. Mariæ de Flumine prædictam terram & tuis successoribus, in prædicto territorio, & loco Ceccano pro viginti solidis, & si plus valet dono ipsi Ecclesiæ in perpetuum, cujus laters sunt hæc: à primo latere terra transmundi de Aczo, à secundo latere terra domini Simonis de Manro, à tertio, & quarto latere via publica.

Hi sunt testes.

Dominus Siginulfus.
Dominus Philippus domini Rainaldi.
Dominus Guido domini Rainaldi Clericus.

1200. Terræmotus grandis.

1202. indictione quinta. Hoc anno tertio Kslendas Januarii fuit nimia tempests ventorum, quæ arbores erradicavit innumeras ædificis diruit, domos evertit, atque eversione domorum, & allisione sua plurimos interemit. Hic annus ab omnibus dictus est annus famis. Mensura grani de Ceccano assidue vendebstur pro sedecim solidis proven. & hæc inopia frumenti fuit per totam Lombardiam, & Tusciam, Romaniam, & Campaniam, per Regnum Apuliæ, & terræ laboris.

1203. indictione sexta, undecimo Kalendas Februar. Berardus Episcopus Ferentinus obiit nonas Maii indignatione Romauorum dominus Papa venit Ferentinum, undecima Kalendas Junii fecit ibi, & consecravit dominum Albertum Longium Canonicum Anagninum Episcopum de Ferentino.

1204. indictione septima. Hoc anno septimo kalendas Februarii Conradus comes Sorrelle genere Teutonicus venit Babucum nocte cum multitudine armatorum, & per scalas quas secum detulerant ascendentes introgressi sunt nemine sentiente; expergefacti tandem ad quorundam suorum clamores Babucani, & se invicem cohortantes, divino nutu expulerunt omnes. Atque interfectis ex eis amplius sexsginta vulneratisque nonnullis inanes ac vacuos remiserunt.

1206. indictione nona, septimo kslend. Martii dominus Jordanus Presbyter Cardinalis Sanctæ Pudentianæ obiit; secundo idus Maii, dominus Papa Innocentius Ferentinum venit, & ab Ecclesiis fodorum recipere noluit dicens quia ultra modum Ecclesiæ gravarentur, undecimo Kalendss Junii Stephanus Diaconus Sancti Heliæ de Ceccano factus est camerarius domini Papæ.

1208. indictione undecima, decimoquinto Kslendas Martii, anno decimo domini Innocentii Pspæ Tertii Sorrella capta est; & nonas Januarii Soram tradita est, & à Teutonicorum tyrannide liberata. Factum est hoc per domini Papę Innocentii Tertii sollers studium, & laborem in manu camerarii sui Stefani Germani sui Richardi domini Cardinalis Petri de Sasso Rectoris Campaniæ. Sora antem tulta est per Abbatem Casinensem Rossridum, & Malgerium Sorellum, & quosdam alios. Duravit hoc Teutonicorum jugum gravissimũ decem & septem annis, per quos tota regio multifariæ, multisque modis afflicta est, & depauperata per plurimũ. Celebrato festo Ascensionis Domini Innocẽtius Papa Tertius egressus Romam venit Anagniam 16. kalend. Julii egressus Anagniam invenit dominum Joannẽ de Ceccano cum 50. militibus pulcherrimè præparstis ad Maprum ad conducendum, & ludendum coram domino Papa usque ad fontem castri Juliani, ubi inventus est Clerus totius terræ domini Joannis de Ceccano, paratus ad processionem usque intro castrum Juliani. Ante januam Ecclesiæ dominus Albertus Ferentinus Episcopus cum Clericis de Ceccano honorificè paratis, & indutis vestibus Ecclesiasticis recepit dominum Papam, cantando responsorium: Tus est potentia. Finita Apostolica benedictione, unusquisque rediit ad propria hospitia, Clerici de Ceccano redierunt ad papilionem extra castrum, ubi honorificè, & abundanter pro suo velle in platea, in pane, & vino, & parvis, in vaccis,

in castratis, in porcellis, in gallinis, in soseribus, in pipere, in Cinnamomo, in soffrania, in cera, in hordeo, & herba. Post nonam usque in hora cœnæ cum suis militibus dominus Joannes de Ceccano in præsentia domini Papæ jocavit buburbando. Feria tertia alio die dominus Papa ivit Pipernum, & comedit ibi, & dormivit; & dominus Joannes de Ceccano cum toto comitatu suo similiter Pipernum ivit. Ad auram post meridiem dominus Papa cum omnibus ivit ad monasterium Fossæ Novæ, sollemniter cum processione receptus, in refectorio cum conventu cænavit. In sero inventi sunt ducentum equi ad hordeum, paleam, & herbam. Feria quarta clarente die Dominus Papa dedicavit altare majus Ecclesiæ novæ prædicti Monasterii. Eadem hora, & in ipso loco dominus Richardus frater domini Papæ factus est Comes Soræ, & exaltatus, & buccina vociferatus per Prothonotarium à domino Frederico Rege Siciliæ pro hoc delegatum. Et per totum diem ibi dominus Papa moratus est cum conventu Monachorum usque ad portam Monasterii, cum processione celebre conductus, ivit ad castrum Sancti Laurentii die, & nocte permansit ibi. Feria quarta adveniente ivit castrum, & die, & nocte ibi pernoctavit. Sabbato transivit ad Ceperanum, die & nocte permansit ibi, Dominico die proximante, à clero totius Abbatiæ Casinensis sollemniter in Sanctum Germanum dominus Papa receptus est, & ibi permansit usque in septimo kalendas Augusti. Præter quod festum Beati Joannis Baptistæ, Sancti Petri Apostoli, & Sancti Jacobi Apostoli celebravit ad montem Casinum. Septimo kalendas Augusti dominus Papa ivit Soram, & ibi recepit Ecclesiam Sanctæ Mariæ Fluminis de Ceccano sub sui protectione, & B. Petri Apostoli, & memoriales litteras suo sigillo signatas in hunc modum fieri præcepit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,
Servus servorum Dei.

Dilectis filiis Abbati, & Clericis Sanctæ Mariæ de Flumine de Ceccano salutem, & Apostolicam benedictionem.

JUstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in domino filii, vestris justis præcibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Flumine, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis tam Ecclesiasticis, quàm Mundanis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis dante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Sancti Stephani, & Sanctæ Mariæ Ecclesias cum omnibus tenimentis, & pertinentiis suis, forestam juxta Ecclesiam Sancti Stephani, & de capite pontis de prato, & de tineis molendina, vineas juxta Ecclesiam ipsam, & aliam quam emistis in loco, qui appellatur Marana, redditus, decimas, oblationes, homines, hortos, & possessiones alias ad vestram Ecclesiam pertinentes, sicut hactenus justè, ac pacificè possidetis, vobis, & per vos eidem Ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio committimus, libertates quoque, & immunitates, nec non & exemptiones sæcularium exactionum à dilecto filio nobili viro Joanne de Ceccano, tam piè, quàm providè vobis, & Ecclesiæ vestræ concessas, sicut in ejusdem nobilis autentico perpeximus contineri, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas decernimus inferendum: in nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimosexto. Pontificatus domini Cœlestini Tertii Papæ anno sexto indictione decimaquarta, mense Julii, die vigesimaquarta. Hac die ego Joannes de Ceccano in præsentia domini Jordani Cardinalis Sanctæ Pudentianæ charissimi patrui mei, & venerabilium Episcoporum Berardi Ferentinatis, Petri Signini, & Joannis Anagnini, Taddæi Alatrini, & Oddonis Verulani, & Tedelgarii Terracinensis, & multorum hominum totius Campaniæ, & maritimæ tam Clericorum, quàm etiam Laicorum. Inductus amore divino, & pro redemptione animæ meæ atque meorum parentum, præteritorum, præsentium, & futurorum: concedo Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Flumine, & Domino Landulpho dilecto Abbati ejusdem Ecclesiæ, & universæ familiæ ejus, tam Clericis, quàm etiam Laicis præsentibus, & futuris plenam, & perpetuam libertatem, abrenuntiando datæ malo usui, & omnibus exactionibus; & si quis pro quocumque crimine commisso ad Ecclesiam istam confugerit, nec ego, nec successores mei; per me vel per ministros meos, ei dum ibidem fuerit, violentiam aliquam, nec injuriam inferemus, nisi in mortem meam, meorum heredum, vel in proditione castrorum meorum, vel in combustione ipsorum castrorum fuerit machinatus. De ordinatione Clericorum, & destitutione me nullatenus intromittam. Si verò Clericus, aut Laicus ejusdem Ecclesiæ in aliquo offenderit, Abbas cum Clericis in eorum capitulo cogent ipsum ad justitiam exhibendam salvo jure patronatus. De consilio igitur communi domini Jordani Cardinalis, & omnium Episcoporum, & consensu domini Joannis de Ceccano institutum est, ut quicumque contra hanc concessionem fecerit, vinculo anathematis innodetur, & partem cum Datan, & Abiron habeat. Ad majorem itaque cautelam, ne quod factum est diuturnitate temporis in oblivionem veniat, Presbytero Benedicto dilecto notario nostro id scribere mandavimus, & chartam ipsam fecimus sigilli nostri munimine insigniri. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ pro-

protectionis; & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Soræ decimaquarta Kalendas Septembris Pontificatus nostri anno undecimo.

Audita fama, & cognita rei veritate dominus Papa de morte Philippi dicti Regis Alemanniæ, condoluit miseriæ morti ejus, eo quod ita subito sub papilione in lecto nudus jacens per manus cujusdam fidelis sui, qui dicebatur falsus grave mortuus est. Eadem hora constituit duos legatos, videlicet dominum Hugulinum Ostiensem Episcopum, & dominum Leonem Branceleonis Presbyterum Cardinalem Sanctę Crucis, & misit eos in Alemanniam ad concedendum Oddonem Regem Romę pro accipienda ibi Imperiali corona, undecima kalendas Octobris dominus Papa egressus Sora venit ad Monasterium Casemarii, & pernoctavit ibi. Alio die valde mane dominus Papa ivit Ferentinum, & mansit ibi per mensem, & ab Episcopo Alberto noluit recipere fodorum, dicens: Ego scio statum Ecclesiarum, Episcopi autem sit tot, & tantis vicibus quantis ego Ferentinum venio à vobis fodorum recipere vellem, Ecclesię vestrę ultra modum gravarentur, ob hęc recipere nolo. Dominus Papa reversus est Romam, & hiemavit Romæ.

1209. indictione duodecima, adveniente tempore ęstatis, post Ascensionem Domini Papa Innocentius ivit Viterbium, aliquando visitans vicinas terras, tamen Viterbium revertebatur, & tamdiu ibi stetit quousque advenit Oddo Rex cum magno, & inusitato exercitu. Dominus Papa pro sua voluntate cum Oddone Rege multa locutus, reversus est Romam, & Rex Oddo post eum cum exercitu, quinto Kalendas Octobris dominus Papa in Ecclesia Sancti Petri honorificè coronavit prædictum Oddonem Imperiali corona. Celebrato sacrificio coronationis dominus Papa volens reverti Romam non poterat propter innumerabiles armatos equites Teutonicos, qui manebant extra januam Sancti Petri, usque in portam Romę pontis Sancti Petri Oddo coronatus Imp. vestitus imperialibus vestimentiis sacris, mitratus, & coronatus ivit cum domino Papa usque ad portam Romę, & dominus Papa ibi eum benedixit, licentiavit, & rogavit eum, ut alio die advenienti recederet à territorio Romano; quod ipse minimè fecit, sed deficiente Romano fodoro, & advenientes in castris pani, & vini inopia, volens, nolens recessit à Roma; & ab ipso tempore Oddo Imperator perjurando cœpit habere irrita, & vacua omnia precepta domini Papę, & infestare, & minuere omnia jura Ecclesię; sed quia Dei judicio exercitus ejus fame consequente decrescebat quotidie, ferocitatem animi sui non poterat perficere. Unde dominus Papa cœpit eum monere per Archiepiscopum Pisanum, & alios Episcopos, & Abbates, ut recederet ab iniquitate, & infestatione Ecclesię, quod facere contempsit, & recognosceret Deum, & viveret secundum legem Dei omnipotentis, & rationem, & justitiam, & obedientiam Ecclesię observaret, & perficeret, quę jurejurando promiserat. Omnia vilipendens facere recusavit, tandem dominus Papa eum excommunicavit, per Lombardiam, & per Tusciam Oddo dictus Imperator hyemavit.

In nomine Domini Amen.

Anno Domini 1209. Pontificatus domini Innocentii Tertii Papę anno ejus duodecimo mense Martii die octava. Hac die ego magister Rainulfus nullo me prohibente aut vim faciente, sed propria spontaneaque mea bona voluntate trado, & vendo tibi domino Landulpho venerabili Abbati Sanctę Marię de Flumine, & sociis tuis omnibus, vestrisque successoribus in perpetuum pro jam dicta Ecclesia idest, vineam unam positam in territorio Ceccano in via Sancti Stephani; propter quod accepi à vobis tres libras pro vent. concessa mihi licentia à domino Joanne Comite Ceccano. Et si ego, vel mei hæredes vobis, vestrisque successoribus litem aliquam intulerimus, & ab omni homine eam non defenderimus, obligo me, meosque hæredes vobis, vestrisque successoribus in pœna dupli, & venditio hæc firma permaneat. Et ego Joannes Comes Ceccani indutus utriusque partis precibus, & pro redemptione peccatorum meorum concedo, & confirmo hanc venditionem hujus vineæ fieri, quæ his lateribus terminatur. A primo latere est via publica, à secundo latere est vinea Petri Versagranum, a tertio est Terra Semma cocæ, è quarto est vinea magistri Bellonis. Ad majorem itaque cautelam præcepi Presbytero Benedicto dilecto notario meo, ut hoc in scriptis redigat, & mei sigilli impressione consignet.

Hi sunt rogati testes.

Magister Spinellus testis.
Magister Amatucius testis.
Amato Joannis Bovis testis.

In nomine Domini Amen.

Anno Dominicæ Incarnationis 1209. Pontificatus domini Innocentii Tertii Papæ anno duodecimo mense Novembris die tertia. Hac die ego Bar... mali nepotis nullo me cogente, aut vim inferente, sed proprio motu, & mera voluntate atque tributa mihi potestate à domino Joanne Comite Ceccani, trado, & vendo tibi irrevocabiliter, & in perpetuum domino Landulpho venerabili Abbati Sanctæ Mariæ de Flumine, & sociis tuis omnibus, vestrisque successoribus idest, vineam unam positam in territorio Ceccano quæ his terminatur lateribus. A primo latere est rivus balnei, à secundo est vinea Baronis Gaudibilis, & terra Joannis Saraceni, à tertio est terra Ray-

fore ; Et omnes Archiepiſcopi , Epiſcopi , Abbates , Duces , Principes , Comites, & omnes Barones Alemannię elegerunt Fridericum Regem Siciliæ in Imperatorem ; & mandaverunt in Sicilia Nuncios , qui conducerent dictum Fridericum ſalvum , & incolumem ad recipiendum Imperium in Alemannis. Quo audito prædictus Oddo Imperator congregavit Comites Apuliæ , & terræ Laboris , confirmavit cum eis pacem , & ſuam bonam voluntatem. Tactus dolore cordis intrinſecus reverſus eſt in Alemanniam , inſidiando qualiter jam dictum Fridericum Regem Siciliæ capere poſſet ſi auſus foret arripere iter , vel per mare , vel per terram.

1212. Fridericus Rex Siciliæ ſola miſericordia Dei vocatus in Alemannia electus Imperator , arripiens iter eundi in Alemanniam 16. kal. Aprilis, quod fuit Sabbato Palmarum applicavit Beneventum, ibique honorificè receptus , & . . . .
manſit per menſem . . . . .
isit Romam , quem Dominus Papa Innocentius . . . .
& benignè ſuſcipiens cum maxima . . . .
omnes expenſas in Civitate , & extra . . .
as suri dedit & omnia neceſſaria . . . .
galeis uſque Genuam . . . .
& licentiavit & commendavit . . . . .
rerum quæ pervenient . . . .
Papieñ. cum al . . . .
eum ditantes . . . . . .
ſalvum . . . .
niam . . . .
incredibile haberetur . . . . . .

1213. Dominus Innocentius III. Papa cum fratribus ſuis Cardinalibus conſtituit, & ordinavit Concilium , & miſit literas per omne ſeculum , ut omnes qui debebant intereſſe concilio , in tertio anno , in menſe Novembri parati eſſent Romæ.

1215. Tempore Domini Innocentii III. Papæ anno ejus octavo decimo , menſe Novembri. 3. Idus Novemb. Papa Innocentius primò aſcendit in thalamum , & celebrata oratione , & benedictionem ſuper conventum ſic exortus eſt , dicens : deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam moriar &c. Interfuerunt huic concilio 412. Epiſcopi. Primates autem, & Metropolitani 71. exceptis Patriarchis. Abbates verò , & Priores ultra octingenti , exceptis omnibus Nuntiis Archiepiſcoporum , & Epiſcoporum , & aliorum Prælatorum abſentium : necnon Regum , & Principum. Initiatum , & completum eſt hoc concilium in Eccleſia Salvatoris Romæ , quæ Conſtantiniana vocatur.

1216. *Decimo* kal. Junii tempore Domini Innocentii III. Papæ , venit Comes Rogerius de Aquila cum exercitu ſuo in territorio Ceccano , devaſtavit ſegetes ſanctæ Mariæ Fluminis , & incendit ei unam molam , & duas molas Sancti Clementis , & ſic rediendo hoſpitatus eſt in territorio Caſtri. Alio die cepit reverti Fundum , & Dominus Joannes de Ceccano inſecutus eſt eum , invenit eum in territorio Caſtri Vallis urſæ , prævaluit ſuper eum , fugatus eſt Comes , & Dominus Joannes cepit de exercitu ſuo Robertum de Aquila patruum Comitis cum ſeptuaginta militibus , ellectis & aliis hominibus : præda animalum fuit . . . . beſtiis alia præda robba fuit infinita. & Comes . .
. . . . . . ſic fugiendo uſque Fundum cum reliquis . . . . . .
. . . . Domini Joannis de Ceccano non detulit ſecum . . . . .
. . . . Domini Joannis de Ceccano in campo re . . . . . .
. . . ntes , & exultantes de tanta . . .
. . . .
Peruſinam Civitatem . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

III. Idus Auguſti conſecratus eſt. Pridie Kal. Septembris reverſus eſt apud Romam ad Sanctum Petrum. Pridie Non. Septembris receptus eſt in Eccleſia Lateranenſi cum tanto gaudio & veneratione , gloria , & jucunditate , quod omnes videntes dixerunt , quod nullus de prædeceſſoribus ſuis in receptione ſimilis ei fuiſſet.

XI. kal. Auguſti die Sabbati Caſtrum Morol. per fortiam Domini Joannis de Ceccano captus eſt & combuſtum. Captus eſt ibi Oddo Novellus Columna cum undecim ſuis militibus , & ſoror ejus Mabilia cum quadam filia ſua ducti ſunt in captionem apud Ceccanum. Peccatis exigentibus de Caſtro Morol. 424. capita tam virorum , quàm mulierum , tam ſenum , quàm parvulorum combuſta ſunt. Omnes autem reliqui milites , & laici redacti ſunt ſub poteſtate, & fidelitate Domini Joannis de Ceccano Sacramento. Dominus Thomas de Supinon dolens , & triſtans dereliquit Campaniam Comitis Rogerii de Aquila , & dedi Domino Joanni de Ceccano mille libras proven. & fecit ſe fidelem cum Sacramento in ſempiternum Domino Joanni de Ceccano , & dedit ei filium ſuum obſidem ad fidelitatem , & veritatem conſervandam. Dominus Joannes de Ceccano primo loco reddidit Domino Thomæ uxorem ſuam cum filia. Dominum Oddonem de Columna cum ſuis militibus dedit in poteſtate Domini Joannis Cardinalis de Columna.

GREGORIUS EPISCOPUS,
Servus ſervorum Dei.
Dilectis filiis Abbati , & Clericis Sanctæ Mariæ de Flumine de Ceccano ſalutem , & Apoſtolicam benedictionem.

JUſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum , & vota quæ à rationis tramite non diſcordant , effectu proſequente complere. Ea propter , dilecti in domino filii , veſtris juſtis præcibus grato

concurrentes assensu, ad exemplar felicis memoriæ Innocentii Papæ prædecessoris nostri, personas vestras,& Ecclesiam S.Mariæ de Flumine, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis tam Ecclesiasticis, quàm Mundanis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem S. Stephani, & S. Quirici Ecclesias cum omnibus tenimentis,& pertinentiis suis. Forestam juxta Ecclesiam S.Stephani, & de capite pontis de prato, & de tineis molendina, vineas, redditus, decimas, oblationes, homines, hortos,Cannapinas,& possessiones alias ad vestram Ecclesiam pertinentes, sicut ea omnia justè, ac pacificè possidetis: vobis, & per vos eidem Ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Libertates quoque, & immunitates, nec non & exemptiones sæcularium, exactionum à dilecto filio nobili viro Joanne de Ceccano, tam piè, quàm providè vobis & Ecclesiæ vestræ concessas, sicut in authentico ejusdem nobilis perspeximus contineri, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas decernimus permanere, cujus tenorem de verbo ad verbum præsenti paginæ duximus inserendum.

In nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo nonagesimosexto. Pontificatus domini Cœlestini Tertii Papæ anno sexto indictione decimaquarta, mense Julii, die vigesimaquarta. Hac die ego Joannes de Ceccano in præsentia domini Jordani Cardinalis Sanctæ Pudentianæ charissimi patrui mei, & venerabilium Episcoporum Berardi Ferentini, Petri Signini, & Joannis Anagnini, Taddæi Alatrini, & Oddonis Verulani, & Tedelgarii Terracinensis, & multorum hominum totius Campaniæ, & maritimæ tam Clericorum, quàm etiam Laicorum. Inductus amore divino, & pro redemptione animæ meæ, atque meorum parentum, præteritorum, præsentium, & futurorum: concedo Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Flumine, & Domino Landulpho dilecto Abbati ejusdem Ecclesiæ, & universæ familiæ ejus, tam Clericis, quàm etiam Laicis præsentibus, & futuris perpetuam libertatem. Abrenuntiando datæ, malo usui, & omnibus exactionibus. Et si quis pro quocumque crimine commisso ad Ecclesiam confugerit, nec ego, nec successores mei per me, vel per ministros meos, ei dum ibidem fuerit, violentiam aliquam, vel injuriam inferemus, nisi in mortem meam, meorum hæredum, vel in proditione castrorum meorum, vel in combustione ipsorum castrorum fuerit machinatus. De ordinatione Clericorum, & de institutione me nullatenus intromittam. Si verò Clericus, aut Laicus ejusdem Ecclesiæ in aliquo offenderit Abbas cum Clericis in eorum Capitulo cogeat ipsum ad justitiam exhibendam salvo jure patronatus. De consilio igitur communi domini Jordani Cardinalis, & omnium Episcoporum, & consensu domini Joannis de Ceccano institutum est, ut quicumque contra hanc concessionem fecerit, vinculo anathematis innodetur, & partem cum Datam, & Abiron habeat. Ad majorem itaque cautelam, ne quod factum est diuturnitate temporis in oblivionem veniat: Presbytero Benedicto dilecto notario nostro id scribere mandavimus, & chartam ipsam fecimus sigilli nostri munimine insigniri. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis; & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani 13. kal. Octob. Pontificatus nostri anno primo.

1217. Mense Aprili quidam Comes Francigena, nomine Petrus de Alsurla à Græcis vocatus, & electus in Imperatorem Constantinopolitanum, & applicuit Romam cum uxore, & filiis, & alio comitatu. Honorificè à Domino Papa Honorio, & à clero, & à cuncto populo Romano est receptus. Quinto idus prædicti mensis in Ecclesia S. Laurentii foris murum cum magna gloria, & decore coronatus est à Summo Pontifice cum uxore sua. Postea Dominus Papa dedit ei conductorem itineris, & defensorem Dominum Joannem de Columna Presbyterum Cardinale, tit. S. Praxedis incipientes iter, transierunt mare euntes per Imperium Romaniæ gaudentes... ... potestas Imperii Romaniæ . . . . invitavit prædictum Imperatorem, ut dignaretur ire per terram suam promittens ei omnes expensas usque in Civitatem Constantinopolitanam eundem insidians, & decipiens Imperatorem cum Imperatrice,& Domino Cardinale egressi sunt terram prædictæ potestatis, quæ potestas . . . apud nos dicitur comminio, nomine Theodorus, qui postquam recepit Imperatorem, & Dominum Cardinalem voluit eos occidere. Sed responsum est ei ab amicis, & fidelibus dicentibus. Si istos occideris semper habebis guerram ab Imperio, & à Summo Pontifice, & tu, & hæredes tui, si servaveris eos vivos non erit qui te debellet. Posuit eos audacter in custodiam, & constrictè custodivit eos in logastinos Imperatrice nolente declinare à recto itinere perrexit salva, & gaudens in Constantinopolim, & tanquam Domina, & Imperatrix recepta dominabatur.

Id. Maii Dominus Papa Honorius egressus Romam venit Anagniam. Pridie non. Julii dedicata est Ecclesia Sancti Petri de Villa Magna per manus Summi Pontificis Domini Honorii. Decimoquarto Kalend. Augusti Dominus Papa venit Ferentinum. Octavo id. Septembris DominusPapa Honorius ivit Aletrum. Decimoseptimo Kalend. Octobris dedicata est Ecclesia Casemarii honorificè per manus Domini Papæ Honorii, ubi fuit ipse

cum

cum omnibus Cardinalibus, Notariis, & cum tota Curia sua. Interfuerunt huic dedicationi duo Archiepiscopi Hispanenses, undecim Episcopi. Per gratiam Jesu Christi tanta fuit ibi abundantia ciborum in pane, & vino, in piscibus, in caseo, & in ovis, quod omnes sine murmuratione plenariæ receperunt cibaria in sero, & in mane, plusquam mille equi inventi sunt ad annonam; tot & tanti equitantes adhæserunt Domino Joanni de Ceccano, quod in Castris ejus ultra 400. equi adnumerati sunt.

Sexto non. Octob. Dominus Papa reversus est Romam.

Hoc anno tanta multitudo Christianorum coadunata est in Hierosolymitanis partibus in campo super Acre, quod volentes numerare, numerati sunt ultra viginti millia equitantes, alia turba non poterat præ multitudine numerari; per bonam existimationem dictum fuit, quod plusquam 200. millia perditum erant. Peccatis exigentibus in ... populo Christiano tanta inopia panis advenit, quod unus parvus panis vendebatur duodecim denariis. De communi igitur consilio Domini Patriarchæ, & aliorum, qui præerant populo præceptum est omnibus pauperibus, ut redirent ad propria . . . in mense Septembris tot, & tanti fuerunt, quod naves eos reducentes fuerunt 66. per bonâ æstimationem communiter dicebatur ab omnibus præter corpora mortuorum cruce signatorum in eundo, & redeundo supra centum millia fuere . . . .
. . . .

In nomine Domini. Amen.

Infrascriptæ sunt constitutiones, ac antiquæ, & approbatæ consuetudines, à tempore cujus in contrarium memoria non existit habitæ, & ordinatæ inter majorem Ecclesiam Ferentinam, & Reverendam Ecclesiam S. Mariæ in Flumine de Ceccano.

In primis, quod ipsa Ecclesia S. Mariæ, seu Abbas, & Capitulum ejusdem Ecclesiæ pro parte, & nomine ipsius tenentur tempore Visitationis faciendæ prout consuetum est, per Reverendum in Christo patrem, & Dominum, Dominum Episcopum cum competenti familia si sibi placuerit, in eadem Ecclesia, & ejus domibus præfatæ Ecclesiæ sumptibus, & expensis, secundum quod facultates supradictæ Ecclesiæ patiuntur, in comestibilibus & potabilibus recolligere, & sibi humiliter, & devotè nihilominus ministrare.

Item, quod dum eidem Domino Episcopo cum prædicta sua competenti familia placuerit in prælibata Ecclesia, & ejus prædictis domibus laudabiliter commorari. Item comestibilia, & potabilia sidi exceniata, vel præsentata, intrare debent ad usum communem Domini Episcopi memorati, ejusque familiæ supradictæ, nec non Abbatis, & Capituli prædictorum in Cellarium Ecclesiæ supradictæ

Item quod prætitulata Ecclesia debet sua libertate, & immunitate gaudere, nec ad aliquid aliud astringi nisi ad quartam partem dumtaxat decimæ, et commutationem aliis verò franchitiis, libertatibus, et immunitatibus suis successuris perdurare debet secundum tenorem, et formam Papalium privilegiorum.

FINIS CHRONICON FOSSÆ NOVÆ.

AD LECTOREM

DE SICILIÆ MONUMENTIS EDITIS
A D. JO: BAPTISTA CARUSO.



Siciliæ monumenta vides digesta Carusi
Ingenio, studio, sedulitate, stylo.
Obsequitur Patriæ, summis quæ dotibus auctum
Non patitur Magnis cedere posse Virum.
Majorum, quæ gesta refert hinc maximus hæres,
Ut sua virtutis stemmata Lector habe.

PHANTASTICUS EX ACADEMICIS DESTITUTIS.

SARACENICARUM RERUM
IN SICILIA GESTARUM
EPITOME,
SIVE

Libri Decimi inſcripti: Memorie Iſtoriche di D. Gio: Battiſta Caruſo: *Poſtrema Pars, ab Auctore recognita, & ab Amico latinè reddita.*

An. Chr. 749. Nnus à Chriſto nato ſeptingenteſimus quadrageſimus nonus, & Mahometanorum Ægiræ centeſimus trigeſimus ſecundus, Mervano interfecto Saracenorum Caliphâ vigeſimo primo, ac Ommiadum Dynaſtâ ultimo, Abdallam ex Abbaſſidarum gente, inter Orientis familias inclytâ, Muſulmanorum Regem, atque Calipham primum habuit: cui demortuo, anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, germanus frater Almanſor Abugiapharus ſufficitur, Bagdadi ampliſſimæ urbis conditor; in qua Calipharum ſedem Damaſco tranſlatam collocavit. Per ea tempora Abderramum Ommiadum regio ſanguine ortum ex Aſia in Africam, Abbaſſidis perpetuò infeſtantibus, profugientem, Saraceni demùm in Hiſpania excipiunt, ſuiſque copiis ducem præficiunt; ubi feliciter Iſuphum, pro Calipha Almanſore provinciam gerentem, devictum ejecit; ſibiq; ac ſuis Hiſpaniarum imperio acquiſito, Miramolinus, hoc eſt, fidelium Mahometanorum Princeps dictus eſt.

A. 771. E vita interea Bagdadi deceſſerat Almanſor Calipha; cui Muhavidus filius ſucceſſit, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo primo; quo mortuo Aaron ab eo genitus imperium in Saracenos Aſiaticos æquè, atque Africanos ſuſcepit: Aaron, eiſdem paulò poſt deficientibus, Ibrahimum Aglebbi filium virum ſtrenuiſſimum cum forti exercitu mittit in Africam; armiſque Africæ, ac Mauritaniæ populos ſubactos Ibrahimo ipſi vectigales fecit; ea tamen lege, ut Abbaſſidis Principibus ipſe, ac hæredes ſui quotannis tributa conferrent. Verùm haud multò poſt Aaronis mortem, cùm inteſtino, ac pernicioſo bello ejus inter ſe filii digladiarentur, atq; acerrimè decertarent; Aglebbitis præbuerunt animum; quo è cervicibus ſupremum Abbaſſidarum dominatum, ac tributorum jugum dejicerent.

A. 820. Hæc dum in Africa geruntur anno Chriſti octingenteſimo vigeſimo magna Saracenorum claſſis occidentales oras Siciliæ adoritur; violatâque induciarum fide, quam ſeptennio ante Barbari cum Gregorio Prætore pepigerant, Panormum totis, validiſque viribus expugnant.

Non minus ea tempeſtate Byzantium motibus, diſſidiiſque populàrium agitabatur. Etenim poſt Leonis Armeni necem, anno ab imperii dignitate adeptâ octavo, alternantis fortunæ ludo Michaël Balbus, cui nihil A. 821. præter militarem audaciam virtutis erat inſigne, rerum potitus eſt. Hic eo contentus facinore; ſuæque ambitioni, atque iræ unà Leonis inimici, ſibique infenſiſſimi cæde ſatisfeciſſe ratus, de recuperanda Panormo, arcendiſque ab ulteriore progreſſu hoſtibus, ac barbaris ab Sicilia propulſandis minimùm quæſivit. Aſt deplorandam Michaelis Imperatoris deſidiam Bonifacius Corſicæ Comes ſedulitate ſua ſtrenuiſſimè compenſavit: quippè ingenti navium exornatâ claſſe, non prædonum modò barbarorum incurſiones frenavit; verùm etiam Africana littora aggreſſus, eam in Uticenſes præſertim campos impreſſionem fecit; ut Panormo poſthabitâ Saraceni navales copias ad ſaluti ſuorum conſulendum, domoſque ſuas defendendas è Sicilia revocarint. Sed, cùm validiora Comiti deeſſent auxilia, quibus piratarum excurſiones compeſceret; omni amoto metu Saraceni, frequentioribus prædis, rapiniſque inferi, ſuperique maris æquora quotannis infeſta reddebant.

Has tandem injurias ulturus Balbus veterno depulſo Theodoſium in

Sici-

Siciliam mittit; extructæque ad hoc præficit classi; qui suarum tenuitate virium perspectâ, sexaginta è Venetis naves laturas suppetias accersivit; iisque præsidiis confirmatus, acerrimo commisso prælio victoriam à Barbaris reportavit anno Christi octingentesimo vigesimo septimo. Saracenos tanto perfunctos damno ab inferendis Siciliæ incommodis ad longum tempus cohibituros sese ferè omnes arbitrabātur: longè tamen falsos opinione, sic Deo permittente, rei exitus commonstravit. Siquidem haud multò post Africani repetitis identidem incursionibus, Siciliæ omnia littora, orbes, agrosq; mari conterminos pervadentes totius Insulæ, perversitate præsertim Euphemii sacrilegi, ac scelestissimi hominis, Christianoq; indigni nomine, potiūtur.

A. 827.

Legionis in Sicilia tribunus erat Euphemius, qui nobilissimam, eamque Deo sacram Virginem, quam deperibat, è Monasterio Syracusis cùm raptam violasset; à duobus puellæ fratribus Constantinopolim continuò profectis ad Balbum defertur: ut justo debitoque supplicio nefarium scelus expiaret. Imperator tametsi eodem criminis aspersus cœno, ac labe contaminatus, quippè qui Euphrosynam Constantini Cæsaris filiam, Deo votam sacrilegus in uxorem duxerat, æquæ nihilominus expostulationi fratrum aures dedit; ac Siciliæ Prætori mandat, ut auditis fratribus, Euphemium judicio convictum, in custodiam tradat. Quod ubi præsensit Euphemius, cùm malefacti conscientiâ stimulatus, tùm supplicii timore perterritus perniciosum, plenumque audaciæ capit consilium; quo & à pœna merita elabatur; & scelerum suorum impunitatem acquirat. Itaque omne studium, & curam in captandis militum animis ponit; eorum fretus benevolentiâ, præsidioque munitos nedum è provincia Siciliæ Prætorem deturbat; sed imperatoriam ipsam dignitatem apud illos consequitur. Et quamvis imparem se viribus ad resistendum intelligat, si cum Balbo de restituenda olim Sicilia fuerit armis contendendum, præsentia sibi petenti à Saracenis auxilia non defutura facillimè autumat. Præerat Barbaris per idem tempus filius Ibrahimi, cui Mauritaniæ, atque Africæ regnum [ut paulò ante memoravimus] Aaron Calipha detulerat: ad eum igitur opem rogatum mittit Euphemius; ac pollicetur, si petenti præstò fuerit, vectigalem Siciliam Africano se facturum; quin etiam absolutè dediturum, si ad consequendum totius Orientis imperium adjutorem sese idem adjunxerit. Conditione libentissimè acceptâ classem omnibus, maximisque copiis instructam apud Susam, olim Cairovano Regi, nunc Tunetano urbem obnoxiam, in Siciliam Euphemio expedit sub Adelcamo strenuissimo duce: qui ad Lilybæum classe provectus, exscensu è navibus ad occidentales oras facto, Selinuntem urbem, olim celeberrimam, si Fazello credimus, vi captam diruit, ac funditus evertit. Subjungit Auctor citatus ab Adelcamo horribilem editam Selinuntinorum stragem, maximè civium, quorum consilio fuerat nonnullis deditioni mora interposita: eâque crudeli, atque inhumanâ internecione proximis civitatibus documentum datum, quo vehementer perterritæ, omni cunctatione, abjectâ portas suas advenienti barbaro victori aperuerint. qui aliquandiù in agro Segestæ perantiquæ, & jam destructæ urbis moratus, munitissimum (in vicino monte, cui Bonifati nomen est) oppidum construxit, quod postea e superiore montis vertice in planitiem delatum, Alcami, hoc est Adelcami, conditoris nomen corruptè adhuc servat: sic annales Maomethani, & Joannes Leonis in sua Africa testantur, ait Fazellus: qui lib. 6. secundæ Decadis ita prosequitur. *Verùm cùm paulò post, Siculi resumptis viribus, Alcamum ducem, & oppidum durè obsiderent, Abraamus Carveni Rex Saracenorum exercitum coegit, cui Ased Beuforat, virum strenuum ducem præfecit, atque in Siciliam ad suis auxiliandum misit. Qui Siciliam trajiciens, Alcamum petiit, quod non solùm ab obsidione liberavit, sed cæteras Insulæ Urbes felici victoriæ cursu adeptus est.* Hæc Fazellus. Attamen Cantabrigiensis Chronici Annales Saracenico-Siculi, præter Africanorum expeditionem in Siciliam Julio mense anni 828. factam, primi appulsûs locum, Selinuntis eversionem, ac novi oppidi constructionem taciti prætereunt. Addit etiam ex Curopalata idem Fazellus, Euphemium, dum multas nondum in suam potestatem redactas civitates attrahere nititur, subjectasque securè possidere arbitratur, occisum à Syracusanis fratribus fuisse, quorum forsan sororem nobilem compresserat. Syracusas interim Theophilus Michaelis Imperatoris filius major natu cum magna navium classe, Venetorumque sociorum agmi-

Euphemius occiditur. *Curopal.*

agmine ascito venit. Sed postquàm Veneti cum Saracenis mirum in modum prævalentibus congredi recusassent, Theophilus Cæsar missis ad orientales oras militibus, qui urbibus majori essent præsidio; ipse Constantinopolim rediit; ubi Michaeli vitâ functo,

A. 829. Theophilus Imperator.

Calendis Octobris anno octingentesimo vigesimo nono successit; patrisque loco Imperator renunciatus est.

Augusti novo titulo auctus Theophilus, etsi sagaci bonâque mente uteretur; ac recti usque adeò esset studiosus, ut de conjuratis cum Patre suo contra Leonem Armenum supplicium sumpserit; ad otii nihilominus, pacisque tranquillitatem, quàm ad bellum gerendum animo propensior, ab expellendis Saracenis (quod ponderis majoris erat) è Sicilia sese abstinuit: cùm cæteroqui nimium pertinaciter sacrarum Imaginum cultoribus infensus catholicos hostiliter persecutus sit,

Iconoclastis favet. A. 830.

atrociùsque edictis anno Christi octingentesimo trigesimo sævierit in eos maximè, quos tuendæ christianæ veritatis studio ardentiores; detestandisque ipsius erroribus constantiores cognovisset. Hac infectus pervicaciâ, curâque ab orthodoxo Principe alienâ, insectandæ Siculorum pietatis distentus, commoditatem barbaris creavit; qua loca Siciliæ maritima, vicinasque Insulas invaderent. Messanam inde, quam strenuissimè Theodotus urbis Præfectus defenderat, obsidione barbari capiunt, ac Liparam eodem anno octingentesimo trigesimo primo diripiunt; quo sacras Apostoli Bartholomæi Reliquias creditur Beneventum asportatas, ut tutiùs asservarentur; ab incolis, an externis hominibus incertū.

A. 831. Lipara diripitur à Saracenis. *Chron. Arab. Anonymi Cantabrig.*

Porrò etsi Sicania Theophili desidiâ in Saracenorum manu esset; magna pars tamen Insulæ in fide manserat Græcorum in Oriente Imperatorum, non solùm Theophili ejusdem tempore, verùm etiam Michaelis filii, atq; Basilii; ut Zonaras auctor est. Quos verò fines in Siciliam eo tempore Africani habuerint, nobis non liquet; amissâ præsertim Theognoste ejusdem ætatis scriptoris historiâ, ex qua Curopolates, & Constantinus Porphyrogenitus Euphemii conjurationem, quæque sub id tempus contigerint, eruere. Quin immò nisi Augustini Invegii curâ in publicam lucem prodita fuissent monumenta Saracenorum eo secula in Siciliâ è fragmentis Scriptorum Arabum collecta; nec non Amirarum Maomethanorum nominum series, qui annos ferè ducentos hanc

Sigibert. in Chron. Leon. Ostiensf. lib. 1.

Insulam administrarunt; Siciliæ Saracenica Historia propè in tenebris jacuisset: Cui novum, ac majus lumen accessit è brevi, sed accuratissimo Chronico Arabico, quod in Cantabrigiensi Bibliotheca asservabatur, cujus auctorem Eutichium Patriarcham Alexandrinum falsò existimavit Gulielmus Cave; quùm, ut in præfatione monuimus, ex annorum supputatione, aliisque quamplurimis conjecturis potiùs à quodam Saraceno Sicaliotâ scriptum fuisse clarè perspiciatur. Quibus omnibus, & alio arabi Noverii Chronico, quod in sua Critica Baronianâ inseruit doctissimus Pagius, aliisque monumentis ex variis auctoribus cùm sacris, tum propbanis excerptis, Historiam Saracenorum in Siciliâ quovis alio Scriptore luculentiorem, atquè uberiorem me continuaturum non diffido.

Oppugnatâ Messanâ, post annum [ut Arabs anonymus è bibliotheca Cantabrigiensi scribit] progressi Panormum occupant Barbari anno Christi octingentesimo trigesimo secundo. Ex

A. 832.

Parutæ autem numismatibus, majorumque traditione non dubitanter cōstat, Adelcamum cùm loci opportunitate, tum agri amœnitate captum, Insulæ sedem principem, caputque Saracenis Panormum constituisse: Unde temporis decursu Sicularum omnium Civitatum frequentissima Panormus evasit.

Panormus Metropolis à Saracenis constituitur.

Non unâ tamen Siciliâ contenti Saraceni ex Africa, atque Asia concursantes, Sardiniam, Cretam, aliasque Insulas Orientali subjectas Imperio adimunt; piratis, prædonibusque in omnia maria infesti gravem omnibus terrorem, atq; formidinem incutiunt. Quibus tot tantisque calamitatibus excitatus tandem impius Theophilus, bellum quod contra Monachos, ac religiosos viros sacrarum Imaginū propugnatores, dudum gesserat, in Mahometanos convertit anno octingentesimo trigesimo tertio. Saracenis tunc

A. 833.

præerat ex illustri Abassidarum familia Calipha Almaimon Vathecus; qui annos ultra quingentos principatum in Musulmanos tenuerant. Inchoatum itaque bellum, Almaimone demortuo, cum ejus filio Mutasimo persequitur Theophilus; multis tamen infelici exitu præliis commissis; demum apud Amorium urbem Phrygiæ horribili accepta clade, ac penè devictus Theodosium patritium ad Lotharium Imperatorem Occidentis mittit, petitum auxilium contra communem Christiano-

rum

Theophilus cum Lothario Imperat. fœdus facere expetit. Constât. Porphyr.

rum hostem, conditione propositâ, ut uno eodemque tempore Asianos alter, alter verò Africanos sociali bello lacessitos, ac pressos faciliùs hinc, atque illinc distractos conficiant, & extinguant. Verùm Legati Theodosii mors inter eundum summum, ac salutare consilium fregit: quo mœrore gravissimè afflictus Theophilus anno post Christum natum octingentesimo quadragesimo primo de vita decessit: relicto Michaele filio quadrimo in matris Theodoræ tutelâ, ac ductu Emmanuelis militiæ præfecti.

A. 841.

Michael Tertius Imper.

Theodora Augusta Iconoclastas insectatur.

Theodora itaque Augusta principium imperii à placando Deo, restituendoque sacris Imaginibus cultu ducendum rata, Theodoro militiæ Magistro, & Theoctisto Dromi Logothæta accitis, eisdem auctoribus approbavit; ut per Concilium plurium Episcoporum errore impio convicti, damnatique Iconoclastæ à suis sedibus deturbarentur: quo scelere Joannes Patriarcha Constantinopolitanus pertinaciter astrictus de loco detruditur; & Methodius Syracusanus vitæ sanctimoniâ, & cæterarum virtutum merito conspicuus sufficitur. Cui Amplissimum Viro nomen in Occidente fecerat strenuitas in obeunda legatione pro Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano apud Leonem Romanum Pontificem de pace Orientalis cum Occidentali Ecclesia restituenda. Admirabilis quoque Methodii constantia enituerat cùm in tuenda catholica fide, tum in perferendis pœnis sibi ab Iconomachis Imperatoribus Michaele Balbo, & Theophilo inflictis. quibus egregiè gestis ad supremam Ecclesiæ Constantinopolitanæ dignitatem evectus; eâque summâ cum laude quadriennium perfunctus de Iconoclastarum tandem hæresi radicitùs evulsa, ac planè deletâ pro sua pietate, atque sapientia triumphavit. Nonnulli Sanctissimi Patriarchæ libri sub alterius Methodii Senioris nomine Patarensis Ecclesiæ leguntur. Ejusdem Oratio de Diva Agatha Virgine, & Martyre à Leone Allatio in Symposio decem Virginum in lucem edita est; idemque patriam Syracusani nostri Methodii è manuscriptis Bibliothecæ Sfortianæ extraxit. de quo etiam præter eruditissimum Allatium, Antiqui, ac Recentiores scriptores Ecclesiasticæ historiæ honorificentissimè loquuntur.

Methodius Syracusanus Patriarcha CP. qualis fuerit.

Porphyrog. Joan. Curopal. Theoph. Presb. in Vita Niceph. Patriarch.

Opera Methodii Patr. CP.

Leo Allatius apud Pagium A. 847.

S. Josephus Hymnographus.

Ex Cajet. in Vitis SS. Sicul. tom. 2.

Sub idem tempus Josephum cognomento Hymnographum clarissimum Siciliæ filium dedere piissimi parentes Holocimus atque Agatha; qui Saracenicæ tyrannidis declinandæ causâ, in Peloponnesum, deinde in Macedoniam profecti fuerant: ibidem Thessalonicæ Josephus monasticum statum amplexus in admirationem sui perfectione religiosæ vitæ, atque doctrinâ sodales omnes traduxit: ejus studium præsertim enituit in oppugnandis Iconomachis; quo factum; ut, cùm edictis Theophili Imperatoris acerrimè resisteret, secundò in exilium Byzantio pulsus fuerit; ac tandiù Romæ moratus, quandiù rogatu, accersituque Theodoræ viduæ Imperatricis Byzantium rediit; ubi ad Basilii Macedonis tempora vixit, & Patriarchæ Ignatii, ac etiam Photii ejusdem successoris; qui omnes Josephi Hymnographi sanctitatem, atque præclaram eruditionem admirati suspexere. Viri sanè laudes uberiùs fusiùsque à Græcorum Menæis celebrantur.

Cajet. in ejus Vita.

Sed ut ad res Siculas Michaele Porphyrogenito imperante redeamus; animadvertendum profectò est; Theophilum ejus patrem decessisse eodem ferè anno, quo Adelcamus celebri nomine Saracenus; ejusque in locum ex Africa Mahometum Abdallæ filium, & Aglebhi nepotem substitutum; atque in administrandâ Siciliâ ad novem annos duravisse; ut ex Ismaelis historia novimus. Arabicis præterea annalibus id adscribitur ab Anonymo; Saracenos anno Christi octingentesimo quadragesimo quinto Motycâ potitos, in sequente maximum cum Christianis prælium omnibus viribus ad Ennam commisisse.

Mahomat Ben Abdalla Amira Siciliæ Secundus.

A. 845.

Enna, quod sæpè monuimus, in umbilico Siciliæ sita, & naturâ munitissima Urbs Romano Græcis Prætoribus sedem stabilem, ac domicilium ab invasione Saracenorum præbuit: fiebant proinde crebræ, mutuæque excursiones tum à Barbaris, tum à Christianis in agro Ennensi, locisque finitimis; ut à scriptore de Vita Eliæ Junioris Siculi etiam habemus. Etsi de tempore brevis apud Auctores controversia sit. Sanctus enim Elias, (ut ab ejus ferè coævo scriptore traditur) Ennæ ex nobilissimâ Racchetorum familiâ natus, ac Divi Basilii professus institutum, ad summam senectutem, prodigiis, mirandisque patratis facinoribus vitam octogenarius transegit, ut Cajetanus arbitratur anno Christi nongentesimo tertio. Cùm verò tomo secundo de Vitis Sanctorum Siculorum referatur

Eliam puerom octo annorum fuisse; cùm Saraceni agrum Ennensem priniùm invaserint; in notis ejusdem libri ex eo deducitur Saracenorum pervasionem hanc evenisse anno Christi octingentesimo trigesimo primo; quod alii octingentesimo trigesimo sexto accidisse commemorant. Quatuor post annos castrum Sanctæ Mariæ, cujus nullum superest in præsens vestigium, aliisq; tribus elapsis, quidquid Ennam contingeret, Saraceni vastarunt. Quæ damna Siculis Barbari hisce aggressionibus inferrent; haud sanè difficile cogitatu est. Graviora nihilominus Christiani perpessi sunt

A. 846.

anno Christi octingentesimo quadragesimo sexto: etenim collatis utrinque signis acriter dimicatum est novem è Romano-Græcis millibus desideratis; ut in suis Annalibus fert Arabs Anonymus. Eâ Christianorum clade Saraceni victores Siciliam omnem depopulabantur; & consequente anno Leontinorum civitate direptâ; Ragusâ quoque post diutinam civium in obsidione, miserandamque famem potiti sunt. Tot tantisque calamitatibus oppressos, afflictosque Siculos levabat haud sanè temerè spes concepta, fore, ut Michael Augustus adultâ jam ætate, æstuque gloriæ commotus, pro sua imperii dignitate populorum animos erigeret; ac mala in dies gliscentia strenuè depelleret. Verùm turpi socordiæ deditus, atque effusâ juvenis libidine fractus, de arcendo Saracenorum in Sicilia progressu minimè solicitus, omnem administrandarum rerum, ac moderandarum curam in Avunculi Bardæ fide planè deposuerat.

Prœlium inter Saracenos, & Christianos sub Enna.

A. 847.

A. 854.

Barda ingenio, ac literis ad id muneris obeundum satis idoneus, dominandi tamen immoderatâ flagrans libidine, quos auctoritate, ac dignitate præstare cognosceret, per summam invidiam apud Michaelem è Theodora sorore nepotem; cujus ætati vitiis omnibus concretæ impiè favebat, omnium nomen, existimationemque extinguere, ac delere studebat. Scelestos verò, ac impios Gregorium Asbestam Siculum Syracusanum Archiepiscopum, quem Ignatius Patriarcha Episcoporum assentiente concilio de sede sua deturbaverat anno Christi octingentesimo quinquagesimo octavo: & Photium prophanum hominem, quem ipse exauctoratus Asbesta in locum sanctissimi Patriarchæ Ignatii per summum nefas cooptaverat; schismatis Orientalis à Romana Ecclesia princi-pem in primis fovebat; suâque gratiâ prosequebantur. Omitto Zachariam Cophum Tauromenii Episcopum apud Nicolaum I. pro Photio legatum; quem etiam, ut Asbestam, atque Messanensem Archiepiscopali nomine decoravit; quo antea vacuo titulo dumtaxat Archiepiscopi Siciliæ, Catanensis Episcopus cohonestabatur. his enim artibus Græcorum ambitiosæ vanitati assentabatur Photius; ut factionis suæ contra Romanum Pontificem incrementa promereretur. Sed breviter perstrictis à proposito non-nihil abhorrentibus ad rem Siculam revertatur.

Barda Cæsar Gregorio Asbestæ Archiep. Syrac. favet.

Nicetas in Vita S. Ignatii.

Titulorum mutatio in Hierarchia Sicula.

Not. Leonis Phil. & Novel. 1. ejusdem apud Leoncl. t. 1. Jur. G. R. lib. 2.

E vivis sublato interea Mahometo Abdallæ filio anno Christi octingentesimo quinquagesimo primo Amire novus substituitur eodem, quo pater nomine Alabbas Jacubi, & Phaaræ pronepos; qui memorabilem in Sicilia præfecturam effecerat magnis victoriis reportatis de Christianis; ac Ennâ præsertim captâ, maximi momenti urbe Romano-Græcorum Prætorum assiduâ, quod monuimus, sede; ut ex Arabibus Ismaelis Annalibus, Anonymique accepimus; postquàm anno Christi octingentesimo quinquagesimo quarto Buteram munitissimum oppidum expugnaverant.

A. 851.

Alabbas Amira Tertius post Mahometum.

Inveg. Pan. Sacre.

A. 854.

Hisce victoriis inflati Saraceni orientales à Pachyno ad Pelorum oras peragrant; in quibus præter Syracusas, Catinam, & Tauromenium in litore sitas, Notum urbs erat, Græcis olim Neetum, edito in monte vallibus, præaltisque rupibus circumsepta, non multùm ab Hyblæo mari, ac promontorio Pachyno distans, quæ uberrimis campis Jonici, ac Libyci maris principatum obtinens, alterutrius partis Græcorum, & Barbarorum plurimùm intererat possidenda. Ciaphajas igitur Amira successor extincti Alabbæ Neetum obsidione capit, ut Anonymo placet Arabi, octingentesimo sexagesimo quarto anno Christi: quam tamen jacturam urbis Romano-Græci graviter ferentes brevi recuperant, post biennium iterum Saracenis oppugnantibus urbem reddituri cum Ragusâ non procul à Neeti finibus civitate; quam etiam nonnullos ante annos receperant.

A. 861.

Ciaphajas Bin Saphia Amira Quartus.

A. 864.

A. 866.

De tot Siciliæ civitatibus victores Barbari Melitam trajiciunt, anno Christi octingentesimo sexagesimo octavo, ut Arabs scribit Anonymus quarto Calendas Septembris. quin Ismael asserit, Ciaphajam Amiram potestati Saracenorum Siciliam totam submis-

A. 868.

surum

surum fuisse; nisi ab Africano milite, qui ad Christianos postea confugerat, illi adempta per insidias vita fuisset. proinde ab excursionibus Barbarorum aliquandiù respiratum est.

Mahometus Bin Ciaphajæ Amira Siciliæ Quintus.

Ciaphajæ patri occiso Mahometus filius à populo sufficitur; cui hæc Siciliæ præfectura à Cairovani Rege Mahometo Aliabbæ stabilitur; qui post Amedum Regem parentem suum regnare cæperat anno Christi octingentesimo quinquagesimo quarto. Nihil ab hoc Amirâ gestum legitur; nam biennio post ab Eunuchis palatii suimet occiditur anno Ægiræ ducentesimo quinquagesimo septimo, qui anno Christi octingentesimo septuagesimo respondet; quo cladem, ac internecionem maximam ab Saracenis acceptam Salerni narrat Anonymus noster.

Occiditur.

A. 870.

Ametus Ben Jacubi Amire Sextus.

Cùm in Africam renunciata miseranda mors est Mahometi filii Ciaphajæ Regi Mahometo Alisbbæ; in ejus locum Ametus Jacubi mittitur in Siciliam. Ante hujus Amiræ novi adventum; suique antecessoris Mahometi mortem Imperator Michael Tertius decesserat anno Christi octingentesimo sexagesimo septimo; qui nullam adhibens curam impediendi Saracenorum progressus in Apuliâ, Calabriâ, & Siciliâ summum Bardæ avunculo imperium demandaverat; ac titulo Cæsaris cohonestarat: sed ipsius tandem insatiabili ambitione instigatus eum obtruncare jubet anno Christi octingentesimo septuagesimo; & Basilium genere Macedonem, unde & nomen traxit, summæ dignitatis collegam assumpsit: verùm cùm hujus quoque facti Michaelem pœnituisset, consorti Basilio necem machinabatur: qui consilium Imperatoris præripiens in suo cubantem conclavi trucidavit; postquam annos quinque & viginti magnâ desidiâ, & crudelitate in Orientia dominatu vixisset.

Basilius Macedo Imper.

In summo Imperatoriæ amplitudinis gradu constitutus Basilius Macedo quàm generosæ virtutis, atque excelsi animi esset, jam inde à principio egregiè indicaverat: nihil magnanimo viro fuerat antiquiùs instaurandâ militiæ in legionibus disciplinâ; infringendâque pro virili parte Barbarorum audaciâ; qui maris inferi, superique littora, ut sæpiùs innuimus, prædis, ac rapinis vastabant; atque Italiæ centum & quinquaginta ferè oppida, ac civitates tenuerant. Paratâ itaque centum navium bellicarum classe, contra Saracenicam Adriæ sinum incursionibus vexantem Nicetas Orifa Patricius Præfectus mittitur; qui feliciter re gestâ non infideles modò davicit; sed Barium inter præcipuas Apuliæ civitates recepit. Nicetæ substitutus Naasrus classis ductor devictâ, exustâque barbararum navium potiore parte ad Peloponnesum, processit ad divexandas oras Calabriæ occidentales ab Saracenis è regione Siciliæ possessas: quin etiam ad ferendam opem in Calabriam progressus Procopio, & Leoni ducibus frequenter ab hostibus exagitatis, Africanam classem in nostro mari obviam expugnavit; spoliisque onustus, solidâque gloria circumfluens Constantinopolim rediit, faustis lætisque acclamationibus ab Imperatore, populoq; exceptus.

Nicetas Orisa classis cōtra Saracenos Præfectus.
Porphyr. Curopa. Cedren.

Nicetæ substituitur Naxarus.

Hæ Basilii de Saracenis victoriæ spem Christianis auxerant, fore ut Barbari maritimis fractis viribus, quæ in Sicilia obtinuerant, diutiùs sustinere non possent: adventu in Italiam præsertim Ludovici Secundi, qui Lotharii parentis dignitate paucis ante annis ornatus, Basilium invitarat; ut communi bello hostem à se toties in Apulia, atque Calabria superatum adorirentur: quem etiam facili negotio ex iis provinciis expulissent; si navali classe Basilius Barbarorum copias ex Africa, & Panormo in Calabriam trajicientes impedisset: eo peracto pollicebatur Ludovicus armorum vim se omnem in Saracenos invasores Siciliæ conversurum; ut nobilissima Insula antiquæ libertati in integrum restitueretur. In his literis ad Basilium datis quærebatur Ludovicus de Neapolitanis, qui sive timore perculsi, sive prædæ libidine acti, Christiani licèt, & sub imperio Græcorum cum Saracenis nihilominus Siculis, ac Panormitanis maximè conjuncti inferioris oras Italiæ, & Romæ finitimas popularentur; ac Barbarorum naves in Neapolitano perinde, atque in Panormitano, aut Africano tutissimo portu exciperent: quibus profectò ab utraque provincia detrudendis nullum foret impedimentum, si Neapolitanorum præsidia deessent. Hoc saluberrimum Christianæ reipublicæ consilium, egregiumque facinus abjecit innata Græcorum vanitas, Basiliique ferocia, iniquè ferentis Ludovicum suæ dignitatis æmulum; qui sese non regis dumtaxat nomine, sed Imperatoris in literis appellaret. Quare consuetudine intermissâ ab inferendo Saracenis bello abstinuit; ictoque fœdere cum Adel-

Ludovicus Imper. Basilio se offert contra Saracenos.

giso

Annal. Baron.
A. 871.

giso Duce Beneventi Lodovicum ipsius hostam anno Christi octingentesimo septuagasimo primo coegit; ut postulata omnia Adelgiso concaderentur.

Petrus Siculus, *ejus Hist. Biblior PP. tom. 16.*

Eodem ipso anno Petrua Siculus legatua missus est à Basilio ad Chrysocherum Tribicæ in Armenia principam, Manichæorum sactæ fautorem; qui maximo fidei detrimento Christianos Saracenis vandebat, latiùsque factionis impiæ erroraa propagabat: apud eum novem moratus manses, dum legatione Basilii Patrus fungeratur; Manichæorum mores, superstitionalque scrutatus, quibus Occidentia, ac deinde Italiæ provincias infecerant, diliganter, historiæ mandavit.

Rem gerabat Siciliæ, ut diximus; ao tampore Amatus Amira Jacubi filius: Africæ verò, atque Siciliæ summum babebat imperium Ametus alter,

A. 874. AmatusCairovani Rex, cui successit Ibraimus frater.
Chronic. Ismaelis.

qui usque ad octingentesimum septuagesimum quartum annum Christi perduravarat: aique, postquam viginti regnasset annos, germanus frater successit Ibraimua, qui bellicosus æquè ac vanæ religionis suæ studiosus, ut Ismaelis Annales tradunt; nomini Christiano infensissimua erat. Rebus itaque pacatis Africæ in Siciliam trajecit bellum contra Christi fideles illaturus: quem multarum urbium in Sicilia captarum victorem longè maximum reddidere Syracusæ raliquarum civitatum adhuc Imperatoribus Christianis parentium celeberrimæ. Factum ex literis Thaodosii Monachi ad Laonem Archidisconum Syracusanum exquisitè descriptum accapimus: ex his ipsis digniora scitu excerpta dabimus; ac primùm omnium nostrum; ac P. Octavii Cajetani corrigendum erroram; quo credidimus magnum Amiram Siciliæ, cujus in aa epistola fit mentio, Ametum Jacubi filium fuissa; cùm re vera Ibraimus fuarit; uti pro certo in Actis lagimus Sanctorum Martyrum Syrscusanorum Joannia, Andraæ, Petri, & Antonii.

Ibraimua Rax in Siciliam trajicit.

Memor. Hist. Sic Octav. Cajet. to. 2. SS. Sicul.

Ibraimus igitur molestè patiens Christianoa nondum possessione præclarissimæ Syracusarum urbis expulsos, collectam ingentem terrestrium, ac maritimarum copiarum è Siciliâ, & Africâ vim, præfectoque utrique classi strenuissimo Duce Busâ Cagebi filio, quem Fazellus corrupto appellat nomina Ucobbo, Panormo ad oppugnandas Syracusas mittit. Dimidiæ ferè insulæ oras Busa prætervectus exscansionam amplissimi numero exercitûs ad Syracusas facit, urbemque totâ classe, atque obsidione arctissimè cingit anno Christi octingentasimo saptuagesimo octavo: quod ab auctoribus nostris, Anonymoque Arabo comprobatur, Syracusarum excidium eodem anno asserente.

A. 878.

Basilio ubi primùm Syracusarum oppugnatio nunciata est, gravia incessit cura ferendæ opis urbi obsassæ: comparato itaque non contemnendo navium agmini, præfectusque Adrianua Patricius in Siciliam trajacturua mittitur; maturantem verò auxilia tempua ramoratur adversum tum in Peloponneso, tum in portu Hieracis in Calabria: intaraa Syracusani ab Sarscenis in dies vahamentiùs navalibus, pedestribusque copiis pressi ad eam frumenti caritatem, rerumque ad victum necessariarum inopiam redacti sunt; ut frumenti modium ducantis aureis vaniret; duæque panis unciæ nummo aureo penderentur: quod Theodorus Monachus testis, ac spectator probatissimus narrat: absumptis enim frugum alimentis, carnibusque omnis genaris quadrupadum, ingravescente fama, datritis ossibus, humanisque cadaveribua vascabantur. Accassit & pestilantia fami consequens commune malum; neutrum tamen perfregit, aut labefactavit Syracusinorum civium constantiam; quin pro tutanda patriæ libertata mulieres virili animo imbutæ, nedum viri insignia ederent facinora: in ea propugnatione singularis enituit Nicatæ Tharsansis; atque Urbis Præfecti animi fortitudo: sed cùm in horaa tardiora fore auxilia viderantur, quàm necessitas flagitaret, admotis catapultis direpta pluribus in locis mœnia armati barbari adoriuntur vigesimo primo Maii anni octingentesimi septuagasimi octavi, acceptisqua Præfecto urbis, atqua Nicata Tharsansi, & ex nobilioribus civibus septuaginta cæteri ad unum ferro cæsi occubuere: servatos quoqua post octavum diem ignotâ causâ interficiunt: quibus Sophronius Archiapiscopus duntaxat, unusque ex ipsius Clericis, atque Theodosius, qui oppugnationem banc Syracusarum descripsit, superstitas relicti sunt. Triginta dainde dies Saraceni morati ad diruendos urbis muros; tandam igne subjecto publica, privataque loca omnia penè delerunt, ac solo æquarunt: ingentique asportatâ prædâ, quæ ad decies cantena millia nummûm accessisse ferunt, ad occidentalas oras Siciliæ classem appulerunt. Victoris Busæ redi-

Curopal. Cedren. Porphyr. in Vita Basil.

Dira fames à Syracusanis perfertur.

A. 878. Syracusæ à Saracenis captæ maximâ civiû intarnecione.

Epist. Theodos. Monachi ad Laonem Arch. apud Pirrum.

reditus non modò ab Saracenis ex urbe effusis, lætis gratulationibus celebratus, Panormi; verùm etiam ab ipso Ibraimo rege magni, seu majoris Amiræ titulo Busa ornatus est.

In describendo Panormitanæ civitatis eo temporis statu asserit Theodosius monachus, Urbem Panormum antiquo latiore ambitu amplificatam, tot tantisque fuisse cùm advenis, tum civibus Saracenis frequentem; ut in eam tota Saracenorum progenies ab oriente atque occidente confluxisse videretur. Nec defuisse tamen Christianos Panormi incolas, qui in ea communi barbarorum lætitia, de funesto, miserandoque Syracusarum excidio graviter dolerent: quosque paucissimorum Syraculanorum civium, quos Panormum cum Sophronio Episcopo comites adduxerant, calamitas non acerbissimè afflictaret. Magnus porrò Amira cognoscendi sancti Præsulis, atque christianæ Fidei audiendorum capitum curiositate ab eodem Sophronio de Religione sua percunctatus; cùm liberè constanterque respondentem pro sui officii dignitate audivisset; in tetrum, fœdumque carcerem Episcopum, ac Theodosium monachum, hujusce historiæ scriptorem, contrudi imperat.

Inter hæc otiosè ventorum secundos expectabat flatus, ut sublatis anchoris in Siciliam trajiceret, Adrianus Patricius; cùm de Syracusarum eversione certior factus, & frustrà se ulteriùs progressurum ratus, Constantinopolim redit: quò ubi advenerat, Imperatoris jussu per summam ignominiam verberibus cæsus exilio deinde multatus est. Syracusano excidio multarum Sicularum civitatum accessit cruore, ac flammâ deletio: quibus profectò incommodis, atque incursionibus Saracenorum Italiam non minus Siciliâ vexitam advertens Basilius, cohibendum aliquando barbarorum victorum impetum duxit. Ingentem ad hoc navium classem copiis maximis militum instructam in Siciliam mittit, Stephano Maxentio Cappadoce Præfecto priùs, Nicephoro posteà Phocâ duce forti, ac prudente viro; qui Tropæum, Amantiam, & Siberenam in Calabria obtentas, aliaque ejus provinciæ loca; Taurominium præterea, cæterasque civitates Romano-Græcorum adhuc in Sicilia partium studentes Imperio restituit, & confirmavit: itaut in spem omnes adduxerat; fore ut ab Insula barbari expellerentur.

Classis in Siciliam dimissa sub Stephano Maxentio, & Nicephoro Phoca.

Cedren. in Niceph Porphyr in Vita Basil.

A. 879. Æg. 266.

Insequente Syracusarum eversionem anno Christi octingentesimo septuagesimo nono; Ægiræ verò ducentesimo sexagesimo sexto, interfecti Harisaphi loco, spectati apud Saraceno-Siculos viri, ab Ibraimo Rege Cairovanum in sedem suam redeunte, mittitur ex Africa in Siciliam administrandam Ala-Assanus Alabæ filius; qui in principio susceptæ provinciæ accuratissimè ab exploratoribus edoctus de Basilii motibus, conatibusque in Saracenos è Calabria, atque Sicilia propellendos; quâ potuit diligentiâ, classe validâ; manuque militum comparatis ad defendendam Insulam incubuit. Ex literis id accepimus Joannis Octavi Pontificis ad Carolum Crassum Imperatorem datis; quibus scribit Saracenorum classem à Græcis devictam, atque fugatam; non tamen ea navali pugnâ effecisse, quod sibi Augustus Basilius blandiebatur, ut hostes ab omni ditione sua ulteriùs quàm ab Apuliâ, atque Calabriâ arcerentur; non verò ab Siciliâ, quod præcipuum Barbarorum perfugium, atque præsidium erat, exturbarentur. Cùm enim comprimendas turbas à majore natu filio in se concitatas potiùs, quàm ad Saracenos expugnandos statuisset; eo animi mœrore, aliove correptus paulò post è vita cessit, anno Christi octingentesimo octogesimo sexto, suique Imperii vigesimo. Successorem, atque Augustum Leonem Sextum, alterum à primo natum instituit, Philosophum deinde passim appellatum.

Ala-Assan Amira septimus.

A. 880. Victoria Græcorum in Saracenos.

Epist. Joan. Octavi Pont. ad Carolum Crassum Zonar. Cedren.

A. 886. Basilius moritur.

Literarum is quàm armorum studiosior Imperator, ut præsefert ex nomine Philosophus; imperii licèt initia à vindicato Bario è Saracenica potestate sit auspicatus, ditionemque suam Beneventano addito principatu amplificaverit; & proinde spes habita dejecto Barbarorum jugo restituendæ in pristinam libertatem Siciliæ; Mysiaco tamen interpellatus bello, partisque in Calabria inferiore contentus animum in provinciis diligentiore gubernandis ratione applicavit; seseque intulit, ut nonnulli majorum suorum aliquando, curationi, atque administrationi officiorum; ac munerum ad rem Ecclesiasticam publicè spectantium. Quandoquidem novimus ex descriptione quadam ab ipsomet Leone facta Metropolitæ Syracusano tredecim subjectos provinciales Episcopos; nimirùm Taurominii, Messanæ, Agrigenti, Chronii, Lilybæi, Traynæ, Panormi, Thermarum, Cepha-

Leo VI. Philosophus Imperator.

Episcopi in Sicilia Leone VI. Imp.

phaledis, Halesæ, Tyndaridis, Melitæ, & Liparis. In qua verò enumeratione nulla fit mentio cùm de Catanensi Antistite; quippè qui, etsi careret subditis Episcopis, Metropolitani prærogativâ nihilominus decoraretur; nec ipsi Syracusano parêret: tùm de Triocalensi, quem Gregorius Magnus ætate sua commemorat: quare non longè à vero abesse videtur; Triocalensem, de quo in designatione agitur, Episcopatui Chronii adjunctum Urbis finitimæ; eique adhæsisse propter locorum vicinitatem; præsertim si, quæ in præsens Saracenico nomine Caltabillotta, è ruinis Triocalæ antiqui Chronii confinis emerserit; quod intra Saccensem agrum hodie continetur; & maris Libyci fluctibus, ut aliàs diximus, alluitur. Ex eadem quoque distributione colligitur Haleiam, ac Tyndaridem deletas nunc Urbes, celebres olim æquè, atque populis frequentes floruisse; priorem quidem modico intervallo ab oppido Thysiæ distantem; alteram intra Pactarum fines constitutam. Conjecturâ tandem illud assequimur; quòd quamvis potior Siciliæ pars ab Infidelibus possideretur, Christianos tamen Barbari subditos neque à libero Dei cultu absterrebant; neque ipsis erant impedimento, quominus Episcopi liberè deligerentur; à quibus Christiana fides in Christianorum animis firmanda, augendaque erat.

Piratarum per id tempus excursionibus omnes inferi, superique maris oræ infestæ erant; Saracenis namque infidelibus, ut Erchembertus illius ævi scriptor narrat, fideles nomine tenus Christiani, adjuncti Græci Christianos captos barbaris impunè mancipiorum instar vendebant, aut vilium servitiorum loco utebantur. Proindè contigit, ut anno Christi octingentesimo octogesimo octavo in Mamertino freto Africani, atque Siculi commisso cum Græcis navali prælio Saraceni ab his victoriam integram reportarint. Quare incolæ Messanæ, ac Rhegii, litorumque maritimis relictis urbibus in remotiora montium loca cum conjugibus, ac liberis concesserunt.

A. 888.
Piratarum Africanorũ damna in Sicilia, & Calabria.
Erchembert. in Chron.

Rebus ab Erchemberto narratis Arabs noster scriptor Anonymus addit; Romano Græcos, quos Barbaros, & infideles vocat, excensu in Siciliam facto cum Saracenis Siculis anno octingentesimo octogesimo septimo in pugnam venisse; sequente verò ad Mylas classibus conflixisse, in quo navali certamine Christianorum quinque millia desiderata sunt; reliqui à cæde exempti Rhegium in vicinam urbem sese recepere. Hujus deletæ classis Præfectus Græcorum ab Erchemberto tacetur; neque à Scriptore Arabo Saracenorum ductor exprimitur; nisi fortè Altamalus fuerit; quem à certamine anno insequente occisum à Saracenis Siculis in Afros conjuratis refert. Sex elapsis annis post Altamali necem Saraceni Siculi timore perpetrati facinoris perculsi, ne Rex Afer scelus ulcisceretur, inducias cum Rheginis, Græcisque Calabriæ, ac Siciliæ pacti sunt; quod sanè cùm ab Anonymo, tum à Leone Diacono Neapolitano coævo scriptore certiùs accepimus. De Amira verò Siciliæ Auctores Arabes dissentiunt; namque Ismael in annalibus eo tempore Alassanum ponit, quo Anonymus Abulosanum; in quem Saracenos Siculos conspirasse tradit: nisi dicere velimus Alassanum Ismaeli eundem esse, qui Anonymo Abulosanus, quique in Africanorum manus cum tota familia traditus est. Idem scribit Anonymus magnum Afrorum exercitum in Siciliam trajecisse anno nongentesimo Christi; atque in Lilybæi oram egressum vigesimo quarto Julii sub Abulabbâ Præfecto; qui ultra procedens arctissimâ obsidione Panormum cinxit, urbeque potitus est sexto Idus Septembris ejusdem anni, (qui antiquo Siculorum more subsequentis primi, ac nongentesimi inscribebatur initium:) Rhegium deinde in Calabria cæpit.

A. 889.

A. 900.

Anni initiũ apud Siculos Kal. Sept. antiquitus.

A. 901.

Si Abulabbas itaque fuisset Ibraimi Africæ, Siciliæque regis filius; conveniret Anonymus, cum annalibus Ismaelis; qui in calce historiæ notat, Ibraimum anno Christi nongentesimo primo, aut secundo obiisse: quod profectò, cùm contigisse perspicuum sit post Tauromenium captum; ut Anonymus Arabs Cantabrigiensis asserit anno Christi nongentesimo octavo; alterutrum scriptorum Arabum in computandis annis labi censendum omnino est. Neque de ipsius Ibraimi morte, ac propterea de Tauromenii excidio consentiunt Joannes Diaconus, & Lupus Protospatha: primus enim victum ab Ibraimo Regem Carovani ponit anno vigesimo imperii Leonis, fratrisque sui Alexandri; hoc est nongentesimo octavo Christi; cùm secundus dicat Ibraimum mortuum nongentesimo primo; seu nongentesimo

se-

ſecundo, ut in manuſcriptis Dux Andriæ corrigendum putat. Quorum Auctorum quamvis adverſarias opiniones P. Salernus in ſecunda animadverſione ad Hiſtoriam Diaconi Neapolitani componere ſtudeat annos imperii Leonis perſequendo ante Baſilii parentis mortem, ſcilicet octingenteſimo ſeptuageſimo anno, quo, patre adhuc ſuperſtite, Imperator inauguratus eſt: ac licèt controverſiæ ſatisfeciſſe quoque exiſtimet Pater Caracciolus, mendum Protoſpathæ corrigendo; quaſi verò hic auctor more Græcorum annos præverterit, anno nongenteſimo primo, aut ſecundo attribuendo, quæ nonageſimo nono geſta fuerint, ſecundùm Latinos: quia tamen verum ſemper non eſt; quòd ſex, aut ſeptem annos Græci supputantes Latinos præveniant; nil certi de Ibraimi morte, quo anno contigerit, niſi poſt Tauromenium everſum remanet decernendum: quapropter hujus excidium urbis Diacono Neapolitano duce perſequemur.

Oct. Cajet. in Vit. Ss. Sicul. T. 1. Animad. f. 102.

Caracciol. in 4. Chronol. Neap.

Paucis ante annis Saraceni Panormitani ab Africano rege defecerant; quem Ibraimum ex dictis fuiſſe conjicimus, in Cairovani ſedem evectum Mahometi demortui fratris loco anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo quarto; eodem namque nomine non ſolùm in Actis quatuor Martyrum Syracuſanorum à Cajetano relatis, verumetiam in Vita Sancti Eliæ, in Annalibus Protoſpathæ, atque Iſmaelis Arabis appellatur. Afer itaque Rex de Panormitanorum defectione, eorumque fœdere cum Rheginis Chriſtianis icto vehementer iratus, filium ſuum, quem ex Anonymo Arabe remur Abulabbam, miſit ad perduelles domandos, expugnandoſque Chriſtianos. Subactis igitur Panormitanis ad oppugnandum Rhegium provectus eſt; quam ſanè urbem, etſi firmo ſatis præſidio defenſam, quod à vicinis provinciis confluxeret, diripuit, ac ingentem prædam cum ſeptem ac decem millibus captivis Chriſtianis inde aſportavit. Porrò Panormum lætus rediens mittit in Africam nunciatum Regi patri de parte victoriâ, opimiſque victoriis captis. Hoc accepto nuncio Ibraimus haud equidem promerito res benè geſtas dilaudavit, ſed crudeli, quo erat animo, filium acriter increpuit; quòd tempus per deſidiam Panormi terens in Chriſtianos nihil ampliùs moliretur; idcirco revocato filio in Africam, ipſemet Rex ad ſubjiciendam Saracenico imperio Siciliam accingitur, noviſque in Italia provinciis ditionem ſuam amplificandam. Comparatis ad hoc maximis poſt hominum memoriam copiis ex Africana oris profectus Inſulam noſtram petit; ac Panormo poſthabitâ Amirarum Saracenorum ſede conſuetâ, ſecum quammaximè potuit eductis è Saracenis Panormitanis, Tauromenium rectà contendit.

Saraceni Panor. ab Africano Rege deficiunt.

Cajet. in Vit. SS. Sic.

Protoſp. in Chron. & Iſmael. Arab.

Domantur ab Ibraim Regis filio.

Ibraimus Rex Cairovani in Siciliam venit.

Reſidebat ferè in ea Romano-Græcorum Prætor tanquam in capite reſiduarum urbium; atque adeò Archiepiſcopus, populuſque frequens, ac viri primarii Sicilienſes Tauromenium incolebant; qui delicatiorem vitam degentes, quàm luctuoſo ſtatui conveniret; eas calamitates ſubiere, quas laudatus Diaconus prædictas narrat à Sancto Elia Monacho Ennenſi. Vir iſte cùm Tauromenium ad viſendas ſacras Divi Pancratii reliquias; civibus, ipſique Conſtantino Patricio ſupremo urbis Præfecto Tauromenii excidium minatus eſt; niſi mores mutaſſent, ſeſeque ad bonam frugem recepiſſent: ſed cùm nullam fidem documentis ſalutis darent; monitiſque opportunis clauderent aures, relictâ Siciliâ in Italiam tranſmiſit; atque inde acceritus ab Leone Imperatore, qui cognoſcendi præclarâ hominis ſtudio tenebatur, Conſtantinopolim profectus eſt; verùm in eo itinere Theſſalonicæ morbo correptus paulò ante ejuſdem urbis direptionem ab Saracenis Siriæ factam, ut prædixerat, vitam obiit: inter cæteros captivos Eunuchus Rhodophilus ductus eſt, quem Leo Imperator in Siciliam cum maxima pecunia ad numerandum ſtipendium militibus, reſque aliàs ad bellum contra Saracenos proſequendum neceſſarias comparandas mittebat. Ut verò ad Regis expeditionem Siculam, atque Tauromenitanam expugnationem redeamus; quam ſanctus Monachus Ennenſis prænunciaverat; quemadmodum etiam ante ipſius mortem eveneret, narrandam aggredimur.

S. Elias Monachus Tauromenii excidium prædicit, & Theſſalonicæ moritur.

Cùm itaque Ibraimus Tauromenii muros, atque ambitum perluſtraſſet, cognoviſſetque, quàm arduum foret vi, aut obſidione urbem loco edito munitiſſimam capere, niſi ex inſidiis adoriretur; ampliſſimis propoſitis præmiis, qui in mœnia irruperent; animoſiores quidam Mauri milites per prærupta ſaxa repentes, qua rupibus Urbs cingitur, in eam penetrarunt; dum cuſtodes alibi excubant, aut quietem capiunt: datoque ſigno ex com-

Obſidio Tauromenii.

Jo. Diacon.

composito reliquis in castris militibus armati omnes in portas irruunt, magnâque vi refractas in civitatem invadunt; primusque omnium Ibraimus, cujus jussu Barbari crudelissimam civium cædem, fœminarum atque infantium efficere; nec tamen ea internecione contentus templa, domosque publicas, ac privatas igni deleri mandavit; misitque, qui Christianos investigarent, qui in silvas, abditaque loca perfugerant; atque in primis Procopium Archiepiscopum cum quibusdam Clericis, qui ad deserendam fidem, religionemque Christi crudelissimè divexati, ne scelus admitterent omnes suppliciorum acerbitates constantissimè amplexi sunt. Sic ab laudato Diacono Neapolitano Tauromenii refertur excidium. In Annalibus Leonis Grammatici à Pagio citatis narratur, Urbem non excubiarum modo incuriâ, sed Eustathii Præfecti cohortis proditione captam ab Saracenis; necnon desidiâ Caramali, & Michaelis Caratti; qui ad ferendam opem laboranti Tauromenio missi rem segniter gessere; quapropter ubi Constantinopolim redierunt ab Imperatore Michaele capite damnati sunt; quamvis Nicolai Patriarchæ precibus exilio mors fuerit commutata.

Interea Tauromenitanæ urbis casus Italiam pervaserat; constansque rumor de bellico apparatu Ibraimi; quo plures Calabriæ, & Inferioris Italiæ Civitates existimarunt, Saracenicum Imperium fines suos longiùs producturum: quamobrem ad Ibraimum legatos mittunt, qui pacem, sive inducias, aut fœdus ineundum cum eo petant: Rex verò legationem indignatus superbè oratores remisit; nec coram adduci passus est; quin etiam minatus graviter se tractaturum Græcos, Gallos, aut Germanos, si sese interposuissent; ubi Italiam prætergressus pro arbitrio suo gerenda omnia statuisset. Quem animis terrorem incusserit, suæ præcipuè imbecillitatis consciis, atque inter se dissidentibus ejusmodi responsum; haud difficile cogitatu est.

Digressio de rebus Italiæ. Maximis eo temporis agitabatur Italia turbis invidiâ Principum comitatis, ægrè ferentium Caroli Magni nepotes, qui centum ferè annos perpetuos alternatim Imperiali titulo fruerentur; à qua tandem antiquâ majestate, atque potentiâ delapsi bellis intestinis, ac domesticis, postremus omnium Carolus cognomento Simplex ab suimet propinquis regno privatus est: qua occasione captâ externi disjiciendi jugi anno Christi octingentesimo octogesimo octavo Itali convenêre; & Berengarium Imperatorem salutarunt, Fori Julii Ducem, atque ambitiosum principem, & sustinendæ dignitatis capacem: quod iniquè ferens Guido Spoletinus Dux diuturno, & cruento Italorum civili bello æmulum devicit, insignibusque imperatoriis octingentesimo nonagesimo primo anno Christi potitus est; sequenteque Lambertum filium in potestate collegam ascivit. Hisce tunc usus discordiis, dissensionibusque civilibus Italiæ, Arnolphus Rex Germanorum cis Alpes descendit à Summo Pontifice Formoso evocatus, ac difficultatibus perruptis quadriennio post Imperator inauguratur. Proinde eodem ipso tempore Roma, totaque Italia tribus principibus æmulis, atque inter se contendentibus Arnolpho, Berengario, & Lamberto subjecta erat; quandoquidem Guido ejus pater jampridem vitam obierat. Conciliatis tamen animis cùm Berengarius in Germaniam rediisse, Lamberto mortuo anno Christi octingentesimo nonagesimo octavo, unus in Italia mansit Imperator, sed non sine æmulis, atque inimicis, quamvis enim insequente anno octingentesimo nonagesimo nono Arnolphus etiam Occidentis alter Imperator, ut diximus, vivere desierit; Ludovicus nihilominus Galliæ Narbonensis Rex Imperatoriæ dignitatis ambitione stimulatus in Italiam venit, & licèt primùm à Berengario repulsus fuerit; anno tamen Christi nongentesimo ab Adalberto Hetruriæ Marchione revocatus, Imperator à Benedicto IV. Pontifice renunciatur; verùm iterum expulsus est anno Christi nongentesimo secundo à Berengario Veronæ olim captivo suo, atque ultra Alpes amandatus.

Cùm ita res Italiæ gererentur, Ibraimus exercitum Tauromenii victorem in Calabria elato, inflatoque bene gestis animo traducit, ratus post expugnatam longâ obsidione Consentiam, etiam Romam ipsam, ac reliquam Italiam sese potiturum: verùm Consentinis egregiè mœnia, urbemque suam propugnantibus primò filium amisit; deinde ipsemet fulmine ictus, ut Protospatha monet, ac dysenteriâ confectus, tandem mortuus est, ut Diacono Neapolitano placet, eodem Tauromenitanæ eversionis anno

no, hærede regni nepote suo relicto, qui dum in Siciliam prius, ac postea in Africam revertitur cum Patris, Avique cadavere, magnâ ex parte navalem classem perdidit; & paulò post ipse vivere desiit, postremus Aglebitarum familiæ; quæ in Africa ad centum ferè annos regnaverat. Majori tunc auctoritate, ampliorique potestate Carovani dominatum, atque Africæ adeptus Obeidallas ab Alo Mahometi genero, ac Fatimâ filiâ prognatus, Maedi quoque nomen, idest Fidelium directoria apud Mahometanos assumpsit: eâque ratione à Caliphis orientalibus, sive Abbasidis discissus, perinde atque in Hispania sub Abderamano acciderat, Caliphatum suum Obeidallas constituit in Urbe ex vetere Aphrodisio ædificata, quam ab ipsius nomine Fatimitæ Maidam appellavêre. Novum Calipham hunc, præter Africanos, Saraceni quoque Sardiniæ, non ita pridem ab ipsis captæ, secuti sunt. Cùm verò Panormitanos etiam sibi subdere Obeidallas statuisset; cæterasque civitates, quæ ante Aglebitis parebant; in Siciliam trajecit anno Christi nongentesimo nono; & quadraginta dies moratus, Alassanum Amedi filium Abichaphaniri, qui Siciliæ curam loco suo gereret, reliquit.

Ibraimus Rex moritur.

A. 908. Obeid-Alla Maedi Princeps supremus Saracenorum in Africa.

Caliphę Fatimitæ in Africa ab Abbasidis secedunt.

Const. Porphyr.

Obeid-Alla Maedi in Siciliam transit.

Apud Inveg.

A. 909. Alassan 2. Amira octavus in Sicilia.

Diuturnam hujus Amiræ præfecturam ad trigesimum & secundum annum producit Invegius; cui tamen repugnat in suis Annalibus Scioabbedinus ab eodem Invegio relatus, quasi Ismaelis historiæ suam appendicem adjecerit; apertèque contradicit noster Arabs Anonymus: qui narrat anno Christi nongentesimo nono in Africa sub novo Saracenorum Miramolino, sub dicto videlicet Maedo, Musulmanos Siciliæ Abulphamaro quodam duce conspirasse contra Ebnezigum Saracenum, eumque coegisse, ut sese in Africam reciperet. Auctor idem refert quadriennio post, initio nimirùm anni nongentesimi decimi tertii, Panormitanos concitatos in Amramum Amiram arma vertisse [qui fortè is ipse Alassanus Invegio fuerit] eumque occidisse sexto Kalendas Februarias; ejusq; loco paucis post mensibus Amiram Korabum, sive Korabi filium elegisse; qui sequente anno transmissam in Siciliam ex Africa, ut conjecturâ assequi licet, ab novo Amirâ classem validioribus viribus devicit, occiso Ebn-Abichaziro ejus ductore: sed quò felicior contigit Saracenorum è Sicilia in Africanos expeditio; eò tristiorem habuit exitum anno insequente contra Romano-Græcos missa, nongentesimo decimo quinto; pars enim navium potior Infidelium naufragio periit in loco, quem Arabs Anonymus Halayanahum vocat. Saraceni itaque in Sicilia, sive infelici classis eventu, sive alio moti, filium Korabbi Amiram de præfecturâ deturbarunt; qui in Africam anno nongentesimo decimo sexto regressus unâ cum filio comite in eo exilio mortuus est.

Elmac. Hist. Sarac. l. 3.

Novæ Saracenorum Panormi turbæ.

A. 913.

In Amiram eligunt Ben Korab.

Anonym. Cantabrig.

A. 915.

Classis Saracenorū naufragium facit apud Halayanah.

Idem l. c.

A. 916.

Jam verò, cùm à Leone Hostiensi habeamus Siculæ classis jacturam factam anno nongentesimo decimo quinto; eodemque ipso anno castrum Garigliani [Liridis] à Saracenis amissum; non abs re conjicimus, locum ab Anonymo Arabicè Halayanahum dictum, eumdem esse mendosè Garighanum appellatum; quamvis Pagius annales Bertinianos, atque Protospatam secutus, crediderit Castri amissionem nongentesimo decimo sexto anno contigisse. Utcumque tamen se res habuerit; illud animadvertendum, utpotè quod ad nostram historiam maximè pertineat; Saracenos tum ex Africa, tum è Sicilia perdidisse in eo Castro incursionum opportunitatem, quam ad quadraginta ferè annos possederant: ejus enim loci situ, perfugioque tuti, non Campaniæ modò, agroque Romano proximo, sed longinquis etiam provinciis, incredibile sanè est, quot damna barbari inferrent; adeout Romani ipsi tributis annuis collatis, ab his barbarorum vexationibus sese redimerent; quo etiam securi sua libertate uti possent. Joannes Octavus Summus Pontifex ut molestos hosce, eosdemque formidolosos hostes à munitissimo, vicinoque loco exturbaret, Landulphum Principem Beneventi, & Capuæ flagitavit; ut opus optimum aggrederetur: qui, sua licèt plurimùm interesset; viribus diffidens suis auctor fuit Pontifici, ut cùm à Berengario Occidentis ab eodem Pontifice Imperatore creato, tum ab Imperatore Romano Græco auxilium peteret ad expellendos barbaros à Garigliano, naturâ, & loco munito, & ad conservandam inferiorem Italiam, Calabriam, atque Apuliam, quæ à Christianis adhuc possidebantur. Leoni Philosopho Imperatori demortuo successerat quinquennio ferè antè Alexander ipsius frater; [qui etiam post annum vitâ functus est] atque filius Constantinus Octavus Porphyrogenitus

Halayanah, fortè Garilianum.

Constantin. Porphyrog. Imper.

tus nuncupatus, ſeptennis puer. Ejus mater Auguſta Zoe, virique primarii, quorum tutelæ Cæſar adoleſcens Imperii ſummam adminiſtrandam commendaverat; etſi rei gerendæ accuratè incumberent; & Myſiorum incurſionibus, Conſtantinopolitanæ urbi obſidionem minantium vehementer premerentur; ad ferendam nihilominus laboranti opem Italiæ maximo navium apparatu ſtuduerunt; ut

Luitpr. l. c. 6. 4.

Leiſprandus narrat Hiſtoricus; quibus cum Ben Korabi Saracenicæ claſſi Præfecti claſſe navalis pugna, ut opinamer, quam ſupra memoravimus, commiſſa eſt. Leride Saracenis expelſis ad ſervandas diligentiùs Calabriam, atque Apuliam Imperatoris Conſtantini tetores pacem cum Sicilienſibus facere ſtatuerunt; negotiumque Euſtathio inferioris Italiæ Præfecto conficiendum imponitur; qui man lata facilè executus eſt; eam Saraceni Siciliæ cum Africanis ea tempeſtate gerentes bellum libenter eâ conditione fœdus pacti ſunt, ut à Romano Græcis vigintiduo millia aureorum Saracenis penderentur quotannis.

Saraceni Siculi fœdus cum Romano-Græcis faciunt.

Quibus conditionibus.

Maximos interim belli apparatus Obeid-Allas Africæ Calipha moliebatur; quo Saracenos Siculos ditioni ſuæ reſtitueret. Exornatis itaque, expeditiſque navalibus, pedeſtribuſque copiis Maurorū Abuſaidam Daipham, ſeu Aldaipham; ut Arabs Anonymus ſcribit; egregium, fortemque ducem præficit; atque in Siciliam mittit anno Chriſti nongenteſimo decimo ſexto: qui quarto nonas Auguſti Panormum appulſus urbem obſidione poſt quadraginta & tres dies capit; victorque ingreditur quarto Kalendis Octobris ejuſdem anni; quamvis, quem ſuperiùs meminimus, Auctor, ſequenti anno nongenteſimo decimo ſeptimo ad conſuetam Siculorum temporis rationem factum adſcribat.

A. 916.

Abuſaid Dalf, ſeu Aldaif, claſſis Præfectus, Panormum expugnat.

A. 917.

Saraceni itaque Sicilienſes, etſi præcipua urbs Inſulæ in Africanorum manus devenerit, animo non cecidêre; ſed inter ſeſe conjuncti, & conſociati filium Aliaphari ducem ſecuti adverſus Abuſaidam bellum ſuſceperes; quem arctiſſimâ obſidione Panormi ad ſex menſes interclusum, ut Scriptor perhibet Arabs, tantâ rerum inopiâ preſſêre; ut ſalis uncia duobus tarenis venierit; quod quidam annotare voluimus, quò monetæ hujus antiquiſſimus uſus cognoſceretur. Cùm tandem inter Mauros, & Sicilienſes conveniſſet pactione facta; ut hi Panormum ingreſſi urbis potirentur; claſſis verò maritima in Africam rediret; Caliphæ Africani loco ad Siciliam regendam Amira remanſit Salemus dictus; ut ex Anonymo habemus, anno nongēteſimo decimo octavo.

Salem Amira Nonus.

A. 918.

Ejus in Sicilia præfectura ad viginti perduravit annos; pacem verò, quam Saraceno-Siculi cum Romano-Græcis inierat, induciarum nomine confirmavit; hi enim belli civilis barbarorum opportunitate arreptâ Tauromenium amiſſam receperant, præſidioque firmarant; quod nobis prædictus indicat Anonymus; additque anno Chriſti nongenteſimo decimo nono, barbaros cum Tauromenitanis inducias pactos, ac ſeptennio poſt cum Calabris feciſſe; ideſt nongenteſimo vigeſimo ſexto; quas quidem obſidibus Leone Epiſcopo Siciliæ, Aulæque Imperatoriæ quodam adminiſtro acceptis confirmavit Calipha Mahometus Obeidallas, à Curopalate Fatlus appellatus, errore, an aliâ ratione incertum; ab eodem ipſo Auctore nobis exponitur; quâ causâ ab Africano Principe hujuſmodi pax inita fuerit: ait enim Fatlem ab oratoribus Simeonis Myſiorum Regis inſtigatum, ut potente navium claſſe obſidionem Conſtantinopolitanæ urbis vehementiùs urgeret; ſociatiſque viribus Romano Imperio extremam perniciem inſtrueret; conditionem ſecutum legatos ſuos ad Simeonem miſiſſe, qui fœdus icerent, pactioneſque ſtatuerent, ſed inter eundum à Pyratis Calabris capti Myſii, Africanique Oratores Conſtantinopolim adducti ſunt ad Lacapenum Urbis, Romanique in Oriente Imperii moderatorem; hominem loco humili natum, atque Armeniâ oriundum; ſed ſuâ præclarâ virtute, & prudentiâ ſingulari apud omnes à Conſtantino in Collegam adſcitum ex tutorum ſuorum conſilio: qui egregiè ſuo munere functus, quàm meritò ad eam dignitatem evectus ſit, expeditione in Myſios anno Chriſti nongenteſimo decimo nono factâ oſtendit. E captivis igitur de Myſiorum Regis animo Lacapenus certior factus; ac timens ne fortè peracto fœdere cum Saracenis Imperii ſui mala graviora emergerent; conciliandum ſibi exiſtimavit Africani Regis animum, ad eum non modò Mauris captivis remiſſis, verùm etiam ampliſſimis, magnificentiſſimiſque donis; quibus barbarum Principem admoneret; quâ ratione Romani Imperatores vel cum inimicis ſeſe gererent; gratiſſimum bar-

Induciæ Saracenorum cum Romano-Græcis.

A. 919.

Lacapenus Romani in Oriente Imperii moderator.

barbaro Principi accidit hujusmodi captandæ benevolentiæ genus; & ne ab Imperatore Græco humanitate vinci videretur, fœdus cum Mysia agitandum diremit; quod cum Lacapeno sanciverat, dimidio ex pacto Saracenis vectigali pendendo quotannis; ut à tutoribus Porphyrogeniti antea statutum fuerat.

Verùm ea pax identidem à piratis Saracenis violata non diù stetit; ut à Protospatha cognovimus, qui anno Christi nongentesimo vigesimo quarto Uretum in Apulia ab iisdem depopulatum narrat; ac triennio post, anno videlicet nongentesimo vigesimo septimo, Tarentum eamdem fortunam subiisse; miserasque civium reliquias in Africam trajecisse; quod idem asserit Anonymus in suis Annalibus; nempe anno Christi nongentesimo vigesimo octavo Administrum Caliphæ ex Africa missum Sainum nomine, Tesnimahum occupasse; qui, etsi sequenti anno inducias ad aliquot menses produxerit cum Calabris; vix tamen ipsis confectis Sainus in Calabriam trajecit; atque Taroulahum urbem devictam ex indigenis decem millia captivorum duxit.

A. 924. Uretum, & Tarentum depopulantur.

Protosph. in Chron.

A. 927.

A. 928.

Non dispari afficiebantur molestiâ reliquæ Italiæ Provinciæ ab Hispaniæ Mauris vexatæ; perinde ac Apulia, atque Calabria ab Siciliensibus, & Africanis: nam cùm à Saracenis Hispaniæ Fraxinetum Liguriæ finitimum, atque Provinciæ occupatum esset; forti præsidio munitum piratis omnibus vicina littora invadentibus tutissimum perfugium construxerant. Quibus excursionibus utriusque provinciæ interioribus oppidis, ac locis infesti, terrore, atque formidine Italiam confecerunt; in qua Ugo Provinciæ Comes ea tempestate dominabatur: etenim Berengario Occidentis Imperatore interfecto; fugatoque Rodulpho Rege Burgundiæ; cùm dominandi libidine, ambitioneque stimularetur; atque nongentesimo vigesimo quarto anno Rex Italiæ salutaretur, jurejurando Italos adstrinxit; ut post mortem Lotharium filium quoque in regem eligerent: quod nongentesimo trigesimo anno factum est; in quo Arabs Anonymus Teroulachi eversionem contigisse scribit; quam Tarenti faciliùs crediderim.

Ugo Provinciæ Rex Italiæ.

A. 930.

Tot tantisque calamitatibus assiduè affecta superiùs inferiùsque Italia ab Hispaniæ Saracenis, non minoribus oppressam miseriis, ærumnisque nostram conspiciebat Insulam ab eisdem barbaris; quorum avaritiam incredibilem gravibus, crebrisque vectigalibus extinguere minimè valeret: fœdam hanc, insignemque cupiditatem Exactorum Africanorum, vel ipsum Calipham reprobasse, ac reprehendisse anno Christi nongentesimo trigesimo secundo notat Arabs Anonymus. Mahometus Abdallas, seu Obeidallas Caliphas is erat, qui quatuor & viginti annos regnavit, novumque, ac supremum in Africa Fatimitarum stabilivit dominatum; mortuus, ut ex historiis Elmacini novimus, anno Ægiræ trecentesimo duodecimo, Christi nimirùm nongentesimo trigesimo secundo; quod idem ex Arabe Anonymo asseritur; qui vitâ functum ait quinto Nonas Martias; mortis tamen ejus nuncium in Siciliam quarto Nonas Sextiles pervenisse. In patris successit locum Caimus, seu Alcaimus Bianvilla filius; ab Anonymo Albucastimus appellatus: cujus regni exordia maximè insignia edidit non modò Januæ direptio ab Africanis piratis facta; verùm etiam aquarum magnitudo, quæ Panormum anno Christi nongentesimo trigesimo quinto inundavit, non paucos submersit, ædificia multa intra, atque extra urbem avertit; ac insequenti anno eâ siccitate laboratum est, vehementis, atque immoderati Euri flatu sexto Nonas Julii excitato; ut omni prorsus autumnus vindemiâ caruerit.

Gravia vectigalia exiguntur à Saracenis in Sicilia.

A. 932.

Obeid Alla Calipha moritur.

Elmacil. lib. 3. cap. 2.

Cui succedit Caimus Biavila filius.

A. 935. Alluvio Panorm.

Hujus verò Caliphæ regnantis primordia longè notabiliora reddidit bellum in Sicilia propter Agrigentinorum motus susceptum: iniquo populus ferebat animo tributorum, ac vectigalium iterata, ac duplicata onera: regios administros, & præsertim Salemi Amiræ præfecturam: qui Siculorum omnium iracundiam magnis, atque intolerabilibus injuriis, & molestiis, ut Invegius ex annalibus Sciobbedini refert, commovebat. Agrigentina civitas, etsi pristinâ delapsa majestate, indigenarum tamen multitudine admodum frequens, cùm hæc pati facilè non posset, tumultu conflato Africanos milites, qui urbi præsidio erant, decimo quinto kalendas Majas è mœnibus ejecit; anno Christi nongentesimo trigesimo septimo: coegitque Ben-Hamramum quemdam nomine, ut in munitissima Calatabillottæ arce sese includeret, non multùm ab Urbe Saccæ præcipuæ meridionalis oræ distante. Id ubi Amira Panormi cognovit, exercitum comparat è Cottamiis, quo nomine belli-

Agrigentinorum contra Africanos tumultus.

A. 937.

Cottamiorū gens.

bellicosa gens altera ex quatuor Maurorum appellatur ab Anonymo; adjunctisque Saracenis Siciliensibus Abu-DiKaKum præficit Cottaminittam, quibus collectis copiis in Agrigentum ipsemet Amira movit; & castra ad urbem metatus est, in Asrabo, seu Osraho loco nuncupato, ut maturas ad messem segetes vastaret: quod Agrigentini conspicati magno agmine in hostes egressi, pugnâque commissâ octavo Kalendas Julii spectabilem victoriam consecuti sunt, Cottamiorum extincto duce; ac reliquo exercitu fugato. Qua re benè gestâ elati, inflatique Agrigentini ad oppugnandam Panormum in locum Mesid-Bshum progressi sunt; verùm Salemus Amira; & ex primariis Saracenorum Maimon Musæ filius excitatis Panormitarum armis è mœnibus prodeuntes cōfertis manibus Agrigentinos victores è Panormitanis finibus sese proripere compulerunt. Hic nihilominus Agrigentinorum tumultus concitavit cæterorum Siciliensiū, ac Panormitanorum animos, qui molestè ferentes Amiræ dominatum, arma in eundem Salemum vertē e: is licèt variis militum copiis impetitus victoriam tamen consecutus est; magis noxios, ac seditiosos resti ac palo damnatos delevit; & Panormum sine curâ obtinuit: cujus rei monumentum arabicis literis exaratum in marmore hactenùs asservatur.

AbuDiKaK supremus Saracenorū Præfectus.

Agrigentinorum de Africanis victoria.

Victoria Salemi Amiræ.

Ubi de Siculorum in Africam seditione delatum est, Calipha recens Alcaimus exercitum magnum comparat, & Calilo Præfecto in Siciliam ducendum mandat. Cum his copiis Panormum appulsus urbem mœnibus nudandam Chalilus censuit, quò patrati sceleris pœnas lueret: ea verò in Panormitanos adhibita acerba severitas ad capienda arma reliquos Silienses, ac præcipuè Agrigentinos concitavit: ad quorum audaciam, quam ajebat Chalilus, comprimendam omnibus collectis viribus Agrigentum oppugnaturus accessit: verùm extra muros egressi cives obsessi septimo Idus Martias anni nongentesimi trigesimi octavi commissa fortiter cum aggressoribus pugnâ Africanos viros præcipuos Ben-Abiazirum, & Ben-Alihosanum alterum Amiræ Salemi generum interfecerunt, fusis, fugatisque reliquis hostium. Cùm obsidionem nihilominus inceptam persequi Chalilus obstinato animo velle; eamque frustrà ad octo menses produxisset; oppugnatione tandem soluta Panormum rediit; ubi gravissimis tributis civitati impositis ingentem pecuniarum vim exegit, misitque in Africam ad contrahendos milites, qui in Siciliam quantò ocyus trajicerent.

Chalil classis Præfectus à Calipha in Siciliam mittitur.

A. 938.

Altera victoria Agrigentinorum de Africanis.

Agrigentini interea, qui hujus belli initium fecerant, de pœna timidi, territique Africanorum apparatu maximo, cùm ad se defendendum impares cognoscerent vires, suasque copias, ad Imperatorem Romano-Græcum, ut scribit Scioabbedinus, miserant [Romanum Lecspenum, scilicet & Collegam ipsius Constantinum] petitum auxilium; optatumque impetrarunt. Subsidiarii milites interim ex Africa ad Chalilum pervenerant; qui nongentesimi trigesimi noni anni initio in campum prodiit, submissisque arcibus Calatabuturi, Assori, Sclaphanique, quæ seditiosis tutissimum situ perfugium erat, contra Calatabillottam ab eisdem occupatam exercitum duxit, obsidione capiendam. Agrigentini verò, quorum plurimùm arcis hujus propugnatio intererat, eo impetu sexto Idus Julias, atque iterum mense Novembri in hostes irruēre; ut receptui signum dare secundò Africanos coegerint; ac Panormum reverti. Ex intestino bello tot malis gliscentibus accessit caritas annonæ insequentis anni nongentesimi quadragesimi, quo tantâ frugum, frumentique in Sicilia penuriâ laboratum est, ut, non defuerint, [quod Arabs testatur Anonymus,] qui premente fame liberos suos crudeliter voraverint. Id verò non obfuit, quò minus ab incepto Chalilus desisteret; sed omni conatu adhibito Balaletam, seu Calatabillottam suæ subjecit potestati Mense Martio; deinde duodecimo Calendas Decembris Agrigentum ipsum ab obsessis civibus derelictum, ut vitæ fugâ consulerent; ab reliquis enectis fame, ut verisimile est, Africano tandem hosti pactis conditionibus deditum, quæ omnia diligenti studio à Scioabbedino descripta legimus. Rebus ad arbitrium suum Chalilus compositis cum Agrigentinis, quos motuum, seditionisque auctores noverat, in Africam ad Regem Alcaimum transmitti jussit: Navis verò, quæ captivos advehebat, a nautis, ut crudelissimi Chalili mandatis arcanò datis satisfacerent, perforata miserabiliter in alto depressa est.

Agrigentinis Romano-Græci suppetias veniunt.

A. 939.

Ab Agrigētinis iterùm Africani victi.

A. 940.

Atrox Siciliæ fames.

Agrigentum Chalilo deditur.

Decesserat paulò antequam in Africanorum caderet iterùm manus Agrigen-

gentum; Salemus Amira, qui nostræ Insulæ præfecturam ad longum tempus gesserat: quapropter Chalilus in Africam rediturus; quòd quarto Idus Septembris contigit, anni nongentesimi quadragesimi primi; moderatores duos Ben-Aleuphium, & Ben-Attaphium Panormo præfecit. Frumenti augebatur intereà, cibique penuria ubique locorum Siciliæ; indigenasque miserandum in modum fames conficiebat, ut major urbium, oppidorumque pars incolis, civibusque orbata, atque nudata remanserit. Fami postremò incredibilis nec minoris calamitatis facta est accessio: Furta enim, latrocinia, atque injuriæ, sive novorum Moderatorum pusillanimitate, atque vecordiâ, sive miserandâ temporum conditione ideò increbuere; ut rapinis, & improbitatibus audaciorum; potentiorumque eversio, ac vastitas totius Siciliæ illata sit.

A. 941.

Miserandus Siciliæ status

Is rerum Siciliensium status erat; cùm Romanus Lecapenus ab imperatoria sede post sextum ac vigesimum annum deturbatus cum liberis Stephano, & Constantino exulavit. Interim Cairovani vitâ functo, anno Christi nongentesimo quadragesimo septimo, Caimo Biansillæ secundo Caliphæ de Fatimis Almansor Billas ejus filius successit; qui Assano, seu Alassano filio Hali, nepotique Alassani præfecturam Siciliæ hæreditario jure concessit: ac proinde ex familia Chalporum inter Saracenos nobilissimâ, undè Alassanus traxit originem, novem Amiræ prodiere, qui Siciliam ultra sæculum gubernarunt. Etenim cùm Alassani præ ceteris Amiris Siciliæ præfectura benè gerenda interesset; omnem curam, & diligentiam adhibuit colendæ, servandæque justitiæ: & quamvis anno insequente seditiosi nonnulli in eum conjuraverint; à primoribus Siculis delati, suspendioque nocentiores damnati, pœnam sceleris luerunt; quo facto res Sicula pacata omninò est. Accidit eâdem tempestate; ut cùm in Sicilia, tum in Africa rei frumentariæ inopiâ vehementer afficeretur Saracenus; qui ad Græcos in Italiam annonæ sublevandæ causa confugiens valdè carè, summoque pretio frumentum emeret, à Crinito Calido præsertim exacerbatus Calabriæ præfecto, homine in primis avaro, qui eâ abusus caritate in emolumentum suum Alassano Amiræ occasionem dederit frangendi fœderis; itentoque bello in Romana-Græcorum perniciem faciendi progressus; ut demum Tauromenio, vicinisque oppidis captis parum Siciliæ acquirendum Saraceno restaret.

A. 944. Lecapenus ab Imperio deturbatur.

Inveg. Elmac l. 3. hist. Sarac.

A. 947. Chalporum familiæ Sicilia hæreditario jure conceditur in Amiratum.

Ex qua novē Amiræ prodierunt.

A. 949.

Annonæ penuria in Sicilia.

Curop. Cedr.

A. 951.

A Saracenis vincuntur Romano-Græci in Calabria.

Ingentem paulopost exercitum Pharagius Mosdidus ex Africa adduxerat; quo ultra Pharum prætergressus ea intulit damna; ut Constantinus Porphyrogenitus, qui post Lecapeni mortem imperii moderabatur solus gubernaculum, magnam navium classem instruxerit ad tutandam Calabriam, Apuliamque è Saracenorum incursionibus, sub Mauro Joanne præfecto, Malaciano verò terrestrium copiarum ductori mandavit; ut contractis, quas etiam novus Administrator Provinciæ vires paraverat Paschasius, quamprimùm cum hoste prælium committeret. In Calabriam appulerat classis anno Christi nongentesimo quinquagesimo primo, ut apertè scribit Protospatha; quamvis Arabs Anonymus duos post annos pervenisse narret: factâque cum Saracenis pugnâ, a Barbaris superata est; atque Malacianus, quem Malacanum Curopalates appellat, pluresque alii ex Romano-Græcis militiæ duces, atque Primarii viri captivi ducti. Hanc perpessus Constantinus Imperator à Saracenis inducias petiit; & Joanne Axierato in Siciliam oratore misso ad aliquot annos impetravit.

A. 951.

Brevi post pactas inducias Calipha Almansor moritur in Africa; quod contigisse monet Elmacinus Ægirâ trecentesima quadragesima secunda, Christi scilicet anno nongentesimo quinquagesimo secundo, quo Annales Scioabbedini narrant Alassanum Amiram possessione Siciliæ Ahmado Abulassano filio suo cessisse; quique postquam quinquennio Siciliam gubernasset in Africam ad novum Calipham Almuezzum reversus est; à quo Alassani factum confirmatum etiam asserit Anonymus Scriptor; etsi rem nonnullos post annos differat: addatque novam ex Africa in Siciliam classem anno sexto supra nongentesimum quinquagesimum transmeasse; cui Ammarus frater Amiræ Alassani præerat; & paucis post diebus ad percurrendam Calabriam progressus est; cùm Basilius Protospatharius cum Romano-Græcorum classe Rhegium appulsus; indeque ad Insulæ nostræ littora excensione factâ Thermarum potitus est magnâ Saracenorum clade. Addit præterea idem Auctor classem Barbarorum in Siciliæ portus redeuntem tempestate maximâ exorta ferè totam undis depressam periisse octavo Kalendas Octobris non-

A. 951. Calipha Almansor moritur.

Alassanus Amira Ahmado filio Sicilia cedit.

Basilius Protospatharius Romano-Græcorum classis Præfectus Thermis potitur.

Naufragium Saracenicæ classis.

Aa gen-

A. 959.

gentesimi quinquagesimi octavi anni.

Idem refert Joannes Curopalates in sua historiâ, suppresso quo anno contigerit naufragium; quamvis exponat induciarum inter Romano-Græcos, ac Saraceno-Siculos facturum jampridem elapso tempore ad populandas oras Calabriæ more suo Barbaros regressos: ac propterea Imperatori Constantino convenisse novam maritimam classem instruere, qua inferiorem Italiam à Saracenis prædonibus defenderet; ac selectam terrestrium militum manum; & primæ quidem præfecerat Carbeam, & Mauroleonem; alteri verò Patricium Marianum Argyrum, qui aliquantisper Hydrunti moratus in Siciliam deinde cum tota classe navigaturus. Quod ubi à Saracenis auditum est de Romano-Græcorum expeditione, navalique apparatu contra Siciliam, Rhego relicto, summa festinatione Panormum ductores navium sese recipere statuerunt: sed repentina tempestate, ut diximus, jactati, afflictatique inter eundum potiorem navigiorum partem amisere: quo naufragio, inquit Curopalates, Saraceni exanimati cum Romano-Græcis fœdus instaurarunt; quod ad Nicephori Phocæ usque tempora perduravit. Nihil de hujus fœderis renovatione Arabs Anonymus memorat; nisi Amiræ Assani diligentiam, ac maximam curam in reficiendis damnis anno nongentesimo quinquagesimo nono ex naufragio illatis. Eodem, quo è vita Constantinus Porphyrogenitus decessit, postquâ septem & quadraginta vixisset annos Imperator, sedem Imperii Constantinopolitani Romano filio, eo nomine secundo, reliquit. Cùm verò, ut Arabs subdit, Romano Græci contra Saracenos bellum adhuc gererent; Ben-Baylus inter Saraceno-Siculos, ut verosimile est, præcipuus in bello capitur, & Constantinopolim mittitur: ac sequente anno primo supra nongentesimum sexagesimum Aphrinai urbem expugnant. Amira demum Assanus proficiscens eodem anno secum in Africam plures è Saraceno-Siculis adduxit principes, qui Fatimitorum religione, quam Almuaazus Lidinillia Rex profitebatur, imbuerentur. Tunc Amedus Abulassanus in Sicilia administranda loco patris remanserat; quem tamen Scioabbedinus septem aut octo ante annos præfecturam suscepisse narrat: atque trecentesimo quadragesimo anno Ægiræ, nongentesimo scilicet quinquagesimo octavo Christi ad Regem Almuezzum cum triginta ex proceribus Saracenis Siculis adiisse, qui sacramentum dicerent. Ubi verò in Siciliam cum eisdem Amira reversus est in mandatis ab Africano Rege accepit; ut statuto die, quo ipse filium suum, Saraceni quoque Siculi liberos suos circumciderent; quod sanè solemni pompâ celebratum est; nam puerorum ad quindecim millia circumcisa sunt; inter quos primum tenuere locum Amiræ Amedi filii, fraterque: porrò circumcisos omnes generis habitâ ratione pretiosis vestibus Amira donavit, quod cùm Almuezzus rescivisset; quinque vestimentorum sarcinas, & centum millia enmerata drachmarum in Siciliam ad Amiram circumcisis distribuenda misit. Ceterum sive ante, seu post nongentesimum sexagesimum primum Amedus Siciliam gubernaverit; ut Arabs Anonymus, & Scioabbedinus contendunt; certissimum est utriusque testimonio; novum hunc Amiram fuisse, qui Tauromenium à Romano Græcia recuperatum, dum Saraceni-Siculi civili bello distinerentur, ut supra meminimus; secundùm expugnaverit. Cùm itaque placidissimâ pace Saraceni uterentur in Sicilia, Amedus Amira totius occupandæ Insulæ accensus studio magnum è Siculis, Africanisque auxiliariis copiis accitis exercitum comparavit; quo Tauromenium abeunte vere anni nongentesimi sexagesimi secundi oppugnaturus progressus est. Singulari virtute cives, ac Romano-Græci urbem propugnaverant; nam, licèt Kalendis Augusti suppetiæ Amedo ex Africa sub Alcaide Ben-Ammaro ipsius patruo missæ venerint; obsidio nihilominus ad Decembrem protracta est; quo tandem vi capta urbs est; ut ex Annalibus Scioabbedini cognoscere licet; qui auctor est, ab Amira victore Regi Almuezzo in Africam Tauromenitanos Christianos captivos mille septingentos & quinquaginta missos. Secundam Tauromenii deditionem, quam refert Invegius, Decembri factam Ægirâ trecentesimâ quinquagesimâ secundâ; idest anno Christi nongentesimo sexagesimo secundo; Arabs Anonymus Græcorum Siculorumque more annum Septembri mense inchoantium, nongentesimo sexagesimo tertio ascribit. Eodemque narrat anno Rametttam, arcem munitissimam, edito in monte sitam ex his, qui Messanam urbem, ejusque portum cingunt; ab Alcaide Ammaro post longam obsidionem expugnatam.

A. 959. Cōstantinus Porphyrog. Imper. moritur.

A. 961.

Amed Abulassan Amira.

Sarseni liberos suos solemni pōpa circumcidunt.

Tauromeniū secundò à Saracenis occupatur.

A. 962.

Rametta expugnatur.

Brevis narratio de rebus Italiæ.

Eadem ipsa tempestate, qua Tauromenium, ac Rametta in Saracenorum manus devenerant; in Italia tumul-

multus maximi concitati sunt; de qua, ut nostræ Insulæ finitimâ, dicendum aliquod non abs re ducimus. Berengario emortuo anno Christi nongentesimo vigesimo quarto; etsi Ugo Provincialis, ac Lotharius filius; deinde Berengarius Marchio Thuriæ in Italia, ut superiùs diximus, regnaverint; eorum tamen dominatum nonnulli viri principes, ac præsertim Joannes Pontifex duodecimus iniquo ferentes animo, Othonam Saxonam, Regem Germaniæ victoriis, rebusque egregiè gestis cognomento magnum, accersunt; qui anno Christi nongentesimo sexagesimo primo in Italiam adveniens, Barangario, factiosisque asseclis devictis, Imperator mense Februario insequentis anni Romæ inauguratur.

Romanus Secundus Orientis Imperator moritur.

A. 963.

E vita decesserat eodem anno; [quo Germaniæ Reges Nomen, ac potestatem Imperatoriam in Othone acquisierant; ut Galli Carolo Magno imperante:] Romanus Secundus nondum ætatis suæ anno vigesimo completo; imperii verò quarto; qui, cùm ex Theophane uxore filios Basilium, & Constantinum accepisset, ad rem gerendam minimè idoneos reliquit: idcirco nongentesimo sexagesimo tertio anno Christi Nicephorus Phoca à legionibus primùm, deinde à Senatu, Populoque Constantinopolitano Imperator salutatur; cui paulò post Theophane nupsit vidua Imperatrix.

Nicephorus Phoca Imperator.

Ex patre Barda nepos is erat Nicephori Phocæ, qui Basilio Macedone imperante, ut superiùs narravimus, ad movendum contra Saracenos Sicilienses bellum in Italiam venerat. Is itaque, cùm sibi nomen amplum restitutâ Imperio Cretâ peperisset nongentesimo, ac sexagesimo anno Christi; aliisque gestis, victoriisque in Oriente à Saracenis reportatis, Ducis strenui famam consecutus esset; ab omnibus, Leone Diacono ejus ætatis scriptore attestante, idoneus unicè putabatur, qui Romano-Græcorum imperium in pristinam restitueret dignitatem. Igitur novis auspicatus victoriis exordia imperii contra Saracenos Orientales, anno deinde ab inauguratione tertio bellum in Occidentales facere statuerat; ut Africanos ab Italia, Siciliaque pro virili sua omnino expelleret. Classem ad hoc navium bellicarum rerum copiâ onustam, florentemque robore, ac militibus exornat; Nicetam Eunuchum pietate morum, militarique virtute conspicuum perficiendæ rei præficit; à quo equestrium, pedestriumque exponendarum copiarum in terram exercitui Patricius Emmanuel præponitur; juvenis quidem strenuus, inconsideratus tamen, & audax; cognationeque cum Imperatore consanguinitatis maximè tumidus.

Classem præparat ad expellendos è Sicilia Saracenos.

In Siciliam appulsi, atque in Orientales oras agressi felicissimè primo impetu, nulloque negotio Syracusarum, Leontii, Tauromenii, atque Himeræ, Panormo quatuor & viginti millibus passuum distantis, potiuntur. Verùm Emmanuel, cùm contra quàm Nicetas, ejusque Legatus Zorgrias censarent; interiora Insulæ penetrasset; quò cum selectiora Saraceni militum manu, opibusque advectis è litoribus in montes confugerant; gravia ex hostium insidiis accepit incommoda; quibus debilitatus in campum iniquis viribus descendere, & cum potentiore hoste congredi tandem coactus est.

Initio multas urbes recuperat à Saracenis.

A. 964.

A. 965.

Quandoquidem Amedus Amira de apparatu bellico certior factus; quem Constantinopoli Græci exornaverant in Saracenos Siculos; Calipham Muaaum monuit; qui ex Africa magna hominum, naviumque auxilia sub Alassano Amiræ Patre in Siciliam suppetias miserat. Cùm igitur Emmanuelem mediâ in insulâ castra inter montes inconsultò exposuisse comperit Alassanus, summa vi, contentioneque undique adoritur, locorumque angustiis clausum profligat; ac ipsum Emmanuelem Ducem occidit: fuso, deletoque Romano Græcorum exercitu, ad dissipandam quoque classem maritimam victores progrediuntur Saraceni; quam in anchoris stantem ex inopinato aggrediuntur; nonnullas capiunt; alias demergunt; Nicetas ipse Præfectus captivus in Africam mittitur: itaut ex florentissimo exercitu paucissimi evaserint; qui acceptæ cladis nuncium Nicephoro Augusto perferrent.

Emmanuel exercitus Imperator occiditur: Romano-Græci à Saracenis profligātur. Nicetas Patricius capitur.

Leo Diac. apud Pagiū. Curopal.

Noverius, ac Scioabbadinus anno Ægiræ trecentesimo quinquagesimo tertio in Annalibus id accidisse narrant; quod nongentesimo sexagesimo quarto Christi respondat: quamvis autem Emmanuelis in Siciliam adventum, classisque eversionem nongentesimo sexagesimo quinto factam Anonymus Arabs, & Protospatha scripserint; non tamen in hoc à prioribus dissentiunt; etenim Græci Occidentales mense Septembri unà cum Indictione anni constituebant initium, ut sæpiùs meminimus. Post partam victoriam, quam à Sancto Episcopo

Hip-

Hippolyto nostro Siculo prædictam asserit Luitprandus; dum Alassanus victor Panormum redit, vivere desiit mense Novembri eodem anno nongentesimo sexagesimo quinto, ætatis verò suæ quinquagesimo tertio.

Alassao Amira moritur.

In manus deinde Saracenorum deciderat Rametta urbs ea tempestate munitissima; quæ Caliphæ Almuazai jussu ab Amira Amedo Abulassano Alassani secundi successore funditùs cum Tauromenio eversa est. Sub Amedo Abulassano Præfecto Siciliæ pax inter Saracenos, & Christianos firmata erat; verùm à Calipha in Africam accersitus Theisto Christianæ Religionis desertori administrandam Panormum Amira reliquit. Ubi ad Africanum Regem pervenerat Amedus, cum amplissimo exercitu mittitur in Ægyptum; verùm inter eundum Tripoli morbo correptus moritur anno Christi nongentesimo sexagesimo nono: In demortui Amiræ locum substituitur Abulcassenus ipsius frater; de quo inferiùs agendum commodiùs est. Saracenorum historiis memorabilis annus Ægypto partâ, [nobilissimo, fœcundissimoque regno, Caliphiarum Fatimitarum virtute] is profectò fuit; ad hæc enim usque tempora Mirammolinis Abbasidis Bagdadi paruerat: quare Calipha Almuazzus Lidinillias, ut imperium recens firmaret, in Ægyptum se contulit, Babylonemque construxit; ditionisque suæ, & Caliipharum successorum suorum sedem ibidem fixit. Ne verò absentiâ suâ principatum in Africa laberetur; Isuphi Belquini de Zeridarum gente obsequium captandum ratus, quippe qui superioris Africæ dominatum jamdiù tenuissent, eidem Mauritaniam, ac reliquam partem Africæ administrandam hæreditario jure concessit. Haud sanè liquet; utrùm Belquino etiam Calipha Siciliæ jus aliquod, auctoritatemve adjecerit; an verò decursu temporis Zeridæ Caliphis Ægyptiis non impares id sibi usurpaverint: certum enim est, ut narrabimus; Saracenos Siculos sæpenumerò auxilium à Zeridis ex Africa petiisse; firmumque præsidium contra Christianos ab eisdem latum.

Rametta, & Tauromenium funditus evertuntur.
Chron. apud Inveg.
A. 967.

A. 959.
Amed Amira moritur; eique frater Abulcassen substituitur.

Caliphæ Fatimitæ Ægypto potiuntur.
Elmac. lib 3 Hist. Sarac.

Zeridæ in Africa regnantes.

Insignis præterea redditus idem annus fuit Nicephori Imperatoris funestâ morte, ut Vitichindus narrat historicus; Constantinopoli à tumultuante populo illatâ post accepta Calabriæ, Apuliæque incommoda: quod ut melius habeatur; ponendum est; Othonem Magnum, cùm in Italiam secundò rediisset; ejusque Provinciæ concitatos à Berengarii factione tumultus composuisset; sperabatur nedum in Italiam pacem allaturum instar Caroli Magni; verùm etiam Græcos, Saracenosque Apuliâ, Calabriâ, atque Siciliâ nudatos propulsurum; inceptumque, ad dignum Imperatorio nomine facinus effecturum. Verùm Nicephorus Augustus Othonis consiliorum certior factus ad avertendam imminentem rebus suis in Occidente tempestatem, ejus societatem, conjunctionemque conciliare sibi instituit. Legatos itaque ad Othonem Ravennam misit anno Christi nongentesimo sexagesimo septimo, qui fœdus, pacemque Nicephori cum Othone peterent. Acceptissima fuit Germano hujusmodi Græci Cæsaris legatio; qui suos etiam Constantinopolim Oratores misit non modò confirmandæ oblatæ pacis gratiâ; verumetiam petendæ Theophaniæ Romani Augusti filiæ in uxorem Regi Germanorum. Sed molestè Græcus Imperator Othonis Cæsaris nomen tulit; quod sibi attribuerat: re tamen dissimulatâ ardenter expetitas nuptias valdè charè ipsi vendere constituit: quarum Ducatum Romæ, atque Exarchatum Ravennæ, ut sibi restituerentur, postulavit. Eâ petitione arrogante exacerbatus animus Othonis, tum agitandæ pacis consilium respuit, tum magno imperato exercitu Græcorum in Apulia copias fudit, ac provinciæ magnam partem, Calabriæque proximæ imperio Germanorum subegit.

Otho Magnus in Italiam redit.

Romano-Græcos in Calabriam vincit.

Tristis hujusce calamitatis nuncius Constantinopolim perlatus occasionem plebi dederat, ut Vitichindus asserit, Nicephori Augusti occidendi; quamvis Leo Diaconus ejus temporis scribat; Joannem Zemiscem militiæ præfectum, ejusdemque Nicephori cognatione conjunctissimum, ipsi tamen offensum, mortem machinatum esse; atque in eodem ipsius cubiculo Augustum interfecisse. Porrò à factiosis asseclis Cæsar salutatus Zemisces Basilium, & Constantinum à Theophanone, & Constantino Porphyrogenito priore conjuge natos in Collegas adscivit. Gloriosum profectò, etsi malis artibus partum Joannis Zemiscis imperium fuit: etenim cum Othone pace initâ nongentesimo septuagesimo anno primo non modò Apuliam, atque Calabriam servavit; sed versis armis in Mysienses, Rutheuos, Saracenos,

Nicephorus Imperator occiditur.
A. 969.

Jo: Zemisces Imperator.
Leo Diac.

A. 971.
Ejusdem victoriæ.

A. 975. Jo: Zemisces occiditur.

cenos, allosque Romani nominis hostes omnes devicit: etsi demum apud Damascum anno Imperii sui septimo, Christi verò nongentesimo septuagesimo quinto cæsus obierit.

Constantinus, & Basilius II. Imperatores. *Leo Diac. Cedr. Curop.*

Amira Abulcassan in Christianos arma movet. A. 976.

Extincto Zemisce, omnium Constantinopolitani Imperii principum strenuissimo, tota regni summa, rerumque administrandarum potestas in duobus fratribus Basilio, & Constantino, ineptis quidem ad munus gerendum juvenibus, remansit. Opportunam ratus facultatem Amira Abulcassenus movendi belli Christianis Siculis; & fratrum Imperatorum imbecillitate usus, omne studium adhibuit totius Siciliæ expugnandæ: non enim, ut supra narravimus, Saraceni, qui cum Adelcamo Insulam nostram invaserant, cæterique Amiræ successores totius Siciliæ principatum tenuerant, nisi partem provinciæ, Sicaniam à veteribus appellatam; & quamvis temporis decursu Syracusas primùm, Tauromenium deinde vastaverint; nihilominus in orientali plaga regni nondum firmaverant dominatum; ac propterea Christianorum pagos, atque oppida identidem diripiebant, ac populabantur.

Messanam, Catinamque obtinet. *Chron. Arab. apud Inveg.*

Verùm, utcumque sese res habuerit; certissimum est, duobus fratribus, de quibus in præsenti sermo est, imperantibus, Messanam, Catinam, & Hyblam, aliaque in orientali ora Insulæ loca in Christianorum fuisse potestate. Siquidem ab Annalibus Scioabbedini constat Abulcassenum Amiram ad annum Christi nongentesimum septuagesimum sextum Messanam urbem occupasse; deinde Catinam, finitimaque oppida; totam denique Siciliam jugum Saracenicum subiisse. Quibus tamen minimè contentus, fretum Siculum transiens, plura Christianorum capita ex indigenis præsertim Oriæ anno Christi nongentesimo octogesimo tertio in servitutem adduxit; continuisque excursionibus Calabriæ, atque Apuliæ provincias igni, ferroque ad multos annos infestas reddidit; quoad Othonis secundi in Italiam adventum, à quo tandem post præclaras victorias Abulcassenus victus bello, necatusque est; ac Saracenorum quadraginta millia cæsa; ut Protospatha refert.

A. 983.

Albucasen occiditur. *Lup. Protosp. Chron.*

Giafar Amira. *Chron. cit.*

Post patris necem Geberus filius præfecturam Siciliæ suscepit: à Calipha tamen Alazizo Almuazzi successore in demortui locum Gisfarus Mahometi filius, ac nepos Alassani de Chielporum genere suffectus est: qui etiam post biennium vitâ functus Abdallæ fratri, Abdallæque Isupho filio, Abul-Forach etiam dicto, administrandæ Siciliæ munus detulit; quod cum Hassano patruo, ex decreto Caliphæ, consiliario ad decennium gessit, Isuphus verò ex paralysi ad gubernandum ineptus majorem natu filium Giafarum, Amirarum hoc nomine Siciliensium secundum, reliquit; ab Alazizo Lidinillæ in Caliphatu Fatimitarum successore proximo, supremoque Ægypti, atque Siciliæ domino approbatum.

Abdalla Amira.

A. 985. Isuph Amira

Giafar II. Amira. *Ex Chron cit. apud Inveg.*

Nuda profectò Saracenorum Amirarum Siciliensium nomina, eaque nostris auribus, nedum memoriæ injucunda recensere oportuit; quin morum, institutorumque jura qualia fuerint, exponere potuissem. In excusis à Paruta numismatibus, quæ refert Invegius, sex numerantur tria Iltalmugiæ nomine insignita [Regis, seu Principis parùm liquet:] duo reliqua Almafsciallæ Regis Siciliæ, sive Amiræ Insulæ, Regnique titulo notantur. Quàm molestum lectoribus novarum præsertim, distinctarumque notitiarum cupidis id accidat; vel ex eo conjicio; quod in perquirendis hisce experior summo studio, ast labore irrito; haud enim postremos tres Amiras, sive Reges eosdem; sed diverso nomine fuisse, atque paulò ante nominatos absolutè novimus: cùm duo ferè sęcula scriptoribus careant, ex quibus distinctam, perfectamque gestarum rerum cognitionem eruere possimus: quare non tenui auxilio fuisse nobis fatendum est Annales Barbari scriptoris; qui ad contexendam non paucarum rerum veterum memoriam, atque in primis Africanorum in Sicilia dominorum absolutam seriem suggesserint. Jam verò Giaphari secundi longum in Sicilia imperium præclara habuit initia, Saracenorum expeditionibus ad devastandas oras omnes vicinas Italiæ. Messanæ namque magnâ exornata navium classe sub Gaito-Gafo præfecto in Adriaticum sinum Barbari contenderunt; ut Barium urbem præcipuam, ac predivitem, atque omnium frequentissimam, quas in Apulia Græci possidebant, occuparent. Verùm cives mœnia strenuè defendentes, quos aggredi Saraceni ferro non possent; expugnari fame arbitrati sunt. At Barienses opem, & auxilium petitum ad Venetos misêre; qui navibus potentiores Africanis erant; quamobrem ut appropinquantes auxiliares copias

A. 989. Saraceni Siculi Barium oppugnant. *Lup. Protosp.*

A. 989.

pias conspexêre, solutis anchoris in Siciliam Barbari reversi sunt: quamvis anno insequente ad depopulandas maris inferi, superique oras iterum regressi, expositisque in terram militibus Tarentum diripiunt, oppidaque vicina, atque flammis, ferroque vastant: dum ex parte aliâ barbarorum classis altera Salerni oras invadit, urbique obsidionem minitatur. Normannorum tum sanè virtus, animique præstantia, ut nonnulli Scriptores tradunt, luspiciendam se dedit; de quibus longiùs in sequentibus agemus: auctoribus siquidem, eisdemque ipsis adjutoribus Guaimarus Princeps Africanos prædones magno eorum incommodo in desperatam fugam se conjicere compulit. Erigebantur interea, resque meliùs ibant Romano-Græcorum in inferiore Italia: Cæsares enim Basilius, & Constantinus fratres Russorum, ac Julianorum usi studio, atque operâ, quorum illustres familiæ apud Calabros maximo in honore habebantur; nedum vetus confirmarunt imperium, sed paulatim Saracenorum, Germanorum, ac Longobardorum è Benevento incursionibus repressis, Apuliam, Brutiorumque partem recnperarunt.

A. 990. Tarentum diripiunt. *Lup. Protosp.*

Porrò anno Christi nongentesimo nonagesimo sexto, Ægiræ trecentesimo octogesimo septimo, Caliphæ Alazizo mortuo, qui duos ac viginti annos in Ægypto regnaverat, Achemus Biamvillas filius successit; sub quo Giafarus secundus principatum Siciliensem adhuc gerebat; quem crudelis pestilentia etiam memorabilem reddidit anno millesimo sexto nostræ Insulæ, vicinarumque provinciarum miserrimâ vastitate. Conjunctis interim sententiis fratres Basilius, & Constantinus imperabant in orientali sede; at Basilius, cui regendi gravior cura erat, ubi se à diuturno Mysiaco bello expedierat; seditionum, ac discordiarum Siciliensium opportunitate habitâ uti voluit. In duo enim factionum genera populares divisi alterum Giafaro Secundo Amiræ favebat; Alo fratri alterum. Dissidiorum initium sumptum anno Christi millesimo decimo sexto, ac diù continuatum nonnisi abrogatione Giafari Amiræ finem habuit; quippè qui intolerabilibus populo tributis impositis, omnium ad se odium traxit; ac nisi ipsiusmet Pater Iusuphus, etsi paralysi laboraret, præsens turbas promissis sedasset; pollicitusque esset loco fratris Amedum Alacalum Jaidallulam

A. 996. Achem Biamvilla Calipha Fatimitarū.

A. 1006. Pestilentia in Sicilia. *Chron. cit.*

A. 1015.

Bellum civile in Sicilia. *Chron. cit. apud Inveg. Noverius Arabs in Hist. Sic. apud Pagium.*

substitutum iri; seque cum Giafaro filio è Sicilia in Ægyptum iturum; quod paulò post magnis congestis divitiis executus est; nedum Amiram dominatu, sed vitâ privassent.

Basilins itaque licet ætate provectâ ad recuperandam ab Saracenis Siciliam maximè incensus omnes intendit vires; atque orientalis copias imperii terrâ marique, quas potuit, comparatas ipsemet in occidentem ducere statuerat. Ante hujusmodi expeditionem successerat Achemo Biamvillæ Caliphæ in Ægypto defuncto Alos Abulassenus filius anno Christi millesimo, ac vigesimo: quinquennio post cùm ad vindicandam Siciliensium libertatem à Saracenis adventus cum exornatâ classe maximâ sperabatur Basilii; qui Oresti Eunucho fidissimo præfecturam, bellique summam commiserat; isque anno millesimo vigesimo quinto in Siciliam vela fecerat; ut Imperatoris opperiretur accessum, gravi correptus morbo Basilius è vita cessit; fratrique suo Constantino eximendæ Siciliæ à potestate Saracenicâ curam omnem reliquit.

A. 1018. Basilius II. Siciliam recuperare conatur. *Curopal.*

A. 1020. Ali Abulassen Calipha Ægypti. *Elmac. lib 2. cap. 6. Hist. Sarac.*

A. 1025. Orestes classis Præfectus in Sicilia. *Curop., Lup. Protosp. in Chron.*

Apud F. Conradum Panormitanum scriptorem legimus, anno Christi millesimo vigesimo septimo, decimo sexto Calendas Augusti, Gaytum Maymonem Sarscenum ex Hispania ferro, flammisque Pactas, & Syracusas vastasse; nullique ætati, aut sexui pepercisse ex odio in Tuneti, Siciliæque Regem Melautam Bulsaraci filium; qui facili erga Christi fideles ingenio, Christianis copiam faceret, ut divinis rebus palàm interessent; ac Sacerdotibus, ut Christi corpus ægrotis ministrarent. Melautæ porrò, à Gayto in acie occiso, successit Camicus summæ profectò ignaviæ, pusillique animi, ac debilis, qui regnum sustineret; ac præcipuè Saraceno-Siculos à Rogerio Comite defenderet.

A. 1027.

Orestes interea in Siciliam appulsus, nulla morâ, aut impedimento in terram descendit, copiasque exponit: verùm exercitus magna ex parte pestilentiâ absumptus in causa Ductori fuit; ut aliò concederet: sed illud idem exequi, prout constituerat, minimè potuit: nam Amedus Jaydaulas Amiras, & Giafari secundi successor commissâ cum Græcis pugnâ victoriam reportsvit. Qua tamen acceptâ clade nihil Orestes exanimatus contra Saracenos-Siculos bellum inceptum prosecutus est: cum è Calabria missis auxiliariis copiis non modò sese ab hoste tutatus est; sed etiam barbaros

Amed Jaydaula Amira

barbaros

A. 1028. Romanus Argyrus Imperator. Orestes in Italiam revertitur. *Lup. Protosp. in Chron.*

baros non rarò profligavit, præsertim ope, atque operâ Romani Argyri generi, ac Successoris Constantini anno Christi millesimo vigesimo octavo. Quamvis nihil expeditionis hujusce peculiare historia reliquerit; nisi quòd Orestes demùm è Sicilia ultra Pharum trajicere cum exercitu coactus sit; donec Leo Opus, sive quem alii Constantinum appellant, muneri successerit.

A. 1034. Michael IV. Paphlagon Imperator.

Annis post aliquot elapsis Romano Argyro Imperatori, ab uxore Zoe veneno occiso, Michaël Paphlagon Joannis Eunuchi frater, infimo loco natus, optimo tamen habitu, honestâque specie, qui etiam plurimùm auctoritate apud Constantinopolitanos valebat, successit; eandemque Zoem uxorem duxit. Nihil Imperatori novo fuit antiquius quàm Saracenorum animos tum Africanorum, tum Siciliensium ad pacem vertere; qui quotidianis incursionibus maris inferi, superique littora vastabant. Missus ad hoc Georgius Probatas egit cum Amirâ Mahometo Assessamo, seu Abulafaro, ut Græci nominant, Amedi Jaydaulæ fratre, pauloantè occisi: commotis enim inter Jaydaulam Amiram, ac præcipuos Saracenos Sicilienses discordiis, cùm hi ad Regem Al-Muezzum confugissent, is filium Abdallam Binbadium cum magna classe Panormum misit, qui Amiram Jaydaulam in Alchassaro Urbis arce, sic dicta, strenuè se defendentem interfecit. Anno Ægiræ quadringentesimo vigesimo sexto, qui est Christi millesimus trigesimus septimus. Nec tamen ipsius morte seditio Siciliensium Abdallæ Binbadii principatum recusantium sedata est; quandoquidem è Sicilia omnibus Africanis expulsis, extincti Jaydaulæ fratrem Assasanum in Amiram elegerunt. Novis proindè turbis inter Saracenos Siculos excitatis, Assasanus novus Amira prolixis etiam pollicitationibus Probatæ captus, aliâve causâ motus, non modò Imperatoris Michaelis arbitrio se conformavit; verùm ad majorem fidem pactorum Constantinopolim cum eodemmet Georgio filium suum dimisit; qui sanè amplissimis honoribus affectus est. Iniquo admodum animo tulere Saraceni Sicilienses hanc Amiræ cum Christianis societatem, atque concordiam: qua plebis invidiâ fretus Abucabus germanum fratrem expoliare principatu per summam ambitionem contendit. Itaque crudeli, atque exitiali commoto bello dum

Georgius Probatas Siciliam venit

Abdallas filius Almuazzi Regis in Jaydaulam mittitur.

A. 1037.

Mahometus Assasan Abulafar Amira.

Amira Siciliæ cum Michaele Imperatore pacem init. *Cedren. li. 2.*

fratres congrediuntur, Abucabus superatus est; qui Africanorum accitis auxiliis Assasanum in summas angustias compulit; coegitque ut ad Constantinopolitanum Imperatorem confugeret, ejusque opem imploraret.

Civile Saracenorum in Sicilia bellum.

Libenter, studiosèque Amiræ postulata à Michaele Augusto, ac ejus fratre Eunucho audita sunt; qui etiam spe ducti recuperandæ Siciliæ magnas suppetias se laturos poscenti promiserant: in his verò exequendis cùm longam moram interponerent; res quoque Assasani deteriores evaserunt; idemmet Siciliense fretum transivit Leonis Opi, Italiæ Præfecti, seu Catapani, ut Græci appellabant, subsidium invocaturus. Optimam restituendæ Siciliæ commoditatem arbitratus Christianæ ditioni; quâ potuit celeritate copias militum, naviumque expedivit Opus: unàque cum Amirâ in Insulam trajecit, adscitisque Siculis, qui suarum partium erant, Abucabum devicit. Hic verò ad Mustanzinum Billam Ali-Abulasseni filium confugere, atque opem ab eodem denuò petere necessitate compulsus Calipham facilè induxit; qui benè noverat quanti momenti esset, quantique damni factioni, ac Sectæ Saracenicæ fraterna discordia, & civile bellum; ut fratrum in primis dissidia tolleret; atque à Societatu Christianorum Assasanum Abulasarum omninò adduceret. Rem feliciter peractam ab Saracenis cùm Catapanus Leo tardiùs comperisset; quàm Assasanum ab reconciliatione Abucabi deturbare posset; saluti suæ, suorumque consulens in naves conscendit, captivorumque magno Saracenorum numero abducto, ac partim in Sicilia relictis fretum cum exercitu transmeavit.

Leo Opus in Sicilia.

Mustanzinus Billà Calipha Fatimirum. *Elm. lib. 3. cap. 6. Hist. Sarac.*

Paulopost Opi reditum in Calabriam ingens Constantinopolitana classis ad ferendum auxilium Assasano exornata; seu rectiùs ad recuperandam Siciliam dimissa apparuit. Stephanus Patricius Præfectus erat, Michaelis Augusti dumtaxat propinquitate conspicuus: ceterum legionibus, pedestribusque copiis præerat Georgius Maniaces ad Euphratem olim tribunus militum, partisque victoriis clarus, ac in re militari, Ducumque ætatis suæ in numero facilè princeps. Ubi in Italiam advênere, etsi à Michaele Dociano Opi successore de rerum Siciliensium statu certiores facti fuerint; inceptum tamen persequi statuerunt. Accitis itaque Longobardorum,

Stephanus Patricius maritimæ classis Præfectus. Georgius Maniaces terrestrium copiarum Præfectus. *Curop. Lup. Protosp. in Chron.*

dorum, ac Normannorum subsidiariis copiis, quæ sub Campaniæ Principibus stipendia merebantur; ac Michaelis Patricii cognomento Sphrondyli adjunctâ manu, in Siciliam trasmearunt anno Christi millesimo trigesimo octavo. Res initio Romano-Græcorum felicem exitum habuere; siquidem nullo ferè impedimento Messana, Urbs maximi momenti capta est annis tribus ac sexaginta postquàm fuerat à Saracenis occupata; deinde cum exercitu Georgius Maniaces ad Syracusas oppugnandas progressus; quas firmo satis præsidio Saracenus Præfectus strenuè defendebat; assiduisque & pressis ab urbe irruptionibus Maniacis exercitum vexabat; ut nullus militum excedere vallo auderet. Verùm Normanni apud Maniacem mercede militantes præcipuæ virtutis, animique præsentis insignia edidere facinora. Willelmus in primis de Altavilla ipsorum ductor singulari prælio cum Saraceno urbis præfecto, Alcaide à Mauris dicto, congressus, tam gravem ictum capiti infixit hostis, ut repentè humi stratus interierit: nomenque celebre victori Fortibrachio fecerit. Extincto urbis præfecto paulopost Maniaci ipsa quoque civitas deditur, qui Syracusano agro relicto ad flumen castra metatus est; ut instructâ acie Saracenorum exercitum contra se venientem exciperet.

A. 1038.

Maniaces expositis in terram copiis Messanam capit. *Curopal.*

Syracusarū oppugnatio.

Malat. Hist. lib. 1. Lup. protosp. in Chron.

Maniaci Syracusarum deditio.

Quinquaginta ferè millia Maurorum, ac Siciliensium, ni Cedrenus fallatur, censebantur, quorum potior numerus, ut Curopalates asserit, ex Africa venerat suppetias laturus fratribus Abulafaro, & Abucabo in pristinam reductis concordiam. Sed eâ hostium multitudine haud sanè deterritus Maniaces forti animo barbaros cum suis copiis adortus victoriam reportavit; quæ tanto sanguine Saracenis constitit; ut Remata pugnæ vicinum flumen cruentum fluxerit, Urbis proinde, seu oppida tredecim capta sunt; ac Maniaci totius potiundæ Siciliæ spes erat; nisi Normannorum, & Longobardorum inexpectatus, atque importunus discessus, qui sub Maniace stipendia merebantur; Africanorum item auxiliares, ac recentes copiæ; & Græcorum ductorum dissidia, speratum rei eventum intercidissent. Quod certè non sine divino consilio factum credendum est: cùm Saracenicæ superstitionis è Siciliâ extirpandæ, ac Mahometanismi penitus delendi grande opus, æternaque gloria populo sanctioribus, pristinisque moribus instituto reservatum fuerit.

Pugna apud Rematam contra Saracenos.

Normanni à Maniace discedunt. *Malat. lib. 1.*

Etenim Normanni post Rematensem pugnam à Maniace pro merito, aut expectatione spoliis Saracenorum, præmiisque, ut Græci reliqui, minimè affecti; nec urbibus, oppidisque captis præfecti; quibus milites ejus populares Constantinopoli nuper à Michaele Imperatore missi donabantur; exacerbati animo, Aldoinum Longobardum internuncium ad Maniacem miserunt; qui de tatis injuriis querimoniam haberet: sed nullâ querelarum habitâ ratione; conviciisque oratorum appetitum ad Normannos remisit. Enim verò nimis graviter offensi Longobardi, Normannique facti acerbitate, arsère iracundiâ; callidâ nihilominus interim odii dissimulatione abeundi facultatem obtinent; trajectoque Siciliensi freto Melphim, aliaque vicina oppida Apuliæ occupant, omniaque evertunt. Quibus auditis Maniaces vehementer commotus, delectâ militum manu, fretum ipse quoque transiit, desertores, ut ajebat, puniturus Normannos. Longè tamen alium res exitum habuit, quàm opinabatur: nam collatis signis à Normannis victus est; quapropter festino reditu satius esse putavit, rebus Siciliensibus coram prospicere; atque Saracenis potissimùm obsistere.

A. 1040. Normanni Melphim, aliaq; oppida Apuliæ occupant.

Maniaces à Normannis victus in Apulia.

Creverant hi numero militum, subsidiariisque copiis ex Africa missis, ideoque cum Christianis manus iterùm conserere deliberaverant. Panormo itaque egressi Troynam versus in conspectu exercitus Maniacis castra locavere. Nilus Monachus Sancti Philareti Vitæ Scriptor, ejus ætatis, centum millia Saracenorum fuisse ait; quibus Umerus Princeps Africanus imperabat; totique Siciliæ, superiùs dictis fratribus explosis, præerat. In campis porrò Barbari tribulos disseminaverant, ut Græcorum equis iter intercluderent; gressusque cohiberent; verùm operam frustra insumptam effecere ferratis, obtectisque laminis equorum ungulis: trifariam præterea Maniaces exercitum instruxerat; primoque, ut Curopalates addit, quamvis numero longè dispare, militum barbaros tanto impetu, tantâque virtute adortus est, ut cæsis hostium corporibus campos constraverit. Eâ tam nobili partâ victoriâ Maniaces ferro, & incendiis vastare jussit, quidquid suorum armis, suorum imperio adversaretur. Adeò enim certus erat se totius Siciliæ potiturum, ac Saracenos,

Altera Maniacis victoria contra Saracenos. *Curopal.*

cenos,

cenos, & Mauros omninò deleturum; ut classis navalis præfecto enixè, ac majorem in modum commendaverit; nè ulli barbarorum navi effugium permitteret è Sicilia. Verùm haud multò post comperit non sine animi dolore Amiram ipsum incolumem cum tota Saracenorum classe in tuto collocatum; quare Stephano classis præfecto vehementer incensus, nec ipsius cum Imperatore propinquitatis ratione habitâ, injuriam ab eo acceptam ulcisci omninò voluit: verbis itaque malè acceptus à Maniace præfectus Cæsari propinquo suo refert illatas injurias, superbiamque hominis exagerat; quas nihilominùs despexisset, nisi apertè cognosceret insidias Maniacem Imperatori moliri, ac dominatum Siciliæ per summam impudentiam affectare. Quod unum profectò satis fuit, ut Imperatoris mandato comprehensus Maniaces, ac omni dignitate privatus, Constantinopolim mitteretur: Stephanus verò malorum auctor eidem Maniaci sufficeretur; ac deinde Basilius Eunuchus non modò scientiæ militaris rudis, verùm etiam timidus, atque ignavus, unâ tantùm superbiâ, atque avaritiâ præstans; cui tandem Michael Protospatharius Apuliæ Catapanus cognomine Dulchianus substitutus est, quorum sanè locordi ductu amissum brevi est; quidquid Imperatori Constantinopolitano Maniacis strenuitas obtinuerat contra Saracenos. Seditiosè item concitati Christiani Sicilienses in Romano-Græcos ansam barbaris præbuere ad colligendas, reparandasque vires, ac sibi Africanorum auxilia adjungenda. His enim opibus Saraceni tum robore, tum numero præstantiores Christianis redditi majorem Siciliæ partem, urbesque amissas recuperant; Messanâ exceptâ, quam defendendam Catapanus trajectâ Pharo Legioni Armenorum reliquerat Catacalo, agnomine Combusti, præfecto. Hæc cùm rescivissent Saraceni Messanam totis viribus obsidendam contendunt; sed Armeni, quique urbem tenebant præsidio milites tantâ virtute barbarorum impetus retuderunt; ut ad quatuor menses oppugnatione protractâ, non exiguum numerum hostium imminuerint; præcipuè cum Catacalus ex improviso factâ irruptione in castra Abulapharis, cum peditibus quingentis, ac trecentis equitibus Africanos diem festum agitantes opprimit; ipsumque Abulapharem occidit; qua internecione Saraceni exanimati, atque spe omni Messanæ obtinendæ ademptâ, turbis maximè atque rixis ob Amiræ mortem concitatis, obsidionem solvunt; & Messanensibus sarcinas, atque impedimenta, ac magnam commeatus, apparatusque bellici copiam relinquunt.

Maniaci ab officio privato Basilius substituitur. *Curop.*

A. 1041. Messanam Saraceni obsident.

Catacalo Cõbusto urbis Præfect. *Curopal.*

Extincto Abulaphare, sive Saracenorum in eligendo Amirâ discordiis, sive multorum ambitione ad eam dignitatem aspirantium, in minores, pluresque principatus divisa est Amiratûs præfectura. Inter eos, qui potentiores erant, Saracenico nomine Alcaidæ vocabantur; quemadmodum Abdallas Memuti filius Administrator Drepani, vicinorumque locorum: Alos Bincennas cognomento Binilhevajas Ennæ, Agrigenti, pluriumque Oppidorum: & Binitmanus Alcaides Catinæ, Syracusarum, ac multarum terrarum, locorumque aliorum, quibus profectò dissidiis, & ex Catacali virtute ad celsiores Imperii, dignitatumque gradus evecti sperabatur, fore ut in Romano-Græcorum potestatem Sicilia rediret, nisi Divinum Numen aliis, potioribusque dominis id muneris destinasset. Defuncto enim Imperatore Michaele eodem ipso anno, quo Abulaphar occisus est; alter successit Michael cognomento Calafatus demortui è sorore nepos, & Stephani maritimæ in Sicilia classis præfecti filius. Ubi ad Imperatoriam conscendit dignitatem, Joannem Eunuchum patruum suum ab aula ejecit, prosperæ ceteroqui fortunæ suæ adjutorem. Imperatricem quoque Zoem; ut in Monasterio se clauderet, compulit: quamvis in eo diu non manserit: Græci enim ægrè ferentes novi Imperatoris iniquam rerum administrationem; maximè verò ingrati animi significationem erga Joannem, ac Zoem, à qua fuerat adoptatus; seditione factâ, licèt ob partam in Sicilia victoriam; atque Catacali Constantinopolim adventum speraret, futurum, ut turbæ sedarentur; eique obsequerentur; insequente nihilominus anno Calafatum Imperatoriâ nudatum purpurâ, de sede deturbant; & Constantinum Monomachum, novum Zoes Augustæ maritum constituunt Imperatorem.

Cõstantinus Monomachus Imperator. *Curopal.* A. 1042.

Ante id factum Zoe Imperatrix dimiserat in Italiam è vinculis solutum Georgium Maniacem; ut collectis ibi militum copiis in Siciliam denuò trajiceret: quòd Romanus intimus novo Cæsari, Maniaci verò infensissimus ex invidia impedivit, accersi-

tum proinde Constantinopolim dignitate spoliat, ejusque bona proscribit. Hâ fanè ignominiâ affectus Georgius nedum se præfecturâ abdicare jubenti non assentitur; verùm Pardum Protospatharium exercitui loco suo præfectum per ejusdem militas obtruncat; seque Imperatorem, atque Augustum instituit. E Calabria deinde in Dalmatiam profectus Monomacho malum comminùs minabatur: quocum tandem acie congressus, quamvis de Stephano Sebastophoro præfecto exercitus victoriam reportaverit; gravissimo tamen vulnere percussus obiit. Maniacis morte nutans Imperii Constantinopolitani sedes firmata est; sed Roxolanorum in provincias, ac loca Imperii invasiones impedimento Monomacho fuere; ne de Sicilia cogitaret: accessit Bellum Armeniacum; atque in cæteris Orientis provinciis; in quibus Turcæ sese cognoscendos exhibuerant; quæ profecto ita Monomachi reliquam vitam hauserunt; ut nihil Siciliæ auxilii ferre potuerit; quam nacti opportunitatem Siculo-Saraceni ad oppugnandam iterum Messanam redeunt; qua potiuntur; antequam è vivis Monomachus excesserit anno Christi millesimo quinquagesimo quarto. Occupatâ Messanâ sub Saracenorum ditionem tota Sicilia cecidit: paucis verò post annis Normannorum virtute; celebri Rogerio Comite ductore, Roberti Guiscardi fratre, ab Insula perpetuò depulsi sunt, maximo Saracenorum dolore.

Georgius Maniaces moritur. A. 1043.

Messana iterum à Saracenis occupatur. A. 1054.



MONVMENTA DVO ARABICA

SEV

SARACENICO-SICVLA

EX DVOBVS MARMOREIS TABVLIS ARCHETYPIS EXSCRIPTA; CVM INTERPRETATIONE LATINA: QVÆ PANORMI SERVABANTVR IN COLLEGIO SOCIETATIS IESV.

1. بسم الله الرحمان الرحيم
2. في ملة الله وعلم الله محق
3. وعال الله وبيام كل شي
4. في العلم المعدى اعالما فكور
5. خفي في حكما اقيم البنا من قوم
6. خرج كنژ البنا وناديخا الجيب
7. وهلي نادونا بجنر الماى سلام
8. مناع العز مع عبد اقبر عبر ا
9. والملك م علي الي حموسس

1. In nomine Dei misericordis, miseratoris.
2. In uerbo Dei et Veritate Dei terribilis.
3. Et excelsi Dei perficientis omnem rem.
4. In scientia scrutatur occultas cogitationes.
5. In sapientia occulta* præstitit beneficium memorabile. * Justitiæ
6. Exijt fortis et liberator uenit exercitus.
7. Et hic Paruma cũ exercitu Regis Sallam.
8. Armatus fortiter cũ defensore Perran
9. Rex uictor M. contra Samarras.

1. حمى لوس اخمر الاحمر بعلو ابن المعز
2. الرى من حكم ساصر والمملة والا
3. السعر على عاله

1 Intelligite Characteres Maamedi filij Maamudis
2 Qui est Sallem Omar firmans Consilia pacis
3. Inter Fideles post Victorias suas.



HISTORIÆ
SARACENICO-SICULÆ
VARIA MONUMENTA

IN UNIVERSAM SARACENICO-SICULAM HISTORIAM

PROEMIUM:



Nstituenti mihi Lector optime, quæ damus Trinacriæ nostræ Saraceneo-Siculæ Historiæ Monumenta in unum colligere, ac typis mandare, non sine maxima mentis nostræ molestia, illorum temporum calamitates, ut propositi officii partes ageremus, cogimur reminisci. Ratio tamen ipsa in hanc potissimùm sententiam mentem impulit, suasitque: existimantes non minorem commodorum partem Nostratibus attulisse, si cunctorum oculis exhiberem, magnarum, variarumque pernicierum adspectum; Agarenorum artes, insidias, nostrates exercitus pluries cæsos, Urbes captas ferè omnes, soloque equatas alias; & tandem qualem Parentes nostri retroactis sæculis sustinuere fortunam, ut sic præcedentium temporum vicissitudinibus, eventuumque commutationibus intellectis, ad res futuras rectè intelligendas, tamquam ex fonte scientiam hauriant. Hinc, ut pauca, & veluti communia de hujuscemodi, quæ subsequuntur Monumentis edisseram, relictis, propriis locis apponendis, specialibus de unoquoque Animadversionibus, hic nobis est animus ea tantummodo adnotare, quæ justè Præfationis limites non exeant. Ea propter neminem historiæ Siculæ imbutum latet, nulla principiò Saracenico-Sicula extitisse Monumenta, & si extitere aliqua, deperdita, aut dispersa fuisse. Qua de re omnes de rebus Siculis Assertores ad unum arbitrantur, per obscuram, & errorum caliginibus, ridiculisque, ac fabulosis opinionibus corruptam, Saracenico-Siculam historiam; & præcipuè Fazellus, cujus opera, labore, ac studio, non parum lucis eidem accessit ex inedito M. SS. Codice Bibliothecæ Cœnobii Sancti Salvatoris Messanæ, Authore Joanne Curopalate; quo pariter usus doctissimus Maurolycus, quam potuit hanc Siciliæ consepultam historiam suscitavit: nec quemquam fugere opinamur, quantum de jam dicta historia fuerit optimè meritus Octavius Cajetanus, in suo *de Vitis Sanctorum Siculorum Opere*, in quo perficiendo non parum laboris insumpsit, & præcipuè cum ipse texere est aggressus Sanctorum sæculi noni, decimi, & undecimi vitas. Neminem perinde latet quantis precibus Antoninus de Amico Messanensis Marcum Dobelium Citeronem, Arabicæ linguæ professorem peritissimum impulerit, ut veterem, ac pervetustum Codicem Arabicè M.SS. Bibliothecæ Sancti Laurentii ad Excuriales latino redderet idiomate; ipsique debetur, quam conscripserat Theodosius Monachus, Epistolæ de Syracusarum excidio, inventio; quamque in latinum verterat Alexander Basiliopolus Zacynthius, Græcarum literarum in Urbe Messana professor, quam Epistolam citatus Amicus vita functus typis dare, uti promiserat, non potuit; sed publici juris eam fecit eruditissimus Pirrus, in tertio Siciliæ Sacræ Tomo; sicuti, & recensiti Dobelii versionem typis mandare curavit, de re Sicula haud

parum & ipse optimè meritus, Augustinus Inveges, in secunda Parte *Annalium Panormitanorum*: nec suo est adhuc privandus honore Joannes Baptista de Grossis Catanensis, qui in sua Catana Sacra, fratris Conradi Dominicani, ad Angelum Boccamazza Catanensem Episcopum Epistolam evulgavit. Præallegatis Saracenicarum rerum, vel Scriptoribus, vel evulgatoribus nos nimium debere negare non possumus, & iis certè multum debemus, quorum opera, labore, ac industria plurimũ lucis effulsit historiæ Saracenico-Siculæ: sed quæ præterito ævo luminis parum habuere, majorem in dies recipiunt lucem; sicut & nostris temporibus, maximam recipere Saracenico-Siculam historiam arbitramur ex Arabicè M. SS. Codice Bibliothecæ Cantabrigiensis, in latinum reddito, de quo distinctiùs in proxima Præfatione proloquimur.

Ad Chronicon Cantabrigiense

PRÆFATIO.



NIL ultrà ad complementum, & veluti coronidem historiæ Saracenico-Siculæ erud.tis Viris erat in votis, nisi Cantabrigiensis Chronici editio; quod omnium primus, linguarum Orientalium eruditissimus Abbas D. Martinus la Farina, in Epistola ad D. Aloisium fratrem adnotavit; & post ipsum Augustinus Inveges, in capite tertio sui Preliminaris Apparatus ad Annales Siculos; & novissimè Gulielmus Cave, in sua Scriptorum Ecclesiasticorum literaria Historia. Auctorem verò suprad.cti Chronici in Bibliotheca Cantabrig.ẽsi asservati Abbas la Farina, & Cave, cred.derunt Eutichiũ Batricis filium, [Arab cè Said, Ibn, Batrich] Patriarcham Alexandrinum; sed falsò, nam ipsum, de quo loquimur, Chronicon incipit ab anno Mundi 6335 idest ab anno Christi 827. & ad annum Mundi usque 6468. protrahitur, Christi verò 965. qua propter ejus Auctor haud esse potuit Eutichius, qui fato cessit, anno Redemptoris nostri 950. ut ipsemet Cave refert. Præterea Auctor iste Anonymus historiæ Saracenico Siculæ, quãvis origine Arabem, & Maumettanæ superstitionis sectatorẽ se ostendat, tamen in Insula nostra natus, & non in Ægypto, in qua Patriarcha Eutichius ortus est, colligitur, nedum ex ipsa diligenti, & èxacta temporum serie, sed & ex locorum, Pagorumque Siciliæ perfecta cognitione; maximèq; ex ipsius Chronici Annorum supputatione, in qua Siculorũ calculum adamussim sequitur: etenim Anni initium petit à Kalendis Septemb. [quod commune erat ferè omnibus Græcis,] & Annos Mundi 5508. Christi Salvatoris adventum præcedentes, nõ Alexandrinæ Ecclesiæ more 5492. aut 92. enumerat; Quod non solùm comprobatur ex maxima hujus Chronici cõgruentia cũ Monumentis Saracenico-Siculis à Pirro citatis, sed ex Anachronismis, & mira factorum Sicanicorum confusione, quæ necessariò contigeret, si Auctor hujus Chronici Eutichius fuisset, qui, ut par erat, Alexandrinum calculum in sua historia sectari debuerat.

Ab Eutichio itaque Alexandrino Batrici filio, patria, & tempore etiam, quo floruit, diversum, & Siculum sanè fuisse, Cantabrigiensis hujus Chronicę scriptorem ex allatis argumẽtis clarè evincitur. Venia tamen danda est eruditissimo Cave, & qui illum sunt sequuti; nam cum in calce Codicis originalis Arabici annalium ab Orbe condito ad annum usq; Christi 949. ab Eutichio Patriarcha cõpositorum [qui in latinum conversi à doctissimo Pocockio typis mandati fuerunt Oxonii 1656. in quarto] adsutum reperiretur breve Chronicon, de quo tractamus adhuc ineditum, facilè falli potuit Cave citatus, inquiens: pręter hæc scripsit Eutichius librum *de Rebus Siculis*, postquam à Saracenis fuit subjugata, extat M. S. in Bibliotheca publica Cantabri-

brigiensi Annalium Codici [idest Eutichii] subjunctus.

Chronici igitur, quod typis nunc mandamus, non Eutichius Auctor pro certo esse videtur: Et si Ascanagius ille fuit, qui à supradicto Sciabbedin memoratur, Annales Siculorum Arabicè cõposuisse, & ipsum, si non inanes conjecturæ me fallunt, Siculum etiam cognoscimus. Quisquis autem Anonymus noster fuerit, ejus brevem historiam 120. annorum, diù desideratam, & latinitate donatam beneficio eruditissimi viri Thomæ Hobart, Angli, lætanter accepi. Ægregius quippe Vir, post Insulæ nostræ peregrinationem, dum Panormi moraretur, à me rogatus, ut Chronico jam dicto Siciliam ditaret, pro summa qua pollet humanitate, statim sodali suo in Brittanniâ commisit, ut Cantabrigiense Arabicum authografum, mihi transmittendum curaret. In manus autem serò meas pervenit, cum jam liber decimus Memoriarum nostræ Historiæ Siculæ prçlo datus fuerat; hinc mihi facultas ablata multa secundum hoc Chronicon ibi contexere. Quod supplere curabo in sequenti Historiæ Saracenico-Siculç Breviario.

Verum ut aliquid magis peculiare, de hujuscemodi Chronico dicamus, scias velim, subsequens Chronicon mutilum esse, & ut asserit Joseph Simonius Assemannus in Collegio Romano Arabicæ linguæ Professor, in sua ad Clarissimum Justum Fontaninum Epistola, mihi transmissa, exemplar Arabicum mendis scatet, alicubi enim non solùm puncta diacritica desiderantur, sed non rarò unum elementum pro altero subscribitur; Idem eruditissimus Assemannus istante prçlaudato Fontanino, qui in hoc meis votis benignè complacuit, latinam versionem Anglici Scriptoris melioravit, breves lacunas implendo, quibus deformata erat.

Notat præterea in prædicta Epistola, quod ex diebus Hebdomadum, & Mensium, qui in Chronico prænotantur, tres tantum, Vulgari Epochæ adamussim respondent: nimirum ad annum Mundi 6396. & 6459. Nam anno Mundi 6386. cui respondet annus Christi 878. dies 21. Maji incidit in feriam quartam: Item anno Mundi 6459. cui respondet Christi annus 951. dies Julii 6. incidit in feriã quartam, & dies ejusdem Mensis 12. incidit in Sabbatum. Cæteri verò dies in eodem Chronico prænotati, uno die vulgarem Epocham antecedunt V.G. ad annum 6416. dies primus Augusti, In Dominica incidisse dicitur, quç tamen anno Christi 908. (cui respondere debet annus Mundi 6416.) non in Dominicam incidit, sed in feriam secundam, & sic de anno Mundi 6417. 6428. 6443. 6445. 6446. 7450. 6350. 6470. 6473.

Sed hæc parva dissonantia est; in principalioribus tamen Chronicon nostrum concordat, si nõ in totum, cum excerptis Historiæ Abulfedà, & Sciohabbedini, ab Invegio, ut diximus, in lucem editis, & cum aliis Historiæ Siculæ Scriptoribus, & Antiquis Monumentis; nam annus in quo Insulam Saraceni appulerunt confirmat probabiliorem hujus primç invasionis opinionem. Saracenica expeditio contra Ennenses consonat cum eò, quod legitur in Vita S. Eliæ Junioris, apud Gajetanum in Vitis SS. Siculorum: Excidium Syracusarum cum Epistola Theodosii Monachi: Subversio Tauromenitana cum Historia Martirii S. Procopii, & Sociorum à Joanne Diacono scripta: Navalis pugna in freto Siculo cũ Chronica Erckemperti. Ouvah (hoc est oriç) in Calabria à Saracenis Siculis acquisitio, & alia excursio in eamdem Provinciam anno 953. cum Lupi Protospatæ Chronico; quamvis duobus annis ab hoc Auctore anticipato: Sicut & clades Januensis cum Testimonio Petri Bibliothecarii apud Papebrochium, In Conatu Chronico. Secunda Tauromenii expugnatio cum Chronica Arabica Sciohabbedini citati; & denique Principatus Salem, seu Sallam, ejusque Victoriæ suprà Agrigentinos, cum duobus Arabicè exaratis lapidibus, qui in Collegio Societatis Jesu Panormi à longo tempore delituerant, & à Prorege Annibale Maffeo Veronam transmissi fuerant consanguineo suo Scipioni Marchioni Maffejo, talium Monumentorum collectori celeberrimo. Eorum lapidum exemplaria, Arabicis caracteribus fideliter exarata, & latinè per versus exscripta, ante Saracenica Monumenta universorum curiositati hic exponere curavimus.

Remanet ad hujus Præfationis complementum, ut nomina Arabica Locorũ, Pagorumq; in Chronica Cantabrigiensi notata explicemus, quæ corrupta, aut alterata crediderunt eruditissimi Interpetres Anglus, & Romanus, & quç nonnisi à Siculo Indigena, vel ab Insulæ nostræ longo temporis spatio versato, interpetrari propriè, commodèque non possent: Talia sunt E.G. Kasaryanah, Ballut, sive Calatabellar, Tarient, & Tariantini, Abutur, sive Calataburum, & alia, quæ pro majori intelligentie, in margine cum explicatione notabimus; & pro cæteris breviter dicendum venit; præpositiones Al, Bin, Ben, Ibn, Abu, Abul, nominibus Saracenorum, sçpè sç-

pius

plùs adsutas primò; Nam Arabes Africani, Siculi, & Hyspani, Rerum, Personarumque nominibus, sępè pręponere Articulum Al, ficut antiqui Gręci, Italique adhuc, consueverunt. Ita Maumetticæ legis, Textum, quod Coran propriè dicitur, addita propositione Al, Alcoranus comuniter vocatur; Mansor, Saracenica etiam vox, quæ hominum Victorias significat, & cognomen fuit Principum aliquorum inter Mahomettanos Arabes victoriis illustres, qui Almansor à nostris magis vocitur. Kassar, quod latinè Castrum significat, Alkassar sępius pronunciatur, & scribitur: Kassaryennah itaque, sive Alkassaryennah Chronici Cantabrigiensis Castrum Ennæ significat, & Alkassaryannitæ habitatores ejusdem Urbis, in Sicilia nostra celeberrimæ, à qua non multum distat antiquum Assari Oppidum, Aserat in Chronico nominatum, Calata, locus est natura potiùs, quàm arte munitus, qui aliquo modo Arx potest dici; hujus conditionis multa sunt Oppida in Sicilia adhuc habitata; talia sunt Calatafimi, Calatanissetta, Calatajeronos, Calataxibetta, & inter alia Calatabuturum, & Calatabillotta, sive Calatabellut, quæ in Chronico citata reperiuntur. Calatabellut, milliaria 12. circiter à Termis Selinuntinis remota, & Calatabuturum 18. ab Himerensibus; prope hunc in distantia trium circiter millia passuum Sclafanum Oppidulum situm est in cacumine Montis ab omni alio sejuncti, quod Sclafanah in Chronico appellatur, Tarient Agrigentum notissima Insulæ Civitas est; & Tariantini ejus habitatores non multum à mari australi distantes. At in edito colle, aditu que difficilissimo propè littus orientale sita erat antiquissima Neeti Civitas, quæ Natis, vel Nates Saracenicè dicebatur; & quæ nunc ab orribili Terremotu solo prostrata, in planitie ab antiquo Neeto parum distante constructa fuit. Ourah, Raivah, Coluria, Lanchobarda, sive Al-lanchobarda, in Chronico Cantabrigiensi memorata, Oppida non sunt Siciliæ, sed Italiæ Civitates, & Provinciæ: nam Ourah, Oriah, est antiquitus Uria in Salentinis; Reivah, Regium in freto Siculo; Coluria, & Colurienses, Calabri; & Langobarda, quæ cum præpositione Arabica Al supracitata Al Langobarda, & Allonchobarda magis corruptè pronunciabatur, inferiorem Longobardiam significat, hoc est Campaniã, Ducatum Beneventanum, & finitimas Regiones, quæ ante Normannorum adventum in Italiam, Longobardis Principibus parebant; & ut doctissimus Peregrinus asserit lib. secundo historię Principum Longobardorum, non solum Saraceni Siculi, sed Græci hoc nomine Apuliam designabant, & Regionem omnem, præter Brutium, ad mare superum sitam.

Denique Ben, Bin, Ibn apud Saracenos filium, denotant, & Abu, vel Abul Patrem; quæ voces nominibus Saracenorum ut plurimum præmittebantur, Patronimicis enim, more Græcorum, se ipsos distinguebant; nec infrequenter (eliminato proprio, & appellationis nomine) non alio cognoscebantur, nisi hoc modo, E. G. Ismael Mohamedis, vel Hossein Ali, Hossein. & similia.

CHRONICON SICULUM

Ab anno Chrifti 827. ad annum 963.

EX CODICE ARABICO CANTABRIGIENSI.

بسم الله الرحمـــن الرحيم
وبه استعيـــن.

كتاب تاريخ جزيرة صقلية من حيـــن دخلهـــا المسلمون واخبار ما جرا فيها من الحروب وتبديل الامرا وغير ذلك.

ابتدا ذلك في سنة ستة الف وثلث ماية وخمس وثلثين من تاريخ العالـــم علي ما يورخـــوه الروم فـــي كتبهم.

وفي هذا التاريخ اتوا المسلمين الى صقلية في النصف من شهر يوليو.

وفي سنة الف وتســـع وثلاثون وثلثماية لوخذت مسلوة وقتـــل ثاودوط البطريـــق.

وفي سنة ستـة الف واربعون وثلاثمايـــة لوخذت بانرم.

وفي سنة خمسين ستة الف وثلاثمايـــة لهذا التاريخ وقـــع الجـــراد بصقلية.

وفي سنة ثلث وخمسون وثلثماية لوخذت قلاع موداقة.

وفي سنة اربع وخمسين وثلثماية وقـــع الحرب بين المسلمين والهرزنيطة فماتـــوا من الـــروم تسعـــة الـــف.

وفي

IN NOMINE DEI

Miferatoris Mifericordis.

Liber Hiftoriæ Infulæ Siciliæ ex quo tempore eam ingreffi funt Saraceni, cum narratione bellorum, quæ in ea acciderunt, & mutationis Amirum five Ducum.

827. Initium ab anno 6335. a Mundo condito fecundum fupputationem, qua utuntur Romæi 1 in libris fuis.

Hoc anno venerunt Moflemii 2 in Siciliam medio menfis Julii.

831. Anno autem 6339. capta eft Meffana, & Theodotus Patricius occifus eft.

832. Anno 6340. capta eft Panormus.

842. Anno autem 6350. hujus Epochæ locuftæ Siciliam infeftarunt.

845. Anno 6353. captæ funt arces Modekah 3.

846. Anno 6354. prælium commiffum eft inter Moslemios, & Alchafarianitas 4, & occiderunt ex Romæis 9000.

 847.

NOTÆ

Anno a Chrifto nato 827. fecundum computum Siculorum, qui Chriftum natum credebant anno Mundi 5508.

1 Græci, qui ex Roma nova Byzantio, Romæorum nomen ufurparunt.

2 Fideles: fic fe ipfos nominabant Saraceni Mahometanæ fuperftitionis cultores.

3 Motuca Civitas propè Pachynum.

4 Ideft, habitatores Caftr. Ennæ.

1 Hoc est Leontinum.

847. Anno 6355. capta est Lentinah 1.

وفي سنة خمس وخمسون وثلثماية اوخذت لنثينـــة.

848. Anno 6356. capta est Ragusa prima vice: Fuit insuper fames magna.

وفي سنة ست وخمسون وثلثماية اوخذت رغوس اول مرة وكانت مجاعـــة شديدة.

2 Buteria Castrum prope Leocatam.

854. Anno 6362. capta est Bothirah 2.

وفي سنة اثنان وستون وثلثماية اوخذت بثيـــرة.

858. Anno 6366. captæ sunt naves Ali.

وفي سنة ست وستون اوخذت مراكب عـــاي.

3 Castrum Ennæ.

859. Anno 6367. capta est Kasarjanah 3.

وفي سنة سبـــع وستون اوخـــذت قصريانة.

4 Vel Effenditæ.

860. Anno 6368. descenderunt Fendanitæ 4.

وفي سنة ثمان وستون وثلثمايـــة نزل الفندذية.

5 Hoc est Neetum.

864. Anno 6372. tradita est Natis 5.

وفي سنة اثنان وسبعون اسلمت الناطس.

6 Genus est Navigiorum.

865. Anno 6373. ceperunt Romæi quatuor Scelandias 6 in Syracusis.

وفي سنة ثلث وسبعون احدث الربعـــة شلندية بسروسة.

866. Anno 6374. tradita est Natis secundo.

وفي سنة اربع وسبعون وثلثمايـــة اسلمـــت الناطس ثانية.

867. Anno 6375. tradita est Ragusa secundo.

وفي سنة خمس وسبعون اسلمت رغوس ثانيـــة.

7 Melita insula.

8 Augusti.

870. Anno 6378. capta est Maltah 7 die vicesimo mensis Ausah 8.

وفي سنة خمس وسبعون اوخذت مالطـــة في تسع وعشرين من شهر اوسه.

9 Salerno.

872. Anno 6380. periit exercitus Moslemiorum in Salernah 9.

وفي سنة ثمانون وثلثماية هلك عسكـــر المسلمين بسالرنة.

878. Anno 6386. captæ sunt Syracusæ vicesimo primo mensis Maii feria quarta.

وفي سنة ست الف ست وثمانون وثلثماية اوخذت سرقوسة في احدى وعشرون من شهر مايه يوم الاربعة.

10 Crysiphius.

879. Anno 6387. occisus est Chrisaph 10.

وفي سنة سبع وثمانون وثلثماية قتل خريصاف.

11 Edda.

880. Anno 6388. ceperunt Romæi naves Moslemiorum in loco, cui nomen Aledah 11.

وفي سنة ثمان وثمانون اخـــذ الروم مراكب المسلمين في موضع يقال له الادة.

12 Perseus.
13 Tauronienium.

881. Anno 6389. fugatus est Bersas 12 in Tabermin 13.

وفي سنة تسع وثمانون انهزم برصاس في طبرمين.

14 Nobilis Consiliarius.

885. Anno 6393. venit Albuliti 14 & captivos Syracusanos soluto pretio redemit.

وفي سنة ثلث وتسعون وثلثماية اتي البوليطي بالافتدي واخرج سبي سرقوسة،

887. وفي

وفي سنة خمس وتسعون كان الحــرب الاول بين الجند والبربـــر.

887. Anno 6395. commiſſum eſt primum prælium inter exercitum 1, & Barbaros 2.

وفي سنة سبع وتسعون اوخذت مراكب الروم في ميلاص وقتل منهم خمسة الف وهربوا اهل ريوة.

889. Anno 6397. capta eſt Claſſis Romæorum in Milas 3, & occiſi ſunt eorum quinque mille, & fugerunt habitatores Rivah 4.

وفي سنة ثمان وتسعون توثبوا الصقليين علي اهل افريقية وقتلوا الطاولى في شهر مارسه.

890. Anno 6398. irruerunt Siculi in Africanos, & occiderunt Altavali 5 menſe Martio.

وفي سنة ست الف واربعماية واربعة صارت الهدنة بين المسلميــن والروم في ايام ابو علي.

896. Anno 6404. factæ ſunt induciæ inter Moslemios, & Romæos in diebus Abu Alì.

وفي سنة ست واربعماية توثبوا البرابر علي الجند واسلموا ابو الحسين واولاده الي اهل افريقية.

898. Anno 6406. impetum fecerunt Barbari in exercitum, & tradiderunt Abu Hoſein, & filios ejus Africanis.

وفي سنة سبع واربعماية كان الحرب في فرنكا فارتة.

899. Anno 6407. commiſſum eſt prælium in Franco Forti.

وفى سنة ثمان واربعماية عدا ابو العباس من افريقية الى مازر فى اربع وعشرون من شهر يوليوه.

900. Anno 6408. exercitum duxit Abul-Abbas ex Africa ad Mazar 6 viceſimo quarto menſis Julii.

وفي سنة تسع واربعماية اخذ ابو العباس البانرم وكانت مقتلة كثيرة فى ثمانية من شهر ستنبر.

901. Anno 6409. Abul-Abbas cepit Panormum, & cædes magna fuit die octavo menſis Septembris.

وفي اخر هذه السنة اوخذت ريوة في عشرة من شهر يونيوه.

Sub finem hujus anni capta eſt Rivah die decimo menſis Junii.

وفي سنة ستة عشرواربعماية عدا اميراكبير من افريقية في شهر مايه وجيش مع الصقليين واهل افريقية واخذه طبرمين في اول يوم من شهر اوسه وكان يوم الاحد.

908. Anno 6416. venit Emir, ſive Dux magnus ex Africa menſe Majo, & exercitum conflavit ex Siculis & Africanis, & cepit Tabermin die primo menſis Auguſti, qui fuit dies Dominicus.

وفي سنة سبعة عشر واربعماية حكم امير المومنيـن علي افريقيـــة فتوثبوا الصقليين مع بن ابو الفوارس وطردوا ابن زياج الي افريقيـــة في اول

909. Anno 6417. Africa potitus eſt Amir-al-mumenin 7: & inſurgentes Siculi unacum filio Abulphavareſi, repulerunt Ebn Ziyagi

يوم

A 2 ad

1 Nempe Siculos.
2 Africanos Barbaræ incolas.
3 Milatium.
4 Rhegii in Calabria.
5 Vel Tavelum.
6 Mazaria, nunc Civitas Epiſcopalis.
7 Miramamolinus corruptè dicitur: hoc eſt, Imperator Fidelium, nempe Mahometanorum.

ad Africam die primo mensis Aprilis, feria prima.

يوم من شهر ابريل يوم الاحد.

913. Anno 6421. occisus est Panormi Amran dominus Alchams 1 die 27. mensis Januarii.

1 Seu Pentapoleos.

وفي سنة احدي وعشرين واربعماية قتل عمران صاحب الخمس في بانرم في سبع وعشرون من شهر جناريوه.

Hoc eodem anno die 18. mensis Maji feria secunda factus est Korhab Amires, seu Dux.

وفي هذه السنة في ثمانية عشر من شهر مايه يوم الاثنين صير قرهب امير.

914. Anno 6422. die nono mensis Julii, egressa est Classis Benkorhab: die autem 18. ejusdem mensis incendio deleverunt Classem Africanam, & occiderunt filium Abichazir.

وفي سنة اثنان وعسرين واربعماية في تسعة من شهر يوليوه خرجت مراكب بن قرهب . وفي ثمانية عشر منه حرقوا مراكب افريقية وقتلوا ابن ابي خزير.

915. Anno 6423. primo die mensis Januarii egressa Classis Benkorhab adversus Romæos in locum Halayanah dictum, periit in mari.

وفي سنة ثلث وعشرون واربعماية في اول يوم من شهر ستنبر خرجت مراكب بن قرهب علي الروم في موضع يقال له حلايانة وهلكت في البحر.

916. Anno 6424. die 14. mensis Julii feria prima deposuerunt Siculi Benkorhab, eumque in Africam relegarunt, ubi mortuus est ipse & filius ejus.

وفي سنة اربع وعشرون واربعماية في اربعة عشر من شهر يوليوه يوم الاحد عزلوا الصقليين بن قرهب وانفقوه الي افريقية ومات بها هو وولده.

Et die 15. mensis Augusti hujus anni venit Abusaid Aldaiph in Siciliam cum magno exercitu.

وفي خمسة عشر من شهر اوسه من هذه السنة اتي ابو سعيد الضيف الي صقلية بعسكر كبير.

917. Anno 6425. die 28. Septembris copiæ Abusaid, & Classis ejus a mari Panormum ingressæ sunt.

Annus apud Siculos incipiebat mense Septembri.

وفي سنة خمس وعشرون واربعماية في ثمان وعشرين من ستنبر دخلت عساكر ابو سعيد واسطوله من البحر الي البانرم.

Et die 17. Octobris feria quinta fœdus percusserunt Siculi cum Ben-Ali Vava Affaario contra Abusaid Aldaiph, & obsessa est Panormus sex menses, & defecit in ea sal,

وفي سبعة عشر من اكتوبر يوم الخميس حالفوا الصقليين مع بن علي والوا السعاري علي ابو سعيد الضيف وانحصرت البانرم ستة اشهر فانتهي فيها الملح

الملح اوقية بطريين .
وفي اثني عشر من مارس
اعطاهم الامان ونتحوا
المدينة .
وفي سنة ست وعشرون واربعماية في شهر
ستنبر رجع الاسطول والعسكر الى
افريقية .
وصير على البلد امير وهو
سالم .
وفي اخر السنة اتت القوارب
من افريقية واخذت ريوه في
الليل .
وفي سنة سبع وعشرون واربع ماية
جيش سلطان افريقية بر
وبحر وزحف الى الاسكندرية .
وفي اخر هذه السنة وقعت
الهدنة بين سالم لمير
صقلية وبين اهل طبرمين
وساير القلاع :
وفي سنة اثنان وثلثون واربعماية اتي
صقلبي من افريقية يدعا اسمه
مسعود واخذ قلاع سنت اغاته .
وفي سنة ثلث وثلثين اتي حاجب
لمير المومنين من افريقية واخذ
بربصانه .
وفي سنة اربع وثلثون عدا الحاجب
بنفسه الى موضع يقال له اوره
واخذها وهادن اهل قلورية واخذ
منهم الرهاين وهم لاون اسقف
صقلية ووالى قلورية .
وفي سنة خمس وثلثون واربعماية اتوا
شيخان مع بن سالم وهم البلزمي
والقلشاني واستعزم اهل
صقلية .
وفي سنة ست وثلثون اتي
صقلبي

fal, ita ut falis uncia duobus tarijs 1 vendi cœperit. Die autem duodecimo mensis Martii dedit eis securitatem, & aperuerunt civitatem.

918. Anno 6426. mense Septembri classis & copiæ in Africam rediere.

Salemus autem fuper Regionem 2 Amires constitutus est.

Sub finem vero anni venerunt fcaphæ ab Africa, & Rivam 3 noctu ceperunt.

919. Anno 6427. Soltanus Africæ confcripto milite tam campeftri, quam navali, Alexandriam petiit. Et fub finem hujus anni factæ funt induciæ inter Salemum Siciliæ Amirem, & populum Tabermin, cum reliquis Caftellis.

924. Anno 6432. venit Saklabius 4 ex Africa, cui nomen Mafud, & cepit arcem Sanctæ Agathæ.

925. Anno 6433. venit Hagebus Amir-Al-Mumenin ab Africa, & cepit Barifanah.

926. Anno 6434. idem Hagebus venit ad locum, cui nomen Urah, quem cepit, & cum Calavrienfibus 5 inducias fecit, acceptis ab eis obfidibus, Leone nempe Siciliæ Epifcopo, & Calavriæ 6 Præfecto.

927. Anno 6435. venerunt duo Seniores 7 una cum Ben Salem, nimirum Albolzamus, & Alcolfcianus, & multaverunt Siculos.

928. Anno 6436. venit Saklabius

A 3 alter

1 Tarius, five tarenum, moneta argentea apud Siculos.

2 Siciliam fcilicet.

3 Rhegium.

4 Nomen dignitatis militaris apud Arabes Africanos.

5 Hoc eft Calabris.

6 Calabriæ.

7 Vel Senatores.

alter ab Africa, cui nomen Sain, & cepit Zarninah 1 die 17. mensis Augusti.

صقلبي ايضا من افريقية يدعي صاين واخذ زرنيوة في تسعة عشر من اوسة.

929. Anno 6437. idem Saklabius excurſionem fecit uſque ad Alancaberdam 2, & multos captivos cepit; nullam tamen civitatem expugnavit. Inducias tandem unius anni fecit cum Calavrienſibus.

وفي سنة سبعة وثلثون عدا هذا الصقلبي الي الانكبرده واخذ سبي كثير ولم يحكم علي مدينة وهادن اهل قلورية سنة واحدة.

930. Anno 6438. idem Saklabius excurſione in Calavriam facta, cepit arcem, cui nomen Termulah, & abduxit captivos duodecim mille.

وفي سنة ثمان وثلثون عدا الصقلبي بنفسه ثالثة الى قلورية واخذ قلعة يقل لها ترمولة وجاب سبي اثني عشر الف.

932. Anno 6440. venerunt duo Seniores quoque una cum Ben Salem; nimirum Ben Salmah, & Ebn Aldajah, & multa magna multaverunt Siculos.

وفي سنة اربعون واربعماية اتوا شيخان ايضا مع بن سالم وهم بن سلمه وابن الدايه واستعزموا اهل صقلية عزم كثير.

Anno ſequenti abierunt in Africam, & iratus eſt eis Amir-Al Mumenin 3.

وفي سنة التي يتلوها مضوا الى افريقية فسخط عليهم امير المومنين.

934. Anno 6442. die tertio Menſis Martii mortuus eſt Amir-Al-Mumenin in Africa: & pervenit fama in Siciliam die viceſimo quinto Auguſti. Hæredem autem Regni reliquit filium ſuum Abulcaſem, qui miſit copias ad Genuam, & cepit eam.

وفي سنة ست الف واربعماية واثنين واربعون في ثلث من مارسه مات امير المومنين بافريقية ووصل الخبر الي صقلية في خمس وعشرين من اوسة وولي الملك بعده ابنه ابو القاسم فوجه الي جنوه واخذها.

Et hoc anno occiſus eſt Rendash Præfectus Tabermin è regione palatii Salem die 10. menſis Martii.

وفي تلك السنة قتل رنداش والى طبرمين قبالة قصر سالم في عشرة من شهر مارسه.

935. Anno 6443. die 19. menſis Octobris feria prima accidit gravis tempeſtas: deſcenderuntque è torren-

وفي سنة ثلث واربعون في تسعة عشر من اكتوبر يوم الاحد كان نو عظيم وذزلت

1 Seu Zarninam.

2 Langobardia inferioris Italiæ, ſive Ducatus Beneventanus & appendices.

3 Imperator fidelium.

ونزلت الاودية من حوالي المدينة وغرقت الناس وهدمت دور كثير داخل المدينة وخارجها.

وفي سنة اربع واربعون في احد عشر من يوليوه كان ريح عاصف قبلي بسموم فحرق الدوالي والثمار. ولم يكون في ذلك السنة قطاف.

وفي سنة خمس واربعون واربعماية في سبعة عشر من ابريل توثبو الجرجنتيين علي الامير سالم وطردوا بن عمران من قلعة البلوط ونهبوا البربطريين. فاخرج اليهم الامير عسكر كتاميين وصقليين ومن رجال ميمون بن موسي واقام عليهم مقدم ابو دقاق الكتامي فمضوا وضربوا فازاتهم في موضع يقال له عصره وابتدا بضيق علي حصاره واتصل الامر بالجرجنتيين فزحفوا اليه فالتقوا للحرب في اربع وعشرون من شهر يونيوه يوم السبت وانهزموا الكتاميين وقتلوا مع مقدمهم واخذوا عددهم وتهادوا الى البانرم ليحاربوها.

وفي يومين من شهر يونيوه يوم الاحد التقوا للحرب في مسيد باليس وهزموهم اهل المدينة مع ميمون بن موسي وسالم الامير وكانت فيهم وقعة كبيرة وتبعوهم الى مطاحن

rentibus aquæ circa civitatem, & homines submerserunt, & plurimas domos everterunt tam intra civitatem, quam extra.

936. Anno 6444. die 11. Julii flabat Eurus vehemens, fervensque, qui uvas & fructus adussit: neque fuit hoc anno vindemia.

937. Anno 6445. die 17. Aprilis insiluerunt Gergentini [1] in Amirem Salem, & repulerunt filium Hamrani ex Kalat-al-Bellut [2] & spoliarunt Al-Brediaræos [3]. At eduxit contra eos Dux Salem exercitum Cottamiensium [4] & Siculorum. Erat autem inter eos Maimoū Ben Musa: constituitque super eos Ducem Abu Dekak Cottamiensem, & abierunt & fixerunt tentoria sua in loco dicto Afrah [5], & cœpit arcta eum obsidione cingere; & pervenit rumor ad Gergentinos, qui eo accurrerunt, & congressi sunt die 24. mensis Junii Sabato, & in fugam versi sunt Cottamii, & cæsi sunt cum eorum Præfecto. Illi vero arreptis eorum armis Panormum usque excurrerunt, expugnare eam tentantes.

Die autem secunda Junii, quæ erat Dominica, ad pugnam congressi in loco dicto Mesid Balis, profligati sunt ab incolis civitatis, qui una cum Maimone Ben Musa, & Amire Salem persecuti sunt

1 Sive Al-Gergentini, hoc est Agrigentini.

2 Idest Calatabellotta oppidum prope Saceam.

3 Fortasse, præsidiarios milites.

4 Una ex quatuor nationibus Maurorum non solum bellicosa, sed illo tempore numerosissima.

5 Sive Ofrah.

sunt eos usque ad pistrina Marnuæ.

مطاحن مرنوة.

938. Anno 6446. insurrexerunt Siculi cum Ben Sabajah & Abu Tar adversus Amirem Salem die 17. mensis Septembris feria prima, & prælium commiserunt, & occiderunt Abunattar Alasuad 1.

وفي سنة ست واربعون واربعماية توثبوا الصقليين مع بن السباية وابو طار علي الامير سالم في سبعة عشر من شهر ستنبر يوم الاحد فالتقوا الحرب فقتلوا ابو نطار الاسود.

1 Sive Maurum.

Die vero 20. hujus mensis feria quarta Amires Salem palo eos infixit in officina.

وفي عشرين من هذا الشهر يوم الاربعة قتلهم الامير سالم في دار الصناعة مقتلة الكلاب.

Septimo autem die Octobris, Sabato, moverunt se magni exercitus adversus Salem: quibus ille occurrens occidit eos: & turpi fugæ se dederunt Siculi, & in arce antiqua obsessi sunt.

وفي سبعة من اكتوبر يوم السبت تحركت عساكر كبار علي سالم فخرج اليها وقتلهم وكانت علي الصقليين هزيمة كبيرة وانحصروا في القصر القديم.

Hujus mensis die 23. ingressus est Chalil Panormum cum magno exercitu, & incœpit diruere mænia ejus, & amovit ejus portas: cujus rei notitia cum ad Gergentinos pervenisset, rebellaverunt. Itaque Chalil contra eos duxit Siculos & Africanos, & exivit contra eos cum validis copiis die 9. Martii feria sexta. Gergentini vero ad prælium ordinati occiderunt Ben Abi Harir, & generum Salemi Ali Ben Abi'l-Hosein. Itaque Africani in fugam versi sunt. Salemus autem frustra eos octo mensium spatio obsedit.

وفي ثلثة وعشرون من هذا الشهر دخل خليل الى البالرم بعساكر كبار وابتدا يهدم سور البالرم وخلع ابوابها فاتصل الامر بالجرجنتيين خالفوا فجيش عليهم خليل صقليين وافريقيين وخرج اليهم بقوة كبيرة في تسعة من مارسه يوم الجمعة فانشبوا في القتال فقتلوا الجرجنتيين بن ابي حرير وصهر سالم علي بن ابي الحسين فكانت الهزيمة علي اهل افريقية. فحاصرهم خليل ثمانية اشهر ولم يستطيع لهم علي شي.

939. Anno sequenti die 22. Octobris Chalil Panormum regressus, Siculis multam imposuit. Deinde in Africam transmittens, illinc

وفي السنة التي يتلوها في اثنين وعشرين من اكتوبر رجع خليل الى البالرم واستغرم اهل صقلية. ثم ارسل الى افريقية واجلب منها عساكر مع وسلما

وساما وابن مد واورد الي طاعته ثلاث قلاع وهي قلعة ابو ثور وقلعة السيراط واسقلافينة وبعد هذه قلبرة واخذ جزيرة فقه ولسلم فتقه الى العذاب الى ان مات ثم مضت العساكر الى قلعة البلوط وحاربوها فوقعت في الموضع مقتلة كبيرة في عشرة من يوليوه وامن البقية.

وفي السنة التي يتلوها مضت العساكر الى بلاطية وحاصرتها. وفي شهر نونبر ضربوا عليهم الجرجنتيين في الليل وطردوهم من علي قلعة البلوط واخذوا خيمهم.

وفي تلك السنة مات سالم الامير فى قصره وكانت في تلك الايام مجاعة كبيرة فى المدينة والبوادي حتي اكل الوالدين اولادهم وفى شهر مارسه اوخذت بلاطية.

وفي السنة التي يتلوها فى عشرين من شهر نونبر اخذ جرجنت. فتقوت المجاعة وخربت قلاع صقلية وبواديها وخلت. فارسل خليل ان ذاك سبي كثير الى افريقية.

وفي سنة خمس واربعماية في عشرة من ستنبر يوم الجمعة خرج خليل من صقلية الى افريقية وترك علي البلرم متوليين احدهم بن الكوفي والاخر بن عطاف. وكان في تلك الايام قد كثرت السرقة والاوا وصار

illinc eduxit copias una cum Vasama, & Ben-Modda, & in poteſtatem ſuam redegit tres arces, Abuthur nimirum, & Aſſirat, & Aſclaphinah 1, & poſtea Kalbarah. Cepit quoque inſulam Fikhæ. Fikham vero ipſum cruciatibus affecit, donec mortuus eſt. Deinde progreſſus eſt exercitus ad Calatam-Bellot, ut eam expugnaret: quo in loco accidit gravis clades die 10. Julii: cæteris vero ſecuritatem dedit.

1 Scilicet Butera, Aſſarum, & Sclafanum.

940. Anno inſequenti ivit exercitus Africanorum ad Bellottam, & obſedit eam. Menſe autem Novembri noctu eos adorti Gergentini, illos a Calata-Bellotta repulerunt, & ceperunt eorum tentoria.

Eodem anno mortuus eſt Amires Salem in arce ſua. Accidit autem iis diebus fames magna in civitate & pagis, adeo ut parentes comederent liberos ſuos: & menſe Martio capta eſt Bellotta 2.

2 Hoc eſt Calata B.llota.

941. Anno inſequenti die 20. Novembris capta eſt Gergent 3, & crevit fames, & deſolatæ ſunt arces Siciliæ cum pagis ejus, & vacuatæ. Tum vero Chalil multos captivos in Africam tranſmiſit.

3 Hoc eſt Agrigentum.

942. Anno 6450. die 10. Septembris feria ſexta Chalil e Sicilia in Africam profectus eſt, Præfectis Panormo conſtitutis, Ben Alcufo nimirum, & Ben Attaph. Iis autem diebus furtum & injuſtitia adeo cre-

creverunt, ut potentior debiliorem devoraret.

وصار القوي ياكل الضعيف .

948. Anno 6456. venit ab Africa Amires, cui nomen Hasano Ben Ali Ben Abi Hosein, qui occisus fuerat Gergenti. Hic Siciliam in bonum ordinem redegit, eamque sub jugum duxit, & recte gubernavit.

وفي سنة ست وخمسون واربعماية وصل من افريقية امير يدعي حسن بن علي بن ابي الحسين الذي قتل بجرجنت فاصلح بلد صقلية وضبطه وقومه .

949. Anno insequente conjurationem adversus eum inierunt Siculi. Cum autem advenisset dies præstitutus conjurationis, qui in feriam secundam incidit, ille insidiis usus, principes factionis comprehendit, quos, amputatis prius eorum manibus & pedibus, patibulo affixit. Inter hos erat Coraisus cum sociis suis. Hoc peracto res Siciliæ quieverunt.

وفي السنة التي يتلوها تعاقدوا الصقليين ليحالفوا عليه ولما كان يوم الميعاد وكان ذلك يوم الاثنين تصيدهم وحصل روسا العقد فقطع ايديهم ورجليهم وصلبهم وكان فيهم قريش واصحابه وعند ذلك هدت صقلية .

951. Anno 6459. die 2. Julii feria quarta venit Panormum Saklabius ab Africa, cui nomen Pharagi Mohaddad: & cum illo cameli & exercitus magni tam campestres, quam navales. Et Amires Hasan collegit Siculos & Africanos die 12. hujus mensis sabbato ad Rivam, quem locum vacuum invenerunt, & reversi sunt ad Geragiam, & pugnarunt contra eam acriter, sed frustra. Itaque ipsis pacem concessit, acceptis obsidibus. Tum ivit ad Cassanah, & pugnavit contra eam, sed frustra: itaque ipsis pacem quoque concessit, acceptis obsidibus, & reversus est.

وفيَ سنة تسع وخمسون واربعماية فيَ اثنين من يوليوه يوم الاربعة اتي الي بلرم صقلبي من افريقية يدعا فرج محدد ومعه الجمال وعساكر كبار بر وبحر. فجيش الامير حسن الصقليين والافريقيين في اثني عشر من ذلك الشهر يوم السبت إلى ريوة فوجدوا الموضع خالى . فرجعوا الى جراجة وحاربوها حرب شديد ولم يستطيعوا لها علي شي فهادنهم واخد منهم رهاين ورجع ومضي الى قسانة وحاربها ولم يستطيعوا لها علي شي فهادنهم ايضا واخد منهم رهاين ورجع.

952. وفى

وفي السنة التي يتلوها شتوا في البانرم وترك المراكب في المسينة.

952. Anno insequente Panormi hiemavit; & reliquit naves Messanæ.

وفى السنة التي يتلوها عدت العساكر الى قلوريـة. فالتقت مع ملجان وهزموه وقتلوا عسكره ونزلوا اهل رمتـة واهل بطرة فوقه واسبوا سبي كثيرا وارسلهم الي افريقية وارسل قايد الاسطول الي افريقية مكبل وهو ابو محل وصلب بافريقيـة.

953. Anno insequente egressi sunt exercitus in Calavriam, & obviam facti Melgiano, cum in fugam egerunt, & exercitum ejus fuderunt. Incolæ autem Ramazæ, & Petræ irruentes in eum, captivos plurimos abduxerunt, cosque in Africam transmisere. Thalassiarcham vero compedibus vinctum in Africam misit, (cui nomen erat Abu Mohel) ubi & suspensus est.

وفي سنة اثنان وستون واربعماية نزل اصوبلس الراهب وعقد معهم الهدنة ورجعت العساكر الى افريقية.

954. Anno 6462. venit Asurbalus Monachus & inducias cum eis fecit, & reversus est exercitus in Africam.

وفي سنة اربع وستون واربعماية في تسعة من اوسه اتي عمار علي اسطول وشتي بالبانرم. وفى اول الزمان عدا الي قلورية.

956. Anno 6464. die 9. Augusti Ammar cum classe venit, & Panormi hiemavit. Primo autem vere egressus est usque ad Calavriam.

وفي تلك السنة نزل باسيله الابروطوقاربوس وهدم مسجد ريوه واخذ ثرمه ولاقا الامير حسن في مازر وقتل جماعة من المسلمين.

Hoc anno descendit Basilius Alaprotocarebus [1], & Moschetam [2] Rivah diruit, & cepit Thermah [3], & obviam factus Amiri Hasano in Mazar, complures e Moslemiis occidit.

[1] Ideſt Thalaſſiarcha.
[2] Ideſt Oratorium, ſeu Fanum Mahometanorum.
[3] Hoc eſt Thermas Himerenſes.

وفي سنة ست وستون عدا حسن والتقا مع عمار فهرب من قدامه مريال السرتغوس واخذ مركب من مراكب المسلمين.

958. Anno 6466. transfretavit Hasan, & obviam ivit fratri suo Ammar, & fugit coram eo Marianus Strategus; abducta tamen navi e navibus Moslemiorum.

وفي سنة سبع وستون عطب الاسطول في رجوعه في اربع وعشرون من سبتنبر وانشا في تلك السنة حسن اسطول اخر.

959. Anno 6467. periit classis dum reverteretur, vicesimo quarto mensis Septembris. Eodem autem anno alteram classem Hasanus paravit.

وفي

960.

960. Anno 6468. captus est Afrinah. Romæi autem ceperunt Ben Basluz, cumque Constantinopolim transmisere.

وفي سنة ثمان وستون واربعماية اخذ افرينة واخدوا الروم بن بصلوس ووجهوا به الى القسطنطينية.

961. Anno 6469. venit Socrates cum pretio redemptionis captivorum: & Romæi quidem Afrinah 1 ceperunt, qui a Moslemiis soluto pretio redemptus fuit: & reversus est Hasan in Africam, & cepit optimates Siculorum, & instituit eos in Religione Amir Al-Mumenin, hoc est Imperatoris Fidelium, seu Mahometanorum, qui res eorum auxit, & benefecit eis. At illi Soltanum in Tabermin castra movere fecerunt.

1 Vel Aphriah.

وفي سنة تسع وستون واربعماية اتى سقرط بالافتدا واخدوا الروم افرينه ودفعوا فداه المسلمين ورجع حسن الى افريقية واخذ وجوه الصقليين وادخلهم في مذهب امير المومنين وكثر مقتناهم وانفضل عليهم واجروا السلطان على طبرمين.

962. Anno 6470. mense Majo Achmed filius Hasan collegit Siculos & Africanos, & obsedit Tabermin.

وفي سنة سبعين واربعماية فى شهر مايه جيش احمد بن حسن الصقليين والافريقيين وحصر طبرمين.

Et sub finem hujus anni primo die mensis Augusti feria sexta venit Dux Ben Ammar cum copiis, & obviam ivit nepoti suo in Tabermin.

Annus apud Siculos terminabatur mense Augusti.

وفي اخر تلك السنة في اول يوم من اوسه وكان يوم الجمعة اتي القايد بن عمار بالعسكر والتقا مع بن اخوه في طبرمين.

963. Anno 6471. mense Decembri feria quinta capta est Tabermin.

وفي سنة احدي وسبعون في شهر دجنبر يوم الخميس اوخدت طبرمين.

Mense Augusto Achmed transfretavit in Africam; & Dux Ammar obsedit Ramazah anno sequenti.

وفي شهر اوسه عدا احمد الي افريقية والقايد عمار حاصر ريمطه في السنة التي يتلوها.

Anno 6473. venit Hasan cum copiis Ben Aber, & Panormi hiemavit: & mortuus est Hasan mense Novembri.

وفي سنة ثلثة وسبعون اتي حسن بعساكر بن ابر وشتا في البالرم ومات حسن في شهر نونبر.

Eodem anno mense Octobri feria secunda descendit Manuel cum ******

وفي تلك السنة في شهر اكتوبر يوم الاثنين نزل مانويل في ❀❀❀

Reliqua desunt in Codice Cantabrigiensi post Annales Eutychii Alexandrini.

F I N I S.

AD CHRONICON
SARACENICO-SICULUM
BIBLIOTHECÆ ESCURIALENSIS

PRÆFATIO.



INter alia Monumenta, quæ, ut Siculam Hiſtoriam illuſtraret, edenda promiſerat Antoninus de Amico. Meſſanenſis, & Canonicus Panormitanus, in Diſſertatione Hiſtorica, & Chronologica de Antiquo Urbis Syracuſarum Archiepiſcopatu, pag.58. hanc, quam damus, Hiſtoriam Saracenorum recenſuit. Excerptam ex Chronologia Univerſali Iſmaelis Almuyadad Abulphedà Regis Amani, in Codice M. S. Bibliothecæ Sancti Laurentii Eſcurialis, latinitate donaverat Marcus Dobelius Citero, Arabicæ linguæ Profeſſor, hortatu ejuſdem Antonini de Amico, qui morte præventus in lucem emittere, & promiſſis ſe ſolvere, haud potuit. Solummodo nudam ſeriem Amirarum, qui in Sicilia pro Africano Calipha imperium geſſerunt, ab anno 842. 904. edidit, Panormi anno 1640. tametſi reperiantur in aliqua Amirarum nomina paulliſper diverſa ab iis, quæ in hac Hiſtoria exhibentur. Idemque de Amico continuationem ejuſdem Hiſtoriæ ad annum 1040. extraxit ab Hiſtoria Alcadi-Sciohabadin, aſſervata in eadem Bibliotheca, quam latinè reddidit idem Dobelius. Utramque Auguſtinus Inveges Italico idiomate exhibuit, in Panormo Sacra à pag. 634. Plurimùm faciendam hanc obſcuriſſimi ævi Saracenici brevem Hiſtoriam nemo contendet; geſta etenim ab Amiris exhibet per annos prope 200. nempe ab anno 842. ad annum 1039. Ideoque denuò in latinum converſam, ſecundo loco, hic dare curavimus.

HISTORIA SARACENORUM IN SICILIA,

EXCERPTA EX CHRONOLOGIA UNIVERSALI ISMAELIS

Ama Siriæ titulus eſt. Alemujadad, Abulpheda, Regnis Amani * ex Arabico Codice M. S. Bibliothecæ Divi Laurentii Eſcurialis.

Chriſti 841. & 42.



NNO Egiræ 228. inchoato die 30. Octobris, Muslemis multa loca in Siciliæ Inſula ſubjugarunt, & tum erat Amiras Inſulæ Mahomettus filius Abdallà Binilaglab, & ſuum Domicilium erat Civitas Panormi, nec ab illa egrediebatur, ſed ſolum mittebat, & exercitus, & navales copias, & ſpeculatores, & ita expugnavit, ſubegitque multa loca, magna divitiarum, & captivorum præda.

Chr. 851. & 52. ** Menſ. Jan.* ** Menſ. Apr.* Anno Egiræ 237. die 4 Julii, Mahomettus filius Abdallà, Amiras Siciliæ mortuus eſt, poſt annum ſui Regni nonum, Menſe *Reginab, eique ſucceſſit Alabba Benalabbet, Benalſalda, BenJacob, BenFazard, qui ſubjecit multa loca Siciliæ, obtinuitque inſignem victoriam, itemque Civitatem Ennæ munitam vicit, quæ erat Sedes Præfecti Romanorum in Sicilia, qui primum reſidebat Syracuſis; ſed poſtquam Muslemi, majorem Inſulæ partem occuparunt, tranſtulit Sedem in Ennam, ob ſuam fortitudinem; & ita prædictus Amiras hanc occupavit violenter, die Jovis decimaquinta Menſis *Sciavual anni præſentis, in qua ſtatim ædificavit Maſgiad, ideſt Oratorium, ibiq; duxit Pergamum, & coram Populo orationem habuit, poſtea orationem fecit die Veneris inſimul cum omnibus Civitatis.

Chr. 861. & 62. Anno Egiræ 247. inchoato die 17. Martii Alabbas Amiras ſecundus Siciliæ, tum Populus elegit ejus filium nuncupatũ Abdallà BenAbbas: poſt veniit ex Africa Ciafagias Benſafian, ut Siciliæ eſſet Amiras.

Chr. 868. & 69. Anno Egiræ 255. inchoato die 20. Decembris interiit Ciafagias Binſafian, qui cum ſummæ bonitatis Amiras eſſet, per inſidias eſt ininterfectus, à quodam Milite, qui transfugit ad Chriſtianos, Populuſque conſtituit Mahomettum Benciafagiam (nimirum filium occiſi Amiræ,) qui confirmatus fuit Amiras à Mahometto BenAmed Benilagleb, Rege Cairovani, & ita remanſit Gubernator uſque ad annum Egiræ 257. ideſt Chriſti 870.

Chr. 870. & 71. Anno Egiræ 257. inchoato die 29. Novembris Eunuchi famuli Mahometti Amiræ, eumdem Interſecerunt, & poſt eorum fugam, capti à ſua gente, interempti ſunt. Tum dictus Rex Mahomettus filius Amed Benilagleb miſit Amet BenJacob, propterea ut gubernaret Inſulam.

Chr. 874 & 75. Anno Egiræ 261. Inchoato die 26. Octobris mortuus eſt Mahomettus

mettus filius Amet Benilaglebi Regis Africæ, Mense *Giamadilaud, *Mens. Nov.
qui regnavit annos viginti, menses quinque, & dies quindecim, eique
successit ejus frater Ibraimus BenAmed Mahomettus, qui Siciliam
profectus, ibique multas obtinuit victorias, subjiciens multa loca.

Anno Egiræ 266. inchoato die 23. Augusti missus est Al'Assan fi- *Chr.* 879. & 80.
lius Al'Abasi, ut Siciliam regeret, hicque exploratores misit exerciti-
bus per totam Insulam.

Anno Egiræ 291. inchoato die 21. Novemb. Ibraimus filius Amet
filius Ibraimi Benilaglabi Regis Africæ mortuus est dysenteriæ morbo *Chr.* 903. & 904.
die Veneris mensis dilchada in Sicilia, & in Arca positus translatus est
in Africam, sepultusque Cairovani, regnavit annos vigintiquinque,
& Vir fuit magnæ perspicaciæ, & memoriæ, piissimus, & misericors
erga Pauperes, justus, & optimus Princeps.

Explicit Cronologia Ismaelis Regis Amani.

*Continuatio Historiæ Saracenorum in Sicilia, exxerpta ab Historia,
cui titulus Asmodferi, composita in sex Volumina ab Alkadi Scioba-
badin, filio Abiddami Amaviensis: conservata in Bibliotheca Escuria-
lensi, latinè reddita à Marco Dobelio, & relata in secundo Tomo An-
nalium Panormi ab Augustino Inveges.*

Anno Egiræ 297. inchoato, die 19. Septembris, Rex Almoadius ve- *Chr.* 908. & 909.
nit in Siciliam, fecitque comitia Præfectorum, sive Alkaidorum, quæ
præparata erant ante ejus adventum, indeque consilio habito jussit
suis, ut quererent Eliseum Regulum Segitmasentem, qui cum captus
esset, & ductus coram Rege, ejus jussu necatus est, inde transactis
quadraginta tantum diebus è Sicilia remigavit in Africam, perventus-
que ad Racad, Mense *Rabialchen, jussit Registrum, exegit Tributa, *Mens. Octob.
misit Duces, & Amiras per omnes Provincias Occidentales, & ut Si-
ciliam gubernaret misit Alassan filius Amed Binabicha fanier.

Annus erat Egiræ 325. inchoato die 19. Novembris, cum Amiras *Chr.* 936. & 937.
Siciliæ, qui dicitur Satem, & quem destinaverat AlKaiem AlaAlavi
filius Raseid Rex Africæ; multis molestiis, & injuriis vexavit Siculos,
itaut Agrigentini coacti sunt expellere milites Regis, Tum Rex Afri-
cæ misit exercitum, circumseditque Civitatem, Agrigentini verò ita
obsessi petiere subsidium ab Imperatore Constantinopolis, qui statim
eis allegavit præsidium; perduravit adhuc obsidio usque ad annum
329. Egiræ (Christi verò 940.)

Anno Egiræ 336. inchoato die 23. Julii, Rex Almansur dedit Insu- *Chr.* 947. & 948.
lam Siciliæ in fœudum Alassano filio Ali, filio Abilassam Alcabi, ut
refert Ascangius in Annalibus Siciliæ; qui Ascangius composuit etiam
Annales Cairovani. Dictus Alassan magnum administravit bellum, &
ferè universam Insulam suo addidit dominio, usque ad mortem Al-
manzuri, cui successit Almuetius.

Anno Egiræ 342. inchoato die 28. Maii, Alassan dedit dominium *Chr.* 953. & 54.
Siciliæ filio suo nuncupato Abulassan Akmed Binilassan; & sic Alas-
san moderatus Insula, per quinque annorum, & duorum mensium
spatio, profectus est in Africam, & perductus filium prædicti Alassan
in Amiram Siciliæ, & sic Akmed Insulam obtinuit, ac rexit.

Anno Egiræ 347. inchoato die 14. Martii Amad Abulassan Bena- *Chr.* 958. & 59.
lassan se contulit in Africam, sociatus à triginta principalibus viris
Insulæ Siciliæ, qui ante Regis conspectum positi dederunt fidelitatis

juramentum; at Rex eis honorificas tribuit vestes, jussitque reverti ad eorum domus una cum Amira Ahmed: post verò Rex Almoezlus Duci Ahmed, habitanti in Sicilia, tabellarium allegavit; præcepitque illi inscribi pueros totius Insulę Siciliç; post eo die, quo ipse præscripserat circumcidi suum filium, jussit ut cuncti illi pueri circumciderentur, ac sic nomina quindecim millie infantium scripta sunt. Siciliæ Amiras Ahmed coram omnibus, & suum filium, & fratres suos imperavit circumcidi, dedit etenim illis indumenta, sicut qualitas Puerorum exigebat. Sed Rex Almoezius transmisit Prætori Siciliæ centum mille drachmas, & quinquaginta Sarcinas indumentorum, propterea ut inter Circumcisos distribuerentur.

Chr. 960. & 961. Anno Egiræ 353. inchoato die 18. Januarii, Rex Africę Almoezius magnam paravit Navalem Classem, illiusque imperium Amiræ Alhasano filio AliBenobilosai, & Patri Ducis Ahmed: qui cum appulisset Insulam Siciliæ, undique Romanę venere Classes propugnandi causa, & post exitiosum bellum vicere Muglemis, qui plusquam viginti millia Romanorum necarunt, cunctaque arma, & illorum substantiam devastarunt, inter quæ invenerunt Ensem caracteribus Arabicis scriptum: hic est Indianus gladius ponderis centumquinquaginta drachmarum; proh quanti vulnerati sunt gladio illo ante Dei Legatū, Mahomettum! Tunc Amiras Classis prædictæ Alhassan filius Ali Ensem illum una cum multitudine captivorum, & armorum misit Regi Almoezio. Prædictus Alhassan, hac accepta victoria, suo se contulit Palatio in Siciliam; & in morbum incidens, obiit mense *Edilchadan, Anno Egiræ 453. agens annum vitæ suæ quinquagesimum tertium.

*Mens. Majo

Anno Egiræ 356. inchoato die 17. Decembris, Rex Almoezius Duci Ahmed præcepit se conferri in Africam. Unde obediens ille præcepto Regis una cum filiis, uxore, & servis, & cunctis substantiis egressus ab Insula, quàm annos tredecim, & menses undecim gubernarat, constituit Gubernatorem ob sui absentiam Jaxscum mancipium à servitute liberatum à suo Patre.

Chr. 969. & 970. Anno Egiræ 358. inchoato die 25. Novembris Dux Ahmed discessus è Sicilia anno 357. cum pervenisset in Africam, Rex Almoezius, fratrem Ducis Ahmed dictum Abilcasem, filium Alhassan, filium Ali, constituit Præfectum Siciliæ dumtaxat pro fratre, qui ad Siciliæ Insulam perrexit dimidio Mensis *Sciahaban anni 358. Eodem anno 358. Rex Almoezius constituit Ducem Classis Ahmed, eumque misit in Ægyptum, & cum attigisset Tripolim, prædictus Ahmed, filius Alhassan, morbo correctus, illic obiit.

*Mens. Febr.

Chr. 970. & 71. Anno Egiræ 359. inchoato die 14. Novembris Rex Almoezius scripsit Epistolam consolatoriam Abilcasemo fratri mortui Ducis, suadens eum, ut dolorem virili ferret animo, & asserens eamdem Siciliam, illius meritis esse imparem, quam etiam eidemmet Abilcassemo ob mortem fratris Ahmet conferebat gubernatu, tandem hortatur, ut curet addere suæ Jurisdictioni, & Imperio finitimas Provincias. Hoc anno (Egiræ scilicet) Rex Abdirramanus condidit magnam navim, cui altera similis, haud unquam est visa, eamque oneravit innumerabili mercatura, ut venderetur in Regionibus Orientis, & ab illis ferret alias, & dum ista Navis inter ageret invenit aliam, quæ portabat Siciliæ Legatum, Almoezio AlaAlavi, etenim Nuntius Epistolas habebat pro Rege. Tum Navis illa Hispana Siculam vicit

cit, & devastavit. Sed postquam hoc facinus pervenit ad aurem Regis Almoezil, illicò ornavit Classem, quam contra Hispanos misit, cujus imperium dedit Alhassano filio Aly, Siciliæ Amiræ, qui cum pervenisset Abdaram, cunctas Naves, quas in illo portu adinvenit, combussit, expugnavitque etiam Navem illam magnam redeuntem ab Alexandria. Erat certè Navis ista onusta pulcberrimis mancipiis, & mulieribus in musica peritissimis, & adhuc aliis rebus, quas Rex Abdirramanus ambiebat apud se, ob sui delicias. Post etiam Classis Regis Almoezil, partes depredavit maritimas Hispaniæ, ibique quod inuenit dextruxit, non sine magna Hispanorum nece. Tandem incolumis reversa est Civitatē Almediam, sive Afrodisium, & cum audisset res istas Abdirramanus, præparavit copias, misitque adversus Africanos, & contra Classem Regis Almoezil bellum gessit, & denique post immane bellum Hispana Classis suæ rediit Regioni.

Erat annus Egiræ 364. inchoato die 21. Settembris, & novissimis istius anni diebus, & initio sequentis, Amiras Siciliæ Abilcasemus, filius Alhassani, filius Alì Binabilhsayni, exornavit magnum exercitum, quò se contulit expugnaturum Civitatem Messanam, qua victa unà cum Cataana, post Castrum Avilæ, & plura alia loca; misit postea Piratas in Calabriam, qui post multa bella, & certamina maxima præda, magnoque captivorum numero rediere. *Chr. 974. & 975.*

Egirę anno 365. inchoato die 10. Settembris, Abilcassemus Siciliæ Amiras intulit vastationem Calabriæ, & cum attigisset locum dictum (Alabragia) vidensq; suum exercitum venientem erga ipsum magna Vaccarum, & Ovium prędà, nimium ei displicuit, dixitque tulistis nobis impedimenta, jussitque occidi, quarè locus ille dictus est macellum Vaccarum, & postquam tulit devastationem plurimis Civitatibus, & Villis, Victor, & dives rediit, ad Insulam Siculam, & ita quolibet anno molestabat Christianos, quorum Civitates, & Castella incendio, rapinisque, ab ipso molestia afficiebantur, & hoc ad annum usque Egiræ 371. ad Christi 982. *Chr. 975. & 976.*

Erat annus Egiræ 371. inchoato die 6. Julii, in quo ipse commisit prelium cum Francorum exercitu, & occisus est; quarè Muslemil Ducem Abilcassem, Martyrem appellavere, qui interfectus est mense *Almoharoan prędicti anni, gubernavit Insulam annos duodecim, mensesque quinque, & dies. Postquam prędictus Amiras occisus est, Gaber filius Abilcassemi mortui, Dux sine mandato, & pręcepto Caliphę Almoezil, dominium Insulæ Siciliæ sumpsit, quia pessimus erat Gubernator prędictus Gaber. *Chr. 981. & 82.* *Mens. Julio

Anno Egiræ 372. inchoato die 15. Junii, in Siciliam venit Giafar, filius Mahometti, filius Alhassani, filius Alì Binabilchassemi, missus ab Alaziz Calipha Ægypti, ut Insulam Siciliæ gubernaret, sed haud æquo tulit animo hanc infamiam Gaber; attamen quia Giafar erat cognatus Caliphæ, nimiumque ab ipso diligebatur, obmutuit. Sed necessum videtur explicare, quarè Caliphas dedit regimen Insulæ Siciliæ Giafaro; asserunt Calipham habuisse consiliarium nuncupatum Binchels, qui nimia opprimebatūr invidia contrà Giafarū, ideoq; suasit Regi, audita morte Ducis Abilcasemi, ut ei tribueret Amiratum Siciliæ, Giafar invitus viam capit, & cum pervenisset ad Insulam, ibi remansit usque ad mortem, quę accidit anno Egirę 373. Christi 984. *Chr. 983. & 84.*

Anno

Chr. 984 & 85. Anno Egiræ 374. inchoato die 4. Junii, obiit Giafar Amiras Siciliæ, cui successit ejus frater Abdallà, filius Mahometti Binabilhassan, qui adhuc Siciliam rexit usque ad sui mortem, quę contigit anno Egiræ 378. Christi 989.

Chr. 988. & 89. Anno Egirę 378. inchoato die 21. Aprilis, mortuus est Abdallà Amiras Sicilię, anno quarto sui Regni, cui successit Abulfotuth Jusuph Binabdallà, qui optimus fuit Amiras. Interea decessit Alzaziz Caliphas Ægypti; cui subrogatus est Albachem (hic elegit Patruum prędictl Jusuph) & consiliarius nuncupatus Hasanū, filium Hamar, filium Binabilhosayn: Ita duo insimul Siciliam rexerunt, unus erat Hasan Consiliarius, alter verò erat Jusuph Amiras Sicilię.

Chr. 996. & 97. Anno Egirę 386 inchoato die 24. Januarii, Paralysis ita affecit Amiram Jusuph Hassan, ut pars sinistra corporis ejus evaserit inutilis, & eo vivente successit ei Giafar ejus filius, cui Rex transmisit Rescriptum, illudque in Amiratu confirmavit, eidem tribuens cognomentum Lagluddaulati. (hoc est supremi Castrorum Pręfecti.)

Chr. 1018. & 19. Anno Egirę 409. inchoato die 19. Maii, Giafar Amiras propter Injurias, & gravamina concitavit furorem Populi, qui noluit ampliùs ei obedire, imo obsederunt in Palatio. Tum ejus Pater Jusephus Paralyticus coràm Populo egressus in lectica, sedavit furorem Populi, promittens illi, dare eis Ducem, fratrem dicti Giafar, cui erat agnomen Layydaula Hamed, filius Juseph; qui fratri successit mense *Almoharra, & quia Pater Giafar (idest Juseph Paralyticus) erat optimus Gubernator, ideo Populus cum vidisset eum in lectica compassus est, & Plebs gemuit, rogavit, ut pro Giafar eligeret alium fratrem dictum Alachad, & Jusuph hoc faciens compressit iram Populi; post pręcepit filio se conferri in Ægyptum; idem quoque Juseph transactis paucis diebus post filium iter fecit in Ægyptum, & secum tulit cunctas suas divitias, quę inextimabiles erant, inter eas quatuordecim millia Equas, ultra mulas, & alia armenta; discedente igitur Jusupho, & filio Giafar, remansit in Sicilia alius filius Jusephi, dictus Alach, qui optime se gerebat, misitque Piratas, & Copias contra Christianos: cunctę Civitates, & Castella Sicilię, quę à Muslemis possidebantur, Imperio suo parebant.

*Mens. Julio.

Chr. 1034. & 35. Anno Egirę 426. inchoato die 16. Novembris, oritur discordia inter Amiram Feyydaulam Ahmed Alachel, & Siculos, qui subitò delegaverunt Nuncios in Africam Regi Almoezio Binhadis: Rex cum hanc accepisset relationem, exercitum misit in auxilium Siciliensium, quem ducebat filius Regis dictus Abdallà Binabadis, anno 423. & obsedit Amiram Alachal in loco nuncupato Alchalza, qui in obsidione interemptus est. Siculi postea noluerunt parere filio Regis Africę; & pugnare ceperunt adversus Africanos, illosque simul cum filio Regis fugarunt, cum occidissent plusquam 800. milites. Cęteri verò ascenderunt in Naves, & sine gloria redierunt in Africam. Siculi post fratrem Amirę interfectum, dictum Assasam filium Juseph, constituerunt Ducem Sicilię; postea propter discordias turbatus est. Insulę Status, Sicilię & ob maximam infimę conditionis hominū ambitionē, qui pręvaluere, expellerunt dictum Amiram.

Chr. 1038. & 39. Anno Egirę 430. inchoato die 3. Octobris. Unusquisque seditiosorum seipsum pręfecit alicui Civitati, Portui, vel Castro; inter quos

Dux

Dux Abdallà, filius Manueth, possidebat Trapanum; & alia vicina loca. Dux verò Aly Bincema cognominatus Binilhavussi, occupavit Castriennem, Agrigentum, & alia loca. Binitthamana sibi vendicavit Catanam, & Syracusas, & nonnulla alia loca.

Hic explicit Chronica Sciobabbedin.

THEODOSII MONACHI EPISTOLA.

DE THEODOSIO *Brevis Notitia.*

IRruentibus in Siciliam Saracenis, eaque magna ex parte occupata, anno 878. vel, ut aliis placet, anno 880. Barbari Syracusarum Urbem magna vi aggressi expugnarunt, edita ingenti Civium Clade: Inter superstites Cives gladium effugit Theodosius Monachus, qui unà cum Sophronio, Episcopo Syracusano catenis vinctus Panormum adductus, ubi Regiam Sedem Saraceni constituerant: Ibique in carcerem destrusus, ea quæ in Urbis Syracusanæ direptione viderat, & cum Episcopo Sophronio passus ærumnas ob Catholicæ Fidei constantiam, distinctè scripsit in Epistola ad Leonem Archidiaconum Syracusanum. Græcè scripta servabatur in Codice M. S. Monasterii Sancti Salvatoris Messanæ, eamq; latinitate donavit Josaphat Ord. Sancti Basilii Monachus, olim in Messanesi Academia Græcę linguæ Professor, ut tradit Albertus Piccolus *de Antiq. jure Eccls. Sic.* par. 2. cap. 20. pag. 145. & Jo: Franc: Abela in Melita Illustr. lib. 3. not. 1. pag. 307. qui Josaphæt Azzalum Spartanum vocat: Hujusce Epistolæ fragmentum latinè edidit idem Piccolus, & Abela: integram in lucem emisit Rocchus Pirrus in Not. 2. Eccl. Syrac. à pag. 144. & Cajetanus tom. 2. *SS.* Siculorum à pag. 272. ejus etiam Epistolæ partem Italicè protulit Inveges in Panorm. Sac. an. 878. pag. 654. Alia scripsit Gręcè Theodosius numeris alligata: consule Bibliotecam Siculam Antonini Mongitore, tom. 2. pag. 249. de ejus Sanctimonia vide Cajetanum in Idea *SS.* Siculorum, pag. 21. & in Animadv. ad hanc Epistolam, quas pro majori hujus Historiæ luce hic addere curavimus.

THEO-

THEODOSII MONACHI

1 1 EPISTOLA

Ad Leonem Archidiaconum, de Syracusanæ Urbis expugnatione; Primum impressa in Tom.II. Siciliæ Sacræ D.Rocchi Pirri.

2 EOrum 2 quæ nobis evenerunt, vir diviniffime, fingula perfequi velle fanè diuturnius,opportuniufq;temporis fpatium poftulare videtur, breviorq; Epiftola eft, quam ut totam rerum geftarum feriem complectatur. Contra verò penitùs hæc filere, communemque doloris fenfum,quem ex his cepit totus fermè terrarum Orbis,(facile enim mihi perfuadeo condoluiffe nobis eos, apud quos vel folum Syracufarum nomen devenerat.) Valdè ftupentis animi, morboq; indolentiæ apprimè laborantis futurum fuiffe exiftimavi. De qua re prophetarum quidam, tamquam ex ore Dei, fic eft locutus, malè illos accepi flagris, nec tamen doluerunt. At fi quocumque modo narrationem harum rerum inftituam, benè utrifque confultum erit, mihi quoque aliquam afferet confolationem oratio, qua mœroribus
3 illis relevatum iri confido, quibus 3 nunc malè difcrucior; quippè fic natura comparatum eft, ut ea, quæ nobis moleftiæ funt, fi fermone vulgaveris, animi levent ægritudinem;tibi verò merces minimè fluxa hinc accedet, fi compatiendo lachrymis narrationem profequeris.

4 In hoftiũ,4 tandē poteftatē devenimus,capti demùm fuimus ò vir
5 divinis honoribus perfunctè, nec 5 fanè priora funt Hierofolymæ expertæ cum caperentur, nec Samaria prior Hierofolymis expugnata:
6 talem paffi fumus direptionem, quam non 6 Infulæ Chetim unquam agnovere, non regiones barbaricæ, non Urbes, quęcumq; in medium afferri poffent: Ejufmodi fuit hoc excidium, ut eodem die, quibus antea propugnatum erat, arcus, & pharetras contriverit, arma, gladium, & bellum dejecerit, ftrenuos quofq; debilitaverit; propugna-
7 torefq; gigantes (fic enim 7 magnanimos illos appellaverim,qui egregiè operam fuam præftiterunt, quiet famem, antea tolerare, & labores quofcumque fubire,& vulneribus confici propè infinitis pro Chrifti amore non dubitarunt, & poft captam Urbem gladiis contrucidati funt,) hoftium violentiæ cèdere coegerit. Tandem in hoftium manus incidimus, cum antea diù, ac fępiùs fuiffet ad muros propugnatum, cum etiam navali prælio (horrendum fanè fpectaculum, ipfifque intuentium oculis confternationem ingenerans: confternatur enim afpectus rerum atrocitate, quæ fępe illi objiciantur) fuerint multoties decertatum. Victi fuimus poft multas nocturno tempore factas obfi-
8 diones,& hoftiles infidias, poft admotas 8 muris machinas,quibus totum ferè diem tundebantur, poft gravem illam in noftra propugnacula lapidum conjectorum procellam, poft illas Urbium vaftatrices teftudines, murefq; fubterraneos, quos vocant, nihil enim eorum,quę ad Urbis expugnationem cenfebantur idonea,intentatum reliquerunt ii, quibus obfidendæ Urbis cura incumbebat, quorum jam pridem Urbis potiunde cupiditas animos inflammaverat, fumma animorum contentione decertabant, quo quifque pacto ceteris præftaret novas

in

in dies singulos machinas excogitando, quibus Urbs capi, diripiq; faciliùs posset. Quamquam ab hisce Deus altissima consilii ratione admirabili nos quodammodo protexit. Quid verò necesse est more tragico ejulantem latiùs persequi, quantam, & qualem in nos malorum congeriem invehere summo studio conati sunt hostes? quid inditum infectumque reliquerunt, quod ad timorem incutiendum iis, qui detinebantur obsessi, animosq; consternendos facere visum esset?

Tempus admonet, ut ad ea, quæ intus gerebantur orationem convertamus, deque iis excursim aliqua dicamus foris: vastabat gladius, & intus pavor, ut pervetusto illo oraculo Moisen res nostras vaticinatum esse planè assevera rim. Cum enim æquè, ac populo Israelis in Deum ante à nobis peccatum esset, eumdem, quem olim ille divinæ Iracundiæ calicem potavimus, capti sumus: posteaquam ægrè diuturnam famem herbarum victu toleravimus, posteaquam sordida quæque rerum egestate compulsi in os congessimus, quin & ad liberorum etiam comestiones (rem nefariam, & silentio prætereundam) processimus, cum antea nec ab humanæ carnis esu (heù quam horrendum spectaculum) abhorruimus; sed quis hęc pro dignitate tragicè deploraverit? non a coriis, bubulisque pellibus abstinuimus, non ab aliis quibuscumq; e rebus, quæ fame enectis quidquam solatii afferre posse crederentur, neç ossibus quidem aridis parcentes, injucundam nobis cœnam apparabamus; novum profectò, & ab omni mortalium usu abhorrens alimenti genus. Etenim Syracusanorum complures (quid homines non cogit fames importuna?) quatrupedum ossa molere primùm, tum aquæ perpauxillo conspergere, quamvis abundè nobis 9
aquas ad hos usus 9 Arethusæ fons suppeditaret, atq; hoc invento famem sedare miserrimi homines cogebantur. Jam enim tritici modius centum, & qunquaginta nummis aureis venalis erat, pistores verò pluris vendebant, quippe ducentis aureis, unde fiebat, ut duarum unciarum panis (rem miram) nummo aureo venderetur. Adde quod trecentis aureis eò ampliùs jumentum, quomodocumq; edule venum ibat, & quinque supra decem, quandoque etiam viginti constabat equinum caput: Asininæ carnes etiam in deliciis habitæ. Jam verò domesticarum avium defecerat genus, oleum autem, & salsamentorum cujusque generis obsonia, vel ea, quæ, ut ait Gregorius Theologus, pauperum esse cibus solent, jam erant absumpta. Casei, leguminum, & piscium esus omnino nullus, jam erant enim unius, 10 atq; alterius portus, 10
quibus interiacent Syracusæ per vim hostes potiti fuerant; cũ 11 antea 11
arces, quæ 12 brachiolia dicebantur, & ab ingressu portuũ hostes arce- 12
bant, solo funditùs adæquassent. Illud verò longè molestissimum accidit; nã lęvissima pestis, proh dolor, famem subsecuta est: morbus etiam tetanus, à nervorum contractione sic dictus, quosdam divexabat; quibusdam autem apoplexia dimidiam partem corporis arefaciebat; alios repentinò mori cogebat, nec defuere, qui eodem morbi genere correpti, aut corporis dimidium movere tantum poterant, aut omninò omni movendi corporis facultate destituebantur. Alii instar utrium inflato corpore, horrendum sui spectaculum intuentium oculis exhibebant, quousque mors illis superimminens (nam hęc quoque divino imperio parebat, atque ex hujus pręscripto non nihil retardabatur) ægrè tandem miseros gravissimis doloribus liberabat. Enim verò iis, quę jam à nobis memorata sunt, per multa alia adjungi possent, quæ

longiore indigerent oratione, quam ea, quę ab homine in custodiam dato proficisci potest; quid enim aliud potero, quam res tam grandes paucis, perstringere, ac tenuare, qui carcere inclusus ne horam quidem habeo pacati otii? densissima carceris caligo, quę ob oculos versatur, aspectum habetat, atque obtundit, tumultus eorum, qui simul in eadem asservantur custodia, mentem agitant, atque perturbant?

Turris quę ad majorem portū in dextro Urbis angulo erat extructa, catapultarum vi, quibus hostes saxa pręgrandia jaculabantur, concussa primùm, mox ex parte cecidit: ab hujus Turris excidio quinq; post diebus murus propugnaculi, qui fuerat antea Turri conjunctus eodem catapultarum impetu diruptus est; quo facto magnus timor in obsessorum animos injectus est, hostium tamen oppressionem sustinebant
13 egregii illi viri, valdèq; strenui, sub auspiciis Beatissimi 13 Ducis Patritii, summeque hujus contentioni obsecundare conabantur supraquam oratione explicari possit, dies viginti totidemque noctes, ubi murus corruerat contra eos, qui aditum ex illa parte tentabant egregiè, strenuèque depugnabant, animi ingenitam nobilitatem pręse declarabant, insignem quoque laudem esse ducebant, pro tuenda Urbe vulnera toto corpore excipere. Jam verò si quis ad illud Urbis propugnaculum se contulisset, quod Adversum, vulgi sermone dici consueverat, per multos ibi viros poterat intueri, miris, diversisq; modis mutilatos: erant qui effossos oculos haberent, his quidem nares truncæ, his verò aures cernebantur amputatę, aliis palpebrę, aliis maxillię ex telorum, & sagittarum ictibus sanguine rubescebant, quibusdam frons, & cor etiam ipsum modis variis vulnerabantur: venter aliis, aliis pectus acceptis vulneribus patebat; atque ut compendio dicam, non aliqua tantùm, sed omni ex parte laborabant; hostes enim totis copiis Urbem obsidebant, erantque numero superiores adeò, ut centum ex illis (quod vix assequitur fidem) cum uno è nostris manus conferrent, gloriaq; non vulgari antagonistas augerent, egregiæ virtutis facto periculo. Equidem Atletarum studium appellabam quoties ei loci ventitarem, in quo fortiter præclarèque agentes, magnam sibi ex pręclarè gestis gloriam comparabant. Cum verò flagitiorum nostrorum numerus usque adeò excrevit, ut districtum in nos Divinę ultionis gladium inebriaret; die prima post vigesimam mensis Maii, quarta verò ab eo die, quo murus corruit: Civitas in hostium potestatem redacta est: modum autem, quo fuit expugnata opere pretium erit dicere, fuit enim horroris plenus; Cum enim Dei severa in nos animadversio eorum, qui fortiter hostibus resistebant strenuissimum quemque huc, atque illuc dissipasset, & inclytum Patritium cum ejus commilitionibus ad corpora procuranda à mœnibus in domos proprias avocasset, barbarorum animos impulit, ut ad fatalem illam Turrim, de qua superiùs, obsidionem integrarent: machinis illis adhibitis, quę ad lapidum projectum usui erant, tali enim ludicro parricidæ illi Urbem invadentes sese oblectabant: nec sanè difficili negotio grassabantur, paucis admodum militibus custodientibus partem illam, propterea quod opportunum illud pugnandi tempus Cives non extimabant, securique propugnatores alia omnia, quam ad propugnacula se conferre meditabantur. Dum igitur hostes in Urbem lapides horrendum in modum conjectarent, totumque illius ambitum com-

plerent

plerent, scala quędam lignea per quam propugnatoribus erat pervia semidiruta Turris effringitur, quo facto rumor ingens exhortus est, quem cum audivisset Patritius, continuò surrexit inpransus è mensa pro scala valde sollicitus animi. Jam verò barbari simul illam distruptam persensere (quippe cum propè ipsam lapidum projectio contigisset) muro magna cum alacritate propinquant, cumq; nonnisi paucos in Turris præsidio positos conspicati essent, hos fortiter ibi repugnantes contrucidarunt, inter quos erat etiam Beatus Joannes Patrinus, quo facto liberè in illam conscendunt, eamque demùm potiti sunt. Hinc verò deinceps in morem fluminis per totam Urbem diffusi in illorum conspectu volitabant, qui ad repugnandum adhuc congregabantur. Ac primum iis, qui ad Servatoris ædis vestibulum contra eos aciem instruebant ad unum trucidatis, magno impulsu valvas aperiunt, templumque subeunt strictis ensibus, crebro anhelitu ignem naribus, oculisq; spirantes. Tum verò omnis 14 ætas eodem temporis momēto in acie gladii corruit, Princeps, & omnes Judices Terrę (quod in Psalmis canere solemus) juvenes, & virgines, senes cum junioribus, monasticam professi, tum matrimonio copulati, Sacerdotes, & Populus, servus, & liber, quique in lectis multò jam tempore valetudinarii decumbembant. Nam ne his quidem parcere, Deus bone, Carnifices illi didicerunt; animus enim humani sanguinis sitiens, eorum mortibus, qui primò nati occurrunt, minimè satiantur. Erat igitur tum videre (ut Divini Sophonię verbis utar) diem illum, diem calamitatis, & miseriæ, diem angustiæ, & ruinæ, diem tenebrarum, & caliginis. Fuit hęc autem (quid enim pluribus oportet singula eorum percensere, quę primariis verbis viris evenère, pręsertim cum auribus ipsis, nedum animis horrorem incutiant?) Inclitus Patritius, qui sese in arcem quamdam receperat, postridie una cum septuaginta viris vivus capitur, atque octavo ab Urbe expugnata die capitali supplicio plectitur; Quod quidem adeò excelso, fortique animo pertulit, ut nihil à constantia indignum admiserit, ne leve quidem timiditatis alicujus argumentum monstraverit: nec mirum, quando antea nullo pacto adduci potuit, ut Urbis proditionem salutis propriæ causa faceret, pręsertim cum permultos haberet hujus consilii non probatores tantùm, verùm si voluisset etiam administros, ille verò maluit cum honestate mortem oppetere, ut eorum, qui cum ipso erant, saluti prospiceret, atque unum pro multis ad Christi imitationem caput objicere periculo (quamquam hoc homicidarum animos ad commiserationem neutiquam flexit) quàm aliquid nobilitate sua indignum mente complecti; cujus animi magnitudo, atque ad subeundum supplicium alacritas, ipsi 15 quoq; Busæ, Amiræ Chagebis filio, qui mortis auctor fuit magnæ admirationi fuere. Verùm ipse ad benè, beatèque moriendum hinc sibi talia pręsidia comparaverat, propterea quod omne belli tempus in mortis contemplatione transegerat, eisque, qui secum obsessi erant, viam, quę ducit ad immortalitatem optimis cohortationibus commostraverat; unde per hęc pietatis officia excessum vitę minimè habuit formidandum: quibus enim assidua pręmeditatione cautum est, ne imparatum pectus habeant ad hęc extrema subeunda, hisce non injucunda erit hinc ad Cęlum, cum contigerit, transmigratio. Cęterum barbari in illos etiam, quos cum Patritio cęperant (erant au-

Syracus. Urbis Prefectus Patritius ante Saracenos dicebatur.

Laudes, & mors Patritii Syracus.

tem omnes hi Syracusis honestissimo loco nati) cum quibusdam aliis
captivis extra Urbem ductos, & in orbem dispositos uno, impetu in-
vadunt agrestium canum in morem, & hos quidem lapidibus, hos
verò baculis, alios astis, quas prę manibus habebant, quosdam etiam
quibuscumque, quæ se fortuitò obtulissent instrumentis crudelissimè
infestantes, morti dabant, & adhuc animis immanissimè ſevientes, ho-
rum corpora combustione absumebant. Nec verò silentio preteribo
qualia barbarę crudelitatis exempla in Nicetam exercuerint. Erat hic
Tarsensis genere, atque in re militari apprimè eruditus, & strenuus,
16 qui oppugnationis tēpore impium 16 Mahomettem, apud eam natio-
nem Prophetarum eminentissimum habitum, maledictis compluribus
quotidie præscindebat. Hunc ab interficiendorum numero sevoca-
tum humi reclinantes, supinum (tuam Deus Clementiam imploro) à
thorace pectoris ad pubbem usq; virum decorticarunt, effusa verò
per sectionem viscera contis dilaniabant; ad hæc cor ipsum manibus
avulsum ab homine adhuc spirante plusquam immaniter dentibus
mandebant primùm, posteà ad Terram allisum, petitumque lapidi-
bus, tùm demum exaturati reliquerunt; verùm de his alias. Ego ve-
rò, qui jam iterum cum Episcopo in gratiam redieram, atque in Epi-
scopij templo unà cum ipso statis precibus hora sexta operam dabam,
turrim à barbaris expugnatam auribus cępi, cum ad finem cantici
ventum esset. Quo nuntio non mediocris fuit audientium animis pa-
vor injectus; etenim quidnè timendum nobis esset. Incruentas ho-
stium manus mox certissimè incursuris? animum tamen quòquo mo-
do recipientes, dum adhuc hostes ante prospectum templi in depræ-
dando essent occupati, nudi, ac verecundi, quippè detractis omnibus
aliis indumentis pręter illa, quæ ex corio confecta gestabamus, ad Al-
tare ædis maximè cum duobus aliis Clericis perfugimus, Consueverat
17 ad hanc aram Beatissimus 17 Pater Deum iratum conciliare, opemq;
ipsius pro suis filiis implorare, ac voti campos fieri; qua in re illum
18 experientia mirificum 18 ſepissimè comprobavit, quamquā id tempo-
ris arcano divinorum Judiciorum Consilio preces ejus rejectæ fuerant.
Cum ergo in his essemus periculis cōstituti, alter ab altero, si quid pec-
catum esset veniam petebamus, ac vicissim donabamus. Deo verò
gratię agebātur, quod ista nos perpeti decrevisset. Jam verò dum Epi-
19 scopus 19 Angelo tutelari suam Ecclesiam cōmendaret, en adsunt ex-
templo hostes districtis gladiis, sanguineque perfusis, qui per totam
ædem vagantes, alius alio deflectebant; quorum unus à circumfusa
multitudine digressus, Sacrum Altare adit, ibique nos inter sedem, &
aram latitantes offendit, comprehenditque, nihil tamen barbarum in
nos est molitus, nempè Deo cor ipsius aliquatenus permulcente: nihil
iracundum sonuit, aut minax, vultu ad terrorem composito, quamvis
esset ense nudato armatus, qui fumabat adhuc calidum sanguinem,
20 atque distillabat. Is in Episcopum intuitus, ab illo quam 20 rectè per-
contatus est, quisnam esset? remque, ut erat edoctus, ubi nam, inquit,
sunt Ecclesiæ sacra vasa? cum autem cognovisset de loco, educit è Sa-
cro templo Episcopum seorsim ab omni turbatione, atque tumultu,
nosq; cum ipso tamquam agnos suum Pastorem sequentes. Cumque
in sacellum, ubi reposita Sacra vasa asservabantur nostro ductu perve-
nisset, in eo nos inclusos detinet, idemq; satagit, uti majores natu bar-
barę

baræ nationis, quamprimum conveniant, quo facto de nobis apud ip-
sos narrationem instituit. Semnoen, id enim nominis tum illi inditum,
tum claris ortum esse parentibus, postea comperimus: cujus oratione
permoti, dicam melius; Deo ab bonum exitum omnia perducente,
bene animati hostes in nos esse cęperunt; eodemque die sacra depræ-
dati (erant autem hæc omnia perfecti operis quinque millia librarum
ponderis) captivos nos egredi ex Urbe fecerunt, dolore, ut omittam
cætera, vehementi confectos, atq; ad Amiram, qui in veteri Majore
Ecclesia consederat, traduxerunt. Hic autem in una eorum, quæ ibi

Sacrę divitię Eccle. Syrac. duo Templa Cathedralia vetus, & novum.

reperiebantur cameræ; conclusos reliquit, illic omnimodis affici corpu-
sculum fuit necesse: nam & gravi odore locus repletus est, eo scilicet,
qui ex naturalibus excrementis exoritur, vermibus etiam, qui solent
in diem ingenerari, & scatere, nec non, & muribus consuetò ibi de-
gentibus, tum pediculorum examine, & cimicum, & pulicum propè
modum exercitibus inhorruit. ut verò nox facta est, tenebris obruti
sumus sub tectum fermè cadentibus, fumo etiam, qui fortè externè
fiebat, oppleta domus, qui & respirationem miseris interclusit, & mu-
tuos aspectus maxima ex parte nobis ademit: In hac ipse camera cum
sacro Antistite, & altero è Clericis fratribus conjecti fuimus, nã 21 qui 21
reliqui fuerunt Urbis excidio una omnes contrucidati sunt; dies ibi
triginta complevimus, propterea quod ad Syracusanas 22 munitiones 22
emoliendas id temporis voluerunt insumptũ: per idem spatium ea, quę
intra murorum ambitum continebantur incendiis absumpta sunt,
captæ verò prędæ spolia tot fuere, tantique pretii, ut ejus subducta
ratio millies mille nummum reperta sit. Non multò post iter Panor-
mum versus aggressi, quod sex dierum intervallo perfecimus, vecti Ju-
mentis ferundis oneribus natis, abduxerunt verò immites, efferiq; 23 23
æthiopes. Tandem diurnibus æstibus, nocturnisque frigoribus dive-
xati, die septimo cum inter diù, noctuque iter facere non fuisset desi- 24
tum, celeberrimam, 24 Civibusq; frequentem Urbem Panormum in-
gressi sumus: obviam nobis Urbem ingredientibus à Popularibus

Panormitanę Urbis magnificentia.

proditum, qui ob lętitiam effusi, epinicia concinebant, dumque præ-
das in Urbem victores importare viderent, pęanis, faustisq; acclama-
tionibus excipiebant. Jam verò in Urbem secedentes, tum demum
comperimus convenarum, ac Civium multitudinem juxta famam il-
lius, nihilque impatem opinioni nostræ fuisse: illuc enim universum
Saracenorũ genus confluxisse putares, à Solis ortu, & occasu, ab Aqui-
lone, & mari, juxta Beatissimi Davidis consuetum loquendi morem.
Unde in tanta incolentium colluvie homines coangustati, in circuitu
25 ædis struere, atq; habitare inceperunt, adeò ut per multas 26 adja- 25
centes urbes posuerunt primarię, 27 si quis vellet, ad oppugnandũ, & 26
repugnandũ non impares. Cum igitur (ut dicere institui) nequissima 28 27
Urbs omnium potiretur Contarchũ 29 (Imperii nomen id est) sui no- 28
minis celebritate neutiquam dignum putavit, donec nos sub jugum 29
mitteret. Quin & se facturum sibi promittit, & comminatur, ut ab se
longe positos, atq; adeò ipsius 30 Imperatricis Urbis viros in suã redi- 30
gat potestatem. His ita se habentibus, post diem quintum ad 31 ma- 31
jorem Amiram introducimur. Is autem ad solarium superbè 32 in so- 32
lio confidens, valde sibi ex tyrãnica potestate placebat, & quasi 33 mã- 33
tile nobis, ipsique medium suspensum utrinque aspectibus obversaba-
tur.

34 tur. Sistunt Episcopū Ministri: tum ille per 34 interpretem, tenes, inquit, nostratem Deum orandi modum? minimè inquit sapientissimus Præsul: is verò, cujus rei gratia? respondet Episcopus, quod Summus Ego Sacerdos Christi sum, Christique servorum Mystagogus de quo Prophetæ, & justi olim vaticinati sunt: non sunt, inquit Amiras, apud vos revera Prophetæ, sunt verò nomine; non enim ab illis aballenatus esse ob tuas doctrinas, neque à recta deflexisses: in circuitu enim impii ambulant quid enim Prophetam nostrum blasphemiis impetitis vos? minimè nos Prophetas blasphemamus, excipit Episcopus, propterea quòd non in Prophetas invehi, sed pro ipsis loqui, magnificèque sentire condidicimus; hunc verò qui apud vos colitur, ignoramus. His responsis attonitus extemplo nos in carcerem retrudi jubet: ducti incedebamus media Urbis platæa in popularium conspectu; Christianorum permulti subsequebantur de nostra miseria non obscurè ejulantes, nec non contrariæ Sectæ homines, spectandi studio exciti, nos circumstiparerant, inquirebantq; quisnam esset celeberrimus ille Siciliensis Archiepiscopus, hunc ad modum populum evasimus. Tandem in demonsterium carcerem conjicimur, id autem lacus est quatuor supra decem gradibus depressum habens pavimentum, adeoùt illi ostiolum pro fenestra esset, tenebræ hic meræ, & palpabiles, lumine tantum lucernæ, vel inter diu aliqua ex parte collustrante, neuliquam in isto carcere luciferum manè exorientem fas est aspicere, nec lunam radios emittentem. corpusculum æstivis caloribus hic percussum (æstus enim erat) & cohabitantium alitu torridum: præterea cimices, & pediculi, & pulicum examina, cęteraque hisce bestiolis similia, per tenebricosum hoc pavimentum serpentia, misellum hominem stigmatium reddunt; sunt & eodem in carcere compulsi, promiscuèque nobiscum harum miserlarum mercaturam facientes, Æthiopes, Tharsenses, Hebrei, Longobardi, tum Christiani nostrates è diversis locis profecti, inqueis erat quoque Sanctissimus Melitensis Episcopus duabus compedibus pedes astrictus. Tum verò Pontifices alterutrum complexi, sacroque osculo exosculati, paululùm ob ea, quæ sibi evenerant sunt collacrimati; mox Domino eadem de re gratias agentes, ex nostra Philosophia depromptis rationibus, doloris sensui repugnabant. Dum in his versamur, execrabilis ille dies stati apud hosce sacrificii recurrit: quo die memoriam facere se jactitant sacri illius, quod olim Abraham fecerat, quando datum Arietem pro rationis participe victimam Deo immolavit; hunc per inscitiam Pascha nominant, nec abs re diem sic indigitant, non enim ab Ægypto in Terram promissionis est illis transitus juxtà veterem Paschatis nomenclaturam, neque ex hac Terra in celestem oram; aut ex morte ad vitam, ut Christiana Fides hoc vocabulo uti nos docet, sed ex vita ad mortem, & ex hoc corporeo interitu, & sub sensum cadente ad sempiternum illum, & ad id quod numquam fine sit cariturum incendium. In hac diei celebritate, ò dementiam singularem! Archiepiscopi comburendi cępere consilium, malisque Demonibus hostiam offerendi Sanctissimum Christi Pontificem, quidnam enim ex hiis, qui populo præerant os habens patenti sepulchro, adęquè spirans, æquum est, inquit ad circumadstantes coversus, ò Cives in hunc Christianorum Antistitem manus injicere pro nostra incolumitate, tum quo festivius, ac si um-

Panormi multi Christiani.

Episcop. Melitæ in vinculis.

si unquam alias celebre nobis Paschatis festum agamus: sic n. prosperè nobis res nostras cessuras, & incrementa meliora capturas esse confido. Hæc ille. Verum audientes senes quidam canitie justa, ac priores, togaque honestissimi ad Populum habiti, eo consilio factum improbarunt; non n. hæc esse dicebant, satis putabant illius diei celebritatem cohonestandam insigne privilegium egisse excidium Syracusanæ Urbis. Itaque mali Consiliarii in Archiep. & nos consilium dissipatum est Deo volente. Jam 35 ex illo in hunc usq; diem persistimus 35
ærumnis multis detenti, mortemque ipsam, quę semper nobis captivis imminet, quotidie præstolantes. Tu verò ò dilectum, & venerabile caput, tui Theodosii sac sis usque memor, Deumque placatum propitiumque reddito, ut nostros hosce fluctus componat, sistat, atque compescat, nostramq; captivitatem convertat sicut torrens in austro, juxta Prophetam Regem, Deique Parentem. Amen.

Sequuntur hæc Carmina ex Græco latinè scripta, videlicet.

Fructus laborum sume meorum Pater,
Sunt quippè pleni questuum, & lachrymis madent.
Sume Pater mandata, sume bis literis
Excidia, quæ in nos hostis invexit ferox.
Deum rogato, tendat ut amica manus
Jam jam propinquo funeri chartæ huic tuæ.

OCTAVII CAJETANI SOC. J.

IN EPISTOLAM

THEODOSII MONACHI

ANIMADVERSIONES

Ex To: II. SS. Siculorum. fol 102.

1 
PISTOLA THEODOSII MONACHI] quatnor illustranda. Primum quis scriptor Epistolæ. Secundum, ad quem scripta. III quo scripta anno. IV. quis eo tempore Syracusarum Episcopus, eique quod nomen fuerit. Porrò scriptor Epistolę Theodosius fuit, Monachus Syracusanus, vir ęque pius, ac doctus prosa, versuque, nam in libello quodam Græco inscripto *versus Jambici*, Theodosius Monachus *Grammaticus* appellatur; sed viri pietatem, & doctrinam satis ostendunt monumenta, quæ Urbis incendiis superfuere: sed enim præter hanc Epistolam ad Leonem Archidiaconum exstant penes me *Anacreontea de excidio Syracusarum ad S. Sophronium*. itemque alia hujusmodi poematia; ex hac autem Epistola satis constat Theodosium è Monasterio in Clerum Syracusanum fuisse adscriptum; cū Episcopo in offensionem incurrisse, sed rediisse in gratiam, quo tempore capta est Urbs à Sarracenis; ambos simul captivos Panormum abductos, & in tenebricosum carcerem fuisse conjectos; ubi multis pene confecti ærumnis, imminentem mortem pari constantia in diem opperiebantur. Epistola ad Leonem Archidiaconum ex ipso carcere conscripta est; sane is Leo Archidiaconus Ecclesiæ Syracusanæ fuisse videtur, qui salvus, & incolumis è Syracusarum clade evasit; certe illum quidem nedum à servitute Sarracenica, sed ab obsidionis calamitatibus subductū Theodosius tum extrema Epistola, tum subjecto ad Epistolam epigrammate, plane docet.

At quo tempore scripta est Epistola? eodem quidem certe anno, quo Syracusis funditus excisis, Episcopus Syracusanus, unaque Theodosius Panormum abducti, in vinculis detinebantur; planissimum fit ex ipsa Epistola; idem igitur annus scriptæ Epistolæ, & Syracusarum excisarum

cum fuit, proin is annus pervestigandus est. (a) Jacobus Gordonus in doctissimo opere Chronologico, excidium Syracusarum rejicit in annum Christi 886. quo anno, ut idem ipse ait, Imper. Basilius Macedo Kal. Martii diem clausit. Sed certè vir doctissimus labitur; nam Syracusæ, ut Theodosius in Epistola docet, captæ, eversæq; à Sarracenis, mense Majo, & cum viveret Imper Basilius. (b) Joannes Curopalates, *captis*, ait, *Syracusis ab Africæ Sarracenis, quo tempore Basilius Macedo imperabat, etiam tota insula occupata fuit*. idem cæteri; quin post captas Syracusas, malè mulctatus ab Imp. Basilio Adrianus Dux, cujus ignavia, dum moras cum classe nectit, factum est, ut à Sarracenis Urbs caperetur; igitur si mense Majo Syracusæ captæ sunt, & vivente Basilio, nullo modo capi potuere, quo ille anno Kal. Martii demortuus est.

(c) Baronius eversionem Syracusarum collocat anno Imper. Basilii 12. Christi 878. quo anno Photius in locum demortui Ignatii P.C. ab Imp. Basilio in eam sedem restitutus est. Photius verò Gregorium Syracusanum (turbarum in Oriente originem, malorumque omnium, & pluries à Romanis Pontificibus, atq; VIII. Synodo Oecumenica damnatum) tum Niceam transtulit; ubi statim periit ut (d) Nicetas, cognomento David, affirmat: sed hominem pessimis artibus imbutum hoc anno Baronius ait, justo Dei judicio punitum, ut qua sede à Romanis Pontificibus dejectus fuerat, quamquam favore Principum diutius retenta, illa tandem à Sarracenis, vitaque à Deo, exueretur; sed vir clarissimus, dum pietati indulget suæ, & Gregorii scelera, Deique ultionem per antitheta disertè componit, ab historiæ linea aberrat; neque enim verum est, Gregorium Episcopum Syracusanam Ecclesiam ad excisas usque Syracusas favore Principum retinuisse; etenim multo ante, quam Syracusæ à Sarracenis exscinderentur Gregorius à Syracusana Ecclesia exciderat, quippe anno 865. Theodorus Archiepiscopus Syracusarum, in locum Gregorii loco pulsi, ordinatus, inter legatos S. Ignatii P.C. à Nicolao Papa Romam venire jussus est, (e) quod ex Epistola ejusdem Nicolai Pontificis ad Imper. Michaelem, satis constat; post Theodorum etiam Syracusanæ Ecclesiæ præsedit Episcopus, cui Sophronio nomen, ut mox dicemus, quo Episcopo, ut certum est ex Theodosii Monachi Epistola, Syracusæ à Sarracenis vastatæ sunt; igitur 15. ante Urbis excidium annos, Syracusana Ecclesia, amoto Gregorio Episcopo Schismatico, à Catholico Antistite regebatur; sed redeo ad id, quod caput erat institutæ disputationis.

Assero igitur, annum, quo Syracusæ à Sarracenis subversæ, Christi 880. fuisse. non me latet Joannem Curopalatem Syracusarum excidium commemorare ante obitum Constantini Imper. Basilii filii; nec me movet; nam Nicetas, cognomento David, Joanne Curopalate antiquior, quique Syracusarum non adhuc eversarum ævo vixit, & iis excisis superstes fuit; Syracusas, post obitum Constantini, solo æquatas tradit, nam, ait, *posteaquam demortuo Ignatio P.C. Imperator Basilius Photium in sedem restituit, hominem toties damnatum, improbumque, statim in facinoris sui ultionem à Deo punitum fuisse; ac primum illi mortuus est Constantinus filius optimus, ac natu maximus, dein Syracusæ à Sarracenis deletæ, Siciliaque ab imperio, ut inquit Nicetas, avulsa.* Mors igitur tum Ignatii Patriarchæ, tum Constantini, character est excidii Syracusani, quod ab illorum excessu consecutum, sane D. Ignatius P. ad Christum migravit die 23. Octobris, ex Niceta, Martyrologio Romano, & Menologio Græcorum anno Domini 878. quo Baronius collocat, probatque; sed Theodosius Monachus mense Majo, Syracusas captas tradit; igitur si captæ Syracusæ mense Majo, & post S. Ignatii mortem, quæ accidit Octobri mense, anno 878. captas, affirmare non possumus.

Ceterum Constantinus Imper. Basilii filius, anno consequente 879. vita excessit, extrema æstate, aut ineunte autumno, certum ex Epistola Joan. Papæ VIII. quæ hoc eodem anno ad Imp. Basilium, filiosque Constantinum, & Alexandrum scripta est, Augusti die 16. Ind. XII. lecta est ea Epistola, quamquam adulterata à Photio P.C. in Synodo, Actione II. die 16. Novemb. Ind. XIII. eodem anno 879. lecta autem est, deleto Constantini nomine, quia ille proximis mensibus obierat; habes utramque Epistolam apud Baronium. Jam verò rem urgeo meam, eodem anni argumento. Syracusæ mense Majo captæ, post obitum Constantini qui certò post mensem Majum obtigit, anni 879. saltem igitur captæ Majo insequentis anni, qui fuit à Christi exorta 880.

Quamquam, ut verum ingenuè fatear,

(a) *Jac. Gord Chronolog.* (b) *Jo: Curopal. Nicephoro.* (c) *Baron. Annal. ad Ann.* 878. (d) *Nicetas in vita S. Ign. P.C.* (e) *Nicol. PP. Epist. ad Imper. Mich.*

tiar, haud omnino animus in hoc anno quiescat; turbat enim me Theodosius Monachus, eorum temporum fidus Scriptor, is in Anacreonteis suis scribit, Sarracenicam classem per annum maria circumnavigasse, inopinatò dein Syracusas aggressam, obsedisse. Urbs verò cum X. menses obsidionem sustinuisset, neque ei ab Imperatore auxilia mitterentur, fame, præliisque, & machinis demum à Sarraceno vallatam, & protritam fuisse. Theodosii versus ij sunt.

Genus Ismael ascendit
Syracusiorum in Urbem.
Ambitu ambiens hanc
Aggressus devicit.
Dolosè supervenit exemplo
Per annum enim navigavit;
Post decem autem menses excidit
Obsidio Urbem.

1 Duos hos annos, alterum navigationis Sarracenicæ classis, alterum obsidionis Syracusarum, numeraverim ne ab excessu Ignatii P. an à Constantini? quid divinem? illud certum, ut Syracusarum excidium mense Majo, anni 880. figamus, obsessas oportuit à Sarracenis mense Julio, anni superioris 879. itaque obsideri capta, dum viveret Constantinus; capta verò anno, qui ejus mortem consecutus est. Sarracenica verò classis per maria circumcursando delata, æstate appetente anni 878. neque ab his discrepat Joannes (a) Curopalatea, qui ita scribit: *Chartaginenses propter superiores clades veriti, ne in suam regionem Romana classis mitteretur naves idoneas* (quas per annum, ut Theodosius ait, Romana littora infestasse crediderim) *ædificarunt, sed cum jam ver appetiisset, & nullum missum ab imperatore cognovissent exercitum, in Siciliam classem appellunt, & Syracusas Urbem invadentes, obsidere, agrosqu regionis incendere, ac prædari, &c.* statuamus igitur Syracusas ante annum 880. neutiquam excisas.

Postremo loco dicendum de Episcopo, qui captis eversisque Syracusis, fuit. quod ei nomen? Sophronius videtur; eruo ex titulo Anacreonteorum Theodosii qui is est, Anacreontea de excidio Syracusarum ad Sanctum Sophronium nam corrigo librarii errorem, ac pro *per* repono *ad*. non enim Anacreontea per Sophronium composita, sed à Theodosio ad Sophronium scripta, ut docet Epigramma ad Anacreontea subjectum.

E P I G R A M M A.

Theodosius suavibus carminib' ista cecinit ad eum, qui hæc scribi jussit.
Accipe Pater, hæc, atque decanta
Indelebilem memoriam eorum, quos exantlasti labores.

Cum igitur Theodosius persequatur carmine ærumnas, quas Sophronius pertulisset, isque ex titulo carminis Episcopus fuisse convincatur, dum Sanctus dicitur, satis verò proximum est Syracusarum Episcopum tunc fuisse Sophronium. qui eximia etiam sanctitate præstitit, quam ob causam à Theodosio in Epistola dicitur, celeberrimus ille Siciliensis Episcopus, non modo ex prærogativa Syracusanæ sedis, Ecclesiæque cum antiquitate, tum dignitate, sed ex viri fama, & sanctitate; cui Theodosius in Epistola testimonium dicit, nam de Episcopo à Sarracenis ad Altare compræhenso, hæc scribit; *consueverat ad hanc aram Beatissimus Pater Deum iratum conciliare, spemque ipsius pro suis filiis implorare, ac voti compos fieri: qua in re illum experientia mirificum sæpissime comprobavit, quamquam id temporis arcano divinorum judiciorum consilio, preces ejus rejectæ fuerant, &c.* eadem præclarissimi Episcopi sanctitas comprobatur tum ex magna constantia, qua coram Amira Sarraceno Jesum Christum confessus est, Mahomettem verò detestatus; tum ex patientia in ærumnis, vinculisque, & animi fortitudine, qua imminentem mortem pro Christo opperiebatur.

EORUM, QUÆ NOBIS EVENERUNT] M. S. Codicis Græci, ex quo Epistolam hanc escripsimus, copiam mihi fecit Silvester Maurolycus, Abbas Roccæ S. Amatoris prope Messanam, & Francisci clarissimi Mathematici nepos ex fratre, porro Codex Membranaceus apprimè antiquus erat, ambustusque, ut ex aliquo incendio ereptus esse videretur. 2

QUIBUS NUNC MALE DISCRUCIOR] sedenim è vinculis, horridoque carcere Theodosius Epistolam scribebat. 3

IN HOSTIUM TANDEM POTESTATEM DEVENIMUS] hostis is, Serracenus, Carthagine ex Africa ad Syracusarum excidium, magna classe trangressus. adi Joannem (b) Curopolatem, qui cladem hanc describit, captamque Urbem ait culpa Adriani Ducis, qui ab Imper. Basilio ad auxilium cum classe missus, moras in Peloponneso ex ignavia trahebat. 4

D NEC

(a) *Joan. Curopal. in Basilico.* (b) *Joan. Curopal. in Basil. Macedone.*

5 NEC SANE PEJORA SUNT HIEROSOLYMÆ EXPERTÆ] Hierosolymorum, & Samariæ calamitates, clademque sub Imper. Vespasiano, (a) Josephus fusè persequitur.

6 NON INSULÆ CHETIM] ad illum scripturæ locum alludit:(b) *transite ad insulas Chetim & videte, & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est hujusmodi.*

7 SIC ENIM MAGNANIMOS ILLOS APPELLAVERIM] intelligit Patritium, Joannem Patrianum, Nicetam Tarsensem, strenuos, & præstanti virtute Duces, quos inferius commemorat.

8 POST ADMOTAS MURIS MACHINIS] Arietes accipio, quibus muri quatiebantur. vide hoc loco, Sarracenos jam tum bellandi peritos, in oppugnandis Urbibus, militaribus machinis usos, arietibus, catapultis, testudinibus, musculis, seu muribus, quibus tormentis, machinisq; Urbium muros suffoderent, ac diruerent, de his militaribus machinis præclare Justus Lipsius vir doctissimus. libris Poliorceticon.

9 ARETUSÆ FONS] nihil eo fonte in tota Sicilia nobilius, nihil Poetarum carmine celebratum magis. (c) Seneca; *vidabis celebratissimum carminibus fontem Arethusam nitidissimi, & perlucidi ad imum stagni, gelidissimas aquas profundentem: sive illas ibi primum nascentes invenit. sive immersum terris flumen* (Alpheum) *integrum subter tot maria, & à confusione pejoris undæ servatum, reddidit.* (d) M. Cicero, *in hac insulæ extrema, est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium, qui fluctu totus operiretur nisi munitione, ac mole lapidum à mari disjunctus esset.* (e) Diodoro etiam Arethusa *maximus fons dictus.* verè maximus: nam fluvium in mare emittit, ut rectè memorat (f) Strabo.

10 UNIUS ATQUE ALTERIUS PORTUS, QUIBUS INTERJACENT SYRACUSÆ] Cicero: *Urbem,* ait, *Syracusas maximam esse Græcarum Urbium, pulcherrimamque omnium, sæpe audistis; est Judices ita, ut dicitur; nam & situ est cum munito, tum ex omni aditu, vel terra, vel mari, præclaro ad aspectum: & portus habet prope in ædificatione, adspectuque Urbis inclusos; qui cum diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur, & confluunt; eorum conjunctione pars opidi, quæ appellatur insula, mari disjuncta angusto, ponte rursum adjungitur, & continetur. ea tanta est Urbs, ut ex quatuor Urbibus maximis constare dicatur: quarum una est ea, quam dixi, insula, quæ duobus portubus cincta, in utrisque partus hostium, aditusque projecta est*, duplex igitur Syracusis portus: alterum Thucydides, Diodorus Siculus, Strabo, Plutarchus, & infra noster Theodosius, & Livius appellant *magnum Portum*, describit Cicero, addito elogio: *nihil esse pulchrius, quam Syracusarum mœnia, & portus.* laudat etiam Seneca; *videbis portum quietissimum omnium, quos aut natura posuit in tutelam classiũ, aut adjuvit manus: sic tutum, ut ne maximarum quidem tempestatum furori locus sit; videbis ubi Athenarum potentia fracta.* scribit Strabo, magnum Syracusarum portum XXC. stadia amplum esse; sed crediderim corruptum esse numerum apud Strabonem; nam portus magni ambitus V. passuum millia, idest stadia XL, numerus duplo minor, quam à Strabone traditur; ostium portus 8. fermè stadia Thucydidi; sed fermè duplo major, quam sit, à Thucydide dicitus.

Alter portus nominabatur *parvus*. Diodorus arcem à Dionysio extinctam scribit, cujus muro navalia quoq; complexus vicino *parvo* (perperam interpres vertit magno) *portui*, cui Laccio nomẽ est, [g] Solinus *marmoreũ* appellat.

CUM ANTEA ARCES, QUÆ BRACHIOLA DICEBANTUR] (h) Cicero, Urbem Syracusas dixit, *cum manu munitissimam, tum loci natura*, nam præterquam quod terra, ac mari clausa, muris è quadrato lapide, turribusque circumsepta erat, & arcibus etiam munita. (i) Florus tres memorat: *longe illi* ait, *triplex murus, totidemque arces* (k) Silius quatuor. 11

Numquam hoste intratos muros, & quatuor arces.

Quæ fortasse *Exapilon, Euryalus, Galeagra, & arx Dionysiana, in insula*; sed quatuor arces florentibus Syracusis extitere. Sarracenica autem oppugnatione, eas arces fuisse crediderim, quæ erant in aditu utriusque portus, ut Theodosius significat, ex quibus præcipua arx Dionysiana, vel quo loco olim ea steterat; illa etenim sæpe ludibrium fortunæ fuit; extruxit Dionysius senior, firmandæ tyrannidi, [l] Diodorus: ejecto Dionysio juniore, restitutaque Syracusanis libertate, Timoleon Dux demolitus est. [m] Plutarchus; exinde Hieron Rex iisdem

[a] *Joseh de bello Iudaico.* [b] *Ierem. cap. 2.* [c] *Seneca de consolat. ad Marciam.* [d] *Cicer. Verr. 4.* [e] *Diod. l. 5.* [f] *Strabo. l. 6.* [g] *Solin. pol. cap. 11.* [h] *Cic. Verr. 4.* [i] *Flor. l. 2. c. 6.* [k] *Sil. l. 14.* [l] *Diod. l. 14.* [m] *Plut. Timoleon.*

dem super fundamentis domum Regiam ædificavit; quæ, Sicilia in ditionem Romanorum redacta, Prætoria domus fuit, Cicero; consequentibus verò temporibus in modum arcis munita, quæ à Sarracenis solo æquata, ut Theodosius prodit, à quibus rursum restituta, & Saracenica voce, *Castellum Mareth* ad usq; nostra tempora appellatum, quod demũ Imp. Carolo V. & Philippo II. Siciliæ Regibus, Urbis munitionibus instaurandis dirutum est; præter hanc arcem in conjunctione utriusque portus, utrinque arces duæ se attollebant, cum in ore magni portus, tum parvi, planè docet Theodosius, solo æquatas arces, quæ ab ingressu portuum naves hostium arcerent. Theodosius etiam propugnaculi meminit, quod *Aversum* vulgo nominabant.

12 QUÆ BRACHIOLA DICEBANTUR] fortasse, quod quemadmodum protensa brachia sinum, pectusque, ita arces portum tuerentur. ex eo mihi suspicio est, has arces quatuor fuisse ad ostia portuum: duas in extremis Vrbis partibus, quæ portubus cingebantur: duas ex harum adverso; ita enim arces ex utraque parte portus; ab utriusque ingressu hostem prohibebant in M. S. Cod. Græco est eadem vox Græco barbara *Brachiola*, qua usus etiã (a) Theophanes: *per diem*, ait, *congressio belli tenebatur, à brachiolo aureæ portæ, usque ad* [arcem] *Cyclobium*.

13 BEATISSIMI DVCIS PATRITII] viri proprium nomen est: an ob bellicam gloriam, mortemque pro patria fortiter toleratam? an prętereà ob vitam, ac sanguinem pro Christiana religione profusum, ut proptereà inter Christi Martyres adscribendus videatur? certè quidem Theodosius initio Epistolæ, Patritium, cęterosque inter quos B. Jo. Patrianus connumeratur, infinitis prope vulneribus pro Christi amore confici non dubitasse, affirmat: Nicetam etiam à Sarracenis summam per immanitatem interfectum, quod impium Mahomettem maledictis proscinderet, quare in odium fidei videntur interfecti: sed nil decerno.

14 OMNIS ÆTAS EODEM TEMP. MOM. IN ACIE GLADII CORRVIT] immanissimæ huic cladi scriptores alii testimonium dicunt. [b] Nicetas Paphlago: *statim verò magna Civitas Syracusæ horrenda internecione periere*. Joannes Curopalates. *Vrbs capta est, multaq; in ipsa facta est cędes*. Cedreus: *Agareni Syracusis potiuntur, magna cæde edita*.

IPSI QVOQVE BVSÆ AMERÆ 15
CHAGEBIS FILIO] memorat Fazellus, in oppugnatione Syracusarum Hocobum Sarracenorum Præfectum strenuè pugnantem, cum multos Christianorum interemisset, tormento trajectum occubuisse, ex quo acceperit ignoro, sed à Theodosio nihil de eo dictum, equidẽ crediderim potius Busa Chagebia Amerę filium militaribus Sarracenorum copiis, in oppugnatione Syracusarum pręfuisse, nisi velis Hocobo interfecto, Busam subrogatum, porrò Chagebus, Busæ pater, minimè quidem Africæ, sed Ameras Sicilię fuit, in tota autem Africa, Imp. Basilio Macedone, rerum potiebatur Abrachen, quem Syracusas evertisse, [c] Menæa tradunt. Vide Notas ad Martyrium Sanctorum Joannis, Petri, & Antonii.

IMPIVM MAHOMETEM.... MA- 16
LEDICTIS PROSCINDEBAT] certe quidem si Nicetas, eam ob causam, à Sarracenis cæsus est, inter Sanctos Martyres connumerandus esset, at mihi nondum certo liquet.

BEATISSIMVS PATER] Episco- 17.
pos patres habitos, dictosque, & iis titulis honoratos, notissimum.

MIRIFICVM SÆPISSIME COM- 18
PROBAVIT] ex his intelligimus, Episcopum sanctitate præstantem, & miraculis etiam inclytum fuisse: dolendum est, nullis virum sanctissimum monumentis aliis illustratum.

DVM EPISCOPVS ANGELO TV- 19
TELARI SVAM ECCLESIAM COMMENDARET] Ecclesiis tutelares Angelos præesse docet (d) Origenes, (e) D. Hilarius, (f) D. Hieronymus de D. Joanne Chrisostomo in exilium pulso; *egressus est*, ait, (g) Palladius, *cum illo Angelus quoque Ecclesiæ*. (h) D. Gregorius Nazianzenus, cum Vrbe Constantinopoli statu esset excedere; *valete*, dixit, *Angeli hujus Ecclesiæ præsides*.

AB ILLO GRÆCE PERCON- 20
TATVS EST] ex hoc quivis convincatur, Syracusis, atque adeo in tota Sicilia, Græca lingua tum usos.

Sed arrepta hinc occasione lubet excurrere, & quæ de patrii sermonis usu in Sicilia collegi, pauca hic inserere. Insulam Siciliam principio Græci Aeoles tenuere, stirps Javanis, filii Japheti, nepotis Noemi; à Javanis enim filiis Elisa, Tharsi, Cethim, & Dodanim divi-

[a] *Theoph. in Costant. Constantis*. [b] *Nicet. in vita S. Ignatii*. [c] *Menæa dies 23. Novemb.* [d] *Orig. hom. 23. in Luc.* [e] *D. Hilar. in psal. 129.* [f] *D. Hieron. qu. 8. ad Heditiam.* (g) *Pallad.* [h] *D. Gregor. Naz. or. 35. 20.*

sas, cultasque Insulas maris Mediterranei, locaque maritima divinus scriptor [a] Moyses docet; sed in hac partitione Elisę Siciliam obvenisse antiquissimi scriptores tradunt, Julius Africanus, Eusebius Pamphili in Chronico, & Anonymus scriptor sub Imp. Alexandro Severo, quòd eruditè, & copiose probat Marianus Valguarnera libro de antiquitate Panormitana.

Cum Elisa ergo Coloniæ auctore Grȩcam linguam invectam arbitror; qua enim lingua Elisa, ejusque familiæ loquerentur, nisi ea, quam à Javane patre didicisset? à Javane verò Jonia, quæ Græca, "totumque Græcorum genus processit, ut ait [b] Josephus Hæbreus; quamobrem Græcia sacris in monumentis *Javan* appellatur à nationis auctore; inter Græcas verò dialectos Aeolia fuit Elisæ peculiaris, quare idem Josephus ab Elisa memorat ortos esse Græcos, qui Aeoles dicti sunt; primi ergo Siciliȩ cultores Græca Aeolia lingua usi sunt. Sed cũ plurimos post annos Barbararum gẽtium cœpissent transmigrationes, atque ex Italia Siculi, ac Mamertini, ex Asia Coloniæ Phœnicum, & Trojanorum, ex Africa Carthaginensium in Siciliam exundarent, factum est, ut Sicilienses in Græcos, ac Barbaros distinguerentur, ac bilingues esse, duplicique lingua loqui dicerentur; sed decursu temporis in eosdem fermè mores: Græcamque linguam coaluere. Censuerim verò siculos omnes Græco sermone Aeolico, ac barbaro usos ad adventum usque Græcarum Coloniarum; post quam enim ex Attica, & Peloponneso novi Coloni Jones, Doresque advenere, paulo cultius, quàm prisci indigenæ, Græca lingua locuti sunt, pluresque Vrbes ex Aeolicis Jones, Doresque factæ in cognatam linguam transierunt; principiò enim linguas duas Græcas Jonicam, & Aeolicam fuisse, atque ex Jonica ortam esse Atticam; ex Aeolica verò Doricam Strabo tradit.

Vbi verò Romani arma in Siciliam intulere contra Carthaginenses, ac mox in Provinciam suam redegerunt, cum Magistratibus latina lingua in Siciliam transiit ex Diodoro; & multo magis id factum Romanorum Coloniis illuc deductis.

Eam ob causam L. Apulejo Afro Siculi trilingues dicti sunt, quod Græcè, Barbarè, latinè, si non omnes, plurimi certè quidem loquerentur; quod adhuc multa passim marmora excisarum Vrbiũ veteris Siciliæ testantur. Nec modo cœptum latine loqui, sed etiam latine scribi, sub Augusto Apulejus Celsus Medicus de herbis, & Cæcilius Collentianus, qui Rethoricam profitebatur Romæ multa composuit ex Suida (quamquam addubitem aliquantulum an Græcè scripserit) Latine scripsit Frontinus Siculus de aquæductibus sub Claudio Nerone, & Flaccus Siculus, de limitibus. T. Calphurnius Nemesianus Bucolica sub Caro, filiisque. Fl. Vopiscus Syracusanus Vitas Cæsarum sub Impp. Diocletiano, & Maximiano. Julius Firmicus Maternus, scriptor Christianus de profanarum Religionum erroribus ad Impp. Constantium, Constantem, & Constantinum; Julius Firmicus Maternus Junior libros Astronomicos sub Constantinis Impp. & Juliano Apostata.

Non ierim inficias, ut Græca lingua, ita latina Siculos minus rectè usos; quãobrem Plautus Menæchmis in Prologo, ubi filios duos geminos Syracusani hominis Comœdiæ argumentum inducit, ita ait.

Atque adeo hoc argumentum græcissat tamen

Verum non Atticissat, at Sicelissitat.

hinc etiam scomma [c] Ciceronis in Verrem, *Si Græcas literas Athenis, non Lilybæi, latinas Romæ, non in Sicilia didicisses*, ad quem locum Pedianus dicit, *Verrem Græcas literas simul, & latinas in Sicilia didicisse, in ea Insula, quæ neutra lingua bene utatur*. Sed Lilybœum Athenis opponit (d) Cicero, quòd forte deterius Lilybœtani, quàm in reliqua Sicilia, loquerentur, ut Manutius observat, quod oriri potuit ex commercio Carthaginensium.

Illud autem indubitato affirmaverim, posteaquam Sicilia, pulsis à Belisario Gothis, Orientis Imperio, Græcisque Principibus adjecta est, Græcam linguã in Insula retentam fuisse; cui sanè rei ab ævo Justiniani Principis usque ad Nortmannos Reges Siculi scriptores, & monumenta quæ supersunt ex naufragio antiquitatis, fidem faciunt, extant Grȩcanicæ Epistolȩ Justini in Sicilia Episcopi ad Petrum Episcopum Antiochenum; Monachorum item Siculorum ad S. Maximum; Michaelis etiam Glycæ Epistolæ quadraginta daæ Asceteriæ. Conciones etiam ad populum Græce habebantur, quarum aliquæ supersunt adhuc; ejus generis sunt laudationes tum Anonymi Syracusani in S. Marcianum Episcopum, tum alterius de S. Zosimo Episcopo, Leonis Centuripitæ de S. Leone Thaumaturgo, Gregorii Byzantini de S. Pancratio, pluresque homiliæ Theo-

pha...

[a] *Gen.* 10. [b] *Lib.* 7. *antiquitat.* [c] *In divinis.* [d] *Ibidem.*

phanis Episcopi Taurometani pro rostris ad populum dictæ: plures etiam hymnos sacros Arsenii, Sergii, Josephi in plures Sanctos in nostra hac historia attulimus, & pariter vitas Sanctorum à scriptoribus Siculis Græcè editas, & in latinum versas edidimus; hæc ergo, aliaque plurima Siculorum hominum Græca monumenta extant ab anno ferme 400. ad 1000. usque; ac per id temporis nihil reperio latinè conscriptum à Siculis, si excipias Episcoporum nonnullorum Epistolas ad Romanos Pontifices, Paschasini Lilybœtani ad S. Leonem Magnum, Maximiani Syracusani, ejusque successoris Joannis, ac Felicis Messanensis Episcopi ad S. Gregorium, quæ omnia argumento sunt communem Siculorum linguam per ea temporum in prophanis, sacrisque Græcam fuisse.

Demum atteri cœpit hæc lingua per inundationem Sarracenorum, qui Vrbibus portubus, montibus, fluviis, agris, artium instrumentis Sarracenica, seu Arabica indidere nomina, quæ etiamnũ perdurant, non tamen tunc aboleri potuit; quare cum Robertus, & Rogerius Nortmanni fratres, pellendis Sarracenis trajecere, Christianos Siculos Grecè loquêtes obviam è pluribus Vrbibus processisse ex Gaufredi Monachi historia planum est; sed attritus sub Sarracenis Greçę linguę usus, sub Nortmannis Regibus in Sicilia tandem desiit, in novum idioma pedetentim degenerans, per vocabulorum accessionem, quæ à confluentibus Nationibus mutuabantur, ita olim Roma principio Græca ex (a) Polybio, receptis, admixtisque Oscis, Volscis, aliisque pedetentim degeneravit in tantam linguæ diversitatem, ut jam alia penitus fuerit non semel.

21 NAMQVI RELIQVI FVERVNT VRBIS EXCIDIO] de sacerdotibus, & clericis id accipe, nam è Civibus plures captivi abducti, ut narrat idem Curopalates, & Nicetas, plerique in Orientem profugère; nam Adrianus Dux de Syracusarum excidio certior factus est ex nuntiis, qui ex ea clade fugerant; Joannes Curopalates.

22 AD SYRACUSANAS MUNITIONES EMOLIENDAS] in Cives, Vrbemque crudelissimè desævitum à Barbaris, scriptores omnes contestantur. Nicetas Paphlago: *magna Syracusanorum Civitas horrenda clade deleta est*, Joannes Curopalates. *Agarenis ad oppugnationem vehementius incumbentibus, Urbs capta est, multaque in ipsa facta cædes reliquisque captis, ipsa Urbs solo est æquata, incensis sacris in ipsa templis, quæ ad hanc usque diem adeo celebris, & gloriosa fuerat, quæque multa barbarorum bella propulsaverat, temporis momento gloriam amisit* similia promit Cedrenus: *Interim Agareni oppugnationi instantes, Syracusis potiuntur, magnaque cæde edita, qui superfuerant, captivis abductis Urbem diruunt, & Ecclesias ejus incendio perdunt, ita Urbs ea hactenus fama celebris, & quæ multa barbarorum bella profligaverat; exiguo temporis spatio periit*. Cæterum Syracusas, arcem Siciliæ Principem, Urbem situ, portuq; munitam, Sarraceni haud multo post adversum Imperatores Orientis, à quorum imperio avulserant, rursum instaurarunt, sibique ipsis munivere.

IMMITES EFFERIQUE ÆTHIO- 23
PES) quibus Sarraceni pro satellitio, rebusque difficillimis utebantur, adi (b) Jonnem Diaconum de excidio Tauromenitano.

CELEBERRIMAM, CIVIBVSQVE 24
FREQVENTEM VRBEM PANORMVM) Sarracenis potissimũ, paulopost Theodosius: *illuc enim* (Panormum) *universorum Sarracenorum genus confluxisse putares*. at Sarracenis connumera captivos non è Sicilia modo, sed ex ora maritima Italiæ, vicinisque Insulis, Panormum abductos; sed enim quidquid Vrbium, oppidorumque in Sicilia fuit, excidiis, incendiisq; à Barbaris corruptum, uni Panormo parsum est, quæ ob loci amœnitatem, à Sarraceno delecta est Regia. Joannes Curopalates: *captis Syracusis ab Africæ Sarracenis, quo tempore Basilius Macedo imperabat, etiam tota insula occupata fuit; Urbes eversæ, ac dirutæ, sola excepta Panormo, quæ superfuit, unde veluti ex quodam propugnaculo profecti Agareni Regionem contra sitam occuparunt, & inde trasmittentes, Insulas usque ad Peloponnesum diripiebant*.

IN CIRCVITV ÆDES STRVE-
RE) plures adhuc extant extra Panor- 25
mum magnificæ Sarracenorum Principum domus, quibus nomina adhuc Sarracenica *cuba*, *zisa*, adi Fazelium.

ADEO VT PERMVLTAS AD- 26
JACENTES VRBES POSVERINT) Suburbia erant *Kemonia*, *Thuzet*, *Desin*, *Thalcia*, *Seralcadit*, aliaque, quæ hodie uno inclusæ muro, Regiones Vrbis sunt.

PRIMARIÆ) veteri Vrbi Panor- 27
mo.

NEQVISSIMA VRBS) Panormus, 28
in quam tunc confluxerant innumeri Sarraceni.

CON-

(a) *Lib.* 1. (b) *Jo: Diac. in Martyr. S. Procopii Epis. Tauromenitani*.

29 CONTARCHVM) Hastatorum Præfectum, nam hastam *Contum*, & *Contarium* dixerunt, ex Rigaltio. Conton etiam corrupta lingua dixerunt, quem olim Comitem vocarunt; unde Cantacuzenus lib. 1. cap. 40. ait *Comperiunt Principes Sabaudiæ, quem latinorum lingua Conton vocat* &c. eamque etiam vocem in Glossia Græcobarbaris reperies, cui respondet *Comes*; atque hinc Itali *Conte* appellant; num igitur *Contarchus* vox est Græcobarbara, ex latina corrupta, & ex Græca voce?

30 IMPERATRICIS VRBIS] Constatinopolis.

31 AD MAJOREM AMERAM) crediderim, quem Chagebum superius nominaverat.

32 IN SOLIO CONSIDENS) Siculo igitur Ameræ solium, mantili velatum, fuit, signum regiæ potestatis: numne is fuit, qui ab Africano Rege rebellavit, ut in vita S. Procopii Martyris Tauromenitani traditur?

33 ET QVASI MANTILE) Varro de lingua latina lib. 5., *Mantelium quasi manuterium, ubi manus terguntur*. Philargirius lib. 1. Georg. *Lucillius mantela dicit mappas*.

34 JAM EX ILLO IN HVNC VSQVE DIEM PERSISTIMVS) historiam ab obsidione, excidioque Syracusarum cœptam huc usque Theodosius deducit. quid dein Episcopo Syracusano, eidemque Theodosio factum sit, haud compertum habeo. Sed ex eorum patientia in ærumnis, animique fortitudine, & constantia in confessione Jesu Christi, coram Amera Sarracenorum, parem exitum tulisse asseruerim.

MARTYRIUM

SANCTI PROCOPII

EPISCOPI TAUROMENITANI.

DE JOANNE DIACONO
Brevis Notitia.

JOannes Diaconus Neapolitanus, alter sanè à Clarifs. Joanne Diacono, ex Monacho Cassinensi S. R. E. Cardinale; claruit enim hic an. 860. sub Nicolao I. Sum. Pont. Vitæ S. Gregorii Magni, aliarumque rerum Auctor, ex Petro Diacono de Viris Illustr. Montis Cassini, & Wion lib. 2. ligni Vitæ cap. 70. Noster verò Joannes, Scriptor Martyriis S. Procopii, floruit post annum 903. hoc etenim anno Martyrii palmam assequutus est Procopius Episcopus Tauromeni. Hujus Historiam damus, ex Octavio Cajetano tom. 2. SS. Siculorum pag. 6. sibi trasmissam à Bartholomæo Chioccarello J. C. Neapolitano, ex M. S. Codice Monasterii S. Severini, & Soc. Ord. S. Benedicti in Neapolitana Urbe. Idem Martyrium edidit Bollandus in actis SS. Jan. tom. 1. pag. 1098. sibi missum ab Antonino Beatillo Soc. Jesu, ab eodem Joanne Diacono scriptum, diversum tantùm in verborum congerie. In ea nonnulla narrantur gesta sub Sarracenis; præsertim Tauromenii expugnatio describitur, quam an. 878. accidisse tradit Pirrus not. 2. Eccl. Tauromen. pag. 444. at an. 893. ex Gordonio in Chr. an. 963. ex Augustino Inveges in Panor. Sacra pag. 665. at ex nostro Cajetano in Animad. ad eamdem Martyris Historiam an. 903.

MARTYRIUM 1

SANCTI PROCOPII

EPISCOPI TAUROMENII, *EJUSQUE SOCIORUM:*

Scriptore Joanne Diacono Neapolitano: ex Octavio Cajetano, Tom. II. SS. Siculorum.

ANNO 2 Imperii Leonis, & Alexandri 24. Sarraceni, qui Panormi degebant, à Rege 3 Africano, quod ejus parere Imperiis recusarent, defecere; qua ille rebellione efferatus filium suum magno cũ exercitu misit, ut capta Panormo, statim Rhegium trajiceret, Urbesque Græcorum, propter 4 fœdus, quod cum Panormitanis fecerunt, expugnaret. Mox Regulus mandata parentis excipiens properanter abjit, obviumq; sibi Panormitanum exercitum cum fudisset, eodem quo congressus fuerat impetu, illorum Urbem cepit. Inde navibus conscensis Rhegium transmisit, expositoque exercitu, Græcorum præsidium, quod ex Calabriæ Urbibus ad auxilium ferendum confluxerat, extemplo in fugam compulit, soloque terrore in diversa præcipites egit, irato autem Deo mortalium culpis, nullo labore opidum illud ingressus, adeo (dolendum dictu) in cædem efferbuit, ut nulli sexui, nullique ætati parceretur. Post immanissimas itaque strages, quas tota passim Urbe nefandissimi hostes dederunt, ad diripiendum solita rapacitate conversi, septemdecim ferè hominum millia latitantium invenerunt, quos inter Episcopum ipsum Cygneo capite, ruboreque oris decorum, Pagani impii, miserandum in modum, abduxerunt. Auri verò, argentique pondera, aliaque non minimi pretii, quæ illi demoliti fuerant, insatiabilis inhians tyrannus, in unum congeri, sibique cuncta studiosiùs servari interea jussit, dum certiùs quid haberet, quod patri nuntiaret; aliam addens ejusmodi cupiditati thecnam, nam propter Hesperiæ legatos, qui undique ad eum cum donis, ac muneribus confluebant, nonnullis ibi diebus commorari se velle cum finxisset, iis postea dimissis, ingenti cum preda Panormum reversus est. Inde parentem suum tanti triumphi gaudio gestiturum existimans, homines misit, qui ad eum optima quæque de præda perferrent, totumque rei docerent eventum. At ille secum indignans, crebris filium vocibus exprobrando, degenerem appellabat: adjiciens, 5 quod matrem, minimè verò patrem referat, si enim, aiebat, ex me natus fuisset, haud certè quidem ejus mucro Christianis pepercisset; inde ad illos versus: ite, inquit, eumque ad me quam citissimè redire compellite, nõ enim illius opera, sed mea in hanc rem virtute est opus.

Quis hæc audiens, temperet à lacrymis? quis non longa ducat suspiria? quis mortalium flagella non deploret? inter tot Christianorum ærumnas, & captivitates adhuc divina sævit indignatio, fervet ira. Ea propter delicta, quibus quotidie, tamquam dapibus, incumbimus, sævioribus jactamur procellis, assiduis collidimur tempestatibus; nec tamen resipiscimus, væ nostræ miseriæ, qui sic quotidianis sceleribus divi-

2 *Saraceni Panormi rebellant.*

3

4 *Rex Africæ ulterem exercitum mittit.*

5

divinam in nos iram provocamus: ut merito Job sanctissimus exclamet: cum expleverit in me voluntatem suam, adhuc multo majora præsto sunt ei. quid enim? numquid ad correctionem nostram unius Civitatis excidium? numquid populi cædes? numquid distractiones variæ sexus utriusque suffecerunt? Ah conditio prorsus infelix? Erectus est quippe propter te homo nequissimus, qui ad disciplinam nostram Domini servus, sicut Nabuchodonosor, vocaretur, cujus cum sævitia tyrannuli filii sui collata nequitia, velut misericordia reputaretur.

Ira inflammatus adversum Christianos cum classe solvit.

Revertentes itaque nuntii filio mandata patris exponunt: quæ ille prius dissimulanter audivit, post, ubi dolosis quoque literis est circumventus, quibus patrē suum dolosè, extinctum esse, nuntiabatur; abiit, regnandique percupidus, nemine ad consilium adhibito, in Libyam properavit, quem complexus pater, annulum, quod magni Regis insigne erat, ejus digitis inserendum tradidit, hæc adjiciens; Pro me regnato: ipse adversus infestum Diis, hominibusque Christicolarum genus proficiscar, ut illud penitus è terra abradam. Sic fatus, extemplò per præconem ejusmodi universo populo terrorem incussit, ut ad eum omnes quam citissimè festinarent. Cernens itaque tantam ad se confluere multitudinem, omnes inquit, properemus, ut quod magno Deo gratum est, id toto mentis affectu perficere conemur, quatenus
6 paradisum lactis, & mellis, de quo quatuor flumina manant, mercedis loco ingrediamur. Hæc locutus continuò magno cum exercitu, multisque opibus profectus est. Verum cum in Siciliam pervenisset, Panormum ingredi, uti suum, domicilium contempsit, omnibus tamen inde pugnatoribus accitis, Tauromenium perrexit, castrisque ibi locatis, ipse Civitatis illius situm cum solus perlustrasset, regressus est, convocatisque nonnullis Æthiopibus, quos corpore perniciores noverat, dona ingentia pollicitus, si qua nullum proditionis periculum, ob difficilem accessum, timebatur, Urbem intrarent, strepituque, ac ululatu intrasse se significarent.

Tauromen. in Sicilia depugnat.

Illi latrociniis assueti rem aggrediuntur, manibusque, ac pedibus se raptantes, ad summum evadunt, cumque horribili clamore transiluisse se, jam innuissent, qui foris excubabant, vociferantes, ad murum accessere, fortiterque oppugnantes totam undique Urbem circumdederunt. Miseri verò Cives, qui custodiis deputati ad prandiū perrexerant, non ante se captos senserunt, quam hostilis clamor, ex industria ortus, omnium mentes perculisset. Tum infestissimus ille tyrannus, dum unusquisque, ut in re tali fit, vago discursu perstreperet, portas confregit, inde cum armatis copiis ingressus, tamquam molle pecus esuriens bellua trahit, manditq; Christianum adeo cruorem sitiebat. Quis nunc Urbis 7 illius cladem, quis inauditas pœnas,
7 quis atrocissimos cruciatus exprimere poterit? sanè quando minas illius, furoris plenas, paulòante recensuimus, jam non est opus exquirere, qualem se præbuerit, ubi tantæ pertinaciæ facultatem accepit. Re enim vera ex abundantia cordis os loquitur, & quod intus ardet, foras ebullit.

Tamen ex innumeris, quæ passim debacchatus sanguinarius dedit, suæ crudelitatis argumentis, illud unum posterorum memoriæ commendabimus, ut Salvatoris clementiæ adscribatur, qui dixit: Pater meus

meus usque modo operatur, & ego operor. Nam sceleſtiſſimus Rex poſtquam ad unum omnes non modo viros, ac fœminas,ſed infantes etiam trucidavit, tutamque Urbem incendio juſſit abſumi, fæviens adhuc homines miſit, qui per concava vallium,per deſoſſa Terrarũ, perque Veprium condenſa, quns fugæ ſubſidium liberaret, inquirerent, atque ad ſe producerent, dignam exinde mercedem accepturi. Illi utpotè rapinarum avidi cum loca circum omnia perſcrutarentur, fortiſſimum Chriſti athletam S. Procopium, ejuſdem Urbis Epiſcopum, cum nonnullis Clericis,Civibuſque latitantem inveniunt, quos omnes cum tripudiis vincientes,ad Regem velociter traxerunt; Mox ille Machinator fallaciarum in hæc verba S.Procopium eſt allocutus: Quia cano capite, & prudens, es ò Epiſcope,id circò placidiſſimè te adhortor, ut noſtris monitis obedias, tuæque ſaluti conſulas, & iſtorum; ſecus enim qualem ceteri Cives tui, talem me confeſtim experieris. volo autem, ſi legem meam amplexatus fueris Chriſtianamq; religionem abjuraveris,ut ſecundus à me lis carior mihi prę omnibus Agarenis. Ad hæc ſubriſit Antiſtes, nec quidquam locutus: tum fremuit Rex, & rideſne, inquit, captive, adhuc ignorans, cujus in conſpectu ſis? Rideo planè,conſtantiſſimus Chriſti ſervus reſpondit, video enim illius te ſpiritu afflatum,qui ad iſtam orationem te ſtimulat, Dæmonis. His auditis cruentus Rex intumuit, ac furibundus ad Lictores ſuos converſus. Eja inquit, pectus ejus diſſecate quantociùs, & cor ex eo extrahite, ut Arcana mentis videamus, & intelligamus. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis,mirabilis in Majeſtate,faciens prodigia, tanta enim ſuo huic Antiſtiti tolerantiam tribuit, ut dum juſſa lictores exequerentur (ut qui vidère conteſtantur) neſandum ille Regem objurgaret, ſuoſque concaptivos, ut ne quid formidarent cohortaretur; adeo ut furens Rex ſtrideret dentibus, cęſumque cor ipſius el edendum daret, ac denique jam illum adhuc palpitantem cum cæteris decollari juberet. Nec verò ſatis iſthæc cani rabidiſſimo fuere: ingenti igne ſuccenſo,Sanctorum cadavera cremari juſſit, verbis quoq; increpans; ſic conſumabitur, quicumque meæ noluerit obſequi voluntati.

Procop. Epiſ. & pleriſque è latebris abſtractis, ut Chriſtum ejurent imperat

Epiſcopi pectus diſſecari jubet.

Decollantur, & ſacra cadavera cremari juſſa.

Hic jam ſeſe occaſio prabuit noſtras deplorandi miſerias, ſed quoniam Martyribus iſtis gratulandum eſt priùs; idcircò, id, quod ſuprà monuimus, dixiſſe Dominum, repetemus. Pater meus uſque modò operatur, & ego operor. Verè inquam tu, Domine clemens, & miſericors Jeſu Chriſte, in his famulis tuis, quos ante Mundi conſtitutionem elegiſti, operatus es, ut Sancti eſſent,& immaculati in conſpectu tuo: vere tu operatus es in eis, qui præſtitiſti eis, ut non tantum crederent in te, verum etiam,ut paterentur pro te, quis enim diſpenſationis tuæ laudare magnalia, quia admirari opera poteſt? nihil hic præterea dicendum, niſi quod tuus Pſalmiſta decantat. Juſtitia tua ſicut montes Dei, judicia tua abyſſus multa; in his enim, quos glorificare dignatus es, tua commendatur juſtitia, in iis verò,quos puniendos dereliquiſti, humana miſeria deploratur,quæ tuis parere mandatis recuſans, ipſa ſibi judicium aſſumit. Enim verò nullus nos hoſtis invaderet, nulla nos arma terrerent, ſi præcepta tua adamuſſim ſervare ſtuduiſſemus; ſed quoniam propenſiores ſumus ad malum, nec ullis noſtris meritis, ſed tua tantum gratia liberamur, declara tandem

cælitus, quibus signis, quibusve prodigiis à tam nefando hoste salvemur: cognoscat orbis universus, quod tua pro nobis dextera dimicans, misericorditer nos ab illius tyranni comminationibus eripuisset; intelligatque, nihil arduum omnipotentiæ tuæ, qui totum orbem velut statera ponderas, inveniri; verùm id tamen non esse factum, ut super famulos tuos stillare magis tua benignitas videretur, laudarentque omnes nomen tuum benedictum in secula.

Barbarus Legatos Italiæ rejicit.

Igitur postquam hæc omnia, ut jam diximus, patrata fuere, homo
Paganus, crudelitatis exquisitor, nihil ex his Dei judicio, sed totum
suis tribuens viribus, tanta mentis elatione bacchatus est, ut cum Ita-
liæ Urbium legatis, qui ad eum fœderis causâ venerant, loqui dedi-
gneretur; post nonnullos tamen dies, eos in hæc verba per inter nun-
cium allocutus, dimisit. Abeant hinc ad suos, eisque renuncient, to-
tius in me curam Hesperiæ residere, meque ex ejus incolis, quemad-
8 modum placuerit, ita dispositurum. An 8 sperant Græculum mihi,
aut Franculum obsistere posse? Utinam eos omnes in unum coactos
invenissem, ut ego iis, quæ sit bellorum virtus, ac robur, ostendis-
sem. Sed quid eos demoror? abeant, sibique pesuadeant, non solum
9 illos, verum etiam Petruli 9 senis Civitatem, cum istis Germanicis,
10 10 quin etiam, quod unum restat, & Constantinopolim proficiscar,
eamque conteram in impetu fortitudinis meæ. Hæc cum dixisset,
revertentibus illis, ipse in Cosentinas partes, Castra ibi metaturus,
exercitum suum advexit; legati verò cum omnibus suis, non impe-
trata pace terrorem incusserunt, ut certatim interruptos resarcirent
muros, propugnacula disponerent, & quæ necessaria erant, raptim ex
agris in Urbes convectarent.

Corpus S. Severini Neapolim deportatur.

Tum agitatum à Gregorio Consule, Stephanoque Episcopo, & optimatibus, de Castello Lucullano, decretumque est, ut Civibus Neapolim transportatis, opidum everteretur; quo audito Joannes Abbas Cœnobii S. Severini, à Consule, & Episcopo precibus obtinuit suis, ut corpus Beatissimi Confessoris, quod erat in Lucallano, in Monasterium suum deferretur, ut quod suo nomine insigniret, corpore etiam cohonestaret, igitur Consul, unà cum optimatibus, & populo, ad Lucullanum profectus, perficiendæ rei, opidum spatio quinque dierum solo æquatum est 4. idus Octobris, Episcopus unà cum Clero regressus, ut S. Severini corpus perquirerent; ubi in ejus Basilicam ventum est, peractaq; Missarum solemnia inchoato psalterio, humus fodi cœpta, tumulum verò, sub Altare extructum, cum aperuissent, vacuum nacti, sub eoque alterum inanem etiam comperissent, animis consternati, operam penè desponderant, sed in spem erecti, altius suffodientes, sepulchrum invenerunt, in quo cælestis erat thesaurus, universa scilicet membra, articulis cum suis compaginata, quo viso, omnes præ lætitia lacrymantes, Deum in sancto suo collaudabant, sed Episcopus cum Sacras Reliquias obsignasset, Neapolim regressus, optatum Abbati nuncium tulit; is appetente nocte, unà cum cœtu Monachorum ad Lucullanum devenit, celebratisque primum matutinis hymnis, candido induti amictu, ad antrum descendunt, sacrumque corpus in præparato loculo condunt; dein in psalmodia ad diluculum usque pervigilatum est, postero die, oriente sole, Episcopua una cum Clero, Dux, optimatesque, & populus, cum vexillis Domi-

nicæ

nicæ Crucis, odoriferisque thymiamatibus, obviam ad opidi cam..um pro cessere, atque ubi loculum venerati sunt, Clero ex latinis, Græcisque alternis concinente, Neapolim ad Monasterium S. Severini cum luminibus deduxerunt. Episcopus autem Sanctissimum Corpus, unà cum Dominici Præcursoris, & SS. Martyrum Gervasii, & Prothasii Reliquiis, quas cum eo collocatas repererant, honestissima cum pompa sub Altare condidit.

11 His itaque 11 patratis, vix dum sex dies effluxerant, cum visu formidabile, dictuque mirabile prodigium, ingentem omnibus timorem incussit. Astra namque toto passim cœlo confixa per noctem volare, militumque instar confligentium, alterno visa concurrere illapsu. Hæc, aliaque variarum formarum monstra, quæ diversis in locis apparuisse constans fama erat, adeò pavidos jam omnium animos prostravere, ut ad Deum confugientes, votivis supplicationibus, in melius ejusmodi portenta, ut converterentur, exposcerent; sed cum precibus dies, noctesque intenti, divinum sibi Nomen conciliarent, B. Severinus cuidam se adolescenti per visum obvium dedit, monuitque ne vesano metu fluctuarent; adesse se, qui opem ferret, omnibusque ipsorum rebus interesse; sed quoniam populus partim tyranni minis, partim etiam ingentibus portentis formidolosus, ab assiduis precibus non desistebat; Divina Clementia factum est, ut subito fama perferretur, interiisse Regem, eaque signa necem ipsius portendisse. Tunc omnes dubia gestientes lætitia, id verum, ut esset, enixè rogabant. Eja nunc, bone Jesu; eja mœstorum consolator, à famulis tuis mœrorem abstерge. Veniat, oramus, certus nuntius, qui superbiæ filium, desertorem Ecclesiarum, Sanctimonialium stuprator̃em, Virginum violatorem, Sanctorum virorum combustorem, contemptorem omnium, qui superbè se contra templa, nomenque Sanctum tuum erexit, digna referat clade contritum. Dejice illum, dejice, Domine, quemadmodum Pharaonem, qui in curribus, & equitibus suis confidebat, gladio virtutis tuæ. Et nunc, Domine, Rex Regum, clemens, pius, ac misericors, salva nos de manu ejus, quatenus eruti, ac liberati sine timore omnes laudare mereamur, ac benedicere nomen sanctum gloriæ tuæ.

Populorum preces in tyranni interitū conspirant.

Igitur haud multò post, cum è nostratibus quidam, qui diù in ipsis hostium tentoriis commoratus fuerat, rediisset, Gregorio Consuli insolentis Regis obitum sciscitanti, in hunc fermè modum exposuit. Cum protervus ille ad Cusentinam Urbem expugnandam, exercitum suum studiosis successibus destinasset, nec res votis responderent suis, quin etiam filium 12 suum cum valida pugnantium manu ibidem amisisset, consternatus animi, haud longius locari castra præcipiens, multa super eam Civitatem, Regionemque omnem; multa super Urbem Romam jactitabat, sed dum magno curarum æstu fluctuaret, in quadam B. Archangeli Michaelis æde decubuit, somnoque se dedit, mox in ipso strato furenti senex quidam grandæva imagine apparuit. Ad quem ille: Cur injussus ad me ausus es ingredi, moriture? quid adstas adhuc, nec te furas proripis? Verum senex baculum, quem manu tenebat, in vesanum conjecit, eoque in femore percusso, statim evanuit. Tunc illum è somno excitatum ingens pavor incessit: mox per castra misit, ut si quem Latialem invenissent, ad eum quantocyus perducerent, me invenientes, properanter ad eum adduxerunt: interrogan ti,

12 *Filium cæde sublatū praripit Deus.*

Mox Patrem D. Petr tele percutit.

roganti, qualis, quantuſque ſit Petrus ſenex? turbatus ego, neſcio, inquam, Domine, quem Petrum memoras. At ille Romanum, ajo, nuſquam eum depictum vidiſti? ſtatim ego facto animo, Domine, ſenem dicis, grandæva imagine, caput, barbamque attonſum? Hic ipſe, inquit Tyrannus, me percuſſit; nam cum lecto me dediſſem, meumque cor, varias raptum in curas, ſuper Heſperiæ, Romanæque præſertim Urbis demolitione diſſecaretur, repentè virilis ille ſenex apparuit, magnaque vi telum contorquens, latera mea transfodit, ſic fractus jam ab illo die, nequaquam ſurrexit; ſed ingraveſcente in dies dolore, paucis diebus inteſtina omnia emittens ſtygia Regna petiit; Elyſiumque illum lactis, & mellis, quem pro Chriſtiana perſecutione ſuis falſidicus olim promiſerat, invenit. Mox nepos ejus Regni hæres ab eo relictus, ex ingenti illo quamquam diſcordi exercitu, multos naufragio, domum cum reverteretur, amiſit. Hactenus quæ de nefario Rege neceſſaria videbantur, perſtrinximus, ad laudem Domini noſtri, Jeſu Chriſti, qui regnat Deus per ſæcula. Amen.

ANIMADVERSIONES
P. OCTAVII CAJETANI S. J.
IN MARTYRIUM
S. PROCOPII EPISCOPI,
ET SOCIORUM.

1 MARTYRIUM S. PROCOPII EPISCOPI] Joannes Diaconus Eccleſiæ Neapolitanæ, libellum ſcripſit translationis S. Severini, ex Caſtello Lucullano in Urbem Neapolim, quem ex M.S. Membranis Monaſterii Sanctorum Severini, & Soſii Ordinis S. Benedicti, in Urbe Neapoli, exſcriptum miſit ad me, vir humaniſſimus, Bartholomæus Chioccarellus I. C. Neapolitanus, ex eo libello Martyrium nos damus Sanctorum Procopii Epiſcopi, & ſociorum Martyrium, quod ex re noſtra eſt. quod n. ea translatio facta eſt Brachimi Sarraceni Regis Africanorum metu, qui recepta Panormo, expugnatoque Tauromenio, in Calabriam exercitum transmiſerat, regionem eam omnem, Romam uſque excurſurus, præmiſit is Scriptor expugnationem Tauromenii, cædemq; ſanctiſſimi Epiſcopi, & multorum ex Clero, ac populo Tauromenitano. igitur plurimum debet Tauromenium Joanni Diacono Neapolitano, cujus diligentia factum eſt, ut horum Martyrum, alumnorum ſuorum, memoria extaret poſteros.

2 ANNO IMPERII LEONIS, ET ALEXANDRI XXIV.] ut explicatam habeat rectam Chronologiam, annumque cædis S. Procopii, & Sociorum, ſcias, mi lector, bifariam poſſe nos numerare annos imperii Leonis VI. cognomento Philoſophi, ac ſapientis, de quo hic ſermo eſt: alter modus eſt à morte Imp. Baſilii Patris, quæ contigit Anno Chriſti 886. alter à coronatione Leonis. ſed enim Imp Baſilius Macedo Leonem filium ab Ignatio P. C. coronatum voluit, Theophaniorum ſolemni die, anno 870. teſtatur, qui interfuit (a) Anaſtaſius Bibliothecarius. Joannes igitur Diaconus numerat annos Imperii Leonis, & Alexandri, à die coronationis, ex quo Leo cum patre Baſilio regnavit. id certiſſimum ex charactere expugnationis Tauromenitanæ, quæ accidit anno 903. ut probavimus in Notis ad vitam S. Eliæ Ennéſis, rectè autem convenit annus 24. Leonis ab ejus coronatione cum anno Chriſti 903. quo, Tauromenio expugnato, Sanctus Procopius Martyrio coronatus eſt.

3 A REGE AFRICANO] cui nomen Abracheo, ex Actis Sanctorum Martyrum

(a) *Anaſt. Bibl. Notis ad 8. Synodum.*

rum Joannis, Antonii, Petri. seu Brachimus, ex vita S. Eliæ Ennensis. porrò Siciliam sub Africanorum Regia potestate, hujus armis partam, tum fuisse, omnes pernorunt. attamen processu temporis, ab Africæ imperio avulsam, Ameræ Siculi tenuere. incertum, an rebellarint, an fiduciariam ejus possessionem à Rege Africæ acceperint. etenim sub jure Africani Regis Sicilia mansisse videtur, si fides (*a*) Rogerio de Hoveden rerum Anglicarum Scriptori, qui. *Rogerius* ait, *Frater Roberti Vuiscardi debellavit Siculos, & totam sibi subjugavit Siciliam, & factus est Comes Siciliæ. Sicilia Insula est magna, & antequam Rogerius eam debellasset, habitata fuit à Paganis, & erat dominio imperatoris Africæ.*

4 PROPTER FOEDUS: QUOD CUM PANORMITANIS FECERANT] Sarraceni Panormitani inito cum Græcis fœdere, qui tum in Calabria dominabantur à Rege Africanorum, cui parebant, defecerant. quam ob caussam iratus Rex Barbarus, ulturusque injuriam, copias suas mitit, quæ Græcorum Urbes in Calabria devastarent.

5 ADJICIENS QUOD MATREM, MINIME VERO PATREM REFERRENT] in exemplari: crebris repetebat vocibus, *degener ille, degener: matrizat, non patrizat.* num ne ita filius Sarraceno Regi ex matre Christiana susceptus? an potius matris lenitatem referebant?

6 PARADISUM LACTIS, ET MELLIS] vanissimam hanc impii Mahometis fabulam, ac Paradisum lacte, & melle manantem, plures confutavere.

7 QUIS NUNC URBIS ILLIUS CLADEM] pro qua ad Vitam S. Eliæ Ennensia. ex funestissimo Syracusarum, & Tauromenii excidio, æstimes licet, quid ceteræ Urbia à Barbaris perpessæ sint, quarum clades Scriptorum inopia, in tenebris mansere.

8 AN SPERANT GRÆCULUM MIHI AUT FRANCULUM OBSISTERE POSSE] Imperatores Orientis, & Francorum Reges arrogans, tumensque Barbarus irridet. imperabat tum Græcis in Oriente Leo Philosophus, Francia in Occidente Carolus III. simplex.

9 PETRULI SENIS CIVITATEM] Urbem Romam, S. Petri Apostoli sepulchro, & patrocinio munitam. sed quem Tyrannus impius *Petrulum*, per contêptum, appellat, quam primum tyrannidis suæ extinctorem, & Italiæ liberatorem, ac vindicem experietur.

CUM ISTIS GERMANICIS] fortasse Germaniculis, ut de ceteris, à Joanne Diacono scriptum verbum etiam in exemplari deerat, *capturum, deleturum,* aut quid simile. 10

HIS ITAQUE PATRATIS] Joannes Diaconus cum Translationem corporis Sancti Severini è Castello Lucullano Neapolim enarrasset, itum dixerat à Pontifice, & Clero ad illud inquirendum 4. Idus Octobris: ut in ejus Basilicam deventum est, post Missarum solemnia, deturbato altari, effossaque humo, integrum adhuc corpus est inventum; cumque per noctem in psalmis, & canticis vigilatum esset, postero die, celebri cum pompa, in Urbem Neapolim deportatum est. facta igitur hæc translatio 3. Idus, an pridie Idus Octobris? Sex ferè post dies à translatione corporis Sancti Severini, idest sub 13. Kal. Novembris, portenta, quæ hic narrantur, evenere, multa que post preces, & supplicationes, extinctum esse Regem nunciatum est. igitur, ut ex hac narratione erui potest, extremo Octobri sanè ille extinctus, summum ineunte Novembri; certum eodem anno 903. quo Thauromenium expugnaverat, & Sanctum Procopium Episcopum interfecerat. 11

QVIN ETIAM FILIVM SVVM] Is fuisse videtur, quem annulo Pater in Regnum inauguraverat, ut superiùs dictum est, eamque prolem unicam Regi Barbaro fuisse, quam ob caussam, cum sine liberis moreretur, nepotem Regni hæredem instituit. 12

Extremis Notis facturum me operæ pretium reor, si offusas historiæ nostræ tenebras a plerisque Scriptorum, dispulerim. (*b*) Sed enim Petrus Diaconus Casinensis de Siciliæ cladibus hæc scribit; *tempore, quo Ludovicus Caroli filius, in seniore Roma Augustale sumpsit imperium, Joanne VIII PP. in Sede Apostolica præsidente, in Casinensi verò Ecclesia, Leone Abbate Cathedram gubernante, primo anno ordinationis ejus, Dominicæ Incarnationis anno 900. indict. 3 mensis Augusti die primo, Sarraceni à Babylonia, & Africa, ad instar examinis apum, cum Abraym, impiissimo Rege suo, venientes, Siciliam intrant. invenientes itaq; pacatam insulam, quaqua versus impietatis agmina tendebant, devastabant, depopulabantur, incendio, & homicidiis cuncta tradentes------- Panormum, & Syracusas ceperunt- ---- devicta, ac subjugata Sicilia destructis Civitatibus, Sarraceni* Lipa-

(*a*) *Roger. de Hoveden. parte poster. annal.* (*b*) *Petrus Diaconus ad Vitam Sancti Placidi.*

Liparitanam Insulam adeuntes; ad solum usque presternunt. in Siciliam reversi die Kalendarum Augusti, Urbem Tauromenium ad solum usq; prosternunt anno Domini 903.] hæc (a) Petrus Diaconus. Ignatius autem Pragensis, Cœnobii Casinensis prior, qui floruisse videtur circa annum Domini 1200. post enarratam sanctissimi Abbatis, & Martyris Berthari cædem, quæ 11. Kalendas Novembris anno Christi 884. à Sarracenis facta est, hæc subjicit: *non autem in longum vindicta cœlestis defuit. Rex enim Sarracenorum Abraymus, cognomenta Cassala, innumerabilem congregans exercitum, tam istarum Italiæ partium, quam aliarum, intravit Siciliam, eamque post transitum S. Martyris Berthari, Monachis Casinensibus auferens, quotquot ibi reperit Monachos, pro fide Christi, capite truncavit. alia verò anno Tauromenium Siciliæ Civitas, quæ sola de possessionibus sacri Cœnobii Casinensis supererat, capta fuit. sed Dei judicio, ac Beatissimi Patris nostri Benedicti, ac gloriosi Martyris Christi Berthari meritis, idem Rex eodem anno, quo rebus suis sacrum Casinense Cœnobium spoliaverat, super Consentiam Calabriæ Civitatem, amara interiit morte.* huc usq; Ignatius.

Sed ab his Scriptoribus in multis, ac præcipuè in ratione temporum peccatum est. Primùm Sarracenos, ajunt Siciliam ingressos esse. Ignatius quidem anno Christi 884. Petrus autem Diaconus anno 900. quod falsò dictum. nam Sarraceni ante annos 60. & ampliùs Siciliam ingressi fuerant. quin tradit Leo Ostiensis Sarracenos Siciliam ingressos, Panormum cepisse anno 820. Syracusæ verò captæ, eversæque sunt anno 880. ut superius probavimus. Secundùm tradit Ignatius, Abraymum eodem anno Tauromenium cepisse, maleque periisse, quo Sanctum Bertharium sustulerat. at is cæsus fuerat 11. Kalendas Novembris, anno Christi 884. ut auctor est Leo Ostiensis, idemque Ignatius firmat. se Abraymus eodem anno periit, quo Tauromenium expugnavit, qui fuit annus Christi 903. ut rectè ait Petrus Diaconus, certumque est ex Joanne Diacono Neapolitano, qui Tauromenium captum ait anno 24. Imp. Leonis ab ejus coronatione, qui annus est Christi 903. igitur Abraymus male periit ad Consentiam, IX. post annos à cæde sanctissimi Abbatis Berthari. Tertium memorat Petrus Diaconus, Sarracenos ex Insula Lipara in Siciliam reversos, Kalendis Augusti Urbem Tauromenium solo æquasse. certè quidem errat in die nam excisum erat Tauromenium per plures dies ante mortem Sancti Eliæ Monachi ennensis, ut dicetur in ejus vita. is verò 16. Kalendas Augusti ad Dominum migravit. prætereo alia, quæ facile quivis animadvertat.

[a] *Ignatius in Vita S. Berthari. Extat M. S. in Biblioth. Casinensi.*

DE CONRADO

Brevis Notitia.

CONradus Ordinis Prædicatorum, Prioris munere præerat Cœnobio S. Catharinæ in Urbe Panormi, eo tempore, quo Fratres Prædicatores eodem in loco degebant; & exinde Moniales ejusdem Ordinis incoluere, teste Aug. Inveges in Panor. Nob. pag. 540. Anno 1290. Epistolam scripsit ad Angelum Boccamazza Episcopum Catanensem, qui illam rexit Ecclesiam ab anno 1279. usque ad 1296. ex Pirro in not. 1. Eccl. Catan. pag. 37. In ea per breve Siciliæ Chronicon perstrinxit ab anno 1027. ad annum 1283. Omnia breviter enarrat; attamen nonnulla notatu digna habentur: Quam damus ex Fr. Matthæo Selvagio Ord. Minorum lib. de Tribus Peregrinis, edito, Venetiis 1542. in (8. de quo vide Anton. Mongiture in Biblioth. Sicula Tom. 2. fol. 60.) & ex Joanne Baptista de Grossis, in Catana Sacra, pag. 143. qui eamdem edidit; de ea meminit Jo: Franciscus Abela, in Melita Illustr. lib. 2. not. 10. pag. 262.

EPISTOLA
FRATRIS CONRADI
DOMINICANI

PRIORIS CONVENTUS SANCTÆ CATHARINÆ IN Civitate Panormitana ad B. Episcopum Cathanensem; sivè brevis Chronica ab anno 1027. ad annū 1283. primùm impressa à Joanne Baptista de Grossis in Cathana Sacra.

Reverendo in Christo Patri, & Domino, Domino B. Dei Gratia, & Sedis Apostolicæ, Episcopo Cathanensi, suo Domino, & Benefactori continuo.

Frater Conradus Ordinis Prædicatorum.

REverendissime Domine, humili raccomandatione præmissa; quia facta proborum, & maximè illorum, qui Siciliam honoraverunt, ac etiam de Saracenica potestate liberaverunt, cor Nobilium Siculorum habeant ad gaudium aperire: hinc est, quod ad præsens, scilicet quod alias Rev. Dominationi vestræ promisi, scribo, & incipio à quadragesimo anno antequam Nortmanni ad Regnum Siciliæ venissent.

In primis Anno Verbi Incarnati 1027. decimo sexto Kalendas Augusti Gaytus Maymonus Saracenus de Hispania destruxit Pactas, & Terram Syragusiam, & incendit omnes utriusque sexus. Iste Gaytus erat inimicus Regis Tanicæ, ac Siciliæ, qui vocabatur Melaguta, filius Bulfaraci, concessit Siculis Christianis, ut audirent Divina Palam, & Sacerdotibus, ut portarent Corpus Christi ad infirmos. Regnante Malaguta, & bellante cum supradicto Gayto, fuit interfectus à supradicto Gayto, & regnavit pro eo Camicus, & fuit ita miserabilis, quod vix potuit tenere Regnum suum, & id circò non potuit defendere Siculos de Rogerio Comite.

Anno 1033. Stratigotus primus, qui vocabatur Georgius cum Maniacio intravit Messanam. Non fuit ille iste Maniacius, qui tradidit Insulam Sarracenis, sed ille, qui conduxit Normannos ad Insulam. Anno 1055. Nortmanni venerunt ad Regnum, & 1058. transierunt in Siciliam cum Maniacio, & debellaverunt Saracenos usque Syragusiam, & Traynam. Deinde recesserunt à Maniacio irati, & prædaverunt totam Apuliam, & Calabriam.

Anno 1060. Robertus Guiscardus accepit filiam Principis Salerni in uxorem nomine Sygigaitam, & in eodem anno accepit Regnum, & factus est Dux Calabriæ. Item eodem anno operante Betumine Saraceno, qui erat Dominus Antellæ, quod Castrum erat in Sicilia juxta Corleonum: dum Dux, & Rogerius frater erant Rhegio, venit iste Betumen, & conduxit Rogerium Comitem ad Insulam, & habuit Messanam, Rametam, & Traynam in festo Natalis Domini. Item anno 1061. Comes Rogerius pugnavit cum Bescaner juxtà Castrum Joannis, & obtinuit Victoriam. Item anno 1062. magna discordia fuit inter Robertum, & Comitem Rogerium fratrem suum.

Item

Item anno 1063. habuit aliam Victoriam Comes, in qua apparuit ei Beatus Georgius; & illo anno fecerunt Pacem Robertus, & Rogerius. Item anno 1064. iverunt ab obsedendum Panormum, & nihil fecerunt ex abundantia darentarum, à quibus exercitus fuit valdè vexatus, & oportuit eos recedere, & iverunt versus Agrigentum, & destruxerunt quoddam Castrum, quod vocabatur Borgamum, hodie dicitur Buagimum, & est Feudum Ludovici de Monte aperto, distans Agrigento ferè sex milliaria. Item anno 1068. acceperunt Barium in Apulia, & 1071. Iterum Panormum invadunt per Terram, & mare, & perceperunt eum 1074. Castrum Calasibet, construunt Castra Joannis 1075. Saraceni Mazariam vastant, & Comes Rogerius latenter intrat, & multos Sarracenos perdidit suo gladio.

MLXXVI. Ugo de Guzzetta, Capitaneus Cataniæ, & gener Comitis, fuit interfectus à Sarracenis in Mortelletto Cataniæ, & Jordanus filius Comitis evasit de insidiis Sarracenorum, qua de causa Comes Rogerius totam quasi Insulam combussit, & fuit magna fames Sarracenis illo anno, & dederunt se Rogerio, videlicet Drepanum, Bicarum, & Castrum novum.

Item 1080. Robertus Guiscardus ivit versus Romaniam, & cum eo Rogerius Comes, & acceperunt Duracium, & Insulam Grifo.

MLXXXII. Rogerius de Romania reversus est, & Ecclesiam Sancti Nicolai de Messana ædificat MLXXXIV. Sol obscuratus est per spatium trium horarum, & illo anno mortuus est Papa Gregorius, & Dux Robertus, & sepultus est Venusi, & factus est Dux filius ejus Rogerius, qui malè segessit cum fratre suo Boemundo.

Item 1085. Rogerius Comes accepit Syragusiam, & Beneventum fecit, Item 1085. Comes Rogerius Agrigentum primo mensis Aprilis obsedit, & 16. Julii, & in eodem anno cepit Castrum Joannis.

Item 1088. Maltam capit, licèt, quod antea Notum, & Butherum acceperat.

His præmissis Sanctis: Comes amisit omnes liberos, sed postea cognoscens uxorem suam, generavit Simonem, & Rogerium: inde apud Miletum objit, anno MCI. 9. Ind. mense Julii, & corpus ejus in Ecclesia, quam ipse fundaverat, honorificè sepultum est.

Post hunc Simon ejus primogenitus filiorum Regnum accepit, qui per paucos vixit annos. Huic successit ille Benedictus à Domino Rogerius, mundo admiratio virtutum, prius tamen Comes, postea Apuliæ, Capuæ Princeps ultimus, Rex Siciliæ, Tripolis, Africæ potentissi. mus: fines Imperii sui Terrarum acquisitione multiplici ampliavit, cui laudes, & gesta probata singulariter referre nequeo, quoniam Ciceronis eloquentiam insufficientem reputo. Ad alia facta veniamus.

Anno 1118. objit Adelasia uxor Comitis Rogerii, Mater Regis Rogerii. Anno 1153. objit Rex Rogerius. Anno 1163. (rectiùs 1169.) pridie Februarii Civitas Catanensium subversa est à Terræmotu, in qua omnes Monachi, & Episcopus oppressi fuerunt.

Anno 1165. objit Rex Guillelmus primus filius Regis Rogerii.

Anno 1182. Regina Margarita Mater Regis Guillelmi Secundi incæpit ædificare Monasterium Maneacensium.

Anno 1189. objit Rex Guillelmus Secundus, & in eodem anno Rex Tancredus fuit coronatus Rex, & in Palacio Panormi. Anno 1194.

xx.

xx. die Februarii obiit dictus Rex Tancredus.

Anno 1195. C. V. Henricus Imperator receptus est in Palatio Panormi, cœpit Regem Guillelmum Juvenem filium Regis Tancredi, & quantitatem Comitum, & Baronum istius Regni, & devastavit eos. Anno 1197. obiit Henricus Imperator.

Anno 1198. Fredericus filius Henrici Imperatoris, fuit Rex Siciliæ coronatus, & in eodem anno Constantia mater ejus obiit.

Item anno 1209. Domina Constantia Aragona venit Panormum; & Dominus Rex Fredericus desponsavit eam. Anno Regni ejus XI. fuit vocatus ad coronam imperii. Anno 1220. accepit coronam Imperii à Domino Honorio Papa, Anno 1222. Domina Constantia Imperatrix obiit, prima uxor Frederici Imperatoris apud Cataniam. Anno 1223. Fredericus Imperator misit suum exercitum in Gerbis, & cepit illos, & captivavit.

Anno 1225. Imperator accepit secundam uxorem filiam Regis Joannis, nomine Isabellam. Anno 1227. Fredericus Imperator transivit in partes Ultra Marinas, & Domina Imperatrix uxor sua obiit, & Rex Conradus filius ejus natus est. Anno 1235. Imperator accepit in uxorem sororem Regis Angliæ, & in eodem anno accepit filium suum Regem Henricum, & tenuit in carcere usquequo mortuus fuit apud Marturanam.

Anno 1235. natus fuit Rex Henricus filius Domini Imperatoris de Tertia uxore, quæ fuit soror Regis Angliæ.

Anno 1239. Prelati Franciæ capti fuerunt per Dominum Imperatorem, tempore Papæ Gregorii, & in eodem anno mortuus est idem Dominus Papa.

Anno 1243. Dominus Simon Senebaldus Cardinalis suscepit Papatum, & ivit per mare usque Januam, deinde Lugdunum, & permansit ibi sex annis.

Anno 1244. Theobaldus Franciscus, Generalis de Sancto Severino, & alii Comites, & Barones de Regno ceperunt thesaura Capacii; & Dominus Imperator statim expugnavit eos, & habuit, & tanquam proditores cremavit eos apud Neapolim, & Nobiles mulieres Regni captivavit Panormi, & nunquam postea comparuerunt.

Anno 1245. D. de Caserta de mandato Imprratoris ejecit omnes Sarracenos de Sicilia, & posuit eos apud Luceriam Apuliæ.

Anno 1246. Dominus Papa Innocentius celebravit Concilium apud Lugdunum, cum Prælatis ultramontanis, & non de Regno, preter D. Bernardum Panormitanum Archiepiscopum, qui missus fuit ibi per Dominum Imperatorem.

Anno 1250. de mense Decembris obiit Dominus Imperator in Apuliam, in Terra, quæ dicitur Florentinum, & corpus ejus fuit sepultum Panormi. Item eodem anno de mense Januarii, venit Rex Conradus filius Imperatoris de Alemannia, & applicuit Messanam, cum magno gaudio vocatus illuc per Manfridum bajulum Regni, & accepit Neapolim. Anno 1252. de mense Madii obiit Rex Conradus.

Anno 1254. Innocentius Papa, de Licentia Manfridi Principis, intravit Neapolim, & ibi mortuus, & sepultus est: & Dominus Papa Alexander suscepit Papatum Romanum, & mansit in Terra Neapoli cum Principe, & in eodem anno prædictus Princeps recuperavit Luceriam, & Acherenciam.

Item in eodem anno Messanenses rebellaverunt se contra Principem, & dextruxerunt Tautomeniam, quæ nolebat obedire mandatis eorum. Item in eodem anno Messanenses miserunt Romam, & elegerunt Potestatem Dominum Jacobum, & mansit in Potestate usque ad mensem Madii prædicti anni, & cum eo venit Dominus frater Joannes de Columnis, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Messanensis, missus à Domino Papa.

Anno 1254. Henricus de Abbate, cum exercitu Vallis Mazzariæ, cepit Panormum, & fratrem Bosinum Legatum ex parte Papæ, & totam Siciliam convertit ad Dominationem Domini Principis, præter Platiam, Castrum Joannem, & Aydonum.

Anno 1255. Comes Fredericus Lancea venit Vicarius Siciliæ ex parte Principis, & congregato magno exercitu obsedit Platiam, Castrum Joannem, & Aydonum, & rehabuit eas, interfectis prius multis hominibus istarum Terrarum.

Anno 1256. Dominus Princeps venit Messanam, & postea Panormum, & ibi fecit congregare omnes Prælatos, & Barones Regni, & ad electionem eorum Dominus Manfredus Princeps fuit coronatus Rex Siciliæ, 2. die Augusti, primæ Indictionis.

Anno 1257. fuit Capitaneus Siciliæ Comes Fredericus Malecta, & in eodem anno prædictus Comes de Malecta fuit interfectus à Theobaldo Theutonico, & ipse Theobaldus rebellavit se contra Regem Manfredum, & Comes Fredericus Lancea accepit eum in monte Trapani, & interfecit prædictum Theobaldum cum multis hominibus de prædicto Monte.

Anno 1265. Comes Carolus accepit pontem Cipranum, & turbata est Civitas Neapolis, & postmodum idem Comes cum suo exercitu venit apud Pontem Valentinum in parte Beneventi, & prævaluit contra Regem Manfredum, & occidit eum die Veneris 22. Februarii, & die Sabbati 13. Martii Civitas Messanæ levavit vexillum prædicti Comitis Caroli, & die Jovis, primo Aprilis, Comes Philippus de Monteforti venit Vicarius in Siciliā, pro parte prædicti Comitis Caroli, & regnavit in Insula annis xvij.

Anno 1282. de mense Aprilis, fuerunt interfecti Gallici, & in eodem anno de mense Augusti, venit Rex Petrus de Aragona, & intravit Panormum cum magno triumpho. Item in fine hujus mensis Carolus recessit de obsidione Messanæ, & amisit dominium totius Siciliæ. Ab isto Carolo usque ad hodiernum diem, fuerunt alia facta in nostra Insula, quæ verè non fuerunt probitates Dominorum, sed potius calliditates, ideò non debent homines in eis delectari, sed simpliciter dimittere; Idcircò hic finem loquendi facio, vos autem Dominus Altissimus conservet: Amen.

Scripta Panorm die 1. Aprilis 3. Indictionis;

*Vester Orator, ac *Servitor* *Servus
*Fr. Conradus Gratia Dei, & *vestra;* *Verè
Prior Monasterii Sanctæ Catharinæ.

SERIES PRINCIPUM

CALIPHARUM, AGLABITARUM, FATIMIDARUM, ET ZERIDUM,

Qui Siciliæ ſupremum Dominium ante Normannos habuere;

A P. Antonio Paggi excerpta ex Hiſtoria Saracenica Elmacini, & in Tomo III. & IV. Crititicæ Hiſtorico-Chronologicæ in Annales C. Baronii, relata.

an. Chr. 806. n. 17. *Initium Principatus Africæ, & Mauritaniæ*



AFrica uſq; ad annum Chriſti 806. (ait Pagi t. 2 pag. 447.) Caliphis Abbaſidis Bagdadi reſidentibus paruit; cum verò hoc tempore Africani adverſus *Haronem Raſidum* Calipham rebellaſſent, miſit is *Ebrahimum Aglati* filium cum ingentibus copiis, qui cum eos domuiſſet, Principatu Africæ, & Mauritaniæ à Calipha donatus fuit. Duravit hic Aglabitarum Principatus ab anno Chriſti octingenteſimo uſque ad nongenteſimum octavum, quo, ut habet Elmacinus lib. 2. Hiſt. Sarac. in fine cap. 18. *Prodiit in Occidente quidam, dictus Abu-Abdalla Muhtaſibus, fugavitque exercitus filii Aglabi, & milites ejus occidit, ac commatus eſt in Occidente*, nempè in Africa, & Mauritania, ex quibus funditus biennio poſt Principatus *Fatimidarum*, qui Cairavani in Africa regnarunt, ut anno 910. dicemus: *Caliphæ Fatimidæ Ægyptum* poſtea in ſuam poteſtatem redegere, annoque Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo primo *Muazzus Lidinilla* Africæ, & Ægypti Calipha *Joſephum Bolquinum* è familia Ziridum, Africæ, & Mauritaniæ Principem, ſeu Regem renunciavit, hujuſque poſteri per annos ferè ducentos in Minori Africa Saracenis dominati ſunt. Porrò *Mauritania*, a Bugia Canarias uſque extenditur, *Africa* verò *Minor* à Bugia uſque ad Barcam. Joſephi Bolquini poſteri, anno Chriſti milleſimo quinquageſimo octavo, Mauritaniam amisère, fundatuſque novus Principatus ab Abubekro, cujus Succeſſores *Marachiorum* Regnum condiderunt; ſed cum Mauritania Orientalis ab Occidentali diviſa fuiſſet, ex ea paulopoſt conſtitutus alius Principatus, nempè *Mauritaniæ Sitifenſis*. Hæc ſummariè ex NoWeino aliiſq; Arabibus, quæ variis annalium Eccleſiaſticorum locis lumen affundent, & ſuis locis magis explicabuntur.

an. Chr. 827. n. 5.

Erchempertus, quem apparet Chronicon ſuum ſcripſiſſe ante annum 895. quo nihil in Sicilia reliquum erat, quod ſub Saracenorum jugo jam gemeret, dum generatim verba facit de iis, quæ Ludovico Pio in Occidente imperante contigere, ait tantum: *Circa hæc tempora gens Agarenorum a Babylonia, & Africa inſtar examinis apum minutum valida egrediens Siciliam properavit, omnia circumquaque devaſtans, tandem Civitatem inſignem, Panormum nomine, captam, nunc uſque commoratur, plurimaſque in ea Inſula Urbes, & Oppida dirmens, jam penè tota illarum Gentium ditioni ſubſtrata congemiſcit.* Remanſere tantum in poteſtate Græcorum per annos circiter quinquaginta, aut ſaxaginta, *Syracuſæ, & Tauromenium.*

an. Chr. 827. n. 6. *Hujus expeditionis Dux ſecundus Aglabitarum Rex*

Ait Erchempertus laudatus Saracenos, qui Siciliam ſibi ſubiecère, *veniſſe ex Babylonia, & Africa*. Hoc autem tempore Bagdadi, ſeu Babyloniæ *Almamon* Calipha, ex Abbaſidis ſeptimus dominabatur, & Saraceni ei ſubditi hujus victoriæ participes fuere, ſed expeditionis Duces *Aglabytæ* Africæ, ut ſcitè obſervavit Fazellus, Decad. poſter. lib. 7. Reges *Aglabitarum*, qui Saracenis Africæ Minoris, & Mauritaniæ præerant, ſupremi quidem Principes, ſed cum à Caliphis Bagdadi magna illa terrarum ſpatia accepiſſent, eos tamquam Dominos reverebantur. Porrò fallitur Fazellus laudatus, quando ait, Aglabitam Principem, qui hanc expeditionem ſuſcepit, appella-

pellatum fuisse *Abrahamum Albi*, seu Halbi (legendum Aglabi;) Abrahamus enim seù Ebrahimus Aglabita, primus Rex Saracenorum Africæ, mortuus est anno Hegiræ 196, Christi scilicet 812. teste NoWeino, qui asserit, eam peractam esse ab ejus filio, & hærede. Fuit hic Ammed Ben-Al-Agleb, qui ut infra videbimus, in Historia Ismaelis Abulfeda mortuus est anno Christi 853. ei succcessit *Mahomettus* filius, qui, eodem Ismaele teste, postquam regnasset annos viginti, menses quinque & dies quindecim, mortuus est, anno Hegiræ 261, hoc est Christi 874. & 875. Mahometto supradicto Ebrahimus frater successit, ultimus Aglabitarum, qui postquam regnavit annos vigintiquinque in Africa, & in Sicilia, mortuus est in Calabria, anno Hegiræ 281. hoc est Christi 903. & 904. eodem Ismaele teste.

an.Chr. 901. n. 17. *Saracenorum in Calabriam irruptio*

In Chronico Lupi Protospatæ legitur: *Anno 901. descendit Abraham Rex Saracenorum in Calabriam, & ivit in Cosentiam Civitatem, & percussus est ictu fulgueis*. In antiquo tamen Chronico M. S. Ducis Andriæ, quod magnæ est auctoritatis, idemque ac Chronicon Lupi, sed paulo mutatum, & interpolatum, id currenti anno consignatur, diciturque *Abraham* occisum ictu fulguris, *cum pervenisset ad Ecclesiam S. Pancratii*, cui Interpolatori omninò standum. Ismael enim Abulfeda, Hamæ in Syria Princeps, testatur, Ebraimum Africæ Regem dissenteria die veneris, mense Bhalcada anno Hegiræ 289. in Sicilia demortuum, ideoque hoc Christi anno mense Octobri. *Abrahamus* ergo seu Ebraimus Saracenorum in Africa Rex fulmine percussus, dissenteria postea extinctus est, postquam regnasset annos vigintiquinque, ut habet idem Abulfeda. Hic ultimus fuit Regum *Aglabitarum*, jam à sæculo aut circiter in Africa imperantium; nam post ejus mortem *Almahdi*, qui se à Fatima Mahometis Pseudo-Prophetæ filia exortum dicebat, Africæ dominatus est, suoque 9 o. sese Calipham, seu Imperatorem appellavit.

an. Chr. 934. n. 3. *Moritur Mahadis Calipha Africæ*

Anno Hegiræ 322. vitâ excepit Abdalla Mahadis, qui rerum potitus est Cairai Wani, cum imperasset annos vigintiquatuor, & aliquot menses. Post ejus mortem Bianvilla ejus filius, Calipha Africæ creatus est, teste Elmacino lib. 3. Hist. Sarac, cap. 1. Porrò *Mahadis* primus Africæ Calipha fuit; & Saracenorum potentia, novi hujus Caliphatus institutione, non parum infirmata.

an. Chr. 945. n. 6. *Moritur Caymus Bianvilla Africæ Calipha.*

Anno Hegiræ 334. obiit *Caymus Bianvilla*, Princeps Cairai Wani, cum Saracenis Africæ imperasset annos 11. & aliquot menses. Ei successit *Almansor Billa* filius ejus, qui cum regnasset annos septem in Africa, successorem habuit *Muazaum Lidinillam* filium, anno Hegiræ 341. Hic porrò primus fuit Calipha Ægypti. Hæc Elmacinus lib. 3. Histor. Sarac. Anno 969. de Ægypto ab eo occupata hic verba faciemus.

an. Chr. 969. n. 12. *Ægyptus in Caliphæ Africani potestatem venit*

Anno Hegiræ 358. teste Elmacino, lib. 3. Hist. Sarac. cap. 4. *Muazzus Lidinilla* Calipha Africæ misit cum exercitu, qui Ægyptum occuparet; quod cum factum esset, Dominium Caliphorum Abbasidarum in Ægypto cessavit. Tunc Alcahiea seu Cairoa, Urbs Ægypti præcipua, & amplissima ad Nilum Fluvium posita, ædificata, ut in ea milites habitarent, & arx Imperialis in ea constructa. Quam Urbem anno Hegiræ 358. conditam testatur etiam Guillelmus Tyrius. Plurimum crevit Civitas illa, cùm Sultanos seù Reges habuit proprios, sed postquam sæculo 16. in potestatem Turcarum venit, sensim defecit, licet etiamnum amplissime sit. Muazzus Lidinilla, Ægypti Calipha, dominio Africæ Josephum Bolquinum è familia Ziridum, Minorem Africam obtinentium, investivit, sicque Reges isti potentissimi evasère.

an. Chr. 995. n. 13. *Obitus primi Caliphæ Ægypti*

Muazzus Lidinilla qui primus fuit Calipha Ægypti, postquam regnasset annos tres & viginti, anno Hegiræ 365. obiit, eique successit *Azizus Billa* filius, ut videre est apud Elmacinum lib. 3. Hist. Sarac cap 4. *Muazzus* verò ante captam Ægyptum in Africa regnarat.

an. Chr. 996. n. 10. *Mors Caliphæ Ægypti*

Anno trecentesimo octuagesimo sexto. (nempè Hegiræ) *obiit Azizus Billa Dominus Ægypti*, inquit Elmacinus lib. 3. Hist. Sarac. cap. 6. qui addit, eum imperasse annos 21. & aliquot menses; ac eo præmortuo Imperium Ægypti cessisse filio ejus *Hakemo Bianvillæ*.

ann. Christi 1020. n. 5. *Obitus Caliphæ Ægypti*

Hakemus Bianvilla Ægypti Calipha, anno Hegiræ 411. agente sorore, cui minatus fuerat, occisus est, cui successit *Aly Abulhasenus* ejus filius, ut refert Elmacinus lib. 3. Histor. Sarac. cap. 6.

an. Ch. 1036. n. 5.

Anno ab origine Mundi 6544. inquit

quit

Gesta in Oriente.

quit Cedrenus, Æra Mundi Constantinopolitana usus, *indictione quarta, verno tempore, Patzinacæ ter impressionem fecerunt in Romanam ditionem . . . . . . Amere* (idest Calipha) *Ægypti Amermuna mortuo, uxor ejus Christianæ Religioni dedita, cum filio, Legatos de pace ad Imperatorē mittit. Cujus is petitioni assentiens* xxx. *annorum pacem composuit.* Quæ hoc anno in Oriente gesta, Calipha ille Ægypti Aly appellabatur, & *Tahirus*, vel *Taherus* cognominabatur, cujus mortem Elmacinus lib. 3. c. 6 cum anno Hegiræ 427 copulat, proditque, *Mustanzirum Billam* filium ei successisse.

an. Ch. 1094. n. 16. Obitus Caliipharum Bagdadi, et Ægypti.

Mustadxur Bigadensis Calipha anno Hegiræ 487. è vivis excessit, postquam Caliphatum annos novemdecim, & aliquot menses gessisset, cui successit *Mustadirus Billa* filius. Obiit & *Mustanzirus Billa* Calipha Ægypti, postquam per sexaginta annos Imperasset, non vero per sexennium, ut errore Librarii in Elmacino lib. 3. Histor Sarac. cap. 9. legitur, qui ait, ei Mustalim Billam filium successisse.

an. Ch. 1101. n. 11. Obitus Calipha Ægypti

Elmacinus lib 3. Hist. Sarac. cap. 9. tradit, *Mustalim Billam* Calipham Ægypti vita functum esse anno Hegiræ 495. & durasse Imperium ejus septem annos, & duos menses, lunares scilicet. Et successit *Aly Abulmansor*, filius quinque tantum annos natus. Idem habet Abulphirayus in Hist. Dynastiarum. Sunt hi Caliphæ Ægypti è familia Fatemitarum. Mustalis Billæ tempore *Franci Joppen expugnarunt, & Arsufam receperunt pactionibus, subjugaruntque majorem partem regionis maritimæ*, inquit Auctor Anonymus Chron. Orientalis, & confirmant Fulcherius Carnotensis, aliique Belli Sacri Scriptores.

EXCERPTA AD REM SARACENICO-SICULAM PERTINENTIA;

Ex Chronologia Araba Hazi Halifè Mustafà: à Joanne Rainaldo Caroli Italicè edita Venetiis anno 1697.

Primus numerus est Æra Christianæ, Secundus verò Hegira Mahometi.

ANno 703. 81. Armis occupatum fuit Regnum Messanæ (*aliquam ex Saracenorum, in Siciliam excursionibus denotat*)

An. 714. 93. Pharichius filius Siadi per fretum Messanense in Calabriam appulit, ubi post factiones plurimas, & cruentos conflictus, fortiter tandem illam Provinciam subegit.

An. 760. 138. Initium supremi Dominatus in Mauritania, vulgò Barbaria, familiæ Rusteni Principis exercitus Arabum.

An. 806 184. Princeps unus de familia Aglabitarum, in Africa Regiam Coronam obtinuit.

An. 885. 263. Princeps Ibrahim Aglabites, ædificavit in Africa Civitatem Veladam.

An. 913. 301 Princeps Mahometus, filius Abdullah, movens ex Africa in Ægyptum, Alexandriam expugnavit.

An. 919. 307. Bena-Idris Familiæ Principatus in Africa eripitur.

An. 936. 314. Abdulrahamanus Elnassir, ex Africanis Principibus, Taranti Civitatem armis acquisivit.

An. 947. 325. Haliphęus militares copias contra rebellantē Messanæ Civitatē movet.

An. 959. 337. Familia Ben-Ichielpidum, supremum tenere dominatum incipit in Regno Siciliæ, idest Messanæ.

An. 975. 353. Exercitus Musulmanorum in Sicilia de Infidelibus triumphavit.

An. 981. 359. Atroci prælio Princeps Seid-Benibadius contra Hemirum Zafferum in Africa dimicavit, quem occidit, ejusq; hæredes Regno spoliavit

An. 983. 361. Muisius, ex Fatimidarum familia, quæ Africæ Principatum tenebat, numeroso exercitu Ægyptum subjugavit.

An 987. 365. Muissus Sultanus, jam Africæ, Ægypti, & Syrię Dominus, vivere desiit.

An. 987. 365. Elbucasinus Ali-Chieltius, supremus in Sicilia Princeps, contra Calabriam expeditionem movet.

An. 994. 372. Ali-Chieltius, Siciliæ Dominus, fortiter contra Francos in Calabria pugnans, interemptus est.

An. 1049. 427. Echmelus, Siciliæ Dominus, in Melitam Insulam, ut eam subjugaret excedens, ibi à Franchis supervenientibus conclusus retinetur.

An. 1066. 444. Bergos Hachimirus, Siciliæ Dominus, à Melitensium Militum manu adjutus, forti robore intulit arma contra Ben-Ichielpidarum Familiam, in Insula Siciliæ latum Imperium possidentem; de illis plenè triumphavit. Exinde Melitenses, occasione arrepta, devicta Regione potiuntur, & Bergosum victorem ejiciunt.

An. 1104. 481. Franchi Mahometanis Insulam Siciliæ cedere coacti sunt.

An. 1157. 535. Francorum exercitus Tripolim Civitatem expugnavit.

An. 1159. 537. Franchi occuparunt Insulam Siciliæ.

Chronicon istud in Annorum notatione minimè convenit cū aliis Historicis quos, exhibemus.

Irenę conjugium, & pacem contrahere animo gerens, cujus gratia in sequente anno Legatos destinavit indictione nimirum x.

Anno 5. Porrò Apocrisarii à Carolo, & à Leone Papa missi Irenem Carolo matrimonio conjungendam, atque ita Orientis, & Occidentis Imperia in unum componenda postulantes advenerunt; quibus ipsa assensura erat, si non Ætius, post Imperatricem, ut sæpè memoravimus, cuncta administrans, ac Imperium in fratrem transferre meditatus, ejus se consiliis opposuisset; & anno sequenti, in Imperium vecto Nicephoro, quidem in Monasterium ab ipsa edificatum, Caroli Legatis adhuc in Urbe agentibus, & quæ gerebantur spectantibus, eam relegavit.

EXCERPTA EX PAULI DIACONI Historia Langobardorum.

DE EODEM VVOSSIUS

De Hist. Lat. l. 2, c. 3.

PAulus, Warnefridi filius, Longobardus, qui Diaconus fuit Aquilejensis, & Desiderii, ultimi Longobardorum Regis, Cancellarius, victo Rege suo, inter nobiles captivus à Carolo M. abductus, propter egregiam erudititionem magna aliquandiu in honore fuit; suspectior postea factus, in Diomedæam insulam est relegatus inde ad Arichim Beneventi Principem profugit, eoque defuncto Monachus fuit Casinensis ubi piè, & religiosè vitam traduxit, floruit circa annum 780. Scripsit inter alia sex Libris Historiam Longobardorum, in qua lib. 5. cap. 5. post mea sic habetur.

AT verò Constantius, seu Constans Augustus, cum nihil se contra Longobardos profecisse conspiceret, omnes sævitiæ suæ minas in suos, hoc est Romanos, retorsit. Nam egressus Neapoli Romam perrexit. Cui sexto ab Urbe milliario Vitalianus Papa cum Sacerdotibus, & Romano populo occurrit. Sed nihilominus, cum Imperator ad Beati Petri Limina pervenisset, obtulit quidem ibidem pallium auro textili; sed manens Romæ dies duodecim, omnia, quæ fuerant antiquitus instituta ex ære in ornamentum Urbis, abstulit: in tantum ut etiam Basilicam Beatæ Mariæ, quæ antea Pantheon vocata fuerat (Nam conditum id fuerat in honore omnium Deorum: & jam ibi per concessionem suorum Principum Oratorium erat omnium Martyrum) decooperiret, tegulasque æreas ex eo simul cum aliis omnibus ornamentis Constantinopolim transmitteret. Deinde reversus Imperator Neapolim per terram perrexit in Civitatem regiam, Ingressus deinde Siciliam per Indictionem VII. habitavit Syracusis: & tales afflictiones populo suo, habitatoribus videlicet, & possessoribus, Calabriæ, Siciliæ, Africæ, atque Sardiniæ fecit, quales antea nunquam auditæ sunt; ita ut etiam uxores à maritis, & filii à parentibus separarentur. Sed & alia multa prius inaudita dictarum Regionum populi perpessi sunt; ita ut nulli spes vitæ remaneret. Nam & vasa sacrata, & similia Sanctarum Ecclesiarum Dei Imperiali jussu à Græcorum avaritia sublata sunt. Mansit autem Imperator in Sicilia ab Indictione VII. usque ad Indictionem XII. Sed tandem tantorum criminum iniquitatumque pœnas luit, atque dum se in balneo lavaret, à suis extinctus est.

DE MEZENTII TYRANNI NECE. Et Saracenorum in Syracusas irruptione.

Cap. VI.

INterfecto igitur apud Syracusas Constante Imperatore, Mezentius in Sicilia Regnum arripuit; sed absque Orientalis exercitus voluntate. Contra quem Italiæ milites, alii per Istriam, alii per partes Campaniæ, alii verò per partes Africæ, & Sardiniæ, Syracusas venientes, eum vita privaverunt, multiq; ex judicibus ejus detruncati Constantinopolim advecti sunt. Cum quibus pariter & falsi Imperatoris caput est deportatum. Hæc audiens Gens Sarracenorum, quæ jam Alexandriam, & Ægyptum pervaserat, subitò cum multis Navibus venientes Siciliam invadunt, Syracusasque occupant: multamque populorum stragem faciunt: vix paucis evadentibus, qui per munitissima castra, & juga Montium effugerant. Auferentes quoque prædam nimiam, & omne illud, quod Constantius Augustus à Roma abstulerat, ornatum in ære, & diversis speciebus, in Alexandriam reversi sunt. Porrò Regis filia, quam de Benevento obsidem Gilam nomine sublatam ab Imperatore diximus, in Siciliam advecta, diem clausit extremum.

EX-

EXCERPTA EX ANASTASIO BIBLIOTHECARIO

De Eodem ex Bellarmino , & Philippo Labbè ,

ANastasius Romanus , Abbas Ord. S. Benedicti , & S. R. E. Bibliothecarius , ex Baronio usque ad annum ferme 886. vitam perduxit. Diversus (contra Wossii opinionem) ab illo Anastasio Presb. Card. S. Marcelli, & Gregorii IV. Papæ Bibliothecario , qui à Leone IV. in Synodo Romana , anno 850. exauthoratus est . Noster igitur Anastasius cum Constantinopolim , anno 869 venisset , latinè multa scripsit , plurimaque è Græco in latinum transtulit . Inter alia Chronographiam Tripartitam , in qua ex Syncello , Theofane , & S. Nicephoro Patr. C. P. Historium Ecclesiasticam ab initio Mundi ad Leonis Armeni imperium deductam , latinè interpretatus est , ibi quidem de Constantis nece , de Leonis Isaurici in Siculos sævitia, &c. eadem leguntur , quæ ex Theophane jam dedimus . In vitis verò Romanorum Pontificum ejusdem Anastasii notanda de Saracenorum in Syracusas incursione hæc accipe.

ANno Christi 669. Constantini Pogonati Imperatoris Anno secundo. Deodato Papa.

Hujus (*Papæ*) temporibus Mezetius, qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali intartizavit (*idest rebellavit , ex Salmas.*) & arripuit Regnū . Et perrexit exercitus Italiæ per partes Istriæ, alii per partes Cāpaniæ, necnon & alii per partes Sardiniæ , & Africæ. Parimodo venerunt per Siciliam in Civitatem Syracusam , & Deo eum humiliante interemptus est, nec dicendus Mezetius: Et multi ex Judicibus ejus truncati , perducti sunt Constantinopolim , simul & caput ejusdem Intactæ . Postmodum venientes Saraceni in Siciliam , obtinuerunt prædictam Civitatem , & multam occisionem fecerunt in Populo , qui in Castra , seu Montana confugerunt . Similiter & prædam nimiam fecerunt , & æs , quod ibidem à Civitate Romana delatum fuerat, secum tollentes, Alexandriam reversi sunt,

EXCERPTA EX GEORGIO CEDRENO

De Eodem ex Joanne Gerardo ,

Wossio de Hist. Græcis lib. 2. cap. 26.

GEorgius Cedrenus , Monachus , Annales elaboravit ab initio Mundi usque ad Imperium Isaici Commeni , anno 1057. cujus Imperatoris vixisse temporibus videtur . Ceterum Historia Cedreni à morte Nicephori , usque ad Isacium Commenum, etiam legitur , iisdem penè verbis sub nomine Joannis Curopalatæ , incertùm apud plurimos uter ulterum exscripserit . Exinde universæ Historiæ Byzantinæ Editores To: X. solo Cedreno contenti , ex Curopalate pauca , quæ illius continuare poterant Historiam, excerpserunt . Quorum judicio Nos insistentes , in uno Cedreno , quidquid de Rebus Saracenico-Siculis à saulo VII, usque ad medium XI. aliis , & Curopolatas scripserunt, hic dabimus ; quin etiam de Curopulata supradictis exceptis , quæ ad Rem Siculam pertinent , apponemus ,

CONSTANTE IMPERATORE.

ANno 658. Imperii Constantis 18. Constans Germanum suum fratrem Theodosium interfecit : cùm quidem ante offensus ab eo , opera Pauli Patriarchæ tonsum Diaconi munere affecisset , ab eoque ipse Sancto Poculo sacrosanctio Misteriis impertitus fuisset . Is ergo Theodosius à morte sua Constanti crebrò per quietem visus est, habitu Diaconi , Poculum sanguine plenum porrigens , atque dicens : Bibe frater . Ejus visi acerbitate victus infelix Imperator, statuit in Siciliam abire . Itaque in Urbe relinquens uxorem , & tres filios , Celocem conscendit : Cumque solvisset , conversus retrò Urbem Imperii fedem conspuit. Sed nè in Sicilia quidem insomnium illud vexare Constantem desiit. Syracusas sibi delegit ubi vitam ageret. Statuit Imperium Romam transferre , cum invisus Byzantiis esset ob Monothelitarum hæresim , aliasque pravas de Religione sententias . Misit ergo , qui uxorem , & liberos adducerent ; sed hanc cum liberis Byzantii detinuerunt .

Anno ejus Imperii vigesimo sexto *Multæ Saracenorum incursiones in Phygia narrantur .*

Anno 668 vigesimo septimo , Imperator Constans Syracusis , in Balneo; cui Daphne nomen , interficitur dolo . Quidam enim Andreas, Balneum unà ingressus , Imperatorem , dum is se tergere incipit , cado graviter capiti inflicto , necat. De morte Constantis, ea ipsa qua extinctus est die, in Urbe cognitum est , voce ex aere delata . Syracusani Mizizium Armenium Imperatorem creant , invitum quidem , & per vim : fuit is homo longè præstantissimus forma . Constantinus morte Patris sui cognita , cum maxima classe Siciliam occu-

pat; Mizizium, & Patris unà percussorem interficit: Rebusque Occidentis constitutis, Byzantium redit, allato secum Patris cadavere: atque hoc in fano Apostolorum, juxta Patrem ejus condidit.

694. *IMPERANTE LEONTIO.*

ANno 697. tertio ejus Imperii, Arabes expeditione facta Africam ceperunt. Eò Leontius Joannem Patricium virum strenuum mittit cum universa Romanorum classe; qui fusis plurisque hostibus, omnis Africæ castra cepit: relictoque suo ibi legato, de re gesta Imperatorem certiorem fecit, atque in Africa ipse hyemavit. At Arabum Princeps re cognita, multo majore ac quam fuerat prior validiore classe missa, Joannem inde profligat, castraque fossa munita locat.

LEONE ISAURICO IMPERANTE.

ANno 708. secundo ejus Imperii, Sergius Spathariorum Princeps, ac Siciliæ Præfectus, audito Urbem (*Constantinopolim*) à Saracenis obsideri, de suorum Clientum numero Basilium quendam Civem, Onomaguli filium, mutato ejus in Tiberium nomine, Imperatorem creat; qui consiliis Sergii sequutus, Magistratus, & Præfectos à se constituit. Hoc ubi Imperator cognovit, Paulum domesticum suum cum copiis mittit. Hic cum Siciliam attigisset Populoque Imperatoris mandata, ex scripto recitasset, hoc consequutus est, ut statim Imperium Leoni faustis acclamationibus confirmaretur, Basilius autem Onomagulus cum suis vincti ipsi dederentur: quorum ille abscidit capita, eaque Imperatori misit. Sergius, securitate promissa ad Paulum concessit. Ita occidens pacatus.

Romæ autem Gregorius, Apostolicus Vir, & Petri Apostolorum Coryphæi Assessor, qui ob divinas suas lucubrationes Dialogi cognomen adeptus est, is à Leone, ob ejus impietatem, defecit, & pacto cum Francis icto, tributa Leoni denegavit, Anastasium (*Patriarcham C. P.*) ac socios anathemate ferit, Imperatoremque multis epistolis, & documentis manifestò redarguit.

731. Imperator autem contra Papam, Romæque, & Italiæ defectionem sæviens, contra eos ingentem classem armavit, atque emisit. Sed turpitèr se dedit vanus homo, classe in Adriatico mari naufragio amissa. Inde furore percitus majore, homo adversus Deum pugnans, tertiæ Siculi, ac Calabriæ Populi parti tributum in singula hominum capita imposuit. Patrimonia quoq; Templorum Romæ Principibus Apostolis consecratorum, quæ pecunia quotannis antiquitus pendebatur, talentorum trium & semis, in Ærarium publicum conferri jussit: & mandavit inspici, atque describi infantes, qui nascebantur, ut census ille de singulis capitibus (Cephaletionem vocant) exigi posset.

CONSTANTINO IRENÆ FILIO
780. *IMPERANTE.*

ARmeniacis bello subactis, de eorum Ducibus pœnas sumpsit, nigris notis faciei cujusque impressis, quæ erant, Armeniacus insidiator: eosdemque in Siciliam, & alias Insulas relegavit.

810. *MICHAELE BALBO IMPERANTE.*

INterim Agareni bello civili Romanorum cognito, gaudio exultare, eamque occasionem suam facere, & omnes Insulas, omnes Regiones securè incursionibus infestare, obvia quæque depredari, & capere. Itaque Thomas (à quo illi tumultus) metuens ne à suis, metu impetus Agarenorum territis, desereretur, reprimere eos, iisque cum tantis suis copiis superveniendo terrere, atq; ad pacem componendam adigere intendit. Atque id consilium successit.

Quo tempore Agareni, fama seditionum Thomæ in omnes partes divulgata, Agareni qui occiduum Iberiæ sinum accolunt, quos Hispanos nominant, aucti hominum multitudine, suamque terram parùm fertilem, atque opulentam sentientes, ideoq; ipsis alendis non sufficere, Principem suum Apochapsum (ipsi sua lingua Amermumnem dicunt) accesserunt: utque Colonis deduceretur poposcere. Princeps, cui is sermo pergratus erat, longas confestim naves paravit, easque instructas consilio suo etiamnum celato, prædatum ad Insulas Orientis, quæ nostræ erant ditionis emisit: simul & rem subditis gratam facturus, quorum cupiditatem alienis opibus satiaret: & exploraturus esset, ne aliqua ferax Insula, in quam commodè suorum posset deducere Coloniam. Navigatione inito vere suscepta, multis appulsus Insulis, neminem sibi resistentem invenit: omnes enim præsidio orbatæ erant, quod classis tota, iis custodiendis destinata, Thomam tunc adjuvabat. Ingentem itaque prædam ex omnibus, quas attigit Insulis retulit. (*Sicilia etiam hujus incursionibus damna pertulit.*) *Subjugatâ sequenti anno ab iisdem Saracenis, fortiori manu reversis, Cretam insulam, & ab iis inhabitatam, enarrat.*

Anno 816. Hoc ipso tempore Euphemius quidam Turmæ cujusdam Dux, amore correptus virginis, quæ à tenera ætate

Mona-

Monastico habitu velata vivebat, cum nihil antiquiùs haberet, quàm amorem suum explere, neque leges quicquam curaret, sed se solius Imperatoris exemplum intueretur, qui, & ipse simile facinus perpetraverat: rapit ex Monasterio virginem, ac invitam ad se traducit. Hujus virginis fratres ad Imperatorem se conferunt, ac factum narrant. Et Imperator Præfecto Siciliæ mandat, ut Euphemio, siquidem hos verum crimen detulisse comperiret, nasum amputet. Hoc sentiens Euphemius, adscitis in conjurationem iis quibus præerat, aliisque aliarum turmarum Ductoribus, Præfectum, supplicium imponendi causa ad se venientem repellit, atque ad Africæ Ameram, sive Præfectum transfugit: promittitque se, modò ab ipso Imperator Romanorum declaretur, omnem ipsi Siciliam subjecturum, ac grande tributum soluturum. Accipit conditionem Ameras, & Euphemium magno exercitu instruit, Imperatoris Romani titulo insignitum, ejusque opera Sicilia potitur. Verùm hic Euphemius Imperatoriæ dignationis perbrevem fructum percepit, truncatus capite, quam dignam sui sceleris, & defectionis mercedem retulit. Et sanè operæ precium videtur referre, quo modo fuerit interfectus. Cum obiret Siciliam Imperatorio habitu, ut ab omnibus Imperator salutaretur, Syracusas quoque petiit: ubi cum à suis stipatoribus longius provolasset, & ad Urbem tanto, quantum sagitta arcu emissa conficit, spacio accessisset, cum oppidanis colloquens, eorumque benevolentiam oratione sua captans: duo Syracusani fratres, solum, & à suis amotum videntes, de eo interficiendo conspirant. Itaque simulato studio, & adulatorio gestu ad hominem accedunt, atque ut Imperatorem debito honore afficiunt. Euphemius, qui eorum dolum non intelligeret, gratam eorum Imperatorii nominis delationem, atque salutationem habens, comiter ad se eos vocat, dignis modis resalutaturus. Ergo cùm capite inclinato alterum oscularetur, ab eo crinibus arripitur, ac validè tenetur: alter ei caput amputat. Has suæ improbitatis pœnas luit Euphemius.

Agareni porrò non Siciliam ex eo tantùm, sed & Calabriam, & plerasque Italiæ partes occupaverunt, omnia incursionibus, ac populationibus infestantes. Michaelus verò, cùm Imperium annos 11. Menses 8. gessisset, ex disenteria mortuus est: cùm sua in Deum impietate, inque rebus gerendis perversitate, Romano Imperio tot, tantaque intulisset mala, quam commemoravimus. Defecit sub eo etiã tota Dalmatia. Et ferebatur de eo antiquum oraculum, in hanc sententiam:

Hoc initium malorum telluri accidet,
Rerum potietur cùm Babylonis draco,
Linguæ impeditæ, & auri cupientissimus.

819. *THEOPHILO IMPERANTE.*

SAnctus Methodius quoque (*Siculus*) in quamdam Insulam relegatus, vivos cum duobus latronibus in sepulcrum inclusus fuerat, in eoque à piscatore quodam nutriebatur: in quem piscatorem cum incidissent Theophanes, ac Theodorus, & Methodi rerum quis esset status ex eo cognovissent, per eumdem piscatorem in hanc sententiam scribunt ad eum:

Qui vivus inter vivos esse desiit,
Vitamque præbet mortuus, terram incolens
Polumque obiit, vinclo gravati vinculis,
Frontes ei scribuntque inscripti literis.

Rescripsit Methodius opera ejusdem piscatoris.

Quorum libris inscripta sunt cælestibus
Nomina, piæque frontes compunctæ notis:
Hos qui sepultus ante funus est suum,
Vinctos solutat, & ipse vinculis gravis.

Vere inito, Theophilus rursus contractis copiis in Saracenos movet: revocato ab exilio, sibique adjuncto Sancto Methodio. (*Siculo*) Solebat hoc in bellis factitare, sive quò ejus sapientia in multis obscuris, atque intricatis rebus explicandis uteretur: sive id cavens, ne rebellionem is se absente aliquam concitaret, ob Sacrarum Imaginum amolitionem: Nam Civium qui erant præcipui, atque erga Deum pii, magno in honore habebant Methodium: itaque eum post se relinquere, Imperatori consultum non videbatur. Tum commissa pugna Ismaelitica res superior fuit. *Multaque alia narrantur de rebus Saracenicis in Asia patratis. Et de Amorii Civitatis excidio per Saracenos peracto.*

MICHAELE THEOPHILI FILIO
842. *IMPERANTE.*

P*Eracto Nyceno secundo concilio, & deposito de Patriareatu Constantinopolitano Joanne.* In ejus locum Imperatrix (*Theodora*) Sanctum, ac Divinum Methodium (*Siculum*) introducit, qui adhuc confessionis suæ, & ob eam tolerati supplicii notas in carne sua gestabat: omnibus piis Sacerdotibus, Laicis, ac Monachis, & iis etiam, qui in Montibus exercebantur, summo cum gaudio ejus designationem approbantibus, &c. *Et post pauca narratur probatio intemeratæ Castitatis Methodi. memorabili facto, & miraculo. Narrantur itidem contra Saracenos expeditiones in Asia, Romanorum cladibus insignes.*

887. *BASILIO IMPERANTE.*

CUM res Occidentales, perindè ac cætera omnia, Michaelus Imperator neglexisset, omnis propè quæ ad Romanum pertinebat, Imperium Italia, & pluræque Siciliæ partes à Carthaginensibus debellatæ, & tributariæ Barbaris factæ erant.... *Multisque turbis in Dalmatia exortis.....* Horum capta occasione illos adorti Carthaginenses Agareni, creatisque Ducibus Soldano, Saba, & Calphuso, qui inter gentiles peritiæ bellicæ primas absque controversia tenebant, classe armata Navium 36. emissa, multas Dalmatiæ Urbes ceperunt, & Ragusium totius gentis caput aggressi, fortiter Urbem defendentibus, qui intus erant, missis legatis ad Basilium auxilia petierunt: qui paratam centum Navium classem, eamque Duci Nicetæ Patricio consignatam in Barbaros mittit, quod cùm Agareni cognovissent Ragusii desperantes obsidionem solvunt, & ad Italiæ eam partem, quæ Longobardia hodie dicitur, Barin Castrum occupant, ibiq; consident. Inde paulatim proxima quæque aggressi, & potiti, universam Longobardiam, & aliquando quidquid ad ipsam usq; Romam interest regionis obtinuerant...... Cum autem Agareni adhuc per Italiam discursarent, eamque continentibus damnis attererent: Basilius de iis profligandis cogitans, sentiensque classem sui Nicetæ cognomento Oryphæ ad hoc conficiendum non satis habere virium, per legatos à Dolicho (*Lodovico*) Franciæ Rege, & à Papa Romano contendit, ut sibi in exscindendis impiis hostibus auxilia præbeant: Slavinis quoque gentibus præcipit, ac Ragusinis ut institutum suum juvent. Hoc modo conjunctis viribus, ingens contractus exercitus: cumque classis Romanæ Præfectus peritia rei bellicæ polleret, mox capta est Baris: Soldanum, & quisquis sub eo militabant Agarenos Franciæ Rex captivos secum abduxit. Hunc exitum prima Basilii in Occidentem expeditio habuit.

Soldanus autem à Rege Franciæ Capuam captivus abductus, toto biennio nunquam ridere visus est. Itaq; Rex ei, qui effusum Soldano risum concitasset, aureum munus promisit. Cum autem quidam Regi narraret, vidisse se Soldanum ridentem, testemque rei perduxisset: vocavit ad se Rex Soldanum, causamq; mutationis quæsivit? Ibi Soldanus: Currum, inquit, contemplabar, ejusque rotas, ut eorum aliæ partes in imum, aliæ in summum obverterent: atque hanc ego incertæ, inconstantisque hominum felicitatis imaginem sentiens, risi: cùmque in mentem mihi venient, quàm instabili nos de re superbiremus: tum simul etiam hoc fieri posse judicans, ut quomodo ex summo infimus sum factus, ita ex humili rursum loco ad prius attollar fastigium. His auditis Rex, de suo quoque statu cogitans, Soldanumque, & ob gestum ante Imperium, & ob senectutem, ac utriusque fortunæ peritiam, virum judicans sapientem, liberè postmodò secum congredi, ac versari permisit.

At Soldanus, homo vafer, & versutus, dolum Regi tendit: quo eum Capua expulit, sibique ad suos reditum confecit. Duas Italiæ Urbes, Capuam, ac Beneventum, sciebat nuper à Rege subactas, in fide ejus constanter non permanere, sed libertatem somniare; neque ignorabat, de iis certò tutoque retinendis Regem esse sollicitum. Ergo Regem compellans: Video, inquit, te assiduò meditari, & curam impendere, quomodo has duas Urbes certò retineas in tua potestate. Ea de re consilium affero. Scias itaque, non aliter tibi firmum in eas fore imperium, quam si earum Principes in Francia deportes. Natura enim ita comparatum est, ut qui inviti serviunt, ij libertatem affectent: & quod cupiunt, ad id obtinendum capto tempore erumpant. Hunc sermonem Rex gratum habuit: esseque hoc in rem suam ratus, statuit exequi. Itaque jam occultè compedes æreæ parabantur, & vincula, veluti ad usus alios quosdam requirerent. At Soldanus, hoc commento Regem ludificatus, Principes Civium (nam horum quoque familiaritatem, ac crebram consuetudinem sibi paraverat) aggressus, habere se arcanum ostendit, quod ipsis indicet: nisi metuendum sibi sit, ne ij eo evulgato, indici exitium, sibi periculum creaturi essent. Ut jure jurando interposito taciturnitatem promittere: constituisse omninò Regem significat, ipsos in vinculis ferreis in Franciam transmittere, quòd judicaret se aliter in Urbes ipsorum stabile Imperium habere non posse. Dubitantibus, & fidem dictis non adhibentibus, sed certiùs eorum argumentum quærentibus, quendam Principum Soldanus ad fabros duxit; jussitque interrogare, quidnam tanta operis contentione fabricarentur? quam cum didicisset, catenas, & pedicas parari: ad suos reversus, fidem eis fecit, Soldani verba à benevolentia erga ipsos profecta vera esse, ac patriæ ipsorum salutaria. Exinde Principes istarum Urbium, rem ita habere persuasi, de ratione qua ulciscerent Regem cogitant: egressumq; aliquando venatum, portis occlusis reditu arcent. Isque cùm in præsentia nihil agere posset, Urbibus iis exclusus, tum in Franciam rediit. Soldanus autem Principes adit, ab iisque mercedem indicij postulat: quæ erat, ut liber in patriam redire finerent, Id pro hoc be-

nefi-

neficio consecutus muneria, Carthaginem reversus, ac imperio pristino recepto, expeditionem contra Capuam, ac Beneventum suscipit, urbesque eas validis circumpositis castris omni vi oppugnat. Pressi obsidione oppidani, ad regem legatos mittunt, veniam delicti petentes, auxiliumque implorantes. Quos ille contumeliosè dimisit, gaudio sibi fore ipsorum exitium respondens. Legatis re infecta reversis, obsessi quò se verterent non habentes, oppugnandòque in summas redacti difficultates, legato ad Basilium Romanorum Imperatorem misso, ut succurrat sibi flagitant. Assentit Imperator: Statimque legatum remittit, quo suos bono animo esse juberet, nunciaretque mox ad futura satis valida auxilia, quæ ipsos discrimini eriperent. Is legatus in reditu ab hostibus est captus, eique Soldanus ad se adducto: Optio tibi, inquit, datur, delige quod est melius. Si salvus esse vis, magnisque affici donis, dic ijs qui te miserant, omnibus audientibus, denegasse Imperatorem Romanum iis auxilia; sin verum renunciabis, illicò peribis. Promittit legatus se facturum, quod jusserat Ameras: & cum ad sagittæ ictus spatium ad mænia accessissent, primos urbis prodire postulat. Qui ut præstò fuerunt, sic eos compellat: Tametsi mihi, ò Patres, certa mors impendat, gladiusque ad jugulum est, non tamen celabo veritatem: & rogo, ut uxori liberisq; meis gratiam referatis. Ego Domini, quanquam nunc in manibus hostium sum, legationem meam confeci, & mox aderit à Romano missum Imperatore auxilium. Itaque state fortiter. Venit enim qui ut non me, vos saltem eripiet. Hæc fatum, illicò Ministri Soldani gladiis in exigua frusta disciderunt. Soldanus autem metuens sibi ab Imperatoris, quoniam eum missurum cognorat, exercitu, soluta ob sidione, domum rediit. Capuæ, & Benevento exinde Societas ac fœdus cum Romano Imperatore fuit.

Cretenses Saraceni viginti septem cupariis, quas & galeas nominant, insulas in Ægæo mari sitas, & maritima littora depredantes adoriuntur. A Niceta Oripha Patricio, & tui Navalis Drungario stratagemate fugati sunt.

Cæterum alia Barbarorum classis, veluti procella quædam ab occidente in Romanum Imperium impegit. Nam Aphricæ Princeps, inusitata magnitudine navibus 60. confectis, grassando, multosque captivos deducendo usque ad Cephaleniam, & Zacinthum insulas progressus est. Id, circò statim Hasar, qui post Nicetam navalibus præerat copiis, cum valida triremium, aliarumque navium velocium classe, emittitur (*& parta de Saracenis insigni victoria*) in Siciliam cum alacri exercitu traiicit, & que ibi Carthaginensibus erant stipendiariæ Urbes, eas populatur, atque vastat. Multas etiam naves onerarias capit, quæ cùm alias preciosas ferebant merces, tùm oleum, tanta quidem copia, ut libra olei tum obolo venderetur.

Eadem classis ad Italiæ fines transuecta, cum equestribus Romanorum copiis se coniunxit, quas Procopius ducebat, Imperatoris Protovestiarius, & Leo Patricius, quem à Stypeo vocabant, & laude dignas res gessit. Nam & classem ex Africa rursum progressam ad insulam, Stele (*idest Columnæ*) devicit. Et quæ in Calabria ac Longobardia ab Agarenis tenebantur Castella, paucis demptis, omnia è Barbarorum manibus eripuit, Romanæque ditioni restituit. Proinde Nasar, cum Romana Classe, amplis cum Spoliis, & victoriæ Coronis ad Imperatorem redierunt. At quæ in Longobardia erant terrestres Copiæ, invidiam fortunæ, prospera quæque carpere solitæ, non effugerunt. Inciderat aliquid Leoni cum Procopio discordiæ. Nundum autem redintegrata horum amicitia, pugnæ cum hostibus committendæ se obtulit occasio. Ea in pugna Leo cum Thracibus, & Macedonibus, dextram aciei tenens partem, Saracenos fudit, magnamque eorum Stragem fecit. Ab altera autem parte hostes cum premerent Procopium, ducentem Navinos, & Occidentales, neque ei à Leone, discordiæ tenace, subsidium mitteretur, evenit, ut is, inclinata suorum acie, fortiter pugnans caderet. Leo, ut preclaro facinore illatam ob dissidium cladem obliteraret, cum suo exercitu iis, qui ex procopianis militibus cladem evaserant, ad se receptis, Tarentum castrum, quod Agareni adhuc tenebant, expugnavit, captis qui in eo erant omnibus: quo facto, & milites præda haud parùm iuvit, & spolia ad Imperatorem attulit. Neque tamen Imperatorem ea res placavit. Sed ia ubi cognovit causam interitus Procopii, Leonem dignitate sua exutû in Cotyacium, ubi habitare solebat, relegavit. *Ubi aliis à Bajano impetitus calumniis, altero oculorum effosso, & altera manuum amputata, in Mesembriam relegatus consenuit*

Cæterùm Carthaginenses acceptis cladibus facti timidiores, cum nullis implicatum negotiis Imperatorem percepissent, Metuentes ne subito classis Romana in ipsorum emitteret ditionem, multas naves fabricati, sub initium veris, cum ab Imperatore nihil tale fieri sentirent, rati eum aliis hostibus impediri, Siciliam Classe Petiverunt: Obsessisque Syracusis, quæ circum erant populati sunt. Ea de re Imperator à Præfecto Siciliæ certior factus, quamquam classiarii tùm essent templo ædifica-

fica-

ficandis occupati, eos cum Duce Adriano Patricio in Siciliam mittit. Is cum rectum cursum non tenuisset, ægrè ad portum qui Hierax dicitur in Peloponneso naves applicuit, ibique secundum ventum præstolatus est. Dumque tempus ibi terit, nolens vento non spirante navigare, aut contrariis se credere fluctibus. Interim Agareni oppugnationi instantes, Syracusis potiuntur; magnaque cæde edita, & qui superant captivis abductis, urbem diruunt, ac fana ejus incendio perdunt. Ita urbs ea, hactenus fama celebris, & quæ multa barbarorum profligaverat bella, exiguo temporis spatio periit.

Excidium Syracusanum Adrianus hoc modo cognovit. Locus est in Peloponneso, ab opacitate silvæ, qua est consitus, Helos appellatus. Eo loco Romanæ tum naves in statione erant. Quadam nocte pastores audivere dæmonum ibi degentium vocem inter se colloquentium, & pridè captas excisasque Syracusas narrantium. Is sermo ab aliis ad alios pervasitus, tandem etiam ad Adrianum pertigit. Isque ad se vocatis pastoribus, & examinatis, deprehendit rumorem ad se perlatum ipsorum verbis confirmari, utque suis etiam auribus fidem rei probaret, perductus ad eum locum à pastoribus, dæmonesque eorum opera percontatus, captas jam esse Syracusas audivit. Quam ex eo indicio animi contraxerat ægritudinem, eo leniebat, ac sese consolabatur, quòd fallacium Geniorum verbis fidem non adhibendam sentiret. Diem tamen ab iis indicatum annotavit. Decimo post die, qui è Syracusarum exitio fuga evaserant, nuncii ejus calamitatis venerent. Adrianus nihil jam dubitans ea de re, statim cum classe Constantinopolim redit, supplexque in magnum templum confugit. Neque tamen omninò eum ea supplicatio liberavit; sed avelsus templo, solum exilii causa vertere coactus est.

Missus deinde ad gubernandam Longobardiam Stephanus, cognomento Maxentius Cappadox, cum delecto Thracum, Macedonum, ac Cappadocum exercitu, cum in provinciam venisset, ac ob ignaviam, & luxum nullum faceret operæpretium, imperio exutus est. *Ejus* loco Nicephorus missus, cognomine Phocas, homo generosus, & strenuus, cum idoneis copiis, & cohorte Manichæorum, quam Chrysochiris Diaconitzes ducebat. Is provincia occupata, cum sibi exercitus Stephani coniunxisset, multas de Saracenis reportavit victorias. Primò enim prælio congressus, eos fudit, deinde urbes Amantiam, Tropas, & S. Severinam cæpit, aliisque multis præliis ac dimicationibus superavit hostem. Hæ ferè sunt res imperante Basilio bello gestæ.

IMPERANTE LEONE BASILII
886. *FILIO.*

ANnum secundum Imperante Leone Augusto *Ayoné vocat Panvinus* lõgobardiæ Dux, Regis Franciæ gener, cognita Basilii morte à societate Romanorũ descivit, sibique totam ditionem vindicavit. Contra eum Leo Constantinum Patricium, mensæ Præfectum, cum Occidentalibus mittit copiis. Commissa pugna Constantinus succubuit, vixque cædem ipse evasit, exercitu suo occidione deleto.

Duo templa, in honorem primæ suæ uxoris Theophaniæ, & Divi Lazari magnificè Constantinopoli excitavit Leo Imperator. Enim verò Classiariis moliminibus iis occupatis, interim Agarenorum classis Tauromenium Siciliæ expugnavit, magna cum Romanorum cæde: & Lemno potiti, magnã multitudinem captivorum abducunt.

Cum Bulgari incursionibus rem Romanam attererent: Agareni ea occasione percepta, Classem adornarunt, & contra Maritimam Romanorum ditionem miserunt, Duce Leone Attaleo, qui Christianam ejuraverat religionem. Et Leone in vanum se opponente, Thessalonicam expugnat. *Et post annos ... idem Tripolita cum alio Duce Saraceno, & tercentum navibus, superat Bello navali Himerium Classis Romanæ Præfectum.*

NICEPHORO PHOCA IMPE-
963. *RANTE.*

NIcephorus anno Imperii sui primo, contra Saracenos Siciliam tenentes emittit cum classe, & valido exercitu, Manuelem Patriciem, spurium, Filium Leonis Patrici sui, qui Domesticus scholarum dictus, à Romano seniore oculis fuerat orbatus. Dedecori namque sibi fore judicabat, si ipso imperante, Romanum Imperium tributa Saracenis solveret. Res ipsa postulat ut exponamus, quid tributi Saracenis solverit Romanum imperium, atque unde ea res initium habuerit. Cùm Africani Saraceni Syracusas cæpissent, imperante Basilio Macedone, reliquas etiam urbes everterunt, tota insula potiti, Solamque Panormum pro arce, & receptaculo reliquerunt. Inde profecti, oppositam continentem occupaverunt: ulteriusque progressi, Insulas usque ad Peloponnesum omnes vastabant, iisque potituri etiam propedem credebantur. Quæ res cum graviter solicitum teneret Basilium, & is quæreret hominem huic ministerio idoneum, Nicephorus placuit, Patricius, & Domesticus scholarum, qui cognomen Phocæ gerebat, quod quidem ipsius majorum rebus præclarè gestis fuerat meritus. Hic

Hice-

Nicephorus, Nicephori Imperatoris avus, homo generosus, prudens, ac pius in Deum, & erga homines justus, cum exercitu in Siciliam profectus, brevi temporis spatio Italia Saracenos expulit, coegitque eos ut se in Sicilia continerent. Ferunt Italos huic viro ædem posuisse, ad perpetuam virtutis ejus memoriam: non ideo tantum quòd eos liberavisset, sed & ob aliud memorabile factum: Etenim Romani domum cum ductore suo reversuri, multos Italorum comprehenderant, quos volebant in servitutem secum adducere. Re comperta Nicephorus, nihil dicens, neque ullam suspicandi occasionem præbens, ut Brundusium est perventum (inde enim erant in Illyricum trajecturi) ipse unumquemq; classiariorum singulatim in navim ingredi jussit, & traiicere, atq; sic Italos in Italia reliquit. Pacata exinde fuit Italia usque ad Imperium Constantini Porphirogeniti, & Matris ejus. Tum rursum Saraceni insurgentes, Italiam, nemine prohibente, infestarunt. Et Imperatores animadvertentes se non pares esse bello simul, & contra Orientales, & contra Occidentales Saracenos gerendo, præsertim rupto jam etiam à Bulgaris fœdere, pacem cum Siciliensibus Saracenis componere statuerunt. Pactumque est, agente rem Eustathio Calabriæ præfecto, uno de Imperatoris cubiculariis, ut Saracenis darentur tributi nomine quotannis aureorum ss. Millia. Firmata pace, Joannem Patricium cognomento Muzalonem Calabriæ præfecerunt. Is cum se imperiosius in subditos gereret, est ab iis interfectus, atque ii se dederunt Dandulpho regi Longobardiæ, cum jam Romanus senior imperium occæpisset. Hic Romanus utile censuit, ut missa classe pars imperii amissa recuperaretur. Præmittit tamen Cosmam Patricium Thessalonicensem, notum Dandulpho. Is cum trajecisset in Italiam, cum Dandulpho collocutus, hortatur, ut à Romanorum ditione abstineat, & cum Imperatore fœdus ineat, eumque pro hoste amicum potius sociumque sibi conciliet. Dandulpho primùm renuente, Cosmas, ut erat homo prudens: Mihi quidem, inquit, necesse erat homini amico suggerere consilium salutare; cui si tu parere non vis, experière falsum animi te ad nolum fuisse, ubi te & nationem totam in summum adduxeris discrimen, & impar tam potentis imperii viribus subsistendis, de rebus tuis desperaveris. Dandulphus intelligens Cosmam rectè monere, accipit consilium & fœdus icit: hortatur etiam Principes reliquarum, quæ defecerant, provinciarum, ut ad priorem redeant statum, suumque Imperatorem agnoscant. His actis, rursus in Italia ac Longubardia alta pax erat.

Pro Dandulpho, intellige Landulphum Beneventi Principem.

Interim Simeon Bulgarorum princeps animo elatus, ob multas de Romania reportatas victorias, Imperium quoque Romanum animo jam occupabat. Mittit igitur Legatos ad Phatlumum Afrorum Principem, hortaturque ut classem ad Constantinopolim adducat, se eodē tēpore per Thraciā cum valido, ac copioso exercitu accessurum; conjunctis viribus se urbem terra marique expugnaturos, & divitias ejus æquis portionibus inter se divisuros: & Saracenis domum reversis, se Constantinopolim retēturum. Bulgari missi clam in Africam navigant: & Saraceni, cum judicarent Simeonem utiliter consulere, quosdam suorum primarios viros mittunt cum Bulgaris, qui pactum confirment. Ea legatio in reditu à Calabris intercepta, & Bulgari Saracenique ii ab his Constantinopolim ad Imperatorem Romanum senem missi. Qui cum consilium illud hostium de Societate coeunda percepisset: ac intelligeret, si id succederet, magnum rebus suis imminere periculum, existimavit sibi Saracenos magnificentia, & beneficiis ab eo instituto esse detrahendos. Ergo datis in custodiam Bulgaris, Saracenos splendidis donis afficit: missisque per eos etiam ipsorum Principi Xeniis, illæos dimittit: jubetque eos Domino suo dicere, hoc modo Imperatores Romanos suis hostibus paria referre. Et de annua pensione se excusat, dilationem ejus affirmans non studio, sed ob tumultus tunc iis locis ortos factam. Reversi ad suum principem Saraceni, exponunt, ut à Romano fuerint tractati: ejusque prædicata liberalitate, dona ab eo missa offerunt. Quæ omnia ita fuerunt Phatlumo grata, ut tributi semissem Romanis dimitteret: hoc est, de xxij. millibus undecim abscideret. Id tributi Saracenis ex eo tempore, usque ad Nicephori designationem persolutum fuit. Quoties in Provinciis Præfecti fuère moderati, atque justi, subditi quoque tranquillam egerunt vitam, & Saracenis placide est satisfactum. Cùm verò injusti, & avari Præfecti essent, interdum ii, & subditos vexabant, & pacem cum Saracenis initam labefactabant. Namque etiam sub Porphyrogenito, Crenita Chaldææ ie Calabris Præfectus, Saracenos] Africanos, ac Sicilienses, quibus ob penuriam, & bellum à Cyrenensibus Saracenis illatum extrema imminebant, avaricia ductus sublevavit, & subditos non leviter vexavit. Nam vili pretio coemens quæ ad vitam sustinendam erant necessaria, magno ea Saracenis vendidit: qui quòd avro abundabant, & fame belloque premerentur, libenter pretium quodvis persolvebant. Verùm huic Genitæ à Constantino Imperium abrogatum, & pecunia adempta est, & cū dedecore consenuit atque obiit.

Eodem

Eodem bello Romani Carthaginenses perfugas susceperunt, quos neque reposcerunt Carthaginenses, & tributum præterea non exegerunt solitum, veriti ne offensis Romanis, & alimentorum parandorum ficultatem adimeutibus, fame periclitandum esset. Post bello confecto, & perfugas, & tributum requisiverunt, & repulsam passi, pace confusa, identidem Calabriam classe infestaverunt. Igitur Constatinus non ut socer ipsius feccrat, Saracenos delinire, & pacem renovare volens, sed bello potiùs decernere, exercitum validum cœgit, eumque duce patricio Malaceno in Calabriam misit, & conjungere se cum Præfecto ejus regionis jussit Paschalio, cujus paulo antè facta mentio, ac communi opera bellum à Carthaginensibus, & Siculis illatum defendere. Præfecit etiam Macrojoannem classi, quam mittebat. Hi cum in Calabriam venissent, provincialibus innumera intulerunt maleficia, expilantes eos, & ea facientes quæ vix ipsi hostes erant facturi, Quæ ut rescivit Ameras Saracenorum Abulchares (jam enim Phatlumus è vivis excesserat) cohortatus suos, ne sibi à tali metuerent hoste, cujus tantæ in suos essent injuriæ, Romanis occurrit; graviquæ commissa pugna, pulcherrimam obtinuit victoriam, ipsis propè captis Ducibus.

Secundum hæc Imperator Joannem à Secretis, cognomine Pilatum, ad tractandam cum Saracenis pacificationem misit. Qui cum consuevissent Victoriis non efferri, sed pacem etiam rebus secundis expetere, faciles sese ei præbuerunt, & ad certum tempus inducias pacti sunt. Elapso eo tempore, rursum mari transmisso Calabriam vexarunt, Itaq; etiam Constantinus contra eos navales terrestresque emisit copias. Classem ducebant Crambeas & Morolcon, alteras patricius Romanus Argyrus. Jamque hi Hydrunte navibus subductis, ad navigandum in Siciliam sese parabant; cùm Saraceni, fama (quæ parva amphificare, & terribilius narrare solet) perturbati, & quòd hostes sibi imparatis subitò ingruerent, de salute sua solliciti, Panico terrore concitati, castra sua deseruerunt, relictoque Regio, fugam in Siciliam contenderunt. Cumque jam Panormo accederent, atrocissima oborta tempestate, ejusque vi (aut Christi veriù, cui illi impiè maledicebant) navibus contritis, universi perierunt, Inde rursum pax facta, quæ duravit usque ad Nicephori imperium. Is simulatque imperium occæpit, rem indignissimam existimans Saracenis tributum pendere, contra eos Manuelum (ut diximus) cum copiis misit. Manuelus juvenis, & militis quàm Ducis officio multo aptior, multis etiam aliis obnoxius vitiis, neque sanioribus obtemperans consiliis, & seipsum, & exercitum totum perdidit, asperis quibusdam Siciliæ, & invisis locis inclusus, atque exitio demersus. Captus fuit Nicetas eunuchus Patricius ac classis Drungarius, & in Africam in vinculis abductus.

975. *BASILIO ROMANI FILIO, CONstantini Fratre Imperante.*

IN Italia, quidam vir potens, unus de iis, qui Barim incolebant, nomine Meles, concitata Longobardia, arma contra Romanos movit, cumque Imperator adversus hunc misisset Basilium Argyrum Sami, & Conto Leonem Cephaleniæ Præfectum; Meles illustri eos prælio vicit, multis cæsis, haud paucis captis, reliquis turpi fuga vitam tutatis.

1028. *ROMANO ARGYRO IMPERANTE.*

M*Aniacis prima expeditio contra Arabes narratur.* At in Sicilia Orestus Protospatharius, quem eò præmissum à Basilio diximus, rei bellicæ imperitus, cum negocium ineptè esset aggressus, Saraceni capto tempore, Romanos subito adorti, qui plerique luxuria Cœliacum morbum contraxerant, haud exigua eos clade affecerunt. Quam ut exararet Imperator, ex Græcia, & Macedonia collectum egregium exercitum in Italiam misit; qui tamen ipse quoque nihil potuit præclarum efficere, ob Ducis inimicitiam, atque malitiam.

Saraceni à Ragusinis, & Nicephoro Patricio, Nauplii Præfecto, Carantani filio, malè sunt mulctati, prælio victi; & majorem Navium partem cum amisissent, domum redeuntes, naufragio in Siculo mari perierunt.

Per idem tempus Afri Saraceni cum mille navibus, & innumeris Classiariis Insulas, orasque maritimas multas infestaverunt. Cum eorum parte congressus prælio Nicephorus Carantenus, eos fudit, ac quingentos in compedibus ad Imperatorem misit. Eodem anno Georgius Protospatharius Maniaces, Gudelii Maniace Filius, Præfectus Urbium ad Eufratem sitarum, Samosatis degens Edessam Osroenæ urbem tentavit; (*tandemque expugnavit*) inventamque manu Christi Epistolam ad Augarum scriptam, Imperatori Byzantium misit.

1034. *MICHAELE PAPHLAGONO IMPERANTE.*

MIchaelè Imperatore à malo Genio infestato, & alioquin ignavo, nomen & figura Imperatoria aderant, rerum civilium, bellicarumque administratio omnis in manu erat Joannis ejus fratris, ho-

minis

minis industrii, atque efficacis...... Anno Mundi 6543. indictione tertia *Saraceni, multis cladibus Romanis in Asia, & in Mysia infestaverunt*, & Afrorum Naves Cycladibus Insulis non levia mala intulerunt. Nihil horum omnium curæ Joanni fuit; in id unum intanto, ut Dalassenum, *affectati Imperii suspectum*, accuratè custodiret ...... Georgium quoque Maniacem avocat Edessa, & præficit Mediæ Superiori.

Eo quam diximus Anno, Mausa Majo, Afri, & Siculi Cycladas, oramque Thraciæ incursionibus vexantes, ab eorum locorum Præfectis devicti sunt, & quingenti vivi ad Imperatorem perducti, reliquis in palos suffixis ab Atramitio, usque Strobelum: Misit atiam Joannes legatum Georgium Probatum (*qui & Maniaces*) in Siciliam, ad Insulæ Ameram, de pace tractaturum, qui dextrè confectò negotio, Amaræ filium ad Imperatorem addnxit.......

Apolaphar Muchumatus Siciliæ Præfectus, fædera cum Imperatore icto, magisterio honoratur; cumque eum Fratar Apocapsus bello prææmeret, ad Imperatoris auxilium confugit. Mittitur ergo Georgius Maniaces Patricius cum exereitu Imperator in Longobardiam, atque unà Classis Præfectus Stephanus Patricius, Maritus Sororis Imperatoris. Cum autam Saraceni Afri, & Siculi, multis navigiis Insulas, oramque infestarent, Cibyrræotarum Dux Constantinus Chagas Classem eorum locorum in eos duxit, ac fudit, quingentis ad Imperatorem missis captivis, reliquos in mare demarsit.........

In Sicilia duobus, ot dictum est, Fratribus dissidentibus, & Apolapharo superante, alter Africæ Ameram Umerum in auxilium vocavit; quod is promisit aa conditione, ut sibi aliqua in Sicilia assignaretur possessio; atque hac conditiona probata vanit. & prælio vicit Apolapharum, quod non dum vanarat aò cum auxiliaribus copiis Maniaces. Victus ad Leonem Opum Longobardiæ Præsidam confugit, ab eoqua auxilium petit. Leo, copiis suis, quantum præsens tempus ferebat, contractis, in Siciliam trajecit: ac sæpius cum Afro Duca inita pugna superior discessit, ejusque vehementes retudit impetus. Postea, cognito Fratres pacem componere, & insidiari Romanis, rursus in Italiam trajecit, abductis secum quindecim millibus Romanorum captivis, qui deinde domum liberi redierunt. Carthaginensis Umerus, metu hostium liberatus, Siciliam securè, ac summam per licentiam vaxavit......

Ut igitur in Siciliam appulit Georgius Maniaces, qui aam tenabant Fratras, pace facta inter se, conati sunt eum Insula pellere, ascito ax Africa auxilio virorum quindecim millium. Conflictum ast ad locum, cui Remata nomen, & victi Carthaginenses: eorum tanta edita stragas, ut sanguine profluens inundarat. Post hæc Urbes Siciliæ tredecim cæpit Maniaces Georgius, paulatimqua procedens, totam Insulam subegit.........

Cætarum Dux Carthaginansis relumptis viribus, exercituque multò quam anta majora contracto, rursum Siciliam petit, & Maniacem expellare conatur, castrisque in supina quadum, & aperta positis planicie, cui nomen Dragiriæ, de opportunitatibus rai garendæ cogitat. Hoc cognito Maniaces, suos ei obviam ducit, mandato prius Stephano Patricio, Sororis Imperatoris marito, & Classis, ut diximus, Præfecto, ut diligenter oram maritimam custodiat, ne commissa pugna, fugatus Carthaginensis furtim domum possit perfugere. Commissa pugna, ingens facta Carthaginensium strages, cæsique ultrà quindecim millia, dux ipsa è prælio elapsus, ad littus parvenit; conscensoqua lambo; custodibus Staphani non animadvertentibus, domum evasit. Aegerrimè hoc tulit Maniaces, Stephanumque ad sa venientem conviciis insectatus ast, & sciromasta sublato aliquot in caput ejus plagas imposuit, socordem eum appellans, & æffeminatum; ac Imperatoris commodorum proditorem. At Staphanus contumeliam hunc non concoquens, mox ad Orphanotrophum litteras dat, significans Maniacem res novas moliri adversus Imperatorem. Itaque Maniaces statim cuptivus adducitur Byzantium, & in carcerem conjicitur, cum Basilio Patricio Theodorocano. Totum autem rai garandæ Imperium Staphano mandatur, eique Collega mittitur Eunuchus quidam Basilius præpositus Pediadites. Hi axiguo temporis spacio rem totam pessundederunt, per rapacitatam, ignavlam, atqua incuriam, amissa Sicilia. Etenim Maniaces, cum Urbes Siciliæ caperet, arces in iis condiderat, aasqua justis præsidiis munierat, nè Oppidani éas per insidias recipere possent. Eo autem in vinculis, ut docuimus, Byzantium abducto, Siculi incuriæ Ducum Romanorum insultantes, adscito à Carthaginensibus exercitu, expugnatis præsidiis, Arcas cæperunt, Urbesque omnes, excepta Massana, recuperarunt. Messanæ præerat Catacalo, cognomine Ambustus, Protospatharius, & Dux Armeniacæ Legionis, secum habens 300. Equites, & 500. peditas. Siculi proinde cupientes nè scintillam quidem Romanorum in ea Insula ralinquere delitascentam, omnibus, qui arma ferre possent collectis, & auxiliis Carthaginensium haud axiguis, Massanam obsident. Per triduum poetas clausas tenuit Catacalo, nequa ullum suorum agredi passus ests eoque timiditatis opinionem da se

in animis hostium excitavit. Ergo Saraceni securè palabant, ac dies noctesque vino, fistulis, ac cymbalis vacabant; ibidem proximè insequente die se potituros Urbe sperantes. Quarta die, qua de more Pentecostes celebratur, Ambustus, securitatem & socordiam Saracenorum considerans, et quod ii nullam eorum, quos obsederant rationem ducerent, suorum animos oratione confirmavit; mandatoque Sacerdotibus, ut rem sacram facerent, post quam ipse cum universis impertitus est sacrosanctis mysteriis, circa horam prandii, apertis Urbis portis, in hostes summo cum impetu irruit, ebrios, & crapula gravatos Ipse Ambustus princeps cum suis ad tentorium Apolapharis Insulæ Præfecti tendit, eumque vivo captum statim interficiunt, tentoriumque diripiunt: sed & cumulatim cadunt reliqui Saraceni, & ob ebrietatem titubantes, & ob improvisam rem de defensione nihil cogitantes. Igitur totis castris fugitur, ducibus se invicem obterentibus, atque inte ficientibus, & campus cadaveribus obtegitur, ac propinquæ convalles, ac flumina replentur. Denique de tam multis millibus paucissimi Panormum fuga perveniunt Capta sunt Castra, auro, & argento, unionibusque, & gemmis refertissima, quas dimensos esse modiis milites ferunt. Ita Sicilia brevi tempore à Maniace in Romanorum potestatem redacta, exiguo spacio, ob ignaviam & incuriam Ducum ad Saracenos redit: sola Messana, quomodo diximus, Romanis servata. Cæterum Stephanus, & Pediadites ex Insula in Longobardiam profugerunt.

CONSTANTINO MONOMACHO IMPERANTE.

1041.

AT in Italiam, ut demonstravimus, missus a Zoa Georgius Maniaces magister, ut res ibi Ducum ignavia labefactas constitueret, tyrannidem affectavit. Ejusque operæpretium hujus facinoris causas perstringere. Quo tempore ab Imperatore Michaelo (*Paphlagono*) in Italiam missus fuerat Maniaces, ut Apolaphari Muchumeto Siciliæ Principi, à fratre suo, & Afris oppugnato auxilium ferret, socios sibi asciveret 500. Francos [*Normannos*] è Gallia transalpina evocatos, duce Arduino, cuinsdam Regionis Domino nemini subdito. (*expeditionis hujus Duces fuerunt Guillelmus ferribrachium, Umfredus, & Drogo, Fratres, Tancredi Comitis Altavillæ filii, Normanni. Arduinus autem, unus ex Longobardis Proceribus, eis se cum suis socium dedit*) His focius sua de Saracenis statuerat Trophæa. Postquam Maniaces per calumniam Imperio privatus, ac Byzantium adductus fuit, missusque ei successor Michaelis Protospatharius Docenus, homo ineptus nulla mora interposita perdit res Romana. Nam hic cum Francia [*idest Normannis*] non præbuisset Menstrua, quæ accipere solebant, stipendis; eorumque insuper Ducem, qui ad ipsum venerat, hortabaturque ut benignè milites tractaret, neque eos mercede laborum fraudaret, per contumeliam flagris (ita enim fertur) cecidisset: coegit Francos (*idest Normannos*) a se desciscere. Cumque ii arma movissent, & ipse cum omnibus Romanis copiis eos deberet adoriri: unica Opsiciana Legione, & parte Thracensium stipatos, cum iis apud Cannas prope Aufidum fluvium, quo loco quondam multa Romanorum millia occidit Annibal, conflixit: victusque amissa maxima exercitus parte, Cannas turpiter evasit Hac accepta clade, reiectus quidem [quod est de piscatore proverbium] sapuit; neque omnibus copiis munitus hostem petiit: sed temeritate nimium ductus, eos ipsos qui victi fuerant collegit: adjunctisque Pisidis, & Licaonibus, qui Phæberatorum Legionem implent, Francos (*idest Normannos*) quibus alia haud exigua auxilia ab Italis circa Padum flumen, & ad Alpium radices habitantibus, accesserant, apud Horas [id loci nomen] adortus, magna rursus pugna victus est. Michaelus Imperator, his cognitis, Imperium Doceano abrogat: mittitque pro eo in Italiam Bojoannem, qui strenuus, & bello egregius videbatur: & ableo Bojoanne ducebat genus, qui à Basilio Imperatore in Italiam missus, totam Italiam, ad Romam usque, in potestatem ejus redegerat Verùm is quoque cum eò venisset, & novum exercitum non haberet, sed jam ante victos cogeretur in hostem ducere, qui regionem eam obtinebat, ac ut propriam tutabatur, victus apud Monopolin in potestatem hostium vivus pervenit: iis quos ferrum non assumpserat, alio alias dissipatis in Castella, quæ Romanis adhuc favebant. Exinde Franci [*Normanni*] Italiam ut bello partam, sibi vind cavère, Incolis quà ultro se dedentibus, quà vi subactis. Quatuor tantum urbes in Romanorum fide permanserunt, Brundusium, Hidrûs, Tarentum, & Baris.

Michaelo Imperatore mortuo, & Calaphato ejus successore exturbato, missus in Ita iam (uti diximus) Maniaces, quanquam non esset satis justis copiis instructus, artibus tamen Imperatoriis tantùm confecit, ut & Francos [*Normannos, quod & falsum est*] Italia pelleret, & apud Capuam, Beneventum, ac Neapolim, res mediocri in quiete, ac securitate constitueret. Habebat hic Maniaces in Provinciis Orientalibus possessiones, & vicinum Romanum Durum, cum quo exercuerat inimicitias:

& eum

& eum aliquoties, nisi fuga sibi cavisset, interfecturus fuerat. Postquam verò Imperio Romano potitus est Monomachus, Durus quoque ad summam evectus fortunam (nam ab Imperatore, qui sorore ejus pro pellice utebatur, Magister, & Protostrator factus erat) injuriarum Maniacis memor, abusus sua potentia, & Maniacis absentia, ditioni ejus multa intulit damna, & thalamum ejus licenter polluit. De quibus Maniaces in Italia factus certior, magnas animo molestias irasque agitabat. Cumque opera Romani insuper factum esset, ut magistratus ipsi abrogaretur, deploratis prorsus rebus (intelligebat enim reditum in urbem non bene sibi cessurum) concitatis, atque corruptis Italicis copiis, cum jam desiderio in patriam redeundi milites arderent, arma contra Imperatorem movit. Missum ergo sibi successorem Pardum Protospatharium, hominem Byzantinum, neque ullam ob præstantiam, sed quia notus erat Imperatori, tantæ Provinciæ Præfectum, interfecit. Ipse diademate, & reliquis Imperii sumptis insignibus, Imperator salutatur: exercituque in naves imposito, in Bulgariam trajicit. Imperator, postquam de hoc rescivit, non leviter perturbatus, litteras ad eum mittit, in quibus ipsi, & quos secum habebat, impunitatem, & multa beneficia pollicetur. Cum autem à proposito ille non dimoveretur, ipse quoque suas contra contrahit, & Duce eas Stephano Sebastophoro (idest Augustifero) qui ipsi ad Damocraneam lætum delati Imperii Nuncium attulerat, contra perduellem mittit. Concurrerunt adversi exercitus apud Ostrobum in Marmario; fusæque Stephani copiæ sunt, ipso Maniace primos ducente,& hostium ordines dificiente. Jamque universi eum Imperatorem faustis omnibus salutabant, cum subitò equo delapsus expirat, non extante vulneris autore, quod in pectore lethale acceperat. Quod simulatque innotuit Imperatoriis copiis, caput Maniaci amputatur, & qui ab ipsius partibus steterant, amisso Duce, abjectis armis, deditionem fecerunt. Confestim ad Imperatorem nuncius victoriæ mittitur. Aliquot diebus post Stephanus in Urbem redit, afferens caput Maniacis in bello victos, quos in triumpho duxit per mediam plateam, asinis insidentes, prælato in hasta capite Maniacis, & ipse albo equo vectus, pompam est subsequutus.

MICHAELE STRATIONICO
1056. *IMPERANTE,*

E*Narrans Cedrenus Imperatoris in summos viros inhumanitatem, postq Brienniii justas petitiones rejectas, subjungit Erbebii viri illustris contemptum, quem francigenam vocat, Normannum videlicet, ex iis,* qui in Sicilia Maniaci in bello socius fuerat, ac præclara stateerat trophæa, & exinde in eum usque diem rei Romanæ studuerat: hunc enim precibus a se contendentem, ut Magisterii honore ornaretur, non modo non est dignatus assensu, sed etiam subsannatum variè, nasoque suspenso dimisit. Erbebius porrò barbarus & iræ impotens, non moderatè tulit eam contumeliam ac de vindicta cogitavit: commeatuque donum abeundi ab Imperatore impetrato, in Orientem transit;.. & re cum quibusdam Francis communicata, 300. eorum corruptis in Mediam abiit iis comitatus. *Ibi Chleata civitate potitus, sed suis intemperanter in deprædatione relaxatis, in Manus Turcorum miserè vinctus devenit.*

Definit Cedreni Historia ejecto Strationico, et ineunte Imperium Alexio Comneno.

DE JOANNE CUROPALATA

I*N Cedreno, ut diximus, Curopalatam, bone Lector, jam tenes. De ipso distinctiorem notitiam hic reponendam putamus. Joannes, cognomento Scylitzes, à dignitate Curopolates dictus, claruit circa annum* 1081. *Scripsit Historiam Rerum in Oriente gestarum, à Nicephori Logothetæ Imperatoris interitu, ad Nicephori Botoniatæ depositionem; seu ab anno 811. (quo circiter desiit Theophanes] ad annum 1081. Postremam Historiæ partem, annos 24 complectentem, multis demum annis post priorem evulgatam conscripsit: Unde factum est, ut priorem partem, videlicet, ad annum usque 1057. integram in Annalibus suis Cedrenus transcripserit. Reliqua Historiæ portio, quæ ab anno 1057. ad annum 1081. progreditur, prodiit Græcolatina, cum Fabroti, & Goari notis, Cedreno subjuncta, ex Typographia Regia Parisiensi, in Historia Byzantina, Tomo X. 1647. Ex ea, quæ ad nostram Historiam pertinent, hæc accipe: licet circa Roberti originem, fabulis scatcat.*

EXCERPTA EX JOANNIS CUROPALATÆ

PARTE POSTREMA HISTORIÆ

Longè post initium

IMPERANTE MICHAELE
1071. *PARAPINACEO.*

CUm autem misisset ad eum, qui Longobardiam obtinebat Francum, Robertum nomine, ejus Filiam suo Filio Constantino Uxorem adduxit, quam mutato nomine Helenam vocavit. Occupata autem fuit Longobardia à Roberto in hunc modum. Georgius Maniaces ab Augusta Zoe ad Componendas res in Italia missus, Magistri honore decoratus, conciliaverat sibi Francos multos, & in dies eos, qui à Dociano vexati erant, effecit in Italiæ finibus quiescere. Verebantur enim ipsum, quod eius virtutis in præliis periculum fecerant. Cum verò se opposuisset Monomacho, & debellatus fuisset, qui cum ipso erant trajecti, & in servitutem Imperatoris redacti, Maniacatæ appellati sunt, & in Urbe Romanorum permansere, reliqui in Italia relicti sunt. Erat autem quidam in ipsis, Robertus nomine, fratris filius Ardoini, qui à Dociano flagris cæsus fuerat, gravis, & iracundus, & Tyrannica mente præditus. Qui apertè Romanos expellere meditabatur, attamen Provinciam aggredi metuebat, differebatque, seipsum imbellem cernens, verebaturque contra Imperatoris potentiam se opponere: quum verò uxor illius, quam à Francia duxerat, Gaita nomine, Filia Principis, cui haud mediocris regio subjecta erat, secum esset, ad eas urbes migravit, quæ uxori suæ serviebant, quarum prima & maxima Salernus nominatur. Illinc igitur veluti fur erumpens, loca Romanorum Imperio subjecta prædabatur, partim Calabriam mancipans, partim Italiam redigens inservitutem. Eorum vero captivorum, quos ceperat, aliis manus amputans, aliis extremas partes pedum incidere, aliis utrasque, quosdam etiam ingenti pecunia vendere, minans, si non proderent urbes, & sese ipsi dederent, non non solum hæc, sed etiam his deteriora paterentur. Cum verò res privata Imperii in regia laboraret, nulla habebatur eorum quæ in Italia fierent ratio. Nam vita paulo post functo Monomacho, cum Theodora circiter annum unum obtinuisset Imperium, & Michael declaratus esset, atque adversus ipsum Comnenus incitatus, & exercitus essent intestinis bellis occupati, ac nemo Roberti conatus prohiberet, magnus ex hoc & Illustris evasit. Idoneum enim coegit exercitum, & equorum atque pecuniæ & armorum potitus est; quum il, qui ab Imperatore Duces urbibus præfecti erant, non possent contrà erumpere, ob paucitatem suorum, & modicam virtutem. Comneno autem adepto Imperium, Turcorum Natio Orientem premete, Patzinaci vero Occidentem. Cedit igitur Thrymbus Calabria, qui illic Dux erat exercitus, apertè contra Scribonas facinus ausus, eum enim indigenis minimè placare, cerneret quod factum esset, exul ad Imperatorem proficiscitur. Mittitur igitur Dux Italiæ Abulchares. Robertus autem propter Scribonarum cædem, genus miseratus quod Comperit Calabrum, hac quoque de Causa rebellionem meditatus, non ut amplius reversurus egreditur, adhibitaque celeritate, Regium capit urbem magnam, & illustrem, ubi consueverat Dux Italiæ commorari, quod ibi essent, & magnificæ domus, & eorum quæ ad victum necessaria sunt, copia multa. Abulchares autem, quum Dyrrachium pervenisset, Inde Barium transmisit, quumque Rhegium captum cognovisset, eum Bari expectabat, & inde quantum poterat, urbes adhuc amicas Romania in Officio ac fide continebat, præficiens Duces, & exercitum mittens adlocorum custodiam; adhuc enim à Romanis erant, Baris, Idrus, Callipolis, Tarentum, Brundusium, & Horæ, & alia Oppidula multa, & omninò tota regio. Interea verò declaratus Dux Italiæ Perenus fuit. Cum verò non potuisset in Longobardiam copias traiicere, propter Roberti potentiam Dyrrachii mansit, Dux Dyrrachii appellatus. Niceforus autem Carantenus excursiones faciente Roberto, & infinitis malis Italiam vexante, timebat quidem, veruntamen ab Imperatore auxilium expectabat. Omnes igitur Italicæ Urbes ad eum se applicuerunt, & præsidia acceperunt, quædam verò præsidia accusantes stipendiarias se fecere. His autem ita perfectis fugere decrevit etiam Carantenus videns quotidiè Francos augeri, sed secum reputans ignominiam, in Provincia mansit, Brundusium in fide erga Imperatorem, & in servitute continens, Fraude verò ac dolo finitimos Francos aggreditur. Clam igitur cum ipsis collequutus, & de prodenda ipsia urbe mentione ultrò citròque habita, venientes Francos excepit, & per scalam ascendentes singulos interfecit, centum circiter numero, quorum capitibus, in navigium impositis, ad Dyrrachium transmittit, & inde ad Imperatorem eorumo

rum quæ acciderant nuncius proficiscitur. Peremus igitur Dyrrachii mansit, Imperium verò intestina mala opprimebant, ut Orientem Turci vexabant, iis malis, quæ quotidiè aucta, nullis ex parte remittebantur. Mortuo autem Duce Constantino Imperatore, quum Imperatrix Eudocia ad breve tempus Imperium obtinuisset, ubi ad Diogenem sceptra pervenere, Roberto & iis qui cum ipso erant, haud vulgaris metus iniectus est, ne etiam è suis sedibus pellerentur, privarenturque suis, experti ejus virtutem. Ab iis autem locis, oppidisque ad Romanorum spectantes Imperium, omnibus modis sese subducebant. Verùm eum Ipse quoque occuparetur in expeditionibus adversus Turcos, & omne studium poneret ineo, quod magis urgeret, non amplius ut Domini, sed prædonum ac Piratarum instar in suam potestatem redigebant. Cum verò Diogene Imperante, ut superiùs demonstratum est, res administratæ ac gestæ fuissent, sub Michaele verò Imperium negligenter, ac pueriliter administraretur, ut stabiles Domini à Mari usque ad Mare, & Longobardiam, & Calabriam sibi subegere, eaque distributs, & oppidis divisis, se Comites, Robertum verò Ducam appellarunt.

Michael autem non solùm non retinuit regionem, quæ ad se pertinebat ut dictum est, sed ut ipsos Turcos ex Oriente expelleret, existimavit sibi faciendum esse, ut cum ipsis fœdus percuteret, & ipsorum ope ac societate, Turcorum temerarium in Romanorum regionem insultum coerceret. Quare etiam affinitatem cum Roberto contraxit, ejusque filiam Helenam despondet suo Filio Constantino. Volebat hac ratione Imperator finem aliquem rebus imponi, sed à Deo prohibitus est, qui jam pridem decreverat Orientis perniciem, & eversionem.

EXCERPTA EX JOANNE ZANARA *DE EODEM.*

Joannes Zonaras, Magnus Drungarius Biglæ, & Proto a secretis, postea Monachus. Claruit anno 1118. scripsit Annalium, seu Compendii Historiarum T. III Primo agit de Rebus Judaicis, ab Orbe condito usque ad Hierosolymorum excidium. Secundo de Rebus Romanis ab Urbe condita, ad Constantinum Magnum. Tertio de Rebus Bysantinis a Constantino M. ad Alexii Comneni obitum, qui contigit anno Christi 1118. In rebus, præsertim sui temporis, majorem curam, atque industriam desiderat Vossius de Hist. Græc. lib II. Cap. 27. Quæ excerpsimus ex eo, aliqua, licet aliis verbis, in Cedreno reperies: plurima verò hic de novo, ad nostram Siculam Historiam locupletandam, accipies.

COSTANTE IMPERATORE.

ANno 656. Agareni jam obsistente nemine invadebant omnia. Tunc etiam Rhodo insula subacta, celebratum in ea Colossum demoliti sunt, cujus æs Judæus quidam mercatus, 900 camelis fertur asportasse. Cæterum Agarenorum audacia, qua Romanos lacessebant, aliquantisper non nihil est repressa, orta inter eos de Duce exercitus controversia &c.

An. 663. Verùm constans ob cæsum Fratrem Theodosium, & admissa in Papam Martinum, & illustrem Maximum facinora, Civibus se invisum esse cernens, in Siciliam profectus. circa Syracusas vitam agit, atq; imperium etiam Romam veterem transferre voluit. Dicebat enim, plus honoris deberi Matribus, quam filiabus. Eaque de causa, Imperatricem, & tres Filios suos Constantinum, Heraclium, & Tiberium ad se accersivit. Sed quo minus abirent, vel à cognatis retenti, vel ab Urbana multitudine prohibiti fuerunt. Cum autem sex annos in Sicilia vixisset, inde non rediit, sed inter lavandum per insidias est occisus, capiti situla graviter impacta, quà calida aqua perfundi solebat anno Imperii Septimo, & Vigesimo extinctus.

CONSTANTINO POGONATO IMPERANTE.

ANno 669. Eo defuncto, legiones quæ cum illo fuerant, statim Armenium quemdam Miazium, hominem adeò formosum, ut nec pictæ fictæve imagini cederet, Imperatorem designarunt. Quo natu Maximus Constantis Filius Pogonatus audito, quem ipse Pater insignibus Imperii ornarat, Sicilia cum magna Classe occupata, Miziium victum occidit, necemque Patris ulciscitur cum aliis &c.

Agareni autem omnes Romanorum Provincias terra, marique, & incendiis, & direptionibus vastare non desistebant.

21. Cum autem Constantinus Orthodoxus esset, unire studuit Ecclesias ob Monothelitarum Hæresim jam inde à proavo suo Hæraclio ortam dissidentes. Itaque Concilium Constantinopoli indicit, cujus fuere Principes Agathonis Papæ Romani Legati, &c.

LEONE ISAURICO IMPERANTE.

ANno 717. 2. Interea Sergius Siciliæ Prætor, cognita Urbis obsidione Arabica, & Imperii perturbatione, Tyrannidem, & ipse affectavit, non sibi ipsi usurpato Imperii titulo, sed ministrorum suo-

rum quendam Gregorium cursvit à Populo Imperatorem salutandum; nomine ejus in Tiberium commutato: qui de lergii sententia quosdam ad Magistratus evexit. Hoc nuncio Leo commotus, de opprimendo Tyranno cogitans, Paulum Imperatoriis equisonibus Præfectum, qui lingua romana Chartularius dicitur, Patricii dignitate ornatum, & Siciliæ Prætorem designatum, contra seditiosum misit, tradito edicto ad Provinciarum Præsides, quibus eum adjutare jubebantur, scriptisque ad Siculiensem exercitum literis, quibus Romanam Rem benè se habere significabat, Arabibus jam victis, & profligatis. Ea quoque literas Paulo tradidit, militibus reddendas. Quem cum ex insperato Siciliam tenuisse, ac Syracusas ingressum esse, cognovisset Sergius, statim arrepta fuga, versus Longobardiam proficiscitur. Paulus verò Oratione apud militea habita, & literis Imperatoriis recitatis, effecit, ut statim Imperatorem celebrarent, & Gregorium cum suis vinctos traderent. Gregorium itaque sustulit, satellites ejus flagris cæsos, rasaque coma relegavit. Sergius, promissa impunitate, ad eum è Calabria venit. Ita motus Siciliæ pacatus est.

IMPERANTE IRENE, ET CONSTANTINO.

ANno 780. Quare coacti Imperator, & Imperatrix propter Magistratus, pacem cum Arabibus fecerunt, tributum polliciti. Illi igitur ea conditione discesserunt. Imperatrix verò cum Elpidium, Patricium, quem Siciliæ Prætorem Cæsarat, Cæsaribus studere cognovisset, reduci jussit. Quem quia Siculi à legatis capi non sinebant, ira percita uxorem ejus, & liberos flagris cæsos, & rasos in Carcerem Prætorianum conjecit, & exercitum contra illum misit, quodam ex fidelissimis suis Eunuchis ei præposito. Crebris verò præliis commissis profligatus Elpidius, in Africam ad Arabes confugit: à quibus susceptus, & Regio diademate ornatus est, ac Rex salutatus, quamvis ei nihil ex animi sententia succederet.

IMPERANTE MICHAELE BALBO.

ANno 820. n. 24. Dum Romanæ Copiæ, Thomæ defectione, bellisque civilibus occupantur, Agareni Occidentales, sinus Iberici incolæ, qui Hispani vocantur, arrepta occasione, à suo Duce, quem Amermumnem vocant, locorum coacti angustiis, petierunt, ut Coloniam deduceret. Annuit ille, & cum eis Triremibus impositis solvit, Insulasque Romanas obiens populatur. Ut autem in Cretam quoque venit, ejus fertilitate cognita, maximam partem prædarum mittit, ipse cum paucis ad navium custodiam relictus, igne injecto omnes cremat. Ob quod facinus Agarenis tumultuantibus, & causam ejus requirentibus, Achaps (idenim duci eorum nomen erat) Coloniam, inquit, petiistis: En Regionem lacte, & melle manantem; Hanc occupate, & incolite. Cum vero illi dicerent, Nostra verò Charissima ubi sunt? Respondit, Mulieres sunt, è quibus paulo post liberos suscipietis. His Agareni persuasi, Insula subacta, indigenas in servitutem redegerunt. &c. ....

Anno 826. Imperator missa contra Agarenos in Cretam classe, victus est, quique cladi superfuerant, ipsi nuntium eum attulerunt. Post, aliam ingentem classem contra eosdem mittit, Duce Cratero, qui principio rem contra Agarenos benè gessit, multis eorum captis, & interfectis. Deinde & ipse, & ejus milites victoria freti, quasi adversariis jam enervatis, neque unquam ausuris ipsos aggredi, se voluptati, & poculis dediderunt, eaque nocte sine excubiis commessati otiosè dormierunt. Quo hostes intellecto, noctu eos cum maximo clamore adorti, omnes ita ceciderunt, ut vix nuntius cladis superfuisset. Nam & ipse classis Præfectus Craterus, quum in Nave mercatoris fugisset, captus, atque in Crucem actus est. Post hæc alia classis Oryphæ cuidam est commissa, qui Insulas obiens Piraticarum navium impetum iis spoliandis repressit, & Cretensium quoque priorem ferociam compescuit.

Anno 817. In Sicilia quoque alia mota est seditio. Nam quidam Populi Princeps, Euphemius, Monacham quandam, cujus insano amore flagrabat, rapuit. Qui cum à Prætore ad supplicium quæreretur, ad Africe Amiram confugit, eique pollicitus est, se Siciliam proditurum, & magna tributa pensurum, si Romanorum Imperator appellaretur. Ille hominem voti compotem facit, magnis copiis datis. Quibus Euphemius acceptis Siciliam ei prodit. Sic illa in potestatem Agarenorum venit. Tyrannus autem non multo post sui sceleris, & desperationis dat pœnas, crudelissimè interfectus.

IMPERANTE BASILIO MACEDONE.

ANno 867. Eò sb Agarenis angustiarum Orientalium statu, Occidens pejus etiam se habebat. Nam Italia quæ Romanis Imperatoribus parebat, & maxima Siciliæ pars, multæque gentes aliæ sub Michaele tributariæ factæ sunt Carthaginensibus. Carthaginenses enim Agareni, claf-

fa

se instructi, multisque oppidulis captis, Ragusium obsident. Ragusinis per legatos auxilia petentibus, Basilius centum Naves bellicas subsidio mittit, quas contra se ire Agareni ubi cognoverunt, soluta obsidione, Longobardiam invasere, captaque Bari Urbe, ejusque tuto receptu usi, totam Longobardiam occuparunt. Cæteræ quoque gentes, quæ ab Agarenis premebantur, cum audissent quid Ragusiis accidisset, & ut hostes, reformidatis Imperatoris auxiliis, ab obsidione destitissent: Auxilia, & ipsæ petunt, se Romano Imperio subiicientes. Basilius recepta legatione, supplicibus, & classe illa, & per Francorum Regem opem tulit: à quo per literas petiit, ut Romanis legionibus in bello Agarenico adesset, ab iisque Agarenorum exercitu devicto, eorum Princeps, quem Sultanum vocant, captus, & à Rege Capuam perductus. Ubi postquam biennium versatus esset: Nunquam a quoquam risisse visus est, ut Rex miratus, diceret, se ei, qui Barbarum risisse aret, præmium daturum. Quem quũ quidã semel risisse nunciasset, accersito Sultano, risus causã quæsivit? at ille, Rotascurrus (inquit) vidi, quarum cum altera terræ incumberet, altera sursum tolleretur: mox ea quæ sublimis fuerat, depressa: quæ humilis, in altum elata est. Unde coniectura capta, res humanas etiam eodem modo moveri, & transferri, in risum erupi: posse fieri cogitans, ut & mearum rerum idem status esset . . . . . Rex. & veritate Orationis considerata & Soldani, ob fortunæ commutationem misertus: eum liberiùs habitum in familiaritatem suam ascivit, & ejus ut viri prudentis consiliis usus est. Is verò, homo callidus, Regem dolo circumvenit. Nam cum Capua, & Benevento recens potitum vereri cognovisset, nec eæ Urbes de vindicanda libertate cogitarent: Si, inquit, Imperium istarum Urbium firmum habere studes: Cives clariores aliò transferto. Nam Vulgus per se novis rebus non studebit. Id consilium Rex sibi utile futurum ratus, exequi statuens, clam vincula ferrea fabricabatur. At improbus ille Vir, cum utriusque Civitatis Principibus colloquens, atque in eorum familiaritate sese insinuans, secretò dicit, Regem in animo habere, primarios Cives vinctos in suam transferre Regionem. Quod verè à se dici, illud argumento esse, quod ferreas catenas, manicas, aliaque vincula fabricaretur. Id illi quum verum deprehendissent, hominem sibi bene velle opinati, Regi venatum egresso portas clauserunt. Is igitur non admissus domum rediit. Sultanus autem à civibus libertate remunerationis ergo accepta, pristinoque Imperio recuperato, iisdem Capuanis, & Beneventanis bellum infert. Qui cum obsidione urgerentur, per legatos admissi facinoris veniam à Rege precati, suppetias sibi ferri enixè petunt. Sed ut ille repudiata legatione, se interitu illorum lætari dixit: ad Imperatorem Basilium alia legatione missa, ut sibi periclitantibus subveniret, cum legatus impetratis auxiliis rediret, cives suos bonis animis esse jussurus: Captus est ab hostibus, ex quo eum Sultanus cognovisset, unde veniret, & quam lætum civibus nuntium afferret, ait illi, si vivere volueris, tuis de muro prospectantibus renunciato, Imperatorem auxilia negasse. Quod ni feceris, te è vestigio moriturum scito. Promisit ille se facturum quemadmodum juberetur, & vinctus astans ante mœnia, dum se legationem obiisse, & auxilia statim ab Imperatore ventura dicit, gladiis dissecatur. Sultanus verò, Urbium expugnatione desperata, recessit.

LEONE PHILOSOPHO IMPERANTE.

ANno 886. Dum Imperator templis condendis occuparetur, cum nautis ædificando impeditis, Classis vacaret. Agarenorum Classis Tauromenium vastavit, & Lemnum Insulam occupavit, in quibus multi mortales perierunt.

NICEPHORO PHOCA IMPERANTE.

ANno 963. Cum Sicilienses Saraceni ex antiquis pactis tributum à Romania postularent: Nicephorus non ferendum esse ratus, si se Imperante Romani illis essent tributarii, Manuelem Patricium, Patrui sui Leonis nothum filium, qui leo sub priore Romano cũ Legionũ Domesticus esset, ob regnum affectatum excæcatus fuit, contra eos misit. Is eum in Siciliam cum illustri classe appulisset non modo nihil memorabile gessit, sed etiam ex imperitia, & iuvenili ferocia, vel potius temeritate, graviter impegit, ipse cum omni exercitu cæsus. Ac in Sicilia res ita actæ sunt.

ROMANO ARGYRO IMPERANTE.

ANno 1028. Iis temporibus, oram Illyrici maritimam Agareni incursarunt: cum quibus congressa classis Romana, plerasque naves eorum incensas combussit: qui è pugna evaserant in mari Siculo tempestate perierunt. Ex Africa quoque circiter mille naves egressæ, multas insulas, & loca maritima quædam vastaverunt. Sed Romanæ Triremes partem quandam earum adeptæ, multos sustulerunt, & quingentos captos ad Imperatorem in vinculis miserunt. Tunc verò temporis

poris Maniaces Protospatharius, urbium ad Euphratem Prætor, Edessa potitus, epistolam Servatoris nostri Jesu Christi manu scriptam, quam ibi invenerat, ad Imperatorem misit,

MICHAELE PAPHLAGONO IMPERANTE.

ANno 1034. Cum duo Fratres Agareni Siciliæ Imperantes, inter se dissiderent, eorumque alter Imperatoris opem implorasset Georgius Maniaces Patricius auxilio illi missus est, Longobardiæ Prætor designatus. Qui antequam in Siciliam venisset, illi inter se reconciliati, & Maniacem Insulæ aditu prohibere conati, auxilia Carthagine evocarunt. Sed pugna commissa, Romanus exercitus vicit, magnaque cæde Carthaginensium edita, tredecim urbes principiò vastavit: deinde paulatim progrediens Maniaces, totam Siciliam Romano Imperio restituit...... At Carthaginensis suarum copiarum interitu cognito, ipse cum majore exercitu in Siciliam proficiscitur. Maniaces castris contra eum positis, & classis Præfecto Stephano Patricio Imperatoris affini mandat, ut oram maritimam diligenter tueatur, ne Carthaginensis victus effugere queat. Prælio commisso, tanta multitudo Afrorum periit, ut nullo prope numero comprehendi queat. Sed eorum Princeps, pugna elapsus, conscensa celoce, deceptis Classiariis domum rediit. Id Maniaces ægerrimè ferens, Classis Præfecto conviciatur. Is verò Imperatoris affinitate fretus, quum iniquo animo contumelias accepisset, ac vicissim aliquid dixisset; à Maniace ira percito verberatus, statim literis scriptis ad spadonem Joannem uxoris suæ fratrem Orfanotrophum, Maniacem calumniatur, ut defectionem molientem. Qua ille de Causa vinctus in urbem ductus, custodiæ mandatur, omni authoritate in Stephanum translata; neque multo post Insula in Agarenorum potestatem rediit, ducis imperitia, socordia, ac sordibus imprimis; sola Messana (quæ & ipsa Siciliæ Urbs est) virtute Catacaloeis Ambusti Præfecti Romanis conservata: qui idem multa hostium millia cecidit.

CONSTANTINO MONOMACHO IMPERANTE.

ANno 1041. Post mortem Zoæ Imperatricis, Imperator bello civili conflictatur, seditionem movente in Italia Georgio Maniace. Contra quem Imperator Eunuchum misit, & commisso prælio cæsus est Maniaces.

ALEXIO COMNENO IMPERANTE.

ANno 1080. Comnenus recens potitus rerum, nuntiata Roberti Franci, viri callidi & bellicosissimi contra Epidamnum expeditione: & ipse illuc profectus, commissoque prælio victus, turpiter fugit, multis non gregariis militibus duntaxat, sed viris etiam dignitate præstantibus, & Regii sanguinis interfectis, totisque castris captis ab hostibus. Cumque Imperator Byzantium victus rediisset, Barbari victoria inflati, confidenter omnes invaserunt, & oppida quædam ceperunt, ut Castoriam, & Larissam, Imperatricis quoque Urbis excidium somniantes. Verùm Imperator denuò eductis copiis, & Barbarico Præsidio Castoria pulso, contra Robertum abit, eiusque calliditatem arte eludit. Nam Fratri Adriano habitu Imperatorio accommodato, exercituque dato, mandat, ut contra Robertum in procinctu stet, eoque pugnam ciente, tergo dato fugiat, ipse verò cum reliquo exercitu per ambages, & invia loca vallum Francorum aggredius, tentoria eorum diripit magnamque cædem edit. Roberto autem in ficticium Imperatorem impetum faciente, ille cum suis laxatis habenis fugit. Qua de caosa Barbarus magis etiam gloriabatur, & insolescebat, quasi nemo congredi secum auderet. Interim verò euntiata valli vastatione, & interitu eorum, qui illic fuissent, statim & animis, & manibus dimissis recessit. Tunc Imperator Constantinopolim reversus ...... Compressis Roberti insultibus, aliundè Romani Imperii hostes extitere. ...... *Tunc temporis facta est Francorum in Orientem, & Palestinam expeditio.* Unus porrò ex latinis ab Occidente in Orientem profectus, Roberti, c jus supra meminimus, filius, nomine Boamundus, servitium suum Imperatori obtulit, & pactis jure jurando firmatis, acceptaque pecunia ferè innumerabili, capta Syriaca Antiochia, non modo pacta, & conventa violavit, sed & de bello Romanis inferendo cogitavit. Enim verò, reditu in occidentem destinato, metuens, ne in transitu Romanarum Provinciarum à Prætore aliquo prehensus, ad Imperatorem in vinculis, ut homo fœdifragus perduceretur; quid facit? rumorem de suo obitu spargendum curat, & cistæ impositus, famulis mandat, ut cadaver suum domum ferri dicant. Hoc astu in patriam reversus, & multum de Imperatore conquæstus multos popularium ad sumenda contra Romanos arma concitavit, eorumque Dux creatus, superato mari, Epidamnum, magno studio capere contendit. Quùm autem obsidio traheretur, Civibus magnis detri-

detrimentis illatis, nec paucioribus acceptis, expugnatione desperata, ad alia loca æquè irritò conatu progressus, denique pacem per Legatos ab Imperatore petit, Thessalonicæ tùm agente: qui inde digressus, juxta Coloneam Europæam vallum munivit, ibique cum Barbaro de pacis conditionibus transegit. Ac Boemundicum bellum hoc ferè modo compositum est.

Advertendum, ut etiam supranotavimus, quod quum in prææallegatis Græcis Authoribus, & aliis infra imprimendis, nominatur Longobardia, aut Longobardi Duces, non de Insubria Regionibus intelligunt, sed de Campanorum, & Apulorum Provinciis, & Principum Longobardorum Dynastiis, Hoc, præter Camillum Peregrinium in sua Historia Principum Longobardorum, adnotavit Constantinus, de Imperii Administratione cap. 27. ubi ait. Antiquis temporibus omnis Italiæ Ditio, Neapolis, Capua, Beneventum, Salernum, Amalphis, Cajeta, & universa Longobardia, tenebatur à Romanis Imperatoribus, &c.

EX LEONIS HOSTIENSIS IN MONASTERII CASINENSIS CHRONICO EXCERPTA.

DE EODEM.

LEo, *Marsicanus à Patria dictus, primùm Monachus, & Bibliothecarius Monast. Montis Casini, dein S. R. E. Card. Diaconus, creatus Anno 1101. Obiit certè post Annum 1115. Scripsit Chronicon Monasterii Casinensis à tempore S. P. Benedicti, usque ad Desiderium Abbatem, qui postea Anno 1086. Pontifex Romanus electus, Victor III. appellatus est. Ab eo tempore, Petrus Diaconus, Monachus etiam Casinensis, libro quarto, Historiam supradicti Leonis continuavit: ab obitu Victoris III. ad Annum 1138. Cuncta, & non prætermittenda, quæ de Saracenis, & de Normannis, in iis reperiuntur, hic inter Saracenica Monumenta consignanda putavimus, catera, ad Rem nostram pertinentia, in fine Secundæ Partis hujus primi Tomi, forsan daturi.*

Quo tempore Saraceni Siciliam ingressi sunt. Lib. I. Cap. 22.

ANno 820. Hujus Abbatis (*Apollinaris*) tertio anno, Saraceni à Babylonia, & Africa venientes, Siciliam ingressi sunt, & Panormum ceperunt. Anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo, & vicesimo.

Qualiter Principatus Beneventanus sit contra se divisus. Cap. 25.

ANno 839. *Propter discordias Radelchis Beneventi, & Siconulphi Capuæ Principum, vocatos ab utrisque in auxilium Saracenos Capuanam, & Beneventanam Regiones devastasse, exponit.*

Qualiter Deus à Saracenis locum istum (Casinense Monasterium) eripuit. Cap. 27.

ANno 846. His temporibus, decimo videlicet anno hujus Abbatis (*Bassacii*) Sergio Papa II. in Sede Apostolica præsidente, à quo Ludovicus Imperator est coronatus, ingens Saracenorum multitudo ab Africa, classe Romam devecta, Ecclesias Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ex integro deprædati sunt, multosque illic interficientes, per Appiam viam iter aggressi, ad Fundanam Civitatem venerunt. Quam cum cepissent, & incendio cremavissent, cunctosque illius Cives partim captioni, partim gladio destinavissent, universa quoque per circuitum vastavissent, secus Cajetam applicantes, castrametati sunt. Contra quos missus à Spoletio Francorum exercitus, turpiter superatus aufugit. Quos Saraceni instantius persequentes, tandem ad vicinia hujus Monasterii (*Casinensis*) trans flumen, quod Carnellum vocatur, applicuerunt. Demum ad locum, quid dicitur Albianus, pervenientes, è vestigio ad hoc Monasterium, quod fama jam dudum vulgante audierant, quod præsentialiter suis oculis ex eodem loco cernebant, totis properare nisibus satagebant. Sed quoniam tardior illos hora eo die cohibuit, ibidem tentoria figunt, futuro profectò ut die huc properantes, cœnobium omne destituerent, quæcumque fuissent hic reperta diriperent, cunctosque ibi degentes gladio trucidarent. . . . . *Et exinde prosequitur enarrare liberatum fuisse divinitùs Monasterium intercessione Sancti Benedicti, magnis noctu exortis imbribus cum tonitruis, & fulguribus, ac denique horribili naufragium, Navium, prædæ, hominum, quod iidem in Africam redeuntes passi sunt, virtute SS. Petri, & Benedicti, ipsis in medio mari intus parvam Naviculam apparentium; quod etiam meminit Anastasius Bibliothecarius in Leone IV. & refert Baronius eodem Anno 846. n. 1.*

De Discursione, ac vastatione Saracenorum . . . . . . Cap. 28.

ANno 847. Tunc etiam temporis, Massar Saracenorum Dux in auxilium præ-

prædicti Radelchis Benevento residens, eodemque ipsos Beneventanos vilipendens, quocumque modo posset vehementer affligeret, Monasterium Sanctæ Mariæ in Cingla devastavit, Castellum Sancti Viti expit, Telesinam Civitatem sitam ad deditionem coëgit, & universa in circuitu depopulatus est. Qui dum quadam die secus Beati Benedicti Monasterium (*Casinense*) pertransiret, adeo mens ejus barbara cælitus immutata est, ut dum canis ejus unam in pratis Monasterii Ancã (*Anserem*) cæpisset, per semetipsum cum flagello cucurrerit, eandemque de ore illius extraxerit. Veniensque ante januas Monasterii, mox claudi illas præcepit, ne scilicet aliquis suorum ingrediens, aliquam illic violentiam inferret. Sicque Aquinum pertransiens, & Arcem, cæteraque in circuitu devastans, Beneventum reversus est.

De Pentifaria divisione Regni Francorum, & qualiter Ludovicus Saracenos devicerit, & Principatum (Beneventi) *aqua sorte diviserit.* *Cap.* 29.

ANno 855. Per idem tempus, defuncto jam dicto Lothario, Pentifariè Regnum Francorum divisum est. Nam Ludovicus, & Carlus germani ipsius Bajoariam, & Aquitaniam regebant. Primogenitus verò filius ejus Ludovicus nomine est sortitus Italiam; Secundus Lotharius potitus est Aquis; Tertius autem Carlittus Saxoniam optinuit.

Anno 855. Huic igitur Ludovico admodū adolescenti, ab afflicta varia parte Langobardia suppliciter suggestum est per venerabilem Abbatem (*Montis Casini*) Bassacium, ut ad has partes venire, eosque à nefandorum Saracenorum devastatione eripere, tantisque calamitatibus finem dignaretur imponere: quod & optemtum est. Veniens igitur Ludovicus Beneventum à Radelchi, Beneventanisque honorificè receptus est, eique omnes Saraceni contraditi, quos omnes ipso die Vigiliarum Sancti Pentecostes extra Civitatem Duci, & jugulari præcepit, inter quos etiam Dux eorum Massar capite plectitur.

Qualiter iterum Ludovicus Italiam venit, vocatus per Abbatem. *Cap.* 30.

ANno 856 Iterum igitur Saracenis, qui Bari degebant, Calabriam totam, omnemque Apuliam, universamque Provinciam Beneventanam affligere, ac devastare nitentibus, rogatus à Primatibus Patriæ, Bassacius Abbas (*Montis Casini*) unà cum Jacobo Abbate Sancti Vincentii, Franciam adiit, præfatumque Ludovicum rursus ad has partes venire coegit. Qui veniens, Barim protinus adiit, cumque Saracenis per dies aliquot sine effectu aliquo dimicavit: Sed Capuanorum calliditate, cernens se nil proficere, Siconulfi filio de Salerno exiliato, & Ademario Principatu concesso, reversus est.

De nequitia Saracenorum, & qualiter vastatum, & incensum fuit Monasterium S. Vincentii. *Cap.* 35.

ANno 859. Interea nequissimus Saracenorum Rex, nomine Seodan, Barim egressus venit Capuam, quam totam circumcirca devastans, Cantiam quoque, & Liburiam, nullo sibi valente resistere, peragrans, in Campo Neapolitano tentoria fixit, plurimos quotidie interficiens, ac diversas iniquitates exercens. Quo tempore Majelpotus Telesinus, & Wandelpertus Bovianensis, Gastaldes, conducto Lamberto Duce Spoletano, & Gerardo Marlorum Comite, exierunt adversus eum, cum de Capuæ populatione rediret: irruentesque super illum, Marte aliquandiu ancipiti certaverunt. Ad ultimum verò Saraceni potiti victoria sunt: Gerardo, & Majelpoto, atque Wandelperto in acie ipsa peremptis, multis aliis captis, aliisque necatis; propterea maximam Seodan sumpsit audaciam, cuncta in circuitu Castella, præter præcipuas Civitates, cæpit, funditusque delevit. *Et prosequitur enarrare devastationem Monasterii S. Vincentii post quam cum magna præda* Venafrum ad suos reversi sunt, ac non multo post Barum regressi.

De Tertio adventu Ludovici in Italiam, & de bellis, quæ fecit cum Saracenis. *Cap.* 36.

ANno 866. Langobardi igitur videntes sese cælitus pro suis iniquitatibus flagellari, afflicti, ac magna demum necessitate arctati, tertiò jam in Franciam ad præfatum Ludovicum transmittunt, exorantes, ac flagitantes, ut iterum venire, eosque, ac Patriam à nefandissima Saracenorum gente dignaretur eripere. Tunc Ludovicus Rex generale edictum in universas Regni sui partes dirigens, ut nullus omnino esset, qui se ab hac expeditione subtraheret, Anno Domini 866. immensum valdè congregavit exercitum, simulque cum Domna Angelberga Augusta conjuge sua, iter arripiens, Beneventi fines per Soram ingreditur, ac Mense Junio pervenit ad Monasterium hujus Sanctissimi Patris (*Casinense*) quod deorsum est, ubi à Venerabile Abbate Berthario, universis Monachis illi præcedentibus, maximo cum honore susceptus est.

Post

Post hæc inde digressus, Capuam adiit, quam tribus obsessam mensibus cæpit, eamque maxima ex parte delevit. Inde perrexit Salernum, dehinc navigavit Amalfim. Puteolim quoque pergens, ejusdem utitur lavacris, perque Neapolim revertens, Sessulam adiit, demum apud vallem Caudinam castrametatus, non multopost ingressus est Beneventum. Apud Luceriam porrò Apuliæ Civitatem, universo suo congregato exercitu, consequenter cum Saracenis congreditur; A quibus primo certamine superstus, demum ex his, opitulante Deo Victoriam triumphalem adeptus, universis eorum castris potitur. Inde Barim contendens quatuor illam annis obsedit. Materam interim munitissimam illorum Civitatem capiens, igne illam ferroque consumpsit. Post hæc venit Venusiam, & tam in ea, quàm in Canusio pugnatorum præsidio posito, Barim hinc inde cæpit graviter expugnare, sicque rediit Beneventum. Cumque autem Saraceni Barim degentes, undique angustati ad extremitatem ultimam pervenissent, misso Imperator exercitu, & Civitatem, & Seodam cum suis omnibus cæpit, eosque universos gladiis trucidari jussit: deinde Tarentum obsideri è vestigio jussit. Nam & ipsum olim idem nequissimi exsperant. Interea duo quidam Comites nisi sunt in Imperatorem insurgere: quod cum cognovisset Imperator, persequutus est eos usque Marsiam, ubi illi, non audentes consistere, fugerunt Beneventum. Imperatore autem, dum illos persequitur, venit Hirseniam, quam temptantem resistere expugnavit, & cæpit. Inde Aliphas pertransiens, per Telesiam, venit ad Civitatem, quæ nominatur Sanctæ Agathæ, quam per dies plurimos, quoniam capere non poterat obsidebat. Tandem Bertharius Abbas (*Montis Casini*) quoniam Hilembardus Gastaldio, qui Ipsam Civitatem obtinebat, ejus consanguineus erat, apud Imperatorem pro illo interveniens, & illi gratiam, & Civitati veniam impetravit. Adelchis etiam Beneventanus Princeps ad pedes ejusdem Imperatoris prostratus, tam præfatis qui fugerant, quàm etiam sibi, qui eos recipere præsumpserat, ipsius Imperatoris gratiam adquisivit.

Anno 871. Ludovico apud Beneventum posito Adelchis Princeps ejus Civitatis, diaboli invidia ductus, inventa occasione, quod Franci multa in Civitate insolenter agerent, adversus eum securè degentem protinus insurrexit. Eumque capiens custodiæ mancipavit, cunctosq; milites, illius dispolians, fugere compulit. Sed non in longum Deus passus est innocentem hominem frustra affligi, moxque intra quadraginta dies innumerabili Saracenorum exercitu ab Africa adventante, Ludovicus è custodia extemplò dimissus est, & Sacramentis obstrictus, recedens à Benevento, intra tres dies abiit Berolam, ibique per menses circiter XI. remoratus, interim per quosdam suos Comites, primo tria millia, dehinc novem millia fermè Saracenorum apud Capuam interemit. Post hæc, eo adventante Capuam, Saraceni cognito ejus adventu, relinquentes Principatum, Calabriam adeunt, eamque funditus depopulantes, conscensis Navibus, ad sua, maximam tempestatem perpessi, quotquot evaserunt, reversi sunt.

De Pacto Saracenorum cum nostris. Cap. 40.

ANno 877. Non multo post igitur, receptis viribus, Saraceni Tarentum obtinentes, exinde Barim, cæteraque confinia, acrius infestare cæperunt. Interea Salernitani, Amalphitani, Neapolites, & Cajetani, fœdus cum Saracenis componentes, Romam navalibus deprædationibus, angustabant; propter quod Carolus (*Calvus*) tunc Imperator, Julittæ scilicet filius, à Joanne Octavo Papa multis Epistolis interpellatus, Lambertum Ducem, & fratrem ejus Guidonem illi in auxilium destinavit, cum quibus idem Apostolicus Neapolim, Salernumque profectus est; Sed Guaiferius Salernitanus Princeps in omnibus Papæ obtemperans, & fœdus Saracenorum dirupit, & ex eis plurimos trucidavit. Sergius verò Dux Neapolitanus, nolens se ab eis alienare, mox ab Apostolico excommunicatus est; ac non multò post, vindice Deo, à fratre proprio Athanasio Episcopo captus, atque cæcatus, Romam transmissus est. Idem verò frater ejus Athanasius, Dux in loco ipsius effectus, pace cum Saracenis firmata, eosque juxta Neapolim collocans, tam Beneventum, quàm Capuam, atque Salernum, Romam quoque, necnon Spoletium, devastare cum eis acriter cæpit; multaque tunc temporis Monasteria, & Ecclesiæ cum Villis, & Urbibus incensa, ac desolata sunt.

Qualiter Saraceni à Cajetanis ad habitandum in Gariliano recepti sunt. Cap. 41.

ANno 877. Post hæc Pandenolphus, qui tunc Capuæ præerat, in Papæ fidelitate consistens, rogavit eum, ut subderet dominatui suo Cajetam. Nam Cajetani eo tempore Romano tantum Pontifici serviebant, quod prædictus Papa dum concessisset, cæpit idem Pandenolphus, ita Cajetanos acriter incursare, ut vel usque ad Molas illis egredi non daretur. Docibilis quidam tunc illis in Ducem præerat, qui

qui tantum dedecus sibi, suisque illatum minimè ferendum ducens, misit Agropolim, & Saracenos ibi degentes asciscens, primò conduxit eos marino itinere ad Lacum Fundanum, in locum, ubi Sancta Anastasia vocatur, & inde per fluvium ascendentes usque Fundis, ibi quasi de vagina gladius, Scaphis egressi, & cuncta in circuitu depopulantes, tandem Cajetam perveniunt, & in Formanis collibus sua Castra componunt. His Papa auditis, illicò pœnitentia ductus, blandis alloquiis, & Epistolis, necnon & pollicitationibus multis cœpit convenire Cajetanos, quatinus sibi reconciliarentur, & à Saracenis sequestrarentur. Cujus demum monitis Docibilis obsecundans, rupto fœdere cum Saracenis, bellum iniit, in quo bello Cajetanorum plurimi, & cæsi & capti sunt. Rursus tamen Saraceni fœdus à Docibile postulantes, accipiunt, redditisque Captivis, in Gariliano ab eodem Docibile ad habitandum directi sunt: ubi per quatraginta ferè annos degentes, innumera circumquaque mala gesserunt, multumque Christicolarum sanguinem effuderunt. In quo videlicet loco frequenter à diversis nostris Principibus requisiti, & oppugnati, sed judicio Dei, usque ad predictum tempus inexpugnati manserunt. . . . . ,

Qualiter hoc Monasterium incensum sit, & Abbas Bertharius decollatus. Cap. 44.

ANno 884. Per idem tempus Monasterium Beati Patris Benedicti, ubi Sacratissimum ejus Corpus humatum est, à prædictis Saracenis invasum, destructum, atque incensum est, pridie nonas Septembris, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo, octogesimo quarto, Indictione Secunda. Nec multopost, undecimo videlicet Novembris, Monasterium majus, quod deorsum erat, similiter occupavere, devastavere, & incendere, multosque inibi perimentes, ipsum etiam Sanctum, ac Venerabilem Abbatem Bertharium, juxta altarium Beati Martini gladio trucidavere. Cumque eandem Domini Salvatoris Ecclesiam, diversis in locis igne summisso exurere molirentur, Dei judicio, id perficere nequivere, sieque ea tantum de toto hoc Monasterio Saracenorum flammis erepta, illi, Monasterii spoliis onustati, lætantes, triumphantesque Garilianum reversi sunt. . . . . .

De pugna nostrorum cum Saracenis ad Garilianum. Cap. 50.

INterea præfatus Atenulfus [*Capuæ Princeps*] unà cum Gregorio Neapolitano, nec non & cum Amalphitanis, non parvo exercitu aggregato, Garilianum supra Saracenos venit, & constructo de Navibus ponte juxtà Trajectum, in loco, qui Serra vocatur transiens, expugnabat eos. Ibi igitur illis consistentibus, quadam nocte dum minus cautè suas custodias agunt, repente Saraceni cum Gaietanis super eos irruunt, deque illis plurimos sternunt: reliquos usque ad pontem acriter insequuntur. Sed ibi tandem, nostris fortiter resistentibus, Saraceni terga vertere, & suis se Castris tueri coguntur. . . . . .

Qualiter Saraceni à Garillano exterminati sunt. Cap. 52.

ANn 910. Per idem tẽpus cernens prefatus Princeps (*Atenulfus*) non sine manu valida, & brachio extencto. Saracenos posse de Gariliano expelli, Landulphum filium suum ad Leonem Imperatorem Constantinopoli destinavit; Suggerens omnia, quę per tot annos ab Agarenis perpessi fuerant mala, orans, & supplicans, ut dignaretur quantociùs afflictæ, ac desolatæ ab eisdem Saracenis patriæ subvenire, atque illos de Gariliano valens extirpare, auxilium exercitus sui non dedignetur illi transmittere. Quem Imperator honorificè satis recepit, & cuncta, quæ suggesserat, benignè se impleturum spopondit. Cum interim prædicto Atenulfo defuncto apud Capuam, Landulfus impetrata ab Augusto licentia revertitur, atque à fratre Atenulfo multo cum honore recipitur. Imperator autem suæ sponsionis non immemor, Nicolaum Patricium, cui Picingli cognomen erat, consequenter asciscens, cum valida hunc Græcorum manu ad has partes transmisit, eique ut Saracenos pręcipuè Gariliano degentes, funditus delere satagerat, mandatis Augustalibus imperavit. Veniens igitur prædictus Patricius, & fortitudine valida, & prudentia maxima cumulatus, eos primum, quos familiares sibi, ac fœderatos Saraceni habebant, idest Gregorium Ducem Neapolitanum, & Ducem Cajetæ Joannem, Patricius illis honorem ab Augusto deferens, ab eis disjungere studuit. Deinde conjunctus prædictis fratribus Landulfo, & Atenulfo Principibus Capuanis, advocato etiam Guaimario Principe Salernitano; Apulis quoque, & Calabris omnibus trasmarino exercitui additis, castra super Saracenos juxta Garilianum ex ista parte metatus est.

Anno 915. Quo cognito Papa Joannes Decimus, qui ex Episcopatu Ravennate triennio ante Romanam Sedem invaserat, unà cum Alberico Marchione, cum valida pugnatorum manu superveniens, ex altera nihilominus parte consedit, & ita eos hinc inde per tres menses continuos obsi-

obſidentes ad extremitatem ultimam perduxere. Cumque jam Saraceni fame nimia laborarent, neque ullo ingenio, ullo unquam modo ſe evaſuros noſtrorum manus ſperarent, ipſamque jam mortem præ oculis cernerent, conſilio tandem ſupradictorum Ducum Gregorii, atque Joannis omnes domos ſuas incendunt, ſicque facto unanimiter impetu, fugientes per montes, ſilvaſque proximas diſperguntur. Quos noſtri inſtantiùs perſequentes, vix pauciſſimis de tanta multitudine evadentibus, omnes interemère, atque hoc modo auxilio, & miſericordia Dei funditus de partibus iſtis eliminati ſunt.

Qualiter Normanni primum in partes has venerint, & qualiter cum Græcis, Melo Duce conflixerint, Lib. II. Cap. 37.

ANno 1017. Hujus Abbatis anno ſeptimo cœperunt Normanni Melo Duce expugnare Apuliam. Qualiter autem, vel qua occaſione Normanni ad has partes primo devenerint, & quis, vel unde Melus hic fuerit, & qua de cauſa eiſdem Normannis adhæſerit, opportunè referendum videtur. Ante hos circiter ſedecim annos, quadraginta numero Normanni in habitu peregrino, utpotè à Jeruſolimis, ubi cauſa orationis perrexerunt, revertentes, Salernum applicuerunt, viri equidem & ſtatura proceri, & ſpecie pulchri, & armorum experientia ſummi. Quam à Saracenis obſeſſam reperientes; accenſis nutu Dei animis, à Guaimario Majore, qui tunc Salerni principiabatur, equis, armiſque expoſtulatis, inopinatè ſuper illos irruunt, & pluribus eorum peremptis, cæteriſque fugatis, mirabilem victoriam, Deo præſtante, adepti ſunt. Attolluntur ab omnibus in triumphum, donis à Principe ampliſſimis honorantur, atque ſecum manere debeant multis precibus invitantur. Illi verò, ſe amore tantum Dei, & Chriſtianæ Fidei hoc ſe feciſſe aſſeverantes, & dona recuſant, & ibi manere poſſe ſe denegant. Tandem itaque prædictus Princeps conſilio habito ſimul cum eiſdem Normannis, Legatos ſuos in Normanniam dirigit, & veluti alter Narſis poma per eos cedrina, amigdolas quoque, & deauratas nuces, ac pallia Imperialia, necnon & equorum inſtrumenta auro puriſſimo inſignita, illuc tranſmittens, ad terram talia gignentem illos tranſire, non tam invitabat, quàm & trahebat. Per eos dies duo Magnates partes illius, Giſelbertus ſcilicet, qui & Butterius, & Guilielmus, cognomento Ruposſellis acriter inter ſe diſſidentes, ad id tandem exitii devenerunt, ut Giſelbertus Guilielmum occideret. Quod cum Robbertus Comes terræ ipſius comperiſſet, vehementer iratus mortem Giſelberto terminatus eſt. Giſelbertus igitur iram Domini ſui præcavens, aſſumptis 4. fratribus ſuis, Rainulfo, Aſcittino, Oſmundo, atque Rodulfo, & aliquot aliis, cum equis tantum, & armis, juncti noſtrorum legatis aufugiunt, & Capuam tandem perveniunt, ubi eo tempore prædictus Melus cum Pandulfo Principe morabatur. Hic itaque Melus, ut retrò aliquantulum redeam, Barenſium Civium, immò totius Apuliæ primus, ac clarior erat, ſtrenuiſſimus valdè, ac prudentiſſimus vir. Sed cum ſuperbiam, inſolentiamque, ac nequitiam Græcorum, qui non multò antea, tempore, ſcilicet primi Octonis, Apuliam ſibi, Calabriamque ſociatis in auxilium ſuum Danis, Ruſſis, & Gualanis, vendicaverant, Apuli ferre non poſſent, cum eodem Melo, & cum Datto quodam, æquè nobiliſſimo, ipſiuſque Meli cognato, tandem rebellant. Verum cum exercitui, quem Imperator illò traſmiſerat, iidem Barenſes reſiſtere non valerent, poſt non longum tempus turpiter ſe, ſuaque dedentes, eundem quoque Melum Græcis tradere nequiter conabantur. Quod prudentiſſimus vir advertens, una cum Datto, clam fugit, & Aſculum introivit, atque poſt paucos dies, timens ne etiam ipſi Græcis, qui eum obſidebant, contraderent, noctu egreſſus cum Datto pariter Beneventum venit. Inde Salernum, ac deinde Capuam, nullo interim otio indulgens, quin modis omnibus ſatageret, qualiter Græcorum dominationem abiicere, atque ab eorum tyrannide ſuam poſſet patriam liberare. Interea Barenſes, Captam uxorem ipſius Maraldam, & filium Argiro, Conſtantinopolim ad Imperatorem tranſmittunt. Dattus itaq; ad præfatū Abbatem Atenolfum veniens, cum apud eum unà cum uxore, & filiis diebus aliquot commiſiſſent, demum ob Henrici Imperatoris fidelitatem, à Benedicto Papa in Turre de Gariliano flumine, quam idem Papa tunc retinebat, poſitus eſt. Quam videlicet Turrem Joannes, Imperialis Patricius, Cajetanus, filius Docibilis Hypati, pro Agarenorum diſſipatione, temporibus Joannis Octavi Papæ conſtruxerat. Melus igitur inter iſta Capuæ commorans, cognito prædictorum Normannorum adventu, mox illos accerſit, eorumque cauſa diligentius perquiſita, & agnita, illis de more militiæ protinus fœderatur, & è veſtigio Salernum, ac Beneventum repedans, multos ſibi tam Græcorum odio, quàm ſui gratia ductos aſſociat, ſtatimque Græcorum terram ingreſſus expugnare repugnantes viriliter cæpit. Tribus itaque vicibus cum Græcis, pri-

N

primò apud Arenolam, secundò apud Civitatam, tertiò apud Vaccariciam, campestri certamine dimicans, tribus eos vicibus vicit, multosque ex his interficiens, & usque Tranum eos constringens, omnes ex hac parte, quas invaserant, Apuliæ Civitates, & Oppida recepit. Quarta demum pugna apud Cannas, Romanorum olim clade famosas, Bobano, Catapani insidiis, atque ingeniis superatus, universa, quæ facilè receperat, faciliùs perdidit. Feruntur in ea pugna Normannorum ex ducentis quinquaginta numero, decem tantummodo remansisse, de Græcis autem innumerabilem turbam occubuisse. Melus verò cernes se militum auxiliis destitutum, Normannos superstites, partim apud Guaimarium, partim apud Pandulfum constituens, ipse ultrà Montes, ad prædictum Imperatorem abiit, ut ad expellendos Græcos, vel ipsum per se ad has partes venire, si posset, vel militum ab eo auxilia acciperet, si non posset.

De Normannis apud Pinietarium constitutis, & quomodo captus sit Dattus. *Cap. 36.*

ANno 1021. Interea, cum præfatus Abbas (*Atenulphus*) immò potius hoc Monasterium magnis Aquinensium Comitum infestationibus urgeretur . . . . magna demùm Abbas necessitate coactus, fortissimos aliquot sibi ex præfatis Normannis ascivit, eosque juxta se in Oppido, quod Piniatarium nuncupatur, non longè à Civitate S. Germani, ad Monasterii Bona tutanda constituit, quod quidem illi quandiu Abbas ipse superfuit strenuè satis, & fideliter executi sunt . . . . . Bojano præterea Catapanus non parvam pecuniæ summam Capuano Principi (*Landulfo*) transmittens, rogat, ut si reversa fidelis Imperatori Basilio esset, permitteret se ad capiendum Dattum transire. Permissum est, & mox ipse Catapanus, armato non parvo exercitu, ad Garilianum venit, turremque, in qua Dattus, nihil tale suspicans, residebat, per biduum oppugnans, vi tandem cum omnibus, qui secum inerant comprehendit; & Normannos quidem, qui inibi fuerant, ab eodem Bojano prædictus Abbas multis precibus adquisivit, Dattum nullo unquam modo ab ejus manibus eripere potuit; quem videlicet vinctum Barim reducens, post paucos dies, insutum culleo, more parricidarum, in medio mari præcipitari mandavit.

Qualiter Corpus S. Luciæ ex Sicilia in Constantinopoli fuit translatum, & de adventu Roberti Guiscardi. *Cap. 67.*

ANno 1039. Per idem tempus Maniacus Dux ab Imperatore Constantinopolitano cum exercitu ad debellandos Saracenos in Siciliam transmissus, cum Apuliæ, atque Calabriæ milites in auxilium asciv isset, ad Guaimarium quoque Legatos direxit, exorans, ut Normannorum illi suffragium mitteret. Qui ejus precatibus annuens, Guilielmum Drogonem, & Umfridum Tancridi filios, qui noviter à Normannia venerant cum tricentis aliis Normannis illi in auxilium misit. Cumq; maxima jam pars Siciliæ recepta esset, & Siracusana Civitas capta, à sene quodam præfato Duci Mausolaum Sanctæ Virginis Luciæ proditum, ejusque Sacrum Corpus inde sublatum, & in argentea theca, cum omni reverantia positum Constantinopolim est transmissum. Sed post paululum in sua revertentibus Græcis, atque Normannis, mox Saraceni cuncta, quæ amiserant, receperunt.

Anno 1040. Præfato itaque Maniaco, eo quod ad Imperium aspirasset, pessimè trucidato, alius in Apuliam Catapanus, nomine Duciano, ab Imperatore trasmittitur. Huic Arduinus quidam Lombardus, de famulis scilicet Sancti Ambrosii, aurum non modicum offerens, candidati ab illo honore donatus, & nonnullis Apuliæ Civitatibus prælatus est. Hic in superiori expeditione apud Siciliam, cum Saracenum quendam stravisset, ejusque insignem equum victor cæpisset, cumque à supradicto Maniaco, idem equus expetitus, & ab Arduino constanter illi negatus fuisset, cum vi tandem, atque dedecore equus illi sublatus est. Hujus autem injuriæ Arduinus, ex tunc aptum retributionis tempus patientia dolosa expectans, & tandem invenisse se putans, omni conamine Græcis molitur insidias. Orationis igitur gratia Romam ire se simulans, Aversam venit, & Rainulfo Comiti causam suam aperiens, ad universam Apuliam, se duce, facilè adquirendam, animum illius accendit, effæminatos prorsus, atque remissos asserens Græcos, terram opulentissimam, se jam, & numero multos, & armis insignes, angusti tamen unius oppiduli penuriis usque ad id tempus, non sine injuria sui contentos. Placet consilium, adhortatio comprobatur, & id protinus aggrediendum consilio unanimi definitur. Mox idem Comes XII. de suis Capitaneos eligit, & ut æqualiter inter se adquirenda cuncta dividerent præcipit: Arduino de omnibus medietatem concedendam dispo-

pit;

nit; idque ad invicem sacramento firmato, trecentos numero milites eis adhibuit. His ita dispositis anno utique Dominicæ Nativitatis M. XL primo, quo videlicet anno dies Paschalis Sabbati ipso die festivitatis S. Benedicti venit, Arduino Duce, Melphiam primitus, quæ caput, & janua totius videtur Apuliæ, adeunt, quoque interveniente, ac mediante, sine aliqua illam controversia capiunt. Inde Venusiam, inde Asculum, inde Labellum viriliter occupant. Mittitur interea Constantinopolim de præsenti calamitate relatio remittitur Ducliano ad Normannorum exterminationem maximus Græcorum exercitus. Tandem condicto die, ac loco, juxta fluvium scilicet oliventum convenitur in pugnam: mandatum autem fuerat Græcis, ut Normannorum partem occiderent, partem Imperatori legendam vinculis manciparent, Sed, ò superbia Deo semper invisa, ex omnibus, qui semel, & bis ad eos missi sunt, nemo fere remansit, Dux cum paucis aufugiens eventum belli Imperatori rescribit. Perturbatus Imperator iterum Duciano potiorem delegat exercitum, Normanni interea, ut incolarum ad se animos inclinarent, Atenulfum Beneventani Principis fratrem sibi Ducem constituunt, rursumque convenientes in prælium, Græcos eventu mirabili sternunt. Fluvium namq; qui Aufidus dicitur, cum in ipso belli procintu penè siccum Græci transissent, ita Dei judicio redundantem, ripasque transgred entem fugientes reperiunt, ut plures fuerint aquis absorti, quàm gladiis interempti. Normanni castris, & spoliis maximis Græcorum potiti ditescunt.

An. 1041. Dehinc Imperator, his auditis, ira succensus, pulso Ducliano, Exaugustum nomine quendam, vice illius, cum Normannis dirigit congressurum; Guaranorum illi, & aliorum Barbarorum copiam socians. Cur pluribus? Iterum in pugnam circa Montem, cui Piloso nomen est, utrinque concurritur. Tandem mentibus Guaranis, cadentibus Calabris, fugientibus, qui evaserant, Græcis, Exaugustus capitur, Normanni victores, & alacres revertuntur. Dehinc habito consilio, Græcorum Ducem Duci suo contradunt. Quo ille accepto, sperans se multis ab eo divitiis locupletandum, relictis Normannis, Beneventum reversus est, eumq; non parva pecunia vendidit. Normanni autem Argiro Meli suprad cti filium sibi præficientes, cæteras Apuliæ Civitates partim vi capiunt, partim sibi tributarias faciunt. Post hæc Guilelmo, Tancridi filio Comitatus honorem tradentes, ad Guaimarium omnes conveniunt, eumque pariter cum Rainulfo Aversano Comite ad divisionem terræ, vel adquisitæ, vel adquirendæ venire Melphim invitant.

Anno 1043. Primo igitur eidem Rainulfo Domino suo Sipontinam Civitatem cum adjacente Gargano, necnon pertinentibus sibi oppidis omnibus honoris causa concedunt. Dehinc cætera ad illorum placitum inter se dividunt. Statuunt itaq; Guilielmo Asculum, Drogoni Venusiam, Arnolino Labellum, Uxori Antobovi Monopolim, Petro Tranim, Gualterio Civitatem, Rodulfo Cannim, Tristaino Montem Pilosum, Herveo Trigentum, Asclitino Acerentiam, Rodulfo Sanctum Archangelum, Raimfrido Monorbinum. Arduino autem, juxta quod sibi juraverant, parte sua Contradita, Melphim primam illorum sedem communiter possidere decernunt. Hoc itaque modo à Normannis adquisita Ap lia est. Mortuo igitur Comite illorum Guilielmo, frater ipsius Drogo illi successit, & isto quoque occiso, Humfridus defunctorum frater Comes effectus est, atque post eum Robbertus, qui & Viscardus, qui non sola contentus Apulia; sed Calabriam quoque totam, & universam sibi subjugavit Siciliam, sicut in sequentibus ostendemus. Apud Aversam autem defuncto Rainulfo, successit ei Asclitinus, qui cognominatus est Comes juvenis. Dehinc Rodulfus cognomento Capellus. Quo ab Aversanis expulso, Raidulfus Trincinocte Comes effectus est, & isto quoque mortuo, Richardum filium Asclitini, qui tunc apud Apuliam in Drogonis militia consistebat, cui etiam idem Drogo suam sororem conjunxerat, Aversani sibi Comitem statuerunt. Et hic etiam, qualiter Capuanum Principatum indeptus sit, congruenti loco monstrabitur. Jam nunc ad nostri Abbatis seriem redeamus.

Qualiter Normanni cæperunt Castrum S. Andreæ, & rehabuerunt ipsum meritis B. Benedicti. Cap. 71.

Porrò demum Normannis Arcem, q æ nunc S. Andreæ vocatur, in suum refugium ædificare aggressis, mandat Abbas ab incæpto desistere; sed nullam inde obedientiam, nullam illi reverentiam voluerunt habere . . . . . . *& prosequitur enarrare graves altercationes inter Monachos, & Normannos; parum ad Politicam Normannorum Historiam pertinentes.*

Qualiter Riccardo Principatum, & Roberto Guisquardo Ducatum idem Apostolicus [Nicolaus II.] *confirmaverit, & qualiter uterq; illorum id adquisiverit. Lib. III. Cap. 16.*

Hisdem quoque diebus, Anno 1059. & Richardo Principatum Capuanum, & Roth-

& Rothberto Ducatum Apuliæ, & Calabriæ, atque Siciliæ confirmavit, cum sacramento, fidelitate Romanæ Ecclesiæ ab eis primo recepta, necnon investitione censûs per singulos annos, per singula boum paria, denarios duodecim. Sed quoniam horum duorum Magnatium, Robberti scilicet, atque Richardi, QUI PRÆ CÆTERIS SUI TEMPORIS MORTALIBUS LOCUM HUNC DILEXERUNT, DITAVERUNT, AC PROTEXERUNT, quique huic nostro Desiderio (*Abbati*) nimium devoti, fideles, & amicissimi in omni vita extiterunt, decurrens historia attulit mentionem, dignum videtur, qualiter sit uterque ad suæ dignitatis honorem provectus, vel breviter opusculo isti inserere, nam & superius nos id ipsum promisisse meminimus.

Robberto igitur primum frater ejus Drogo, qui tunc Comes erat Apuliæ Roccam Sancti Marci concessit, quam videlicet, in confinio Calabriæ, ipse non multo ante construxerat, deque tota illum Calabria pariter investivit. Sed cum pauper admodum esset, vicinæ Urbis Dominum, quæ Bisinianum vocatur, Petrum videlicet Tyræ divitem valdè virum, vocatum ad colloquium cæpit, à quo utiq; viginti milia aureos pro ejus absolutione recepit. Huic ad fratrem pergenti Girardus de bono Alipergo occurrens, primus omnium illum Guiscardum, (*Astutum*) quasi per jocum, appellavit, ejusque demum miles effectus, Alveradam illi amitam suam in matrimonium junxit, sicque simul ingressi Calabriam, brevi tempore universas ferè illius Urbes cæperunt. Post mortem autem fratris Humfridi, honore ipsius recepto, Regium Urbem obsidens, capit, & ex tunc cæpit Dux appellari. Reversus Apuliam, cæpit etiam Trojam, & ita paulatim, diversis licet temporibus, totam terram, universosque partium illarum Normannos, præter Richardum, suo subdidit dominatui. Cognito præterea, quod prædicta Alverada sibi affinis esset, parat divortium, sororemque Salernitani Principis cæpit expetere in conjugium, quod & factum est, & Alveradæ dona conferens plurima, Calabriam cum Sihcelgaita perrexit. Post hæc ad Saracenorum expugnationem, & adquisitionem Siciliæ ingens Robberti animus vertitur, ad quam videlicet cum valido exercitu transiens, Messanam primo, quæ in portu sita erat, ex improviso occupat, inde Rimetum, ad Urbem, quæ Castrum Johannis vocatur, ex quatuor partibus Castella communit; bella ibi prosperrima peragit, à Panormitano Admirato dona ingentia recipit, Castrum Sancti Marci nomine, in Valle Demenæ construit. Messana militibus communita, tandem ingenti auro onustus, Calabriam repetit. Otrantum deinde tandiu obsidens afflixit, quousque illi se tradidit. Inde Varum terra, marique circumdat, eamque post quatuor circiter annos Argirizzi factione ingreditur. Rursus igitur ad Siciliæ, Panormique expugnationem cum navali profectus exercitu, intra quinque Mensium spatium Cathenam (*Catanam*) primò, inde Panormum, deinde Nazarim (*Mazarim*) capit, sicque fratrem Roggerium de tota investiens Insula, & Medietatem Panormi, & Demenæ, ac Messanæ sibimet retinens, acceptis Saracenorum obsidibus, thesauro ingenti ditatus, Calabriam redit.

Multa hic notantda venirent in Leonis Ostiensis assertione, Siciliam Roberti armis partam fuisse; cum verius à Rogerio Comite acquisitam, affirment, & Gaufridus Malaterra, Lib. II. Cap. 1. & Urbanus II. in Bullis Pontificiis confirmantibus Episcopatus Syrarusanum, & Catanensem, apud Pirrum in Notitiis illarum Ecclesiarum.

Hæc interim de Robberto breviter tetigisse sufficiat, quia qualiter hanc Insulam cæperit, latius loco suo scribemus; nunc jam aliqua de Richardi Principatu scribamus. Hic itaque Aversanum, ut supra jam tetigimus, Comitatum indeptus, ad Capuanæ Urbis expugnationem animum cæpit intendere, & ad Principatus dignitatem toto nisu ambire. Supra quam, cum tria Castella firmasset, eamque acriter debellans affligeret, septem milibus tandem aureis à Pandulfo juniore susceptis, obsidionem solvit, sed ad tempus. Nam cum post mortem Pandulfi Landulfus filius successisset mox, & Richardus accedens obsidionem firmavit. Proferunt multam Capuani pecuniam, Richardus nil appetit, nisi terram. Arctati demum famis penuria Cives, cedente Landulfo, recipiunt hominem, sacrant in Principem, portas sibi dumtaxat, cum turrium fortitudine retinentes. Dissimulat hoc interim novus Princeps, & aptius id expetendi tempus expectat. Non multò post venit ad hoc Monasterium, recipitur honorificè nimis cum processione sollemni, placent omnia valdè, rogatus à senioribus de loci tutela devotissimè promittit se totius Monasterii contra omnes, quos posset, fidelissimum decætero defensorem. Campaniam deinde profectus, totam fermè intra tres Menses adquirit. Inde Capuam rediens, congregatis nobilibus, dignum jam asserit esse, turres Civitatis, & portas sibi contradi. Timentibus hoc, & omninò refutantibus agere Capuanis, iratus Princeps Urbem exit, eamque rursus artissima obsidione undique cingit. Iterum Cives fame valida pressi, ultra Montes ad

Impe-

Imperatoris suffragium exorandum Archiepiscopum suum transmittunt, sed qui verba detulit, verba recepit, sine aliqua utilitate regressus. Tunc Capuani spe undique decidentes, jamq; resistere non valentes, & turres tandem, & portas, & se ipsos, omnes, cum suis omnibus virtuti Principis tradiderunt: Anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo secundo, cum jam per decem circiter annorum curricula, Normannis viriliter repugnassent. Post paucum tem. pus, divino judicio, nocte conflagrata Teano, manè Princeps cum exercitu lupervenit, fugientibus Comitibus, Civitatem ultrò tradentibus Civibus, recipit, ita sibi, Deo in omnibus pro Incolarum nequitiis prospe rante, universaa Capuani Principatus attinentias cum Civitatibua, & Castellis, brevi sibi tempore subdidit.......,,

Qualiter Robertus Guiscardus Siciliam ceperit, &c. Cap. 45.

ANno 1072. Cum igitur Panormitanæ Civitatis regimen Vulthuminua Admirarius retineret, quidam ex servis ejus, Belchus, nomine contra eum insurgens, honore eum, patriaque privavit. Tunc navali Dux collecto exercitu, Siciliam, Christo Duce, expugnaturus ingreditur. Contra quem Saraceni cun valdo exercitu congredientes, juxta Civitatem Messanam sine mora. Christo favente, superati sunt, reliqui fugæ præsidium sumunt. Messana verò capta, ejusque Admirario interfecto, Rimetum Dux pervenit ad Urbem, quam sibi tributariam faciens, cum mille equitibus, totidemque peditibus ad Castrum Joannis pervenit. Adversua quem Balchaoth Saracenorum Admirarius cum quindecim millibus equitum, & centum millibus peditum properans, bellum iniit mirum, & omnibus retro temporibus inauditum, cum ex Christianis non equitum, vel peditum aliquis vulneraretur, vel moreretur, ex Paganorum multitudine interfectorum numerus vix colligi potuit. Inde autem Dux *victor* recedens in Vallem Demenæ, in qua Roccam B. Marci construens, Calabriam rediit, & super Barum, quæ totius Apuliæ primatum optinet, cum exercito veniens, obsidionem locavit. Quam cum diù obsessam in deditionem accepisset, cum militari agmine Siciliam rediit, ac Civitatem Catbaniensium capiens, Panormum obsidere præcepit An. 1070. Quam cum quinq; mensibus obsedisset, tandem illã, pro ut volebat, obtinuit. Talia igitur ad votũ sibi Dux evenisse advertens, immenso valdè congregato exercitu, super Salernum Castra locare disponit. *Cætera ad solos Normannos pertinentia in fine II. Partis transmisimus.*

EX EREMPERTI EPITOME HISTORIÆ LANGOBARDORUM AD REM SARACENICAM EXCERPTA.

DE EODEM.

HEremberrus, sive Erchempertus, Gente Langobardus, ex illustri Beneventaaorum Ducum stemmate ortus, Monachus, & Diaconus Monasterii Casinensis, claruit Anno 887. Scripsit Chronicon, sive Historiam Langobardorum; cujus Epitomen, forte ab ipso Heremperto ab anno 750. usque ad sua tempora concinnatam, evulgavit Antonius Caracciolus, anno 1626 simul cum Lupo Protospata, Falcone Beneventano, & Anonymo Casinense, hic a nobis editis. Ex eo tantum, quæ ad Saracenorum Historiam pertinent, excerpere curavimus.

AB *anno* 812. *ad ann.* 875. Circa hæc tempora, gens Agarenorum à Babylonia, & Africa, ad instar examinis Apum, manu cum valida egrediens, ad Siciliam properavit, omniaque circumquaque devastans, tandem Civitatem insignem, Panormum nomine, captam nunc usque inhabitat, plurimasque in ea Insula Urbes, & Oppida diruens, jam penè totam suæ ditioni subjecit.

Anno circiter 840. His quoque diebus... quidam Barim regebat, qui jussis obtemperana Radelchisii, Saracenorum phalangas in adjutorium accitas, juxtà murum Urbis locavit commorandas. Hi autem sunt natura callidi, & prudentiores aliis in malum, subtilùs contemplantes munitionem loci, intempesta nocte, Christicolis quiescentibus, per abdita loca Urbem penetrant, populumque insontem, partim gladiis trucidarunt, partim captivos fecerunt; supradictum verò proditorem Gentis, & Patriæ, variis, multisque suppliciis extorquentes, postremò, ut verè dignum fuit, marinis sugillarunt gurgitibus. Quo comperto Radelchisius, quia eos ab Urbe evellere nequibat, cæpit quasi familiares amicos excolere, & ad suum adjutorium sensim provocare. Ac primum Castrum Cavense unà cum Urso filio suo illic destinavit, oppugnandum. Confestim igitur intimatur, hoc Siconolfo, statimque eos debellaturus properavit, atque super eos audacter irruens cunctos, qui fugere nequibant, armis stravit, tantoque victoriæ est potitus trophæo, ut ex innumerabili agmine Paganorum vix panci effugerint, qui casum pereuntium enarrarent. Rex verò eorum, Calpho nomine, solus cum dedecore fugiens, equo itinere valdè fesso tandem lapsus, pedester Urbem introivit.

An. 848. Interea Siconulfus Beneventum crebris præliis affligebat, atque ut dici solet, malę arbori, malus nodus infigẽdus est; cõtra Agarenos Radelchisii Lybicos, Ismaelitas,

Hiſpanos aſcivit, iiſq; invicem inteſtina, & extera alternantibus bella, ultromarina loca captivis gentibus diverſi ſexus, & ætatis fulciebantur .... Sed cum jugiter civili bello invicē lacerarentur, erat omnium pernities, & ut ita dicam, animæ, & corporis extrema perditio, maximè quia Sarraceni Beneventi degentes, quorum Rex erat Maſſan, infra extraque omnia funditus delebant, itaut optimates illius pro nihilo ducerent, atque ut ineptos ſervulos taureis duriter flagellarent.

An. 859. Poſt hoc tempus Agareni Barium militantes, cæperunt, devaſtantes penitus, ac deprædantes totam Apuliam, Calabriamq; & pedetentim Salernum, ac Beneventum depopulari initiarunt. Tunc iterum ſupplicatum eſt lamentabili petitione apud jam dictum piiſſimum Auguſtum, per venerabilem virum Bertharium B. Benedicti Vicarium, & Jacobum S. Vincentii Abbatem, ut præpararet quantocyus, & ſuo adventu eriperet, quos ante id miſericorditer redemerat: ut ſimus, inquiunt, fideliſſimi famuli illius, conſtiteatque nos ſubeſſe cuilibet ultimo ſuorum. Qui ſine mora veniens cum incredibili multitudine, Barim perrexit, ſed obliti Capuani ſuam ultimam ſponſionem, Urbe ſe recondentes Landulfum tantum Antiſtitem vice ſua deſtinarunt, Videns autem ſupradictus Cæſar, & illorum fallaciam, & ſe nihil proficere ſine emolumento, procedens abiit, conceſſo Principatu Salernitano Adelmario fortiſſimo, & illuſtri viro, & Siconulfi filium exulem fecit.

An. 871. Inter hęc Sedoan vocatur ab Adelgiſio, nequiſſimus, ac ſceleratiſſimus Hiſmaelitarum, totamq; terram Beneventanā igne, gladiis, & captivitate crudeliter devaſtabat, itaut nō remaneret in ea aliquis, quamobrem & Gallorum exercitus crebriùs adveniens ad eorum efferitatem opprimendam, nihilque proficiens, viam, qua venerat, repetebat. Unde factum eſt, ut Adelgiſius Beneventi Princeps coarctatus, penſione, & obſidibus pacem cōfirmaret. Quo tempore Marelpotus Theleſinus, & Guandelpertus Bovianenſis, Caſtaldei, multa cum prece conduxerunt Lambertum Ducem Spolitentium, & Gerardum Comitem, ut obviantes eidem Seodan, cum de Capuæ depopulatione reverteretur, in arcium tellure irruerent ſuper eum. Sed exurgens jam dictus vir, & ſuper Beneventanos, & Francos fortiter ſe injecit, & devictis cuneis, plurimos eos interemit, nonnullos cepit, & crudeliter excuſſit, Gerardus verò Comes, & Marelpotus, & Guandelpertus ſupradicti eadem in acie occubuere. Qua de re Seodan audaciam ex illo die poriſſimè ſumens, Beneventum, ejuſq; confinia funditus delevit, ita ut nullus locus præter Urbes præcipuas illius efferitatem evaderet. Quibus diebus, & Caſtrum Venafranum cæpit, & Cœnobium S. Vincentii Martyris deprædatus eſt, & pro ædificiis non combuſtis, tria millia aureorum accepit.

Invitatus itaq; Ludovicus Cæſar, ut prædixi in commune à Beneventanis, Capuanis, cunctiſque ad tuitionem perditæ Patriæ, (à Guaiferio autem minimè, quia eum Ludovicus pro Adelmarii captione execrabatur) Beneventi fines per Soran congreditur, atq. prius Monaſterio Benedicti Beati applicuit, quo ad eum Legati de diverſis Urbibus venerunt, inter quos Landulfus jam dictus, & nepotes ſui ex diverſo venerunt.

An 873. Sequ. anno multis fultus auxiliatoribus, Barim perrexit, atq; cū dicto Seodan Auguſtalis exercitus pugnā cōmiſit, à quibus etiam ſuperatus aufugit, amiſſa non modice parte bellatorum. Dehinc omnia eorum circumquaq; ſata comburens, Materam adiit, quam & ſine mora igne cepit. Tunc venit Venuſiam, caſtrametatuſq; in ea cępit renovare, & Barim hinc & inde graviter expugnans, demolitus eſt, poſitoq; præſidio pugnatorum in Canuſio, viciſſim eos cornibus vētilabat, quo terrore propulſi, multi ad Auguſtalem confugientes clementiam, dari ſibi petebant dextras, quibus tunc ſolitam miſericordiam præbebat. Poſthæc, itum eſt ad Oriam Urbem, ſicq; denique reverſus eſt Beneventum, atq; adjuvante dextera ſuperna, cum jam ad extremitatem maximam perveniſſent omnia, Sarracenorum fugato exercitu, Barum cepit, capto in eo Seodam effero Rege, cum aliis nonnullis ſatellitibus ſuis. Deinde Tarentum obſideri juſſit, quibus ita peractis, videns diabolus ſuos exterminari, Chriſtoque univerſa inſtaurari, principia recolens & damna inferni, agere ſtuduit ſua nequitia. Cæperunt ergo Galli graviter Beneventanos perſequi, ac crudeliter vexare, qua de re, & Adelgiſius Princeps aggreſſus Ludovicum Auguſtum, cum ſuis Beneventi intra menia degentem, ac ſecurè quieſcentem aſtu doloſo ſanctiſſimum Virum, Salvatorē ſcilicet Beneventanę Provinciæ cępit, & cuſtodiis mancipavit, bonsq; ejus diripiens, ditatus eſt, cunctoſq; viros ejus primates expoliavit, & fugere compulit, & de bonis eorum onuſtatus eſt; impletuſque eſt ſermo Domini ex Profetia, ubi ait, Percute Paſtorem, & diſpergerentur oves gregis. Conſiſtente itaq; Auguſto in cuſtodia, excitavit Deus Spiritum Hiſmaelitarum, eoſq; ab Africa regione protinus erexit, ut ulciſcerentur Auguſti opprobrium, ſicuti Filii Dei paſſionem Veſpaſianus, & Titus ulti ſunt.

Jubente ergo Domino, Cęſaris ultore ſtatim Sarraceni Salernū applicuerunt ferè 30. millia, quod graviter obſidentes, hinc inde, cuncta forinſecus deleverunt, innumerabilibus in ea occiſis colonis, & depopulati ſuet ex parte Neapolim, Benevētum, & Capuam. Quo tempore ambo Lamberti Comites, Auguſti furorem metuentes, Beneventum acceſſerunt,

ferunt, & ab Adelgiſio honorificè ſuſcepti ſunt, quorum auxilio fretus, ſuper Sarracenorum turbas irruit, & viriliter ſtravit, occiſis ex eis tribus millibus viris; quibus etiã diebus, Capuani juxta Sueſſulam mille ex eis peremerunt. Cumq; in hac obſidione propè terminaretur annus; miſſo exercitu jam dictus Auguſtus per ſuggeſtionem Landulfi Prę-ſulis, (hoc enim ſolummodo memorabile bonum geſſit, à die ortus ſui) perdidit ex profanis in capua ferme novẽ millia viros. Poſt hæc per ſemetipſum dignatus eſt advenire Capuam, cujus adventu cognito Sarraceni, Salernum relinquentes, Calabriam adeunt, eamq; intra ſe diviſam reperientes, funditus depopulati ſunt, ita ut deſerta ſit velut in diluvio. Priuſquam autem fugam arriperet nefanda gens hujuſmodi, ſignũ de cęlo Deus multis oſtendit, faculam igneam, quæ maximè celeri curſu in medium navium decidit, quam mox tempeſtas ſequuta eſt, cunctas diſrumpens liburnas fruſtratim . . . Cur autem jam dicto Auguſto ſupradictum opprobrium Domino permittente, Beneventani inferre quiverint, de multis, duo inferam; Primùm, quia veniens quodam tempore Romam, ut duos Epiſcopos condemnatos ad priſtinam reduceret dignitatem . . . . .

Secundum quia capto Bari Seodan omnium, hominum flagitioſiſſimus, non juxta volũtatem Domini interfectus eſt crudeliter, ut dignum erat, ut fecit Samuel Agag Amalechitarum Regi, quẽ in fruſtra diſcerpſit. Quemadmodum etiam quidam Propheta Samarię Regi dixit de quodam ſceleſto viro, quia dimiſiſti, inquit, virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius.

An. eodem Remiſſo igitur Adelgis Lodovico Cæſare, Theſaurum omnem retinuit, & Seodan, & Annoſum, necnon & Adelchim. Reparatis etiam viribus Sarraceni cęperunt, pedetentim Barim, & Cannenſe Territoriũ depredari, quibus ter obviavit Adelchis in finibus Apuliæ, quibus nihil prævalens invictus ille, & triumphator abſceſſit. Quo etiã tempore cum Annoſo veniens, Tarentum intravit, & Rex eſſectus eſt, egreſſuſque inde Beneventum graviter deprædavit, & Teleſam, & Alipham, tantamq; victoriã adeptus eſt, ut Seodan jam dictus poteſtatem ſub Adelgiſum habere peteret. Et ob id Annoſum, & Adadelbach antea apocriſarios illi miſerat. Hoc audientes quicumq; Bari reſidebant, Gregorium Bajulum Imperialem, Græcorum, qui tunc Hydrunti degebat, cum multis exercitibus aſciverunt, & Barium introduxerunt ob Sarracenorum metum. Qui ſtatim apprehenſum Garſt, illiuſque Primores, Conſtantinopolim miſit, ut quibus non occidendis jure jurando fidem dederat. Interea ipſi Græci crebriùs Legatos Beneventum, Salernum, & Capuam dirigebant, ut ab iis auxiliarentur contra Sarracenos. Sed ii uno animo, eorum ſpernebant flagitationes. Salernum enim, Neapolis, Gaeta, & Amalphis tunc pacem habebant cum Sarracenis, & cum multis Navalibus Romam graviter anguſtiabant depopulationibus.

An. 879. Per idem tempus Athanaſius Præſul Neapoli Magiſter militum præerat, qui ut præmiſimus, exulato fratre proprio, cum Sarracenis pacem iniens, ac primum infra Portum equoreum, & Urbis murum collocans, fecit, ut li omnem terram Beneventanam, ſimulque Romanam, necnon & partem Spoletii diruentes, cuncta Monaſteria, & Eccleſias omnes, Urbes, & Oppida, Vicos, Montes, & Colles, Inſulaſq; diripuerant. Qui etiam decentiſſima, totoque Orbe veneranda S. Benedicti, & S. Vincentii Martyris Monaſteria deprædati ſunt, & combuſſerunt, aliaque innumerabilia, præſertim Sveſſulam, quę veraciter Chriſtianorum fraude miſerabiliter ſuffoſſa eſt.

An. eod. Per idem tempus Iſerniam, Sveſſulam uno menſe, caſtrum etiam Bovianum eodem anno capta Iſmaelitæ combuſſerut.

An eodem His diebus idem Præſus miſſus Apocriſarius, ad Siciliam, Sarracenis ad radicem Montis Reſubii reſidentibus, Sulthaimum Regem expoſcit, illiſque veniens præfecit; Sed juſto Dei judicio, primo omnium ſuper eum inſurgens, cepit Neapolim graviter affligere, & devorare õnia exterius. Itaque ut Apoſtolicum Anathema, quo erat innodatus, à ſe, & Urbe ſua expelleret, Guaimarium Principem, omneſque Capuanos ex Vrbibus, & Oppidis, cunctoſque maritimos in ſuum adjutorium advocavit, & Sarracenos ab eodem loco vi repulit: illi autem Agropoli caſtrametati ſunt.

An. 884. Inter hæc Sarraceni totam ſupradictam terram crudeliter laniabant, itaut deſolata terra cultoribus, ſpinis, & vepribus repleretur. Guaiferius autem hæc videns, ſuaſus ab Athanaſio, immò & Athanaſius ab illo vocatus, cepit bellum inferre dictis fratribus, atque cum Sarracenis eos affligebat, & acrius inſequebatur. Tunc nutu Dei, à quo omne bonum procedit, quendam Agarenum ab Africa evocans Regia de ſtirpe procreatum, Agropolim, inde ad Garelianum, in quo præſidebant, ad mœnia Iſmaelitica miſit, atque omnium illorum mentem accendens hortatu univerſos Sarracenos, tam de Gareliano, quàm de Agropoli communiter collecti, in Calabriam, ubi reſidebat Grę-corum exercitus, ſuper Sarracenos in Sancta Severina commorantes, properarunt, ibique omnes Grajorum gladiis extincti ſunt. Deinde Amanteum Caſtrum captum eſt, deinde jam dictę S. Severinę Oppidum obtentum eſt.

An 886. Eodem tempore Guaimarius ſupradictus Princeps cum nimium affligeretur ab Athanaſio Epiſcopo, juncto cum Sarracenis, eſſetque ex toto depopulata tellus ipſius,

ipsius, Itaut capi potuisset, nisi divina pietas restitisset, ad Græcorum se contulit suffragia, à quibus nobiliter est adjutus. Nam & auro, & frumento adjutus est, & auxiliatoribus stipatus est, qui custodirent Urbem, & populum ejus; quod etiam adhuc servatur. Ayo autem Princeps Beneventi, & ante Principatum, & post, & partim imbecillis, partim robustus extitit. Abeuntibus autem in Calabriam Sarracenis, illamq; perdentibus, Docibilis Dux Cajetæ centum penè quinquaginta ex eis secum retinuit, ut sine Sacerdotali Sarracenorum officio non remaneret, ad instar Judaicorum Regum, qui diviso inter se Samariè Regno, Levitas majori ex parte Hierosolymam ubi templum erat toto Orbe authenticum, congregaverunt. De horum itaque numero, ferè ad centum viginti Sarraceni, Urbem Theanensem audacter adierunt, sicut prius agere tentaverant quando plusquam quingenti erant. Sed super eos Lando ceu Leo audacter cum suis veniens, usque ad ultimam internitionem pervicit eos, itaut nonnisi quinque evaderent.....

An. eod. Eodem quoque tempore Guido filius Guidonis senioris super Sarracenos in Gariliano castrametatur, & hostiliter irruens, castra eorum dirupta deprædavit, & aliquot eorum gladiis peremit, reliqui Montium per opaca velùt aqua diffusi sunt. Is autem appropians ultra transvadit, & ad pontem, qui Theudemundi vocatur, castrametatus resedit aliquandiu, & ablato, ex Liburnia frumento, aliis victualibus delatis ad Capuanos, reconciliati sunt cum eodem Duce Spoletano non desfœderati......

An. 887. At non multo post instigãte inimico humani generis, collecto Athanasius multitudinis exercitu, mixto, Græcorum, Neapolitum, & Hismaelitarum, equitãtium, & pedestrium, misit illos, adversus Capuam pugnaturus, quibus occurrit Adenulfus ultra rivulum Livii, habens in Comitatu suo Auxiliatores ab Ayone missos, atq; Sarracenos, qui tamen ex utraque parte juncti steterunt, nulli præbentis auxilium. Adenulfus hoc videns, acrius super inimicos suos insurgens, pertrivit eos usque ad ultima perniciem, occisis plurimis, multisque captis, reliquos oppido fugere compulit, victorque triumphans ad Castra spoliis onustatus repedavit, de suis autem unum tantum amisit, & ipsum à suis occisum esse ferunt. Ab hoc sanè die cæpit Adenulfus esse potens, Athanasius verò impotens.

An. eod. Interea videns Athanasius se in omnibus separatum, pacis expetiit fœdus, quod adeptus est; factoq; jurejurando amici ad invicem effecti sunt. Primùm tantum Sacramentum roboreum erat per mensem, vel tempus annotatum, istud autem nec ad diem duravit duodecimum. Denique Hismaelitæ hàc, illàcque discurrentes, omnia devorant, & contra Neapolim unanimiter consurgunt, æquo valde examine, ipsumque supernum jaculati sunt solium. Ab his proculdubio Athanasius perculsus est, cum quibus Christicolarum genus penè omne protiverat.... Adenolfus autem cum Athanasio, pace interim custodita ferè binis diebus, postea scisso fœdere, utraque pars ad prædam prorupit. Sed Capuani validiores effecti, per se & cum Sarracenis Neapolim circumquaque vastantes, lacerant, & igne consumunt omnia, æquo Dei judicio, ut qui cum Sarracenis gladio, & captivitati Christicolas tradiderat, bonisque eorum ditatus est, non immeritò ab his flagelletur, rodatur, & prædetur.

An. 888. Defuncto autem Lamberto, filio Guidonis senioris, Spoletium reliquit, quo etiam decedente, Guido junior Spoletium, & Camerinum suscipiens, cum Sarracenis in Sepino castrametatis pacem fecit, obsidibus datis, & acceptis. Cujus etiam tempore supradicta Cœnobia, Urbes, & oppida omnia à Sarracenis capta, & exusta sunt. Regiam igitur ad Urbem legationem dirigens, contra jus faciens, pecuniam accepit, quamobrẽ à Carolo III. captus est, & nisi fugam arripuisset capite plectendus erat...... Cognoscens autẽ Guido Carolum Augustum seminecatum jacere, cupiditate regnandi devictus, deceptusque à contribulibus suis, relinquens Beneventanam Provinciam sibi subactam, Spolitentium Ducatum adiit, ibi regnaturus. At Beneventana quidem tellus à Græcis tollitur, & capitur: & Spoletium etiam depredatur, ab Agarenis, ipse autem Guido manet ibi invisus, & inauditus.

An 888. Sed quamobrem talia permiserit Divina æquitas illi Belluine genti, narrabo breviùs. Achivi, & habitu similes sunt, ita animo æquales sunt bestiis, vocabulo Christiani, sed moribus nequiores Agarenis. Hi videlicet, & per se fideles omnes prædabant, & Sarracenos emebant, & ex his alios venales Oceani littora faciebant, alios verò in famulos, & famulas reservabant. Talia, & his similia videns Deus, tradidit illos in opprobrium, & devorationem, ut recogitent, & intelligant, quia in operibus suis diris Deum irritaverant. Acta sunt hæc in arcto spatio maris, quod dividit Regnum à Sicilia, qui locus olim tellus erat, sed moderno tempore à Pharo æquore occupatus est. Hæc inquam gesta sunt Anno Domini 888. Mense Octobris.

Historiæ Saracenico-Siculæ Finis.

GUILLIELMI
APULIENSIS
RERUM IN APULIA, CAMPANIA, CALABRIA, ET SICILIA NORMANICARUM.

LIBRI QUINQUE.


THOMÆ FASELLI SICULI

De Normannis in Sicilia judicium.

Siculi quòd in patrio solo sunt, quòd liberi sunt, quòd omnes hodie Christiani sunt, ingenue Normannis acceptum ferunt.

DE GUGLIELMO APULIENSI

BREVIS NOTITIA.

Loruit Apulienſis noſter labente ſeculo undecimo, aut ſub principio ſubſequentis; & nomen ſibi acquiſivit libris quinque carmine heroico conſcriptis de Rebus Normannicis in Italia, & Sicilia geſtis. Eoque majoris hiſtoricum hoc Gulielmi poema fieri à nobis convenit, quod magna ex parte, eorum quæ commemorat teſtis fuerit ut dicitur oculatus. Poema ſcripſit ipſe ſuum, poſtulato tum Urbani Secundi Romani Pontificis, qui ſedere cepit anno 1087. & deceſſit 1099. tum etiam Rogerii Ducis cognomento Burſæ Roberti Guiſcardi filii,non ut Gerardus Voſſius (lib. 3.de Hiſtoricis Latinis) ait Rogeris Comitis Roberti ſupradicti fratris; ut videre eſt in eiſdem verſibus quos Voſſius ipſe citat.

Parce tuo vati pro viribus alta canenti
Clara Rogere Ducis Roberti dignaque proles.

Editionem librorum Apulienſis procuravit primo Rothomagi 1582.typis Martini le Meſgiſſier, & Thomæ Mallard, Joannes Tiremæus Fiſci in Rothomagenſi Provincia Advocatus, ex cujus epiſtola dedicatoria ad Lodoicum Balliolum (quam integrum damus) multis ad præſentem collectionem ſpectantibus edocemur; editio autem hæc Rothomagenſis ita rara erat tempore Andreæ du Cheſne, ut eruditiſſimi Diarii Italici ſcripturas th.6. art.14. teſtantur, ut ex hac tantum cauſa laudatus du Cheſne in ſuo rerum Normannicarum opere non inſerverit. Sed quod iſte.... facere non potuit, fecit Cl. Gotifredus Gulielmus Leibonitius Annoveriæ anno 1707. typis Nicolai Ferſteri in volumine cujus titulus Scriptores Rerum Brunſuicenſium; & nos tertio demum in principio collectionis noſtræ,

NOBILISSIMO, AC DOCTISSIMO

LODOICO BALLIOLO

LONLEII, AC SYLLEII CENOBIARCHÆ DIGNISSIMO.

JOANNES TIREMÆUS HAUTENOEUS FISCI
In Provincia Rothomagenſi Patronus.
S.



UM ante annos aliquot, nobiliſſime Balliole, Argentona reverterer, quò per anniverſarium nobis juſtitium, optimi parentis mei viſendi cauſâ Iveram: in itinere religioſa Becobelvini Cœnobii domus hoſpitio me libenter invitavit, & liberaliter accepit. Ibi ego cùm & hominum mores, locique amœnitatem ac ſplendorem admirarer, tandem in ſermonem de Bibliotheca incidi. In eam introductus concepi (ut eſt ex reliquiis conjectu facile) olim, dum meliora fuerunt tempora, bonorum omnis generis librorum receptaculum fuiſſe. Tanti itaque theſauri reliquias dum curioſius pro tempore perluſtrarem, oculos tandem conjeci in miſeras aliquot male compactas vixque cohærentes ſchædas, quas jandudum pulvis tineæque flaggellabant. Hujus jacturæ miſertus manum libens porrexi, & jacentes ab inerti ac planè funeſto veterno excitavi: ſqualore tandem deterſo, dum quid illæ continerent inſpexi cupidiùs, inveni inter alia, quæ vix præ vetuſtate legi poterant, Guillielmi cujuſdam Apulienſis hiſtoricum poema de rebus à Roberto Guiſcardo, fortiſſimo Normannorum Duce, in Sicilia, Apulia, & Calabria geſtis. Illud præter quàm quod ipſe nuſquam videram, & à paucis lectum hactenus aut viſum exiſtimabam, duo maximè perſcrutari coegerunt. Primum, patriæ communis amor, cujus laus, ſplendor, & antiquâ virtus quacunque eluceat, me, quod maximè debet, in primis & ſine ſatietate delectat: alterum quod intelligerem majores noſtros viros fortes ac magnanimos in diffundenda per hunc terrarum Orbem nominis ſui gloria, auctores maluiſſe ſemper quam ſcriptores eſſe rerum, & inde effectum ut illorum.

Paulum ſepultæ diſtet inertiæ
Celata virtus.

Idcirco nefas eſſe judicabam homini, qui ſe totum Reipubl. aut patriæ natum putaret, qualiacumque etiam ab exteris de laude gentis illuſtriſſ. ac bellicoſſ. ſcripta eſſent, diutius in tenebris, pati latere. Quamobrem cùm veteres illas ſchædas à religioſis hoſpitibus utendas ad tempus accepiſſem, poema quod in eis erat, totum à carceribus, ut dicitur, ad calcem intentis quàm maximè potui oculis animoque decurri. Nec eo contentus tranſcribendum quoque diligenter curavi, quò faciliùs poſſem cum amicis quibuſdam meis eruditis, ac ſinceri ſubtiliſque judicii viris communicare. Horum verò non aliud atque meum, ſed idem omninò judicium fuit: in tanta ſcriptorum paucitate, qui aliquam rerum geſtarum Normannæ gentis memoriam ſcribendo ſunt complexi, è noſtris reperiri neminem, qui hanc Guiſchardi præſtantiſſ. Ducis hyſtoriam literis illuſtrarit: ex aliis extraneis, per paucos quidem: ſed qui ſpeciatim, vel carmine ſcripſerit, quive planiùs aut veriùs quàm Guillielmus hic Apulienſis, non item: erat enim eorum temporum, quorum hyſtoriam contexit æqualis, & rerum, quod ei auctoritatem adfert & fidem, magna ex parte teſtis occulatus. Ne-

Neque verò inficiabor amicos meum, pro eo quo erga patriam affecti sumus amore desiderasse in hoc opere clarissima illa duo cujuslibet scripti lumina, quibus in primis delectantur aures, sermonis elegantiam suavitatemque compositionis. Duriora enim multa & (ita dicam) abjectiora visa sunt, idest quorum humilitate deprimatur rerum dignitas, potiùs quàm ex merito, & dignè exprimatur: ita ut fortè non immerito objici possit; quod olim poeta illis....

Carmine qui fœdo
Splendida facta linunt.

Sed nec id impedimento censuimus esse debere, quominus desertus hic à tot jam seculis Apuliensis & lucem & patrocinium mereretur. Cum præsertim, si carminis aut linguæ latinæ summa proprietas, & ornatus illi defuerint, non hominis, sed inculti in quo vixit seculi culpam fuisse, quivis æquus harum rerum æstimator facile judicaverit. Constituenti itaque mihi, de doctorum hominum sententia, extraneo huic, sed insigni Normannæ virtutis præconi, & lucem & meritam libertatem conferre: operæ pretium visum est te unum è nostris eligere, Nobilissime Balliole, cujus fœlicis. auspicio nominis liber iste tandem ex diuturnis tenebris erutus in publicum prodiret, perpetuoque patrocinio defenderetur. Nec vereor, ut sanæ mentis quisquam temere id à me, aut parum consideratè factum arguat: quin ita potius auctorem ipsum si viveret facturum existimo: & si aliter ego fecissem, infestos illius manes habiturum me fuisse nequaquam dubito. Enimverò cùm tot nobiliss. ac illustriss. Normanni hominis victorias, trophæa, resque variis olim in locis bene gestas externus homo latino carmine describat: cui mortalium, obsecro, totum id quicquid est operis, rectius inscribi, donari, dedicari posset, quàm tibi? Nam & ipse Normannus es, & ea generis vetustate, & gentilium nobilitate excellis, quæ non modo laudis, & gloriæ Guiscardo socios non secundarios dedit: sed & Scothis Jo: Balliolum fortiss. regem & Edovardum illins filium Philippo Valesio Francorum Regi Sororium procreavit. Ad hæc ita præclaris animi dotibus emines, ut hoc nostro seculo neque in omni bonarum literarum genere, neque virtutis aut sapientiæ gloria secundus cuiquam videaris. Sed de aliorum judicio suique deque: modo tibi uni meum hoc consilium probari sentiam: quod quin libentissime comprobes non dubitum est. Accipe igitur, pro tuo summo adversus literas, & literatos amore, renascentem hunc opera mea veterem Normannæ nobilitatis clientem, eumque contra omnes virtutis hostes at laudis majorum nostrorum invidos, tuo patrocinio, quod abs te petit, tuere. Quod reliquum est, velim tibi sic persuadeas quicquid à nobis est laboris & operæ ad hujus libri emendationem, & ex notis quas addidimus explicationem collocatum, totum id quoque donec meliora possimus, in eam partem tibi dari, ut & tuæ veteris in me benevolentiæ, & grati mei animi, singularisque in te observantiæ quasi pignus sit, & perpetuum apud omnes testimonium. Vale.

AD LECTOREM.

SI non tam Aonias sapiant hæc carmina Musas
Quàmque Mæonides Virgiliusve sonet,
At non hic Orci nugas, non pocula Circes,
Cyclopa, Harpyas, monstra nec ulla legis.
Græcula veridicus non curat somnia Phœbus,
Nec faciem fuco Musa pudica linit.
Vatem, lector, habes, policia Platonica qualem,
Immo Christicolum lex pia, non abigat.
Qui certaque fide, nec Musæ expertibus omnis
Versibus, ætatis retulit acta suæ.
Res propriis visas oculis, terra inque paterna,
Armis, consiliis & pietate pares.
Fortia Normannæ cognosces pectora gentis,
Quæ Gallo Italiam venit ab Oceano,
Non profuga, aut superata domi, sed laudis amatrix
Bellicæ, & innumero sedis egens populo.
Ergo legi, si non tanquam optimus iste poeta,
Optimus at certè debet ut historicus.

J. D.

GUIL.

GUILLIELMI APULIENSIS

RERUM IN APULIA, CAMPANIA, CALABRIA, ET SICILIA.

LIBER PRIMUS.

Gesta Ducum veterum veteres cecinere Poetæ;
Aggrediar vates novus edere gesta novorum:
Dicere fert animus, quo gẽs Normanica ductu,
Venerit Italiam: fuerit quæ causa morandi,
Quosve secuta Duces Latii sit adepta triumphum.
Parce tuo vati pro viribus alta canenti,
Clara , Rogere, Ducis Rodberti dignaque proles,
Imperio cujus parere parata voluntas
Me facit audacem: quia vires quas labor artis,
Ingeniumque negat, devotio pura ministrat.
Et patris Urbani (a) reverenda petitio, segnem
Esse vetat: quia plus timeo peccare negando,
Tanti Pontificis quàm jussa benigna sequendo.
Postquam complacuit regi mutari potenti
Tempora cum regnis, ut Græcis Appula tellus
Jam possessa diu non amplius incoleretur:
Gens Normannorum feritate insignis equestri
Intrat, & expulsis latio dominatur Achivis.
Hos quando ventus, quem lingua soli genialis
North vocat, advexit boreas regionis ad oras
Aqua digressi fines petiere Latinos:
Et man est apud hos, homo quod perhibetur apud nos
Normanni dicuntur, id est homines boreales:
Horum nonnulli Gargani (b) culmina montis
Conscedere, tibi, Michael Archangele voti
Debita solventes. Ibi quendam conspicientes
More virum Græco vestitum nomine Melum: (c)
Exulis ignotam vestem capitique ligato
Insolitos Mythræ mirantur adesse rotatus,
Hunc dum conspiciunt; quis, & unde sit ipse, requirũt.
Se Longobardum natu civemque fuisse
Ingenuum Bari, patriis, respondit, at esse
Finibus extorrem Græca feritate coactum, (d)
Exilio cujus dum Galli compaterentur,
Quam facilem reditum, si vos velletis, haberem,
Nos, aliquot vestra delente juvantibus, inquit.
Testabatur enim cito Græcos esse fugandos
Auxiliis horum, facili comitante labore:
Illi donandum patriæ munimine gentis

Hunc

(a) Urbanus II. PP. vixit (juxta Joannem Tiremęum) electus (juxta Leibinitium) anno salutis 1088. iisdẽque temporibus regnabat Rogerus Robe. Guischar. Apulię Ducis filius.

(b) Garganus mons in Apulia ad mare Hadriaticum.

(c) Meles legitur apud Th. Fazell. posterioris Decad. lib 6 cap. 1. *Tiremæus.*

(d) Anno salutis 1018. *Ita Joannes Tiremæus.* Circa 1017. motus in Calabria, & Apulia excitat. *Ita Leibnitius.*

Hunc celeri spondent, ubi forte redire licebit.
Ad fines igitur postquam ridiere paternos,
Cœperunt animos mox solicitare suorum
Italiam secum peterent: narratur & illis
Appula fertilitas, ignaviaque insita genti. (a)
Sola quibus peragi possit via, ferre monentur;
Ductor ibi prudens promittitur inveniendus:
Quo Duce de Græcis facilis victoria fiat:
Arrectis igitur multorum mentibus, ire
Pars parat; exiguæ vel opes aderant, quia nullæ;
Pars quia de magnis majora subire volebant:
„ Est acquirendi simul omnibus una libido.
Aggrediuntur iter, sumptis quæ cuique videntur
Ferre necesse viam pro viribus ad peragendam.
Postquam gens Romam Normannica transit inermis,
Fessa labore viæ Campanis substitit oris.
Fama volat latio Normannos applicuisse.
Melus ut Italiam Gallos cognovit adisse,
Ocyus accessit, dedit arma carentibus armis:
Armatos secum comites properare coegit.
Hactenus insolitas hac tempestate Latini
Innumeras cecidisse nives, mirantur, & harum
Casibus extinctæ pleræque fuere ferarum:
Nec fuit arboribus fas inde resurgere lapsis.
Hujus portenti post visum, Vere sequenti
Emptis Normannos Campanis partibus armis
Invadenda furens loca duxit ad Appula Melus. (b)
Hunc habuere Ducem sibi gens Normannica primum
Partibus Italiæ, Gallos tremit Appulus omnis,
Quorum prævalido multi periere rigore.
Turnicii (c) tandem rumor pervenit ad aures,
Qui Catapan fuerat Græcorum, missus ab Urbe,
Cui Constantinus nomen dedit editor Urbis,
Et Constantinus, pariterque Basilius (d) illi
Tunc dominabantur. Gallos venisse feroces
Conductu Meli, qui factus utrique rebellis
Appula Normannos loca depopulanda monebat.
His ita Turnicio fama referente relatis,
Agmina Græcorum propè direxit in hostes.
Non etenim per se certamina prima paravit;
Sed per legatum cognomen, cui Pacianus
Et Leo (e) nomen erat, qui juxta fluminis undam
Nomine Fertorii (locus est & Arenula dictus)
Deduxit secum multos ad bella Pelasgos:
Maii mensis erant aptissima tempora marti,
Hoc ad bella solent procedere tempore reges,
Fortunaque pari primo pugnatur utrinque.
Auctis militibus comites fuit inde sequutus
Turnicius, sed terga dedit, victusque recessit;
Conflictu belli Pacianus corruit hujus.
Normannis auget validas victoria vires;

(a) Scribebatur in margine Græcis, quæ lectio forte verior est. *Tirem.*

(b) Anno 1017. vel paulo ante. *Ita Leibnit.*

(c) An Tumitius, vel Tomitius, usitatū Græcis nomen. Leo Tomitius 1046. à militibus Imperator salutatus. *Leibnit.*

(d) Basilius, & Constantinus filii Romani Junioris.

(e) Leo Pacianus.

Ex-

Expertis Græcos nullius roboris esse,
Quos non audaces, sed cognovere fugaces:
Imperii fama insinuat rectoribus arva.
Appula Normannos Melo Duce depopulari.
Hunc, his auditis, sibi curia judicat hostem,
Si capitur, capitis fieri cæsura jubetur.
Multa Græcorum cum gente Basilius (a) ire
Jussus in hunc audax anno movet arma sequenti:
Cui Catapan facto cognomen erat Bagianus (b)
Quod Catapan (c) Græci, nos juxta dicimus omne:
Quisquis apud Danaos vice fungitur hujus honoris,
Dispositor populi parat omne, quod expedit illi,
Et juxta quodcuique dari decet, omne ministrat.
Vicinus Cannis qua defluit Aufidus (d) amnis,
Circiter Octobris pugnatur utrique Calendas: (e)
Cum modica non gente valens obsistere Melus,
Terga dedit magna spoliatus parte suorum:
Et puduit victum patria tellure morari,
Samnites adiit superatus ibique moratur.
Post Alemanorum petiit suffragia regis
Henrici, (f) solito placidus qui more precantem
Suscipit, auxilii promittens dona propinqui.
At Melus regredi præventus morte nequivit.
Henricus sepelit rex hunc, & regius est mos:
Funeris exequias comitatus adusque sepulchrum,
Carmine regali tumulum decoravit humati. (g)
Defuncto Melo, cujus suffragia Galli
Affore sperabant, spe tota deficientes
Campanæ mœsti redeunt regionis ad horas:
Atque locis nullis figunt tentoria certis.
Perterrebat eos plebs, pauficata suorum,
Viribus, & validis circumstans plurimus hostis.
Quare nullus eis tutus locus esse videtur.
Montibus interdum, nunc vallibus inde remotis.
Sed cum jam nullum sperarent posse parari
„ Auxilium, victis incommoda quippe videntur
„ Omnia, victores fors creditur ipsa juvare.
Cum que vagi, instabiles, jam per loca multa vagantes,
Nullis sede locis possent insistere certa,
Consilium tandem dat rixa propinqua morandi:
Nam Longobardo norant cui robur adesse
Majus, adhærebant, aderantque fideliter ejus
Auxiliis: hujus quo per famulamina tuti
A reliquis fierent, & eorum nacta secundos
Successus belli clarescere fama valeret.
Hac ratione loco metantur castra decenti;
Qui limphis, herbis, simul arboribusque redundans
Omne ministrabat, populo quod habere necesse est;
Egregium quemdam mox elegere suorum
Nomine Rannulfum, (h) qui princeps agminis esset,
Cujus mandatis fas contradicere non sit.

(a) Basilius Constantinopolitanus Imper. regna recepit anno salutis 977.
(c) Catapan apud Græcos generalis totius exercitus præfectus.
(d) Aufidus Fluvius in Apulia, Italis Lofanto. *Tirem.*

(b) Sigonius hunc Bubaganum vocat, qui Basilii Imperat. Catapanus erat. *Tirem.*
(e) 1019. ut creditur. *Leibn.*

(f) Henricus I. Rex, & Imper. 39. *Tirem.* Henricus cognomento Sanctus. *Leibn.*
(g) In vita S. Henrici l. 21. memoratur Ismaelem (corruptum, puto, & nomen notum, pro Mele ignoto positum) ab Imperatore Apuliæ præfectũ in Babeberg obiisse, & in Capitulo majoris Monasterii tumulatũ esse. *Leibn.*

(h) Rannulfus Normannorum Dux primus.

Cumque locum fedis primæ munire pararent,
Undique denfa palus, necnon & multa coaxans
Copia ranarum prohibet munimina fedis:
Haud procul, inde fuis alium ftationibus aptum
Invenere locum, quem nullo dante juvamen
Cultorum patriæ, pro fe munire tuendis
Conantur, fic fe, facto munimine, cuidam, (a)
Qui Princeps Capuanus erat, conjungere gaudent.
Principibus Latii prior atque potentior ipfe
Tunc erat, affines properant hoc Principe tuti
Devaftare locos, hoftefque viriliter angunt.
„ Sed quia mundanæ mentis meditamina prona
„ Sunt ad avaritiam vincitque pecunia paffim,
Nunc hoc nunc illo contempto, plus tribuenti
Semper adhærebant, fervire libentius illi
Omnes gaudebant, à quo plus accipiebant:
Bella magis populi quam fœdera pacis amantes,
Servitiique vices pro viribus & ratione
Temporis expendunt, plus dantem pluris habebant:
Illis principibus dominandi magna libido
Bella miniftrabat: vult quifque potentior effe.
„ Alter, & alterius molitur jura fubire.
Procedunt lites hoc fomite, prælia, mortes,
Inter mortales ideò mala plurima crefcunt.
„ Heu miferi, mundo quicquid conantur, inane eft.
Innumeros vana paffi pro laude labores
Plus cruciabuntur, poftquam mundana relinquent.
Nunquam Normannis, ne pœna rediret in ipfos
Longobardorum placuit victoria prorfus.
Funditus everti difcordem quemque vetabat
Nunc favor additus his, & nunc favor additus illis:
Decipit Aufonios prudentia Gallica; nullum
Plena lance capi permittit ab hofte triumphum.
Sic defperatos Latii difcordia Gallos,
Ad fpem, quæ fuerat prius extirpata, reformat;
Et vires & opes augmentum fic capiebant:
Si vicinorum quis pernitiofus ad illos
Confugiebat, eum grataner fufcipiebant:
Moribus, & lingua quofcunque venire videbant
Informant propria, gens efficiatur ut una.
Poft annos aliquot, Gallorum exercitus Urbem
Condidit Averfam (b) Rannulfo Confule (c) tutus:
Hic opibus plenus locus, utilis eft & amœnus;
Non fata, non fructus, non prata, arbuftaque defunt.
Nullus in Orbe locus jucundior: hunc generofi
Confulis elegit prudentia præmemorati.
Hujus præclara proceffit ftirpe (d) Richardus:
Qui poft fucceffit; quo non animofior ullus:
Nemo magis largus; qui non virtute minorem
Jordanem genuit: Jordanis & inde Richardum.
Jamque viro vires condignas fert adolefcens:

Mœni-

(a) Pandulfo quarto. *Leibn.*

(b) Averfa Urbs inter Neapolim & Capuam pofita.

(c) Conful pro Comite.

(d) Confentit Wilhelmus Gemeticēfis lib. 7. c. 43. Sed Leo Oftienfis lib. 2. c. 67. narrat Afclittinum Normannum duxiffe fororem Ranulfi, eique in comitatu Averfano fucceffiffe, & filiū Richardum, Patrem Jordani avum Richardi II. genuiffe. Ranulfum Pandulfus Capuæ Princeps Averfæ Comitem fecerat, Richardus I. poftea Capuæ Principatū occupavit 1053. vid. Leo Oftienf. l. 3. c. 16. *Leibn.*

Mœnibus Aversa Rannulfus ab Urbe peractis,
Ad patriam misit legatos, qui properare
Normannos facerent, & quàm sit amœna referrent
Appula fertilitas, inopes fore mox opulentos,
Divitibus, multo plus polliceantur habendum:
Talibus auditis, & egentes, & locupletes
Adveniunt multi, properat quo fasce tenetur
Paupertatis inops, ac quærat ut optima dives.
Interea multo decurso tempore, nullus
Partibus Ausoniis Gallorum terror habetur,
Ex quo Normannos Catapan abscedere fecit,
Imperii Melum superando Basilius hostem.
Aversam subito venit Hardoinus, (a) & illum
Pluribus adductis secum, tremit Appulus omnis.
Is Lombardus erat, Græcosque fugare volebat.
Cur inimicus eis, cur Gallos duxerit, edam.
Dum sedi Michael Epilepticus (b) Imperiali
Præsidet, in Siculos hostes jubet arma moveri,
Qui fines Calabros non cessant depopulari.
Dirigitur Michael Dochianus ad id peragendum,
Qui multis equitum peditumque potenter in arma
Undique collectis, Siculos compescuit hostes.
Inter collectos erat Hardoinus, & ejus
Assecula quidam Græcorum cæde relicti.
Plebs Lombardorum Gallis admixta quibusdam
Qui profugi fuerant, ubi bella Basilius egit.
Cumque triumphato rediens Dochianus ab hoste
Præmia militibus Regina (c) solveret Urbe.
Græcis donatis nihil Hardoinus habere
Donorum potuit, miser immunisque remansit.
Convenit inde suos iratus, & arguit Argos
Turpis avaritiæ populo quia dantur inertl
Munera danda viris, cum sit quasi fœmina Græcus.
Iratus Michael propter convitia jussit
Græcorum ritu, cedendus ut exueretur,
Corrigis cæsum graviter peccasse puderet:
Dedecoris tanti cruciatibus exagitatus,
Mulctæ commissum non dimissurus inultum
Clam cum gente sua Græcorum castra reliquit.
Missa Pelasgorum manus hunc ut persequeretur,
Repperit in campo cum quo confligere tentans.
Cedit, & occisis decies ibi quinque Pelasgis
Aversam properat: Normannis omnia narrat,
Quæ sibi contigerant: vehementer, & increpat illos.
Appula (d) multimodæ cum terra sit utilitatis
Fœmineis Græcis cur permittatur haberi,
Cum genus ignavum sit, quod comes ebrietatis
Crapula dissolvat minimo sæpe hoste fugatos,
Vestituque graves, non armis asserit aptos.
Normanni quamvis Danaum virtute coacti
Appula rura prius dimittere, rursus adire

(a) Hardoinus Longobardus Normannos ducit, qui cum in expeditione Saracenũ quendã prostravisset ex equo, quem sibi pugnando quæsiverat spoliatus; injuriæ ulciscendæ cupidus consiliũ eripiendę Græcis Apuliæ cœpit. *Tirem.*

(b) Qui vulgo Paphlago, Imperator factus 1034. obiit 1041. *Leibn.*

(c) Regina urbs, cujus olim ingens fuit potentia & ob hanc caussam, plurimi nomen Civitatis factum esse autumant: quasi regia urbs foret. *Tirem.* Regio, Calabria Urbe. *Leibn.*

(d) Hardoin de invadendà à Normãnis Apulia consilium. *Tirem.*

Hoc stimulante parant: numero cum viribus aucto
Omnes conveniunt, & bis sex nobiliores,
Quos genus, & gravitas morum decorabat & ætas,
Elegere Duces: provectis ad comitatum
His alii parent; comitatus nomen honoris (a)
Quo donantur, erat hi totas undique terras
Divisere sibi, ni fors inimica repugnet,
Singula proponunt loca, quæ contingere sorte
Cuique duci debent, & quæque tributa locorum:
Hac ad bella simul festinant conditione.
Nullus tunc Italis exercitus imperialis
Partibus audiri, Græcorum tota quieta
Res erat, & solum tranquillo tempore bellum
Adversus Siculos agitari fama ferrebat.
Appula Normannis intrantibus arva, repente
Melsia (b) capta fuit, quicquid prædantur, ad illam
Urbem deducunt: hac sede Basilius ante,
Quem supra memini, modicas fabricaverat ædes,
Esse locum cernens inopinæ commoditatis.
Accessu populi nunc Urbs illustris habetur,
Finibus Italiæ celeberrima, dives amœni
Fertilitate loci, Cereris nec egena nec amnis,
Et qua parte sita est, insignis honore ducali:
Audito reditu Siculis Michaelis ab oris,
Se ad bella parant Normanni copia quamvis
Multa sit Argorum, sua quam paucissima gens sit:
Nam pedites tantum quingentos turba pedestris,
Et septingentos comitatus habebat equestris;
Obtectos clypeis paucos lorica tuetur.
Armati pedites dextrum lævumque monuntur
Circumstare latus: aliquot sociantur equestres,
Firmior ut peditum plebs sit comitantibus illis:
His interdicunt omninò recedere campo,
Ut recipi valeant, si forte fugentur ab hoste:
Taliter instructis illis, & utrinque locatis,
Digreditur cuneus longè paulisper equestris,
Contra quos cuneus Græcorum mittitur unus:
Non etenim (c) totas Danai laxare cohortes
Primo marte solent, legionem sed prius unam,
Inde aliam mittunt, ut virtus aucta suorum
Hostes debilitet, terroremque augeat illis.
Sic equitum princeps obniti dum videt hostes,
Cum magis electo qui restat milite secum,
Prorlpitur subito, viresque retundere prorsus
Sic solet hostiles, animos reparando suorum:
Utrorumque acie conserta, maxima pugna
Fit, juxta rapidas Lebenti (d) fluminis undas:
Vincuntur Danai, Gallorum exercitus illos
Fortiter insequitur, cæsorum corpora multa
Appula planicies, fluvius sed plura, recepit.
Gens Argiva quidem nimio perculsa pavore,

(a) Comitatus nomen honoris nobis etiã fuit, officii & usq; ad Hugonis Capeti tempora. *Tirem.* Sed & ditionis nam Comitatus cuique simul assignatur. *Leibn.*

(b) Melfis aut Melfia Urbs in Apulia.

(c) Bellandi mos Græcorum. *Tirem.*

(d) Forte legendum Sebethi aut Labentis. *Tirem.*

Dum tremebunda fugit non asperitate locorum,
Non prohibetur aquis vehementibus, ut fugitiva
Non se præcipitet; plures in flumine mersos
Alveus involuit, quam morti traderet ensis.
Hos jaculis, illos gladiis gens Gallica stravit,
Fitque modis variis Græcorum maxima cædes.
Cùm paucis montem Michael elapsus adivit,
Vicinos montes superare cacumine visum:
Gallorum vires victoria mentibus auget,
Nec contra Danaos jam bella gerenda pavescunt.
Haud secus accipiter solitus captare minores
Indubitanter aves, dubitans majoris inire
Alitis assultum, poterit si forte vel unam
Exuperare gruem, non inde timebit olorem,
Et magnis avibus jam nil obstare pavebit.
Agmine collecto Græcorum, rursus ad amnem
Cannis affinem qui dicitur Aufidus, omnes
Quos secum potuit Michael deducere, duxit,
Ad pugnam Galli redeunt, ut cesserat ante,
Cedit eis Michael, victi fugere Pelasgi,
Cæduntur multi, labentis equo Dochiani
Armigeri auxilio servatur vita fugacis.
Corruit offenso pede forte Caballus ad amnis
Ingressum Michael manibus jam pœne tenendus,
Hostilis turbæ, proprium ducente ministro
Est elapsus equum, Normanni plus animantur,
Quo magis augetur fœlix successus in armis.
Peiusii montis Michael petit ardua victus;
Hinc exercitui Græcorum nuntia mittit,
Qui Siculis inerat tunc partibus, ut reparandis
Viribus accedat, quibus hoste fugatus egebat.
Melfia, Normannis victoribus ut repetatur
Complacet, hic spoliis collectis gentis Acheæ,
Stant aliquantisper tranquilla pace quieti.
Pro numero comitum bis sex statuere plateas,
Atque domus comitum totidem fabricantur in urbe.
„ Sed quia terrigenis terreni semper honores
„ Invidiam pariunt, comitum mandata recusant,
Quos sibi prætulerant Galli servare feroces.
Indigenam Latii propriæ præponere genti
Dilexere magis., Beneventi principis hujus
Nomen Adenolfus, quos forsitan ipse vel aurum
Dando vel argentum, pacti mutare prioris
„ Compulerat votum: quid non compellit inire
„ Ambitio census? Sanos evertere sensus
„ Hæc valet, ac fidei rigidos dissolvere nexus.
Postquam delatos Dochiani exercitus audit
Partibus in Siculis apices, & de reparandis
Viribus admonitus, Dochianum novit egentem
Auxilio, properat Calabrisque virisque quibusque
Undique collectis, it ad ulciscenda suorum

Cor-

Corpora quæ campis & aquis inhumata jacebant.
Cum Græcis aderant quidam, quos pessimus error
Fecerat amentes & ab ipso nomen habebant
Plebs solet ista patrem cum Christo dicere passum:
Et fronti digito signum Crucis imprimit uno,
Non aliam nati personam quam patris esse,
Hanc etiam Sancti spiraminis esse docebant.
Hi simul ad bellum properant, mens omnibus una.
Vires quas Michael amiserat; ut reparentur:
Hunc tamen esse ducem vetat amplius agminis hujus,
Imperii sub quo Romani cura manebat:
Contra Normannos, quia nullum prosperitatis
Successum obtinuit, jubet, Exaugustus ut hujus
Officium subeat, Danaos in prælia ducat.
Dicitur hunc victor genuisse Basilius ille,
Qui duce sub Melo Gallos dare terga coegit.
Inde redit Siculas Michael Dochianus ad oras,
Exaugustus eos, quorum sibi tradita cura est,
Taliter alloquitur: prudentia vestra virili
Conditione vigens, non vos permittat habere
Cor muliebre, viri: quæ vos ignavia semper
Cogit inire fugam; memores estote priorum
Quorum strenuitas totum sibi subdidit Orbem.
Hæctor Achilleis fortissimus occidit armis.
(a)Nicenzi. *Leibn.* Troja Mychænei (a) ruit ignibus usta furoris.
Philippi quantus fuerit vigor, India novit;
Hujus Alexander proles fortissima, nonne
Fortia multorum subjecit regna Pelasgis?
Partibus occiduis, Græcorum fama timori
Omnibus, & mundi regionibus esse solebat.
Quæ gens audito Græcorum nomine, stare
Audebat campo? vix oppida, castra, vel urbes
Reddebant tutos ab eorum viribus hostes.
State, precor, validi memores virtutis avitæ:
Degeneresque pedum non vos fiducia reddat.
„ Hosti adimit vires, qui stare viriliter audet.
Procurate sequi vestigia prima parentum,
Jam fuga displiceat: totus vos sentiat Orbis
Fortes esse viros. Non est ad bella timendus
Francorum populus, numerosque & viribus impar:
His dictis animos Græcorum accendit, & omnes
Præcipit Argolicos montana relinquere, campi
Quærere planiciem; campis & castra locavit.
Exploratores Galli misere, paratus
Ut Danaum videant. Referunt ad bella paratos:
Et non mutata mutatum mente magistrum:
Nil metuunt, multis sociis in monte relictis
Quo tuti redeant, fuerit si forte necesse,
Indigenæ Danai descendunt auxiliari.
Campi planicie populus convenit uterque:
Pugna fit inde gravis, ut vincat uterque laborat.

Nunc

Nunc hi, nunc illi fugiuntque fugantque fugantes
Cumque diu pugnam Gallis patientibus Argi
Acriter instarent: victores jam prope facti
Proripitur subito Medios Galterus in hostes,
Normannos hortans ad bella redire fugaces:
Ipse electorum comitum fuit unus, Amici
Filius insignis: nullum certamen Achivi
Experti gravius, sed plurimus hic quia miles
Occidit, heroes multi simul interiere.
Ductus Adenolfi miser Exaugustus (a) ad Urbem;
Præcedebat equum victoris ab hoste ligatus
Ostentare sui pompam cupiente triumphi,
Per Gallos illo victoria contigit anno.
Confusis Danais jam spes est nulla trophæi
Omnia præclarum super Appula mœnia Barum; (b)
Illis temporibus, Monopolis & Juvenacus,
Atque Urbes aliæ quam plures fœdere spreto
Græcorum, pactum cum Francigenis iniere.
Inde manere Deo nolente diucius ejus.
Imperium, moritur Michael, (c) Michaele nepote
Succedente sibi, qui Constantinus, & idem
Nomine dictus erat: quendam, solamen ut inde
Auxilii caperet gens Appula, Synodianum
Destinat, hic veniens & primo appulsus Hydruntũ, (d)
Legatos socias Francorum misit ad urbes
Se recipi rogitans: nolunt parere roganti.
Militiam reparare cupit, sed milite multo
Cæso ac dispersо, paucos retinere valebat:
Synodianus ob hoc muros non deserit urbis,
Hunc tamen edictum facit Imperiale reverti.
Multa per hoc tempus sibi promittente Salerni
Principe Guaimario (e) Normannica gens famulatum
Spernit Adenolfi: sed se tantummodo cives
Aversæ dederant ditioni Guaimarianæ:
Nam reliqui Galli quos Appula terra tenebat,
Argiroo (f) Meli genito servire volebant.
Nam pater ipsius prior introducere Gallos,
His & in Italia studuit dare munera primus.
Argirous pauper licet audax & generosus
Se tantæ genti dominari posse negavit:
Cum nihil argenti valeat præbere, vel auri.
Hi se non aurum profitentur amare, se ipsum,
Cujus eis placidus fuerat pater: Ipse precantem
Exaudit populum: nocturno tempore secum
Deducit Barum natu, sensusque priores,
Quos Sancti ductos Appollinaris ad ædem
Taliter affatur. Prætii cum nulla facultas
Sit mihi, quo possim populum donare potentem:
Cur populus vester me vult sibi præferre, miror:
Vos etenim novi diversis rebus egere,
Quas cum non dedero, me non dare posse dolebo.

(a) Exaugustus in triũphum ducitur. *Tirem.*

(b) Barium aliis dicitur Apuliç Urbs maritima. Hæc à Guilhelmi I. Siciliæ Rege funditus deleta est. *Tirem.*

(c) Michaeli Paphlagoni successit ejus nepos ex sorore Michael Calaphates salutis anno 1043. Huic Constantinus Monomachus eodem anno.

(d) Hydruntum quæ & Hidrus à Ptolomeo dicitur urbs est in Calabria juxta Ionium mare. *Tirem.*

(e) Qui Guaimarus hic appellatur aliis Guamarinus dicitur Salerni princeps. *Tirem.*

(f) Argirous Meli filius à Normannis Dux eligitur. *Tirem.*

Illi respondent. Nostrum te principe nullus
Pauper erit, vel egens: duce te fortuna favebit:
Consiliique vias dulce quas genitore solebat
Pandere, te nobis effecto principe pandet.
Hoc ubi dixerunt, sublimant protinus illum
Omnes unanimes: communi fit prece princeps.
Interea magno Danaum comitante paratu,
Nequitia plenus venit (a) Maniacus Hydrontum
Imperio Latium jussus Michaelis adire:
Is præter formam nil dignum Laude gerebat:
Mente superbus erat, dira feritate redundans.
Classibus Hydronti dimissis, agmen iniquum
Francis (b) compactas invadere commovet Urbes:
Et Monopoleis primum diffunditur arvis.
Interimit multos Maniacus, & arbore quosdam
Suspensos, alios truncatos vertice mactat.
Cædis inauditum genus exercere tyrannus
Audet in Infantes, viventis adhuc, quia capti
Corpus humo sepelit pueri, caput eminet extra:
Sic perimit multos, & nulli parcere curat.
Post hæc Matheram, (c) qua fixa fuisse feruntur
Pœni castra ducis, cum subderet Hannibal Afris
Italiam, Maniacus adit; campisque ducentos
Agricolas captos furibunda mente trucidat.
Non puer aut vetulus, non monachus atque Sacerdos
Impunitus erat: nulli miseretur iniquus.
Interea Michael, qui miserat hunc Maniacum,
Captus cæcatur: cæcatus ab arce fugatur.
Hoc fecere Zoe (d) simul & Theodora sorores,
Prima fuit Patrui conjunx Michaelis, adusque
Hujus successum, cum qua quia noluit ipse
Partiri regnum, ratus hanc prohibente Senatu
Ex hæredandam, privatus lumine captus,
Est Constantino sociata Zoe Monomacho. (e)
Huic inimicus erat Maniacus, & hic Maniaco, (f)
Alterius quoniam fuit alter abusus amica:
Zelotipo Imperii Monomacho tradita sedes
Concussit mentem nimio terrore tyranni,
Et probrosa refert odiis agitatus & ira:
Omnibus & secum quos duxerat imperat Argis,
Principe se facto, nam nullus obediat illi.
Assumens habitum sibi perfidus imperialem
Imperii Sancti non nomen adire veretur.
Postquam suscepit Solii Monomachus honorem;
Argiroo mandat studeat convertere Gallos,
Procuretque suis sociare fidelibus illos,
Et promittat eis se præmia magna daturum.
Argirous nolens sibi desit ut imperialis
Gloria, Normannos compescit ab obsidione
Trani, quod solum tunc agmina Græca fovebat
Confinesque locas desistit depopulari.

Nun-

(a) Maniac. is est Georgius Maniacus. Byzantinus qui Cõstantini Monomachi Cõstantinopolitani Cesaris, & Sicilie Regis prefectus erat.

(b) Francis sicut & Ganni nefatibus teste Tacito ritus fuit, ut designatum regem scuto imponerent sublimemq; humeris gestarent. *Tircm.*

(c) Mathera Urbs in Apulia, quæ Acherõtus Livio dicitur.

(d) Zoe Michaelis Paphlagonis vidua, Michaelem Calaphatem in filium adoptavit: qui cum fascibus susceptis, ingratus, matrem suæ majestatis autorem relegasset, à conspirante populo captus est; oculorumque usu privatus, restituta ad Imperium Zoe.

(e) Constantinus Monomachus tertius Zoes maritus fuit.

(f) Diffidia vult Fazellus orta inter Maniacum, & Monomachũ ex odio, quod Romanus Sclerus exercebat cum Maniaco.

Nuncius interea qui venerat imperialis
Maxima dona ferens capitur miser à Maniaco;
Diversas pœnas adhibent & stercus equinum
Purgamento immixto naribus, auribus, ori
Hunc facit affligi graviter, stabuloque necari.
Ipse videns auri tantum se pondus habere
Extolli nimium cœpit, redit inde Tarentum:
Atque auri multum (quo plus sibi concilientur)
Erogat Argolicis, assumitur imperialis
Purpura, pes dexter decoratur pelle rubenti,
Qua solet imperii qui curam suscipit, uti.
Inde venit multo vallatus milite Barum,
Argiroum sperans promissis fallere posse:
Ut collega suus fieret contra Monomachi
Imperium, Gallos etiam sibi pacificare
Tentabat, quorum si posset habere juvamen;
Cedere posse suis sperabat viribus hostem:
Et Constantino facili diadema labore
Ablatum retinere sibi, quod sperat, inane est.
Nam neque Normannos nec eorum avertere mētem
Principis evaluit, contemptus at inde recessit,
Unde furore gravi plenus, quia spretus, abibat;
Quatuor in partes diviso milite, mandat
Pergere prædatum circumcursantibus ipsis.
Est hominum, pecorū pars maxima ducta Tarento.(a)
A Constantino sub eodem tempore missis
Argirous multis auri argentique talentis,
Normannos Donans sibi postulat auxiliari,
Auxiliis horum Maniacus ut occidat hostis
Imperii Sancti: sic plurima promerituros
Hoste triumphato pro votis asserit illos
Quam plures igitur Normannos non amor æris
Sed Ducis Argiroi Maniaco reddidit hostes.
Aversæ comites etiam cum pluribus ultro
Advenere suis Tancredi filius, horum
Maxima spes, aderat Guilielmus ad arma paratus
Hunc drinca mocto comitem comitante Rodulpho
Qui post Ranulfi decessum præfuit urbi.(b)
Terrebat Danaos Guilielmi nobile nomen;
Is quia fortis erat, est ferrea dictus habere
Brachia, (c) nam validas vires animumque gerebat.
Hujus Robertus frater fuit, ille ducatum
Qui post obtinuit, Guiscardus (d) ad omnia prudens:
Tantorum comitum comitatu fisus in hostem
Argirous properat, (e) Tarani Maniacus ad amnem
Venerat, his inibi metatus castra diebus
At non audito tantæ subsistere gentis
Prævalet adventu conclusus in urbe Tarenti.
Ad fluvium Galli veniunt: castrisque receptis
Græcorum vacuis loca pontis ad usque propinquant.
Hunc utrinque maris circumvolat unda, sub altis

(a) Tarentū fuit Calabriç Urbs in ultimo Italiæ circa Salentinorum cōfinia à Tara Neptuni filio ædificata. *Leibn.*

(b) Aversanæ.

(c) Guillielmus Ferrabrachius Tā. credi filius. *Leibn.*

(d) Guiscardum plures erronem dixerunt quod per Terras vagus esset: At magis placet hæc denominatio nostroque usui propria. Nam & vulgo nostra etiam ætate cautum & astutū Guiscard appellamus. *Tirem.* Guiscardi cognomen prudentem notat; mns; est sapiens; & Milen scire editor Rothomag. observat Guishard suo tēpore astutū vulgo significare. Ex Roberto Guiscardo, & Rogerio Tancredi Altavillæ in Gallia filiis stirps Principuum Normannorū in Italia propagata est. *Leibn.*

(e) Forte legendum Tarum qui fluvius est. *Tirem.* Leibnitius legit Tarani pro Taram,

Rupibus objectis sic interciditur æquor,
Pontus ut auxilio transiri possit ad urbem,
Quæque viatori via nunc brevis esse videtur
Longa videretur giranti littoris oras;
Namque mari septum majori parte Tarentum
Insula mox fieret, modicus nisi collis adesset.
Mœnibus inclusos pugnæ Guilielmus Achivos
Provocat, at nunquam dimissis mœnibus illi
Conseruere manus: non fluminis impetus ulli
Plus est quam tanti ducis hostibus hasta timori.
Sic incantator studiosus pro capienda
Aspide, multimoda conatur ut abstrahat arte
Visceribus terræ, quibus abdita, tuta moratur,
Auribus hic nequid graves sentiat, obstruit unam,
Affixa cauda defigitur altera terræ.
Dissimulant Danai Gallos audire cientes
Ad pugnam, positisque feris remorantur in urbe.
Ad bellum postquam procedere nolle Pelasgos
Galli conspiciunt, & mœnibus in capiendis
Spem gravitas adimit, quia munitissimus urbis
Est situs, abscedunt; post hæc remoratus in urbe
Per tempus modicum repetit Maniacus Hydrontum:
Rursus & Argirous nec non Theodorus, at iste
Milite cum multo, cum multis classibus ille,
Imperii jussu properare paratus in ipsum,
Hostilem quatiunt varia formidine mentem:
Et titubans animo, nunc huc, nunc fluctuat illuc:
Urbe metu tandem nimio prodire coactus,
Rupibus incisis juxta maris alta locavit
Difficili sua castra loco: qua pervius ulli
Non aditus fieret scopulis hærere carinas
Impositas gradibus faciens, ut pacificato
Æquore transiret; quosdam, quos æquora credit
Perturbasse magis, cruciat, succendit & igni,
Necdum sedatis tranquillo tempore prorsus
Fluctibus æquoreis, naveis petit & mare transit.
Transitus ille tamen, misero nil profuit illi,
Occurrente quidem Monomachi milite stratus
Occidit, (a) & scelerum persolvit corpore pœnas.

(a) Maniacus isto in conflictu accepto vulnere in pectore ex equo prolapsus suo in sanguine occubuit. *Tirem.*

Explicit Liber Primus.

INCIPIT SECUNDUS.

Argirous Latii dimoto finibus hoste,
Vadit Idrontinam multis comitatus ad urbem,
Traditur urbs illi, cives hoc principe gaudent.
Hinc Barum repetens Gallos permittit abire:
Illi Guaymario vadunt servire Salernum.
Gaymarius princeps confisus viribus horum,
Hos secum Barum deducit & obsidet illud.
Imperat Argiroo sibi pareat urbe relicta,
Transeat ad Græcos, monitis parere monentis
Abnuit Argirous: confligere non tamen audens
Invalidus pugnæ se custodivit in urbe;
Depopulans agros & amœna novalia Bari,
Mœnia Guaymarius propriæ repedavit ad urbis;
Constantinus eo qui tempore jura regebat
Imperii, mandat, properet quantocius ad se
Argirous, jussis favet imperialibus, ille
Æquoris Adriaci transvectus fluctibus urbem
Appetit imperii placidus, qui præsidet urbi
Suscipit egressum magnis & honoribus illum.
Promovet interea populus, quem rexerat ipse,
Pars comiti Petro, pars est sociata Drogoni
Tanore digenito, modico quia vixerat ejus
Tempere germanus, vir ferrea dictus habere
Brachia Guilielmus, cui vivere si licuisset
Nemo Poeta suas posset depromere laudes.
Tanta fuit probitas animi, tam vivida virtus.
Unfredum totus cum fratre Drogone tremebat
Italiæ populus, quamvis tunc temporis esset
Ditior his Petrus consanguitate propinquus:
Edidit hic Andrum fabricavit & inde Coretum.
Buxilias, Barolum magis ædificavit in oris.
Fama super comites alius excreverat hujus,
Sed comes Unfredus cum fratre Drogone superbam
Deponunt mentem, quia dum certamen inire
His parat, infœlix fœlicia tempora perdens
Vincitur & capitur: curru fortuna rotato
Tancredi natos sublimes reddere cœpit;
Imperii rector scrutatur præmemoratus
Argiroum, Gallos depellere qualiter oris
Italiæ valeat, neque ut jam posse fugari
Comperit: ergo alios molitus adire paratus.
Consilii quia quos fortes ad arma, nec armis
Vincendos novit, promissis fallere sperat:
Audit enim, quia gens semper Normanica prona
Est ad avaritiam, plus, qui plus præbet, amatur.
Traditur Argiroo portanda pecunia multa;
Argenti multum, pretiosaque vestis & aurum;
Ut sic Normanni fallantur, & egredientes

Finibus Hesperiæ, propere mare transgrediantur:
Magna sub Imperii famulamine promerituri
Imperat hic etiam, quod si transire negarent,
Hæc aliis; illis quæ danda fuere, darentur,
Oppnmeret quorum gravis infestatio Gallos.
Paruit Argirous loca transit ad Appula, jussus
Francorum comites vocat, & se magna daturum
Munera promittit, si transgrediantur ad Argos,
Dimisso Latio, grave qui certamen habebant
Cum Persis, & eos jurans promittit ab illo
Qui regit imperium gratanter suscipiendos,
Et magnis opibus ditandos affore spondit.
Callida Græcorum promissio, calliditatem
Non latuit gentis Latium superare volentis,
Et dimissuros loca se non Appula dicunt,
Dum conquirantur, nisi forte potentior illis
Turba superveniens depellat, & opprimat illos.
Vir Leo (*a*) mirificus hac tempestate regebat
Romanam Sedem, tanti gens Appula Papæ
Audit ut adventum, varias deferre querellas
Cœpit & accusat diverso crimine Gallos:
Veris commiscens fallacia nuntia mittit
Argirous Papæ, precibusque frequentibus illum
Obsecrat, Italiam quod libertate carentem
Liberet, ac populum discedere cogat iniquum:
Cujus pressa jugo pessundatur Appula tellus.
Hoc Normannorum Drogo Gaymariusque priores
Tempore defuncti fuerant, à civibus alter
Et consanguineis occisus fraude (*b*) Salerni:
Alter ab indigenis, nimium quia credulus illis,
Pontilari cæsus (*c*) Segeris rectore carentem
Gallica conqueritur, Papæ tamen obvia venit
Cum quantis equitum valuit peditumque catervis,
Advenisse quidam Latii cum milite multo
Audierant Papam, comitantibus hunc Alemanis
Innumeris, & Teutonicis, ad bella paratum.
Normanni licet insignes fulgentibus armis,
Agminibus tantis visis obstare timentes
Legatos mittunt, qui pacis fœdera poscant:
Quique rogent Papa placidus famulamen eorum
Suscipiat, se se Papæ parere paratos
Omnes (*d*) testantur, non hunc offendere velle,
Ac quæsitorum cognoscere munus ab ipso:
Si placet hunc dominum poscunt, sibi seque fideles.
Teutonici, quia cæsaries & forma decoros
Fecerat ægreglè proceri corporis illos,
Corpora derident Normannica, quæ breviora
Esse videbantur, nec eorum nuntia curant,
Ut patet nec numero populi nec viribus æqui,
Conveniunt Papam verbis animoque superbi:
Præcipe Normannis Italas dimittere terras.
Abjectis armis, patriosque revisere fines. Quod

(*a*) Leo Papa nonus hujus nominis anno salutis 1049 pontificatū init. Antea Bavo vocabatur, & Tulensis Episcopus erat. *Tirem.* Antea Bruno vocabatur, & Tallensis Episcopus erat. *Leibn.*

(*b*) Guaimarus per seditionē à Melphitanis est interfectus.

(*c*) Drogo dū dominii ampliationi studet, dum Apuliæ urbes munit, Lōgobardorum & Apulorum insidiis ad Mōtolium oppidum, circūventus à Visone genere Apulo proditione occiditur.

(*d*) Hi sunt Alemani quos Henricus Secūdus Romanus Imperator apud Vercelas præsidio Italiæ reliquerat. *Tirem.*

Quod si noluerint, nec fœdera pacis ab ipsis
Suscipias, volumus, nec eorum nuntia cures,
Non dum sunt gladios experti. Teutonicorum,
Intereant gladiis, aut compellantur abire,
Invitique solum, quod nolunt sponte, relinquant.
Papa licet tumidis varia ratione renitens,
Non animos gentis potuit sedare superbæ,
Spem dabat his Italæ fex indignissima gentis,
Gens Marchana probis dignè reprobata Latinis.
Cum plures Itali magna virtute redundent,
His erat innatus pavor, & fuga luxuriesque,
Teutonici populi non copia magna videtur.
Turbati redeunt Normanni pace negata
Atque Alemanorum responsa tumentia pandunt.
Tempus erat jam triticeis confine metendis
Frugibus, at virides nondum legere maniplos
Agricolæ, quos Trancigenæ, quia pane carebant,
Igni Torrebant & vescebantur adustis:
Talem degebant ob castra rebellia vitam,
Undique Teutonicis famulantia nec sibi quidquam
Dantia, corporeæ vitæ quod postulat usus.
Frater defuncto qui fratre Drogone superstes
Extitit Unfredus, (a) procerum de Trancigenarum
Unus habebatur majoribus, inde Richardus
Aversa paulò ante comes delectus in urbe,
Paulisperque suos fratres erat ante secutus
Robertus, qui magnanima virtute priores
Transcendit fratres, hic bello interfuit illi:
Cognomen Guiscardus erat, quia calliditatis
Non Cicero tantæ fuit aut versutus Ulisses.
Inter eos aderant Petrus, & Galterus amici
Insignis soboles, simul Aureolanus, Ubertus
Muscaque Ranialdus, comes Hugo, comesq; Girardus
Hic Beneventanis prælatus, at hi Thelesinis
Hos Bonianensis comitis comitata Rodulfi
Est virtus & Consilio pollentis, & armis.
Vix proceres istos equites ter mille sequuntur,
Et pauci pedites, triduo quia panis egentes
Arma petunt, cuncti magis, ut moriantur honestè
Bellando, cupiunt, quàm corpora tanta virorum
Opprimat esuries, inhonestæ funere mortis.
Gens Alemanorum stipata satellite multo,
Longobardorum frustra confisa fugacis
Auxilio turbæ Normannos terga daturos
Credebat primis conflictibus, aut perimendos.
At non in numero, nec equis, nec gente, nec armis,
Sed cui de cœlo datur, est victoria belli.
Inter Teutonicos Normannorumque catervas
Collis erat medius, gens innumerabilis illi
Appula, Balbensis, Campanica, Marsa, Thelensis
Venerat auxilio; Guarnerus Teutonicorum

(a) Unfredus Tertius ex Trezenda Tancredi cōjuge filius. *Tirem.*

Al-

Albertusque duces, non adduxere Svevos
Plus septingentos, hæc gens animosa feroces
Fert animos, sed equos adeò non ducere cauta,
Ictibus illorum, quàm lancea, plus valet ensis:
Nam nec equus doctè manibus giratur eorum,
Nec validos ictus dat lancea, præminet ensis,
Sunt etenim longi specialiter & peracuti
Illorum gladii, percussum à vertice corpus
Scindere sæpe solent, & firmo stant pede, postquam
Deponuntur equis, potius certando perire,
Quã dare terga volũt, magis hoc sunt Marte timẽdi,
Quam dum sunt equites: tanta est audacia gentis,
Italiæ populo qui se sociaverat illis,
Germani comites præsunt Transmundus & Atto,
Et Burrellina generata propagine proles.
Hi simul ad bellum properant campique marini
Accola Maldrefis Molinensisque Rodulfi.
Rofredus Socer: hujus castrum Guardia nomen
Et plures alii, quorum non nomina novi.
Huc quoque Romani, Samnites, & Capuani
Auxilium mittunt, nec opes Ancona negavit.
Huc Spoletini, simul accessere Sabini,
Huc quoque Firmani: non evalet enumerari
Carminibus nostris, quam multus venerit hostis,
Francigenæ gentis nomen delere laborans.
Hi cum Teutonicis ad ripam fluminis omnes
Nomine Fertorii tentoria fixa locarant,
Proxima nomen habens erat Urbs à Civibus ipsis.
Postquam Normanni pacisque, fugæque negatam
Spem sibi cognoscunt, nil quo fugiatur habentes
Collem conscendunt, ut castra hostilia spectent.
Spectatis castris, armantur & agmine dextro
Aversanorum comitem statuere Richardum
Qui Longobardos adeat: prior hunc comitatur
Clara cohors equitum, mediæque cohortis agendæ
Unfredus contra fortes ad bella Svevos
Eligitur ductor: cornu servare sinistrum
Robertus frater Calabra cum gente jubetur,
Ut succurrendum cum viderit esse, paratus
Auxilio properet Sociis, viresque reformet.
Teutonici dextrum contra duo cornua cornu
Armarant. Itali simul omnes conglomerati,
Parte alia stabant: etenim certamine belli
Non aptare suas acies recto ordine norant.
Hos contra cœpit prior arma movere Richardus,
Et petit audacter: non sustinuere petentem
Viribus aversis Itali, tremor arripit omnes,
Inque fugam versi per plana, per ardua, cursim
Diffugiunt, multos cogit succumbere stratos
Impetus ipse fugæ, jaculis cæduntur & ense:
Qualiter aerias uti convenire palumbes,

Dum

Dum petit accipiter fugitivo summa volatu
Et scopulosa facit celsi juga quærere montis,
Quas tamen ipse capit, non possunt amplius ullum
Quærere confugiunt: sic dantes terga, Richardus,
Diffugiunt Itali, sed quos capit ipse, vel ipsi
Hærentes focii, fuga nil juvat, occidit illuc
Plurima gens Latii bello, pars maxima fugit:
Unfredi contra non segnis ad arma Svevi
Bella parant aciem, telis prior eminus illos
Appetit Unfredus, telis hostilibus ipse
Rursus & appetitur: tandem concurrit uterque
Ad gladios populus, mirabilis ictus utrinque
Fit gladiis, illic humanum à vertice corpus
Vidisses, & equos hominis cum corpore cæsos:
Postquam Robertus fratri tam conspicit hostes
Acriter instantes, & ei nullatenus ullo
Cedere velle modo, comitis comitante Girardi
Præditus auxilio, Calabrisque sequentibus illum
Quos conducendi fuerat sibi tradita cura,
Irruit audacter medios animosus in hostes;
Cuspide perforat hos, gladio detruncat & illos:
Et validis manibus horrendos incutit ictus,
Pugnat utraque manu nec lancea cassa, nec ensis
Cassus erat, quocunque manum deducere vellet;
Ter dejectus equo, ter viribus ipse resumptis
Major in arma redit, stimulos furor ipse ministrat:
Ut leo cum frendens animalia forte minora
Acriter invadit, siquid reperire, quod obstet,
Cœperit, insanit: magis & majoribus ira
Accensa stimulat, nil jam dimittit inultum:
Hoc trahit, hoc mandit, quod mandi posse negatur,
Dissipat affligens pecus exitialiter omne:
Taliter obstantes diversa cæde Svevos
Cedere non cessat Rodbertus, & hos pede truncat
Et manibus quosdam, caput huic cum corpore cedit,
Illius ventrem cum pectore dissecat, hujus
Transadigit costas abscisso vertice, magna
Corpora corporibus truncata minoribus æquat,
Virtutisque docet palmam non afore tantum
Corporibus magnis, qua sæpe minora redundant:
Nullus in hoc bello, sicut post bella probatum est,
Victor vel victus tam magnos edidit ictus,
Patrata rediens ingenti cæde Richardus
Ausoniæ gentis, cujus pars altera fugit,
Altera pars gladiis & cuspide cæsa remansit:
Dum sic Teutonicos sociis obstare videret.
Proh dolor! exclamat, quam credebamus adesse;
Finitu bello, nondum victoria finem
Obtinet, & medios ruit incunctanter in hostes.
Hi, quia spes jam nulla fugæ spes nulla salutis,
Acrius obsistunt, sed nil obsistere prodest:

Tot

Tot circunveniunt acies præclara Richardi
Addita victoris magnæ fit causa ruinæ
Hostibus, & miseri diversis interimuntur
Cædibus, & tanta supereft degente nec unus.
Exitus hic belli Papam mæroribus implet,
Afflictusque gravi luctu confugit ad urbem,
Sed cives Papam non excepere decenter,
Normannis veriti grave ne victoribus esset:
Hunc genibus flexis Normannica gens veneratur
Deposcens veniam, curvatos Papa benignè
Suscipit, oscula dant pedibus communiter omnes.
Vocibus ille piis hos admonet, ac benedicit,
Conquestusque nimis, quia pacis spreta fuere
Nuntia, defunctis lacrymans pro fratribus orat.
Auditu tantæ successu prosperitatis
Normannis habitæ, non sollicitudine parva
Angitur Argirous; nec enim vel fraude, vel armis
Posse sibi peragi videt Imperialia jussa,
Ut Francos Latio moveat, vel cogat abire.
Copia tanta quidem, quibus hi non marte repugnent,
Non erat Argiroo, nec eos promissa movere,
Ut fines alios peterent, vel dona valebant.
Hoc meditans Bari dimissa transfretat urbe.
Ad dominum rediit, populi responsa ferocis
Ordine cuncta refert, & belli gesta recentis
Contra Teutonicos: jam Constantinus amare
Definit Argiroum, nec (ut ante solebat haberi:)
Est jam cosilii comes intimus imperialis.
Exilium passus, longo post tempore vitam
Degit in ærumnis, & corporis anxietate
Vexatus misere vitam finisse refertur.
Crescit Normannis animus victoribus ingens,
Jamque rebellis eis urbs Appula nulla remansit.
Omnes se dedunt aut vectigalia solvunt,
Tunc comes Unfredus fraterni funeris ultor
Funesto cuctos, fuerant qui participati
Consilio punit, hos truncat, perfodit illos,
Multos suspendit, memorata morte Drogonis
Parcere vult nulli, jacet alto pectore fixus
Fraternæ mortis succensus fomite major.
Omnibus horrendus multas sibi subdidit urbes;
Solvere Trojani comiti cœpere tributum.
Hunc & Barini, Tranenses (*a*) & Venusini, (*b*)
Cives Hydronti famulantur & urbs Aceronti.
Roberto fratri Calabras acquirere terras
Concedit Juvenis, patiens erat iste laboris,
Vir prudens & habens ad quæque negotia promptas
Exercenda manus. Robertus & ingeniosus
Semper celsa petens, & laudis amans & honoris.
Si contingebat sibi palma vel arte vel armis
Æque ducebat, quia quod violentia sæpe

(*a*) Tranum Urbs est Apuliæ quam Colenutius putat olim Trajonopolim dictam fuisse. *Tirem.*

(*b*) Venusia Apulorum urbs est & sæpe pro Venusinis Sabelli leguntur, quia pulsis Sabelis in loca vacua Venusini deducti sunt à Romanis. *Tirem.*

Non

Non explere poteſt, explet verſutia mentis.
Clarus in eloquio dabat hic reſponſa repente
Optima, conſultus ſi quis quærebat ab illo
Conſilium, Sapienter ei dare noverat illud.
Hi ſibi conceſſo Calabrorum munere gaudet,
Secum nonnullos equites collegerat ante
Qua poterat, ſed præcipue regionibus illis
Multiplicem prædam peragens, quas frater habebat.
Quodque capi poterat, dum dividit omnibus æque,
Omnes ſunt chari ſibi, charus & omnibus ipſe:
Captus ab Unfredo ſecum prandente, volebat
In fratrem gladio conſurgere, ſed Gocelinus
Comprenſum manibus tenuit, cuſtodibus inde
Traditur, & multa non tempeſtate retentum
Dimiſit frater, Calabræ regionis & urbes
Caſtraque conceſſit, equitum ſuffragia præbens:
Ille capeſſundæ cupidus telluris, amorem
Omnibus oſtentat, non plus affabilis illo
Aut humilis quiſquam ſtuduit dominator haberi:
Undique gens clarum Normannica nomen habebat;
At non experti virtutem, nominis hujus
Terrentur Calabri tanta feritate repleti:
Adducis ingreſſum Robertus milite fultus
Non modico, prædas, incendia juſſit ubique
Terrarum fieri, quos appetit & ſpoliari:
Quodque metum incutiat cultoribus, omne patrari
Militibus remorans dimiſſis fratris abire
Non multo Calabros ſed atroci milite vexat.
Qui cum diſcendens huc prædabundus & illuc
Non aliquod caſtrum poſſet captare vel urbem,
Arte locum quendam molitur adire, ſed ejus
Difficilis conſcenſus erat, quia plurimus hujus
Accola grex habitans, etiam manaſticus illic
Non alienigenam quemvis intrare ſinebant:
Utile figmentum verſutus adinvenit, atque
Mandat defunctum quod quemlibet eſſe ſuorum
Gens ſua teſtetur, qui cum, quaſi mortuus eſſet
Impoſitus feretro, pannuſque obducere cera
Illitus hunc facie juſſus latitante fuiſſet,
Ut Normannorum velare cadavera mos eſt.
Conduntur feretro ſub tergo corporis enſes
Ad monaſterii ſub humandum limina corpus
Fertur, & ignaros fraudis quos fallere vivi
Non poterant homines, defuncti fictio fallit:
Dumque videretur ſimplex modus exequiarum,
Erigitur ſubito qui credebatur humandus:
Evaginatis comitantes enſibus illum
Invaſere loci deceptos arte colonos.
Quid facerent ſtolidi ne ſe defendere poſſunt,
Quo fugiant nec habent, omnes capiuntur: & illic
Præſidium caſtri primum, Roberte, locaſti;

Non monasterii tamen est eversio facta,
Non extirpatus grex est Monasticus inde.
Agmina magna legens castro Robertus in illo,
Charior esse suis cœpit, quia strenuus armis
Consilioque sagax comes hac regione vocatus
Est, & ab his habitus, præsertim quos comitati
Sunt equites aliquot, Torstenus dicitur unus,
Alter Arenga, valensque gerenda ad bella Rogerus:
Hic sibi concessæ quædam dedit oppida terræ
Appulus hoc princeps infirmans tempore mandat
Unfredus fratri veniat velociter ad se.
Robertus properat, fratrem dum conspicit ægrum
Compatiens plorat, solatia magna dat ægro
Adventus fratris, deposcit & advenientem,
Rector terrarum sit eo moriente suarum,
Et geniti tutor puerilis, quem vetat ætas
Rectorem fieri, frater favet anxius illi,
Et se facturum quæ præcipit, omnia dicit.
Non infirma valens jam reddere membra saluti
Interit Unfredus, (a) lacrymans Appulia tota.
Flet patris interitum: patriæ pater ille benignus
Hanc placide rexit, vitam decoravit honestas:
Non studuit populum vexare tyrannide dira,
Justiciamque colens quam lædere, parcere multis
Maluit offensis, fratres propè prememoratos
Est monasterii Venusini sede sepultus.
Funeris obsequiis, Robertus ritè peractis
Ad Calabros rediit, Cariati protinus urbem
Obsidet, hac capta reliquas ut terreat urbes.
Interea Papæ Nicolai (b) forte secundi
Comperit adventum, dimittitur obsidione
Plurima pars equitum, comitatur pars minor illum;
Melfia suscipit hunc, & ibi susceptus honore
Magno Papa fuit: hic Ecclesiastica propter
Ad partes illas tractanda negotia venit:
Namque Sacerdotes, Levitæ, clericus omnis
Hac regione palam se conjugio sociabant:
Concilium celebrans ibi Papa (c) faventibus illi
Præsulibus centum jus ad Synodale vocatis
Ferre Sacerdotes monet, altarisque ministros
Arma pudicitiæ vocat hos, & præcipit esse
Ecclesiæ sponsos, quia non est jure Sacerdos
Luxuriæ cultor: sic extirpavit ab illis
Partibus uxores omnino Presbyterorum,
Spretores minitans anathemate percutiendos.
Finita Synodo, multorum Papa rogatu
Robertum donat Nicolaus (d) honore ducali.
Hic comitum solus concesso jure ducatus
Est Papæ factus jurando jure fidelis.
Unde sibi Calaber concessus & Appulus omnis
Est locus, & Latio patriæ dominatio gentis.

Ro-

(a) Unfredi obitus circiter annum salut. 1058.

(b) Nicolaus Papa hujus nominis secundus natione Allebrox erat Gerardus antea vocatus, creatus fuit Pontifex Sũmus, anno Chr. 1059. *Tirem.*

(c) Verius Calixto & Gregorio. Id attribuitur. C. Presbyteri 27. Distin. C. Nullum Distin. 28. *Tirem.*

(d) Robertus à Nicolao II. Pontifice Dux Calabriæ & Apuliæ creatur. *Tirem.*

Romam Papa redit, cum magno dux equitatu
Obſeſſum repetit Cariatum, quo ſibi fida
Maxima pars equitum dimiſſa remanſerat ante
Gens Cariatenſis, duce perturbata reverſo,
Non obſtare valens, illi ſe dedit, & urbem;
Prima ducem vocat hunc gens iſta, ducemque ſalutat:
Partibus in Calabris hinc ad loca cætera tranſit.
Tunc Roſſana potens, Coſſentia fortis in armis, (a)
Tum quoque dives opum Geracia ſubditur illi,
Et ſubjecta illi fit pene Calabria tota:
Cumque potentatus cœpiſſet creſcere nomen
Virtutiſque ſuæ, legatos mittere cœpit;
Qui ſua deferrent generoſo verba Giſulpho
Guaymarii genito, germanæ nobile poſcens
Conjugium, quia conjugio tunc ipſe carebat;
Prima conjuge (b) pro conſanguinitate repulſa;
De qua natus erat Buamundus ſtrenua proles
Inſignis nimia virtute potenſque futurus.
Primo Roberti ſprevit mandata Giſulphus;
Non quod majori poſſet vel nobiliori
Conſociare viro Germanam, ſed quia (c) Galli
Eſſe videbantur gens effera, barbara, dira,
Mentis inhumanæ primoque repulſio facta
Conjugis, alterius producit tempora dandæ;
Aſſentit tandem princeps, natuque priorem
Tradit in uxorem tibi, Dux Roberte ſororem:
Gatelerina minor, hæc Sichelgata (d) vocatur;
Nupſit Jordani poſt Gatelerina nepoti,
Qui Capuæ princeps utriuſque duciſque, patriſque
Virtutes animi virtutibus equiparavit,
Conjugio ducto tam magnæ nobilitatis,
Augeri cœpit Roberti nobile nomen:
Et gens quæ quondam ſervire coacta ſolebat
Obſequio, ſolum jam debita juris aviti,
Nam proavis & avis ſubjectam conjugis hujus
Noverat Italiam gens Longobarda fuiſſe.
Dedit hæc pueros ſibi tres, & quinque puellas
Egregiam ſobolem ſexus utriuſque futuram.
Gloria Roberti, quæ tanta augmenta ſubire
Cœperat, invidiam, laus unde adhibenda fuiſſet;
Non modicam acquirit, quia dum virtutibus ejus
Invidere viri, comites à plebe vocati
Qui numero bis ſex fuerant communiter illum
Morti tradendum conjuravere doloſè:
Tempus ad hoc aptum fieri cum forte viderent:
Horum Goffridus, Gocelinus, & Abagelardus
Filius Unfredi, ſibi jura paterna repoſcens
Præcipui fuerant actores conſiliorum.
Dux igitur poſtquam ſibi conjuratio nota
Facta fuit comitum, bellum molitur, in omnes
Acriter exarſit, capit hos, & projicit illos,

(a) Hæ ſunt in Calabria urbs vicinæ. *Tirem.*

(b) Cujus nomen Abderada erat. *Leibn.*

(c) Ex uxore priori, cui Abderada nomen erat. *Tirem.*

(d) Alii Sengregaita.

Afflixit variis quorundam corpora pœnis:
Fratum metuens fugit Gocelinus ad Argos:
Pelusii montis castrum pavefactus adire.
Goffridus properat dux, quod non evalet armis
Arte capit castrum, promissis decipit hujus
Custodem castri Godefridum, dans sibi quædam
Pluraque pollicitus castrumque valentius ipso.
Pelusii montis dominatio non Godefridi
Ex toto fuerat, mediam concesserat illi
Goffridus partem, sed dux quia nobilioris
Castelli totum promiserat huic dominatum;
Scilicet Ojani, solus cupiens dominari
Mandat Roberto desistat ab obsidione
Dissimulans reditum: sed mox ut norit abesse
Goffredum, redeat castrum securus & intret
Clavibus acceptis, Ojanum conferat illi,
Hac illi castrum Gocefredus tradidit arte:
Accipit Ojanum, sed quis post credere illi?
Traditor est Latii populo vocitatus ab omni:
Sic ducis astuti prudentia quod superare
Non armis potuit, superavit sæpius arte.
Hostibus edomitis & captis undique castris
Contra Barensem populum parat obsidionem:
Appula nulla erat urbs, quam non opulentia Bari
Vinceret, hanc opibus ditatam robore plenam
Obsidet, ut victis tantæ primatibus urbis,
Nondum subjectas repleat terrore minores.
Urbibus illa quidem quas continet Appula tellus;
Major habebatur, dux munit milite castra,
Atque replet Calabris advectis navibus æquor.
Imperii Sancti cives suffragia poscunt,
Qui conjurati fuerant cum civibus illuc
Legatos mittunt, simul imperiale juvamen
Omnes deposcunt, dux mandat civibus ædes
Argirol sibi dent, quas noverat editiores:
Contiguis domibus, quas sic concedit adeptus;
Urbem Robertus totam sibi subdere sperat.
Barenses austera Duci responsa dederunt.
Ille repugnantes oppugnat fortiter urbis
Indigenas validos non ad certamina segnes:
Ad portarum aditus Crates prudenter adorsus;
Sub quibus armatos obstantibus insidiantes
Ordinat, & turrim fabricat, quæ lignea muris
Prominet, ac juxta de quaque petraria (a) parte
Ponit, & adjuncto muros quo evertere possit
Diversi generis tormento, nec minus urbem;
Cives defendunt, non iter mœnia clausi
Cum duce pugnantes adstant pro mœnibus urbis;
Hos pugnando fugnat, prosternunt ictibus illos,
Ut mos est belli: fugiat hostis & hoste fugatur:
Et petit & petitur repetens ferit & referitur,

(a) Petraria tormenti genus. *Leibn.*

Ut

Ut duo cum certant productis dentibus apri
Alter ab alterius profunditur ore saliva
Dentes exacuens, ut acutos inferat ictus,
Ictibus, & validis feriunt sua terga vicissim,
Nunc pede, nunc costis læduntur, uterque resistit
Acriter, & neuter vult cedere, saucia donec
Membra fatigatum susis clamoribus aprum
Velle subire fugam doceat victusque recedat.
Acriter insistunt Normanni, nec minus acres
Obsistunt cives, diversaque machina muris
Additur, eversis ut mœnibus urbis apertæ
Normannis aditus pateat, quem clausa negabat
Undique septamari, quod non est insula, terræ
Exiguæ diodus: ex hac tentoria parte
Fixa ducis fuerant: objectis molibus æquor
Parte replens alia naves prodire vetabat
Barinas, portumque suis pontemque paravit;
Atque super pontem prosito munimine terris
Urbanis nusquam prodire licebat ab urbe,
Tutaque servabat classis Normannica portum:
At cives turrim capiunt, & maxima pontis
Æquorei cecidit pars, evertentibus illis;
Urbem Barenses terraque marique tuentur.
Post ubi Robertus desperat mœnia Bari
Posse capi pugna, cepit promittere multa
Nobilibus patriæ, quorum pollebat in urbe
Nobilitas potius, quorumque potentia major.
Et sic collectis majoribus, alliciendos
Promissis credit fore muneribusque minores (a)
Sæpe minas faciens ut civibus incuteretur
Terror, & omnimodis pro deditione laborat
Urbis, cujus erat capiendæ magna libido.
Venturum auxilio Gocelinum fama ferebat,
Multis imperii cum navibus ad capiendum
Exploratores posuit dux callidus, illum.
Prætor erat Stephanus Barensibus imperiali
Traditus edicto, cognomen cui Pateranus, (b)
Vir probus, & largus, studio laudabilis omni,
Præterquod tanti studuit ducis edere mortem.
Miles erat Bari, cui dedecus à duce quondam
Illatum fuerat grave, partibus ex alienis
Promptus ad omne malum, levis, iracundus, & audax:
Castra ducis Stephanus monet hunc solerter adire,
Incautumque ducem nocturno tempore, morti
Tradere lethiferi percussum cuspide canti,
Pollicitus multum, si dux occumberet, auri:
Dedecoris memor illati, cupidusque lucrandi
Miles abit noctu, circunspicit undique castra,
Nil obstare videt, Roberti pervenit usque
Ad ducis hospitium, quod culmo texerat ipse;
Frondibus & seplit, fieretque frigore tutus

(a) Obdormivit Apulus. *Tirem.*

(b) Stephanus Pateranus, quem alii. Sebastiforum appellant.

Temporis hyberni: cenatum vespere facto
Venerat, explorat ducis ille sedile sedentis
Ad cœnam, mediis, & contum frondibus illam
Intulit in partem qua sederat ille, sed ori
Flegmatis ubertas superaddit a fecerat illum
sub mensa curvare caput, locus unde repertus
Est Conto vacuus, cassos, & protulit ictus;
Ille redit fugiens, it totam fama per urbem
Occubuisse ducem, cives lætantur & omnes;
Congaudens populus clamorem tollit ad astra:
Hi dum clamarent, dux advenit, atque salutis
Ipse suæ testis, clamores fundere frustra
Civibus exclamat: clamantis vocibus hujus
Auditis, clamor cessavit, lætitiæque
Finis verborum datus est cum fine suorum.

Explicit Liber Secundus.

INCIPIT TERTIUS.

INterea Michael (*a*) Romani jura regebat
Imperii cum fratre ſuo, qui nomine dictus
Conſtantinus (*b*) erat, quorum dominatio Græcis
Pernitioſa fuit, quia bellis otia ſemper
Poſtpoſitis ſtuduere ſequi, luxuſque doloſi
Illecebris captos fœderat inertia turpis.
Horum temporibus Turcos orientis ab oris
Ingreſſos fugit gens territa Chriſticolarum,
Qui Romaniæ loca delitioſa colebant.
Maxima pars horum ruit interfecta nefandis
Turcorum gladiis, & captis urbibus, omnis
Subditus his populus dans vectigalia fugit:
Hos contra nullos equites ignavia miſit
Rectorum, quare decreto nupta Senatus
Eſt equiti egregio Romano mater eorum: (*c*)
Pectus amans pluſquam genus Eudochia mariti;
Diogenes (*d*) cognomen erat, quia barba bifurcis.
Is regimen ſubiens ſibi quæque negotia belli,
Ocia privignis, elegit inire paratus
Cum Perſis bellum miſeros populantibus Argos,
Eſt belli variis eventibus uſus in illos.
Sæpe quidem victor Perſas bellando fugavit,
Sæpe pari populus fortuna pugnat uterque.
Poſtremo comites dum dirigit ipſe tuendis
Urbibus innumeros, quarum famulatris ad ipſum,
Tranſierat fama probitatis ubique probatæ,
Caſtris cum paucis melioribus ipſe remanſit.
Multus Perſarum populus cum rege repente
Illum concluſit, diſrumpere caſtra laborans:
Prælia committunt immania, dum capiendis
Imperii caſtris inhiant, primo atque ſecundo
Depulſi cedunt bello: prudentia tandem
Anxia Romani deſperans caſtra tueri,
Quam ſibi plus hominum vitæ ſtudioſa ſuorum,
Quos graviter feſſos belloque fameque videbat,
Præcipit, ut quicquid caſtris inerat ſolidorum,
Omnis veſtitus prætioſus, & omnia vaſa
Auri aut argenti, caſtris ſpargenda ferantur:
Ut ſi contigerit Turcis irrumpere caſtra
Horum proſpectu deſiſtant lædere Græcos.
Invita profugis collecta pecunia ſervis,
Inſomnem Danai coguntur ducere noctem:
Adveniente die venit innumerabilis ille
Perſarum populus, circundans undique caſtra:
Undique tela volant, circumtegit aera totum
Grando ſagittarum: non fere valentibus Argis
Irrumpunt Turci, munitio rumpitur omnis.
Sed plures prædæ quam militibus feriendis

(*a*) Michael ſenior Conſtantinopolitanus Imperator 1058. & eo Imperium abdicāte Iſaacius Commenus obtinuit.

(*b*) Conſtantinus Ducas Conſt. Imp. anno ſalutis 1063. an. 7. regnavit Huic Eudochia tres liberos peperit, Michaelem Andronicum & Cōſtantinum illos ante, hūc poſt adeptū Imperium. Ita de Michaele. Conſtant. Duc. filio intelligendus eſt hic locus. *Tirem.* Et Conſtantinus ſucceſſores; qui Michael, & Cōſtantinus hic intelliguntur ab autore. *Leibn.*

(*c*) Eudochia una cum liberis imperavit anno ſalutis 1070. menſ. 7.

(*d*) Romanus Diogenes 1071. annis 3. ex Bibliānadro. Alii autem initium Imperii referunt ad annum ſalutis 1068. Diogeni Cōſtant. Ducam in Imperium preponētes. *Tirem.*

Intenti Persæ faciunt evadere multos
Indiciis Aquilæ (quod plus dabat omnibus armis
Aurea conspicuum lorice innixa nitorem)
Græcorum dominus cognoscitur, ense recidens
Hostiles hastas, neque se defendere cessans.
Forte saggitta volans incauti sauciat artus:
(a) Diogenes Romanus Const. Imp. captus. Tirem.
Sic tandem capitur (a) quadam cum parte suorum:
Direptis castris Romanum Persica ducit
Ad sua castra phalanx, & eum statuere sedili
Egregio, juxta Persarum rege sedente.
Rex percontatur, si forte fuisset ab illo
Captus, quid faceret: Romanus retulit illi (b)
(b) Nobile Romani responsum.
Si mihi sive meis ita subjicere, juberem,
Vel truncare caput, vel te suspendere furcis,
Ille refert facinus nunquam sibi tale patrandum:
Sed se cum posthac fruiturum pace perenni,
Quam per legatos jam sæpe poposcerat ipse,
Et baptizatam natam pro conjuge natam
Se concessurum, quo, sic pax firmior esset:
Fœderibus tali firmatis conditione
Ad sua Romanum dans maxima dona remisit
Persarum rector captos & reddidit omnes
Longo terrarum spatio comitatus euntes
Duxit honorificè, ductum permisit abire.
Sed non privignis firmatæ commoda pacis
Conditio placuit, minus ad tutanda peritis
Agmina Græcorum, nec enim decernitur ultrà
Arcis ad augustæ Romanus jura redire.
Hos ubi Diogenes factos sibi comperit hostes,
Auxilio fisus Persarum tentat in illos
Civilis belli varios agitare paratus:
Privigni se non obsistere posse videntes,
Illum conantur seducere pace dolosa:
Ignari fraudis portantes nuncia pacis,
Bis sex Pontifices mittuntur cum Gocelino;
Cujus Romanus toties expertus amorem
Non dubitabat ei se credere sicut amico.
Credit Romanus Pastoribus & Gocelino,
Securus factus jurando jure, fideque,
Ut petit ipse data, misero placet imperialis
Incassum reditus, quia mox ubi pervenit ille
(b) Diogenes Roma. à privignis excæcatur. Tirem.
Heracleam, capitur: privatur (c) lumine captus;
Cujus & Imperii fuerat tam nobile nomen,
Monachus efficitur: securi jam duo fratres
Regni tranquillis agitant moderamen habenis.
Non tamen omnino sua restat inulta tyrannis,
Namque sibi socios Romani filius addens
Armenios, Persas, terras Orientis eorum
Subtrahit imperio ferro populatus & igni.
Tempore Persarum gens perfida cœpit ab illo
In Romaniam consurgere cæde, rapinis,

Imperii nec adhuc redigi sub jura valeret,
Gens nisi Gallorum quæ gente potentior omni
Viribus armorum nutu stimulata superno
Hanc libertati superato redderet hoste,
Quæ spirante Deo Sanctas aperire Sepulchri
Est animata vias longo jam tempore clausas.
Consiliis quorum fuit excæcatio tanti
Perpetrata viri, miseri capiuntur, & aula
Depulsi meritas coguntur solvere pœnas:
Hi quibus insontem puniri consuluerunt
Puniri sontes vario cruciamine mandant.
Nuncius imperio Bari legatus ad urbem
Supplicat, ut miseris jam civibus auxilietur
Piratis aptæ naves ex more parantur,
In quibus efferri frumenta jubentur & arma:
Classe quibus tuta transiri possit ad urbem.
Nautarumque metus pellatur & urbis egestas.
Navibus his jussu proponitur imperiali
Quem ducis Italia timor expulerat Gocelinus,
Exosus fuerat, quia conjuratus in ipsum
Navibus armatis celer advenit, ut tremebundos
Hortetur cives, & erat jam proximus urbi,
Ingressum sperans nocturno tempore tutum:
Cum subito Danaum Classi venit obvia classis
Roberti, cujus reparare advenerat hostes
Nocte ducis pugnam naves iniere libenter
Esse sibi levius loca cognoscentibus illis
Certamen gravius, minimè quia gnara locorum
Gens erat illa rate: multo superata labore
Postremo capitur Gocelini navis, & ipse
Ante ducem captus deducitur: altera navis
Mersa fuit Danaum, vix evasere sequentes.
Gens Normannorum navalis nescia belli,
Hactenus ut victrix rediit, spem principis auget:
Sensit enim Danaos non tantum civibus urbis
Præsidii ratibus vexisse quod obsidionem
Impediat multum simul & novitate triumphi
Æquorei gaudet: securius unde subire
Jam cum Normannis navalia prælia sperat.
Inclusus longo Gocelinus carcere degens
Vitam infœlicem, vitæ cum fine laborum
Excipit finem, diversa pericula passus.
Tertius obsessa jam venerat annus ab urbe
Multiplici tandem superatur fessa labore.
Plus tamen esurie, tunc Argiritius (a) urbis
Primus habebatur, quem dux ubi deditionem
Urbis inire facit, reliquos non ardua cives
Vincere pœna fuit: majores namque minorum
Ad quam corda volunt partem deflectere possunt.
Civibus exibuit placidum Robertus amorem,
Et quia dilectos sibi quos allexerat omnes

(a) Argiritus Barū dedit. *Tirem.*

Semper habebat, erat dilectus ab omnibus ipse
Plurima, quæ fuerant vel vi subtracta vel astu,
Reddidit urbanis dux agros, prædia, fundos,
Perdita restituit: nil civibus intulit ipse:
Nil allos permisit eis inferre molestum.
Et circumpositis solitos deferre tributum
Normannis donat jam libertate quieta,
Canitiem Stephani (a) tractare misertus, ut hostis
Noluit, imo suæ, de qua tractaverat ille
Obitus cædis, studet hun tractare benigne.
Cum Baro captum multis mirantibus Argis
Hunc impunitum custodia libera servat:
Perque dies aliquot hac victor in urbe moratus
Mandat cum sumptu Barensibus arma parati:
Ut properent secum quo se properare videbunt.
Hos cum gente sua Reginam (b) ducit ad urbem:
Piscem fama refert à littore non procul esse.
Fluctibus Adriacis horrendo corpore magnum
Forma incredibili, qualem non viderat ante
Italiæ populus: quem verni temporis aura
Propter aquas dulces properare coegerat illuc.
Per varias artes ducis hunc prudentia cœpit,
Qui cum delabens in retia funiculosa
Retibus innexo cuncto cum pondere ferri
Ille maris mersus mersis sed adusque profundum
A nautis tandem vario jam culmine cæsus,
Littore vix tractus populo spectabile monstrum
Cernitur, (c) inde ducis jussu per frusta secatur:
Unde sibi atque suis longus datur usus edendi,
Et populo Calabris quicunque manebat in oris,
Hoc etiam passim gens Appula participatur:
Os spinæ sectum palmorum quatuor Orbe
Mensuram obtinuit: paulo post inde moratus
Dux ibi Robertus Reginam tendit ad urbem:
Dumque moratur ibi, Pons est quia conditus unus
Pons modo Guiscardi totus locus ille vocatur.
Actu Barenses hujus præcepta secuti,
Quæque paranda parat Reginæ mœnibus urbis;
Dux ibi militibus sumptis, ratibusque paratis
Transvehitur Siculum multis comitantibus æquor:
Quod licet angustum tamen est grave prætereundũ:
Scila, (d) Caribdis (e) ibi diversa pericula præbent:
Una rotat naves, illidit & altera saxis.
Partibus in Siculis conferta juvamina fratris
Jam conquisitis ex magna parte Rogeri
Spem ducis accumulant: erat hac ætate Rogerus
Non virtute minor, nullus de fratribus ejus
Quamlibet egregius iniit tam nobile bellum: (f)
Nam contra Siculos divini nominis hostes
Semper pugnavit, Sanctam qua vivimus omnes
Exaltare fidem cupiens, operamque inventus

Hanc

(a) De Stephano Paterano supra.

(b) Regina urbs in Calabria. *Tirem.*

(c) Piscis portentosæ magnitudinis. *Tirem.*

(d) Scilla proxima est Peloro promõtorio ubi opidum Sciglum Scilæũ à Plinio appellatum.

(e) Charibdis Verticosum mare Galofarus quasi Calofanos à nostris nuncupatum ibi enim faces noctu accenduntur nautis portum petentibus signũ, utrũque navigiis exitio. *Tirem.*

(f) Rogerus Bossus ex filiis Tancredi minor in Siciliam à Messanensibus evocatus Saracenos. Ad Messanã bis fudit & superavit & tandem eam cœpit.

Hanc sua præcipuè coluit, dum digna quietis
Causa suæ fieret Siculæ subjectio gentis.
Hoc sibi dux socio confisus & agmine multo
Secum deducto non obsidione (a) Panormum
Vincere desperat, Siculis quam nobiliorem
Urbibus audierat. Roberti milite multo
Urbs vallata pavet, muros turresque reformant
Arma virosque parant, detecta foramina claudunt,
Ponitur & vigilum custodia crebra per urbem.
Dux jubet armatos equites accedere portis
Ut sic inclusos ad pugnam provocet hostes:
Omne, quod incutiat pœnam pariterque laborem,
Civibus inferri versuta potentia mandat.
Procedunt portis Siculi non stare ferentes.
Egressique foras audaci mente repugnant:
Verum Normannos nequeunt tolerare feroces;
Cultores Christi, dum gens Agarena resistit,
Non perferre valet: fugiunt, nostrique sequuntur;
Multos prosternunt gladiis, & cuspide multos,
Mœnibus è summis volat undique missile telum.
Saxaque cum pilis jacientia lædere tentant
Corpora nostrorum, nostri vi mœnibus urbis
Hos impellentes, læti sua castra requirunt.
Inde Panormenses Affros accire laborant
Auxilio, quorum sibi viribus associatis
Quod non sunt ausi terra committere bellum;
Commisere mari; bellantibus hoc elementum
Commodius credunt: instructis ergo carinis
Exigit ut belli navalis rite paratus
Proque repellendis saxorum vel jaculorum
Ictibus obtectis rubicundis undique Philtris,
Ad pugnam veniunt sub conditione virili,
Ut quo jure viri vel vivant vel moriantur,
Mandat Normannis, Calabris, Barensibus, Argis
Dux à se captis muniri Corpore Christi:
Quo jubet accepto cum sanguine bella subire.
Tali tuta cibo procedit turba fidelis
Navibus aptatis quo prævaluere paratus;
Perfida gens totam lituis sonituque tubarum,
Magnarumque replet vocum clamoribus æquor.
Christicolæ contra suffragia sola petentes
Principis æterni cujus sunt carne refecti,
Nullo terrentur clangore, sed acriter illis
Obstant, & feriunt quassantque viriliter hostes:
Principio naves Affræ Siculæque resistunt,
Nutu divino tandem cessere coactæ,
Cumque fugam peterent, aliquot capiuntur earum:
Quædam submersæ pereunt, pleræque frequenti
Remorum ductu vix evasere fugaces,
Dum portum subeunt, mox opposuere catenas;
Cum quibus æquoreos aditus prohibere solebant:

(a) Panormo vetustissima Civitas in Sicilia ubi Regis coronas aureas accipere cõsueverunt. In illius Tẽplo maximo Reges & Episcopi Siciliæ sepeliuntur; privatorum autem nemo. *Tirem.*

His etiam fractis quafdam de navibus horum
Chriſticolæ capiunt, flammis pleraſque perurunt;
Dat validas animo ducis hæc victoria vires:
Hinc pervadendam ſolers intentus ad urbem
Molitur variis conatibus ut capiatur:
Muniri pedites fundis facit atque ſagittis,
Armatos equites ſecum procedere juſſit.
Accedunt muro pedites, & mœnia ſaxis
Ac telis quatiunt: egreſſus iniquus ab urbe
Obſtat eis populus, quem non perferre valentes
Diffugiunt pedites, quos dux ut cedere vidit
Diffuſos campis, legiones protinus omnes
Bella dato ſigno monet incunctanter adire,
Voce manuſque ſuos ſicut dux ſtrenuus hortans:
Pauliſper Siculi commixto marte morati,
Ad ducis aſpectum tremefacti terga dederunt:
Dux ferit, atque ſuos hortatur terga ferire
Perverſæ gentis, nec cædere deſinit hoſtes,
Adverſæ portas dum perveniatur ad urbis.
Gens comitata ducem diverſis ſauciat hoſtem
Vulneribus quoſdam gladiis, & cuſpide quoſdam;
Multos fundali jactu pleroſque ſagittis
Unde ſupergrediens cæſorum corpora, tentat
Cum Siculis portas fugientibus urbis adire,
Ut finem tanto præberet capta labori.
Sed cives portis adhibent dum clauſtra feratis
Non modicam partem foris excluſere ſuorum:
Impetus hoſtilis tantis terroribus urbem
Implet, ut excluſos cædi permiſerit omnes.
Robertus quanquam longo certamine vidit
Diffiſos equites, cœptis inſiſtere poſcit.
Virtus veſtra viri varios experta labores
Vel modo laudis, ait, vel erit modo digna repulſæ;
Urbs inimica Deo divini neſcia cultus,
Subdita Dæmonibus veteri ſpoliata vigore
Jam quaſi fracta tremit: ſi vos inſtare potenter
Viderit, obſtandi nullos meditabitur auſus:
At ſi deficitis, cras viribus hæc reparatis
Acrius obſtabit, dum tempus adeſſe videtis,
Currite, dura capi, Chriſto miſerante, patebit:
Difficilem quemvis facilem facit ipſe laborem,
Hoc duce confiſi bellis imponite finem,
Atque invadendam cuncti properemus ad urbem:
His animat dictis Robertus corda ſuorum:
Aſcentis ſcalis properant conſcendere muros,
Seque voluntati promptos ducis affore ſpondent:
Sic auriga bonus veloces cædere curſu
Dum cognoſcit equos, parcit patiturque morari,
Inde reformatos reparatis flatibus, ire
Cœptum cogit iter, ſtimuliſque frequentibus urget;
Dum curſum peragant & eos præcedere victi

Vin-

Vincere qui soleant cauto ducente magistro.
Dux ubi persensit capiendis mœnibus omnes
Insudare suos, insudat & ipse ferendis
Solicitus scalis, ut progrediatur, ad alta
Præcipii inde suis: illi conscendere muros
Unanimes properant: è contra tota Panormi
Gens adstat muris per propugnacula sparsa:
Unus utrique labor populo, diversa sed illis
Causa fuit; cupit hic urbem capere, ille tueri;
Altera pars pro se, pro natis conjuge, constat,
Altera grata duci fieri studet urbe subacta.
Dum tanto populus confligit uterque labore,
Prospera Roberto fuit, & miserabilis urbi
Actio fortunæ, subito quia cœtus equestris
Egressus, scalis murorum dum petit alta,
Propugnatores Siculi dant terga frementes.
Urbe nova capta veteri clauduntur in urbe.
Gens Agarena videns se viribus omnibus esse
Exutam, tota spe deficiente salutis
Suppliciter poscit miseros miseratus, ut ejus
Respiciat casus, neque dux condigna rependat:
Cuncta duci dedunt, se tantum vivere poscunt:
Deditione sui facta meruere favorem
Exorare ducis placidi: (a) promittitur illis
Gratis cum vita, nullum poscribere curat, (a) Panormus capta anno salutis
Observansque fidem promissi lædere nullum, 1071.
Quamvis gentiles essent, molitur eorum:
Omnes subjectos sibi lance examinat æqua,
Glorificansque Deum Templi destruxit iniqui
Omnes structuras, & qua muscheta solebat
Esse prius, matris fabricavit Virginis aulam,
Et quæ Machamati fuerat cum dæmone sedes,
Sedes facta Dei, fit dignis janua Cœli.
Munia castrorum fecit robusta parari;
Tuta quibus contra Siculos sua turba maneret,
Addidit, & puteos alimentaque commoda castris:
Obsidibus sumptis aliquot castrisdue paratis.
Reginam remeat Robertus victor ad urbem,
Nominis ejusdem quodam remanente Panormi
Milite, qui Siculis datur Amiratus haberi:
Omnes cum Stephano Paterano (b) protinus Argos (b) Stephanus Pateranus à Roberto liber dimittitur.
Qui Bari fuerant capti permisit abire: Tirem.
Sic impunitos quia dux placidissimus hostes
Dimittebat, eis ut amantibus ipse placebat:
Barinis, Calabris, dux, obsedibusque Panormi
Militibusque suis vadit comitatus ad urbis
Mænia Melfensis, caput hæc erat urbibus illis
Omnibus, est & ad huc quas continet Appula tellus.
Illius comites regionis, & undique clari
Confluxere viri, vult quisque revisere tanti
Principis aspectum: Petro genitore creatus

Prædi-

Predicto solus Petrus huc accedere sprevit.
Hujus defuncto Goffrido fratre priori
Jus patrium manibus successerat atque nepotum;
Donec provectus soboles fraterna Richardus
Esset ad ætatem dominandi legibus aptam.
Dux Petro suspectus erat, quia prorsus eunti
Æd fines Siculos, vires adhibere negarat.
Dux tamen ablata formidine convocat illum
Et sibi concessum dicens à fratre Tarentum
Fraterni repetit jus muneris: ipse negavit
Reddere, quæ fuerant armis superata paternis:
Hac gravis inter eos oritur dissentio causa.
Ac veniens Andrum varios ad bella paratus
Cœpit inire Petrus: nova præcipit arma parari;
Auget militiam, suffragia poscit, ubique
Quæque sui juris servari tuta laborat.
Interea Tranum præclari nominis urbem
Divitiis armis & multa gente repletam
Obsidione parat dux subdere. Petrus ad urbem
Electos his sex equites agit, ut sibi cives
Alliceret monitis, confortarentur & ejus
Aspectu viso; quidam sua verba loquendo
Protrahit in longum, subito Robertus, & ejus
Diffusus campis apparuit undique miles.
Obsessi cives decies jam quinque diebus
Convenere Petrum simul intra mœnia clausum;
Orant ut faveat comes urbis deditioni:
Damna quidem nequeunt perferre diutius urbis:
Hic primo fieri nimio mœrore gravatus
Ille negat tandem lacrymans, cogentibus illis;
Poscit cum sociis, ut liber abire finatur,
Sicque duci fieri concessit deditionem:
A duce non patitur discedens urbe videri,
Atque ducem voluit nullatenus ipse videre,
Jam ducis horrendum ducebat cernere vultum;
Trani cujus erat laus clarior urbe recepta
Se Juvenacenses dedunt & Buxilienses
Buxiliæ Petri fuerant Juvenacus Amici,
Cui patruus Petri pater extitit: hunc, quia fratri
Contulit auxilium, dux oderat, & quia fines
Dalmaticos sine velle suo tentavit adire.
His dux expertis, cupiens sibi subdere Petrum
Obsidione parat circumvallare Coretum:
Petrus, ut hunc audit Castrum circumdare castris;
Non audens armis contendere, mœnibus Andri
Excipitur tutus: qui dum prodisset ab Andro,
Tranensi prædam deferre profectus ab urbe,
Atque equites essent decies hunc quinque secuti,
Guido quater denos equites induxerat urbi.
Ex ducis edicto Germanus conjugis ejus
Egreditur subito diffuso milite campis:

In-

Inde Petrum capiunt, & se prius inficiatum
Præsentare duci vel præsentare coactum;
Imposuit finem ducis hæc captura labori.
Sed tandem fidei jurando jure ligatus
Solvitur, & recipit quæ perdidit omnia Petrus,
Liberabit, solo Trani privatus hosti. (a)
Interea ducis egregii populosa frequenter
Poscit Amalfis opem, cui vectigalia dudum
Annua detulerat minis impugnante Gisulfo,
Semper turbatam terraque marique reclamans.
Robertus quæstu populi stimulante, Gisulfo
Mandat Amalficolas cesset vexare tributum
Ferre sibi solitos, veteris corrumpere nolit
Fœdus amicitiæ, cessare sororius illum
Cogat amor, meritasque vices se reddere spondet.
Hæc sibi legatis mandata ferentibus, ille
Dicta superba refert, negat esse sua fruiturum
Pace ducem, nisi digna sibi famulamina solvat.
Non perferre valens tanti responsa tumoris
Fervidus innumera comitatus gente Salernum
Dux adit, & terræ parat & maris obsidionem,
Quartus erat mensis completus ab obsidione:
Tanta fames miseræ cives invaserat urbis,
Ut canibus vel equis vel muribus, aut asinorum
Turba cadaveribus vix vivere posset edendo.
Egressus quidam patre civis in urbe relicto
In castris aderat, canis hunc rimata sagaci
Nare petit, laribus fuerat quæ sota paternis,
Huic dabat ille cibos, & postquam sufficienti
Pasta cibo fuerat, circa præcordia quosdam
Apposite sacco panes inferre solebat,
Quorum commoditas vitæ foret apta diurnæ:
Hos celeri cursu rediens (mirabile dictu)
Et nusquam remorans canis ad sua tecta ferebat,
Sic alimenta sagax dominoque sibique parabat:
Esuriem tantam quidam non ferre valentes
Egressi cives octavi tempore mensis
Interrupta duci Roberto mœnia pandunt,
Aptior ingressus potuit qua parte videri.
Terruit urbs animum Roberto capta Gisulphi
Conscendit turrim, quæ facta cacumine montis
Præminet Urbanis, natura cujus & arte
Est gravis accessus, non hac munitior arce
Omnibus Italiæ regionibus ulla videtur;
Expugnat validis Robertus viribus arcem:
At valido cum forte ducis petraria saxi
Ictu dimissi perculsa fuisset ab alto,
Avulsum lignum Roberti nobile pectus
Sauciat incauti, sed non post tempore multo
Auxiliante Deo recipit caro læsa salutem.
Redditus incolumis magis expugnare Gisulphum (b)

(a) Lege honore. Ita certe infra Gisulfus dicitur: spoliatus honore Salerni. *Leibn.*

(b) Gisulphi Robertus sororius erat. *Tirem.*

Nititur : ille suam fortunam dum videt esse
Casibus extremis positam : quia multa salutis
Spes erat, arbitrio se se ducis & sua dedit :
Orat sola sibi libertas detur eundi,
Jusque duci proprium dimittens liber abivit :
Gregorium Papam spoliatus honore Salerni
Appetiit primum, venientem Papa benigne
Suscipit, & regio Campanica traditur illi.
Urbe triumphata gaudet Robertus & arce,
Et ne posterius sibi gens infida repugnet
Munivit summam fidis custodibus arcem :
Inferiore situ fit inexpugnabile castrum,
Quo sibi subjecti valeant consistere tuti :
Urbs Latii non est hac deliciosior urbe,
Frugibus, arboribus vinoque redundat, & unde
Non tibi poma, nuces, non pulchra palatia desunt :
Non species muliebris abest, probitasque virorum :
Altera planiciem pars obtinet, altera montem,
Et quodcunque velis terrave marive ministrat.
Hac acquisita simul acquisivit Amalfin :
Urbs hæc dives opum, populoque referta videtur,
Nulla magis locuples argento, vestibus, auro,
Partibus innumeris; ac plurimus urbe moratur
Nauta, maris cælique vias aperire peritus. (a)
Huc & Alexandri diversa feruntur ab urbe
Regis & Antiochi : hæc fræta plurima transit
His Arabes, Indi, Siculi noscuntur & Afri :
Hæc gens est totum propè nobilitata per Orbem
Et mercanda ferens & amans mercata referre.
His sibi subjectis, quæ disponenda fuere
Omnia disponit, Trojam (b) Dux ipse revisit
Dumque moraretur Trojanæ mœnibus urbis,
Nobilis advenit Lombardus marchio quidam,
Nobilibus patriæ multis comitantibus illum,
Axo (c) vocatus erat, secum deduxit Hugonem
Illustrem natum : ducis huic ut filia detur,
Exigit, in sponsam : comites proceresque vocari,
Quaque facit super his dux consulturus ab urbe.
Horum consiliis Roberti filia nato
Traditur Axonis, tædas ex more jugales
Et convivando celebrant & multa ferendo.
Cunctis, conjugii, quæ postulat ordo peractis,
Sollicitat comites dux & quoscumque potentes
Dona potens, læti quibus & vir & uxor abire
Donati valeant : nec enim prius Imperiales
Altera cum proles thalamos Michaelis adisset (d)
Quodlibet auxilium dederant : communiter illi
Omnes tristantur, quasi vectigalia posci
A duce mirantes sed non obstare valentes :
Et mulos & equos diversaque munera præbent.
Iis genero (e) donans addens sua, classe parata

Ad

(a) Debemus Amalphitanis pyxidis nauticæ inventionem, & digesta Justiniani. *Leibn.*

(b) Troja in Apulia urbs fuit quæ circa annum salutis 1016. à Catspano Basilii & Cōstantini fratrum. Constant. Imper. extructa est, & postea Apuliæ caput fuit. *Tirem.*

(c) Azonem vult dicere, magnam Lōgobardiæ, & Liguriæ partem tenentē, à quo descēdunt Principes Brunsuicenses, & Estenses. *Leibn.*

(d) Michaelis scilicet Ducę qui cū 1071. regnare cœperit, & anno 1078. imperium amiserit, medio tempore hoc contigisse oportet. *Leibn.*

(e) Generum. *Leibn.*

Ad sua cum magno patremque remisit honore.
Normanni Comites conquesti sæpe vicissim
A duce tractari se tam male tamque moleste,
Occuluere diu malefidi pectoris iram: (a)
Tandem consiliis Jordanem patre Richardo
Participant natum, patruo simul omnia pandunt
Rannulfo comiti, quorum sibi consociatis
Tisi præsidiis Petrus & Goffredus aperta
Mentis fraude ducem cœpere lacessere bellis.
Amissæque nepos terræ memor Abagelardus (b)
Filius Unfredi toto conamine tentat
Infestare ducem, socio Guidilone, sororem
Cui dedit uxorem nec Balduinus eorum
Defuit auxiliis, & linga doctus & armis.
His comes Henricus comes & sociatus amicus,
Doctior his aderat Robertus de Scabioso (c)
Monte comes dictus, Goffredi frater, & ambo
Orti germana fuerant ducis: ira nepotes
Accendebat in hunc cunctis præstare volentem,
Omnes hi privare ducem conantur honore:
Hæc dissentio non loca concutit Appula tantum,
Sed Calabris etiam ac Lucanis regnat in oris,
Nec non Campanis, metus est hostilis ubique,
Latronum rabies passim bacchatur, & omnes
Per partes Italas raptorum copia crevit
In partes varias Normannica concio tendit:
Sed quamvis hostes essent ducis agmine plures,
Pars bello melior Roberto semper adhæret.
Redditur urbs Petro Tranensis & Abagelardo:
Conjuge, prole data, dedit Argyricius (d) Urbem
Egregiam Bari, quam dux commiserat ipsi:
Non tamen Urbibus his hac tempestate remotis
Gens ab amore ducis Juvenaci fida recedit:
Unanimes optant parere fideliter illi:
Argyricius hos monet, ut reddatur Amico
Urbs, sua quæ fuerit, quam si non reddere vellent
Obsidibus natis hunc se donare minatur
A duce commissis dudum sibi, non tamen illi
Post posuere fidem, contempto prolis amore,
Seque duci dicunt servare perenniter illam.
Hanc adipiscendam multis stipatus ad urbem
Cum Petri comitis comitatu vadit Amicus.
Affuit obsessæ simul Argyricius Urbi
Cum populo Bari, Trani, pariterque Choreti: (e)
Andrenses etiam, cum Buxiliensibus assunt.
Gens Juvenacensis non obsidione vel armis
Territa stat sertis: defendere mœnia curant,
Et ponit vigiles, obsistit, & acriter illis,
Qui foris insistunt: hi pugnant, illa repugnat;
Impugnata licet terra marique fuisset.
Arte capi nulla valuit. Legatus ab urbe

(a) Odio præsentis status Respub. mutatur scribit Tacit. *Tirem.*

(b) Mortuo Unfredo Bagelardum illi successisse plures scribunt & eum à principatu dejectum à Rob. Guiscardo Patruo fuisse.

(c) Robertus de mõte scabioso & Goffredus Roberti ex sorore nepotes. *Tirem.*

(d) Argirius à Roberto Duce deficit. *Tirem.*

(e) Choritus Tusciæ est oppidum à Coritho Rege positum. *Tirem.*

Forte Betontina fictos deferre jubetur
Rumores; caute, Guillielmus at invenit illos
Filius Yvonis, cui dux concesserat urbem.
Ecce Rogerus adest Roberti filius, inquit
Nuncius, & multas equitum peditumque catervas
Dux sibi ducendas dedit: hunc properasse putantes
Diffugiunt cuncti, quos urbis ad obsidionem
Duxerat; ut captam sibi subdere possit Amicus.
Dux licet audierit tot convenisse rebelles
Nullo concutitur terrore, sed arte vel armis
Omnes exsuperat, monitis quàm dulcibus illos
Allicit, hos bello domitat, versutus & audax
Novit utrosque modos, adimit sua castra quibusdam;
Quosdam blanditiis verborum commonet ultro
Tradere, quæ nequeunt violento Marte parari:
Sic juxta Bradam dimissa flumen equestri
Gente sua Calabrias cum parte profectus ad oras,
Et Cusentinos (a) sibi pacificavit, & illos
Deduxit rediens ab bella pedestria promptos:
His comitatus abit, tamen erogat ante sequaci,
Quod potuit, populo: properat configere contra
Omnes infidos: Juvenacus fida recepit.
Hinc equites aliquot, qua noverat Abagelardum
Esse, petit primum violento robore Barum.
Barensis populus numero confisus, & ejus
Quem sequitur ductu, ducis utpote marte valentis;
Cum duce congreditur: Lorica sed Abagelardi
Cuspide perfoditur; corpus perfossa tueri
Non valet armati: bellorum saucius ultra
Vim perferre nequit, sua gens fugit urbis adusque
Mœnia, Robertus Juvenacum victor adire
Mox parat: huic properat procedere turba fidelis
Obvia: quis posset tantas exprimere grates,
Quantas cuique refert: laudat communiter omnes
Pignoribus caris, quia præposuere tenorem
Promissæ fidei: tunc omnibus oscula præbens
Ne timeatis, ait, non deformabit Amicus
Quemlibet ex pueris: omni quia postulat arte
Ut mea reddatur sibi gratia. Taliter illi
Respondet populus: tua nos præcepta paratos
Crede sequi: totam domino committere curam
Natorum; quia nullus amor removere valebit
Nos ab amore tuo: tantum servator amoris
Sis petimus, nostri dominator & esto benignus.
Auditis populi precibus favet ille precanti.
Annis tota sui tribus est solvenda tributi,
Pactio dimidii concessa perenniter illis:
His ita dimissis properat remeare Salernum;
Dum redit hostiles vicos & castra subacta
Donat militibus, faciebat prælia sæpe
Diversis diversa locis. Fortuna favoris

(a) Cosa per s. simplex aut geminatum urbs est in Calabria, quæ hodie Cosano vocatur, Consæ Municipii meminit. Cic. lib. 5. in verr. *Tirem.*

Au-

Auxilium præbebat ei, cui dum male fida
Afcolus (a) appetitur, certamine captus equeftri
Eft Balduinus, Caftellum nomine Vicum
Vi capit: hic Gradilo privatur lumine captus,
Teftibus exuitur: fed Balduinus habere
Illæfos artus permittitur, hunc tamen arcent
Carcere cuftodes, quia fuerat Abagelardo.
Pervenit his geftis, quo cœperat ire, Salernum;
A Jordane duci pofcentes fœdera pacis
Affunt legati: dux ni difcordia ceffet.
Dilapfura brevi, qua plurima præmeditatus,
Commoda, legatis placido refpondet amore:
Inducias ponit: fit fponfio colloquiorum
Conftituitque diem: legati non fine magna
Lætitia redeunt, quia tam gratanter ab ipfo
Sufcepti fuerant, & nuntia læta reportant:
Jordani placuere fatis, quæcumque recenfent.
Hinc infra tempus Juvenacum mittere quofdam
Dux equites lectos procurans, præcipit illis
Non tantum prodere fuis, fed obeffe laborent
Hoftibus, hofque modo poterint quocunq; moleftent;
His poftquam longo (nec enim fas pergere recto
His erat) adveniunt Juvenacum tramite ducti
Callibus obliquis, aderat quia plurimus hoftis,
Infeftare ducis cœpere viriliter hoftes:
Quique prius foliti fuerant inferre rapinas,
Se doluere pati: nequeunt incedere tuti:
Jordanis (b) princeps & dux ftuduere ftatuto
Ire die Sarnum: pax firma fit inter utrumque;
Eft cum Rannulfo fimili firmata tenore,
Alter erat patruus Jordanis, avunculus alter.
His ita fedatis dux Apula caftra requirit,
Et Spinaciolum, (c) muro quod Amicus & armis
Munierat caftrum, quo non cum milite pauco
Filius ejus erat, æquites comprendit & omnes,
Filius eft folus fugiens elapfus Amici.
Perdere plura timens pacem depofcit Amicus.
Dux illi placidus favet, obfidibufque receptis
Lætificat mœftos reddendo pignora Patres,
Et Juvenacenfes defiftunt plangere matres:
Perterrent tumidos hæc fœdera facta nepotes
Roberti comitis, dux Goffridique nepotum,
Non mala refpexit tolerata, fed immemor iræ,
Dum veniam pofcunt, indulget avunculus illis.
His fifus fociis comitatus milite multo
Obfedit Barum Socer Argiricius hujus
Qui folus pacem vitaverat Abagelardi:
Urbe ducem recipit, genero qui pacis & urbis
Extorri facto ducis eft reparatus amori.
Sic quia pace ducis non fungitur Abagelardus
Et patris juris loca deferit, & Danaorum

(a) Afculum Ptolomeo dicitur hodie Afcalo & hæc eft, quæ Afculum fatrianum vocatur. *Tirem.*

(b) Juvenacū Jordanis reddit. *Tirem.*

(c) Spina Urbs in Italia unde fpinates. *Tirem.*

(d) Alexius. Leibn.

Exul adit terras, cum rector Alejus (d) esset
Imperii, Clemens hunc suscipit ille benignè,
Tractat honorifice, dat multa, sed invida nulli
Parcere quæ curat, juveniles mors subit artus:
Quique regressurum se credidit esse potentem,
Diversi generis cum fascibus atque triumphis,
Exul apud Danaos, & mortuus est & humatus.
Dux sibi conjunctis Barensibus obsidet auctis
Agminibus Tranum Petro stimulante rebelle
Hac dux uxorem dimittit in obsidione:
Non sine militibus multis petit ipse Tarentum,
Protinus obsessum terraque marique recepit.
Hunc positis castris castellum victor Aneti
Obsidet, inde Petrum comitem miserabilis angit
Anxietas, quia visa duci fortuna favere
Est inimica sibi, pacem veniamque requirit:
Dux per legatos, quos miserat, ille relegat,
Ut sibi cum Trano Castellum donet Aneti,
Ni dabit ista frui non pace merebitur ejus.
Vestibus incultis Petrus est ad castra profectus,
Subintrat veniam pacis cum fœdere poscens,
Custodes castri vocat & descendere jussit
Turribus, hi jussi. Roberto mœnia tradunt,
Tradidit & Tranum, ducis ut sibi gratia detur;
Efficiturque suus jurando jure fidelis.
Cervices rigidas sic dux astutus & audax
Flectere, sic finem bellis imponere novit.

Explicit Liber Tertius.

IN:

INCIPIT QUARTUS.

HIS Michael (*a*) solis dejectus ab arce diebus,
Cujus in insontem Romanum dira voluntas
Arserat indignè, socio sibi fratre repulso,
Monachus efficitur. Roberti filia mœret
Depositum socium, miser exulat ille coactus:
Urbibus & castris sibi circumquaque subactis,
Appula dimittens loca dux parat ire Salernum.
Partibus Esperiæ, quem Barcilona tremebat,
Venerat insignis comes hanc Raymundus ad urbem,
Ut nuptura ducis detur sibi filia poscens.
Huic major natu nuptum datur: altera nupsit
Egregio comiti Francorum stemmate claro:
Ebalus hic dictus succumbere nescius hosti,
Belligeras acies ad prælia ducere doctus
Et facundus erat, linguaque manuque vigebat.
Illis Gregorius (*b*) Beneventum Papa diebus
Advenit: urbs erat hæc Romano subdita Papæ,
Atque sui juris; quia dux obsederat urbem,
Ægrè Papa tulit, veniam Robertus ut hujus
Impetret offensæ, Papæ properavit ad urbem,
Supplicat & pedibus (*c*) dans oscula patris
Suscipitur; tanti persona vigoris honore
Digna videbatur, confidere Papa coegit.
Soliloquum cunctis astantibus inde remotis
Consilium tenuere diu, tum Papa fideles
Convocat: ex Papæ secretum jussibus horum
Panditur, allatus liber est Evangeliorum:
Dux Papæ jurat, fuerit dum vita superstes,
Observaturum fidei se jura perennis
Ecclesiæ sanctæ, totus cui subjacet Orbis:
Romani regni sibi promisisse coronam
Papa ferebatur: quia rex Henricus (*d*) ab illo
Damnatus fuerat propter commissa nefandis
Accumulata modis; nec enim venundare Sanctas
Ecclesias veritus perversum dogma colebat
Simonis, & nullum donabat Pontificali (*e*)
Culmine, præter eos, qui maxima dona tulissent.
Incestus etiam turpes & turpe subire
Ausus adulterium, (*f*) vitam ducebat iniquam,
Sacrilegus, mœchus consortia nulla proborum,
Sed reprobi cœtus collegia semper amabat.
His vitiis virtus sancti contraria Papæ
Gregorii, regno deponi judicat illum,
Saxonibus mandat perhiberi rex apud ipsos
desinat ulterius, totis & viribus obstent:
Accitosque duces Guelfumque ducemq; Rodulphum
Admonet, Henrico Petri pro parte resistant
Et Pauli, Simon quibus insurrexerat alter.

(*a*) Hic Michael Parapinacæus vocabatur, Constant. Duc. filius erat, qui imperio dejectus est, & in illius locũ Nicephorus Botoniates suffectus anno salutis 1081.

(*b*) Gregorius VII. Sũmus P. factus est anno salut. 1073.

(*c*) Deest Sancti. *Tirem.*

(*d* Henricus II. Roman. Rex. *Tirem.*

(*e*) Symonia causam dedit dissidiis quæ maxima inter Gregorium Papa, & Henricum Imp. fuerunt. *Tirem.*

(*f*) Henricus Agnetem admonentem, quid cum religione fieri oportet omni administratione depulit eaque Romam profecta non diu supervixit. *Tirem.*

Esse

(a) Rodulfus Sveviæ Dux cōsensu Ducum & legatorum, qui in Forchein cōvenerant in locum Henrici regni titulo spoliati suffectus est. *Tirem.*

Esse putabatur concessa corona Rodulfo. (a)
Is sibi Saxonibus multo cum milite junctis
Indixit bellum Papæ venerabilis hosti,
Et populus regi damnato multus adhæret·
Jus patrum recolens aliumque inducere nolens
Hæredem regno: grave fit certamen utrinque.
Dura quidem gens est, & cedere nescia magnis
Ictibus Inter se; hinc Lotharingi, Saxones inde
Certatim feriunt alternis vulnera reddunt
Vulneribus: stat quisque studens obstare vicissim,
Et perhibuntur ibi triginta cæsa virorum
Millia, sed neutro populo cedente Rodulphus
Occidit, & fessus populus defecit uterque.
Se quasi victorem percepta morte Rodulphi
Gaudens Henricus, quem regni depositorem
Noverat esse sui, Papam infestare laborat,
Romam obsessurus magna cum gente venire
Nititur, hoc prudens comperto Papa favorem
Curat habere ducis, succurrat ut ipse labori
Promptus ad arma suo, (b) vires & deprimat hostis:

(b) Robertus Guisc. Romā ingressus Gregorium Pontif. arce eductum Laterano restituit anno salut. 1084. *Tirem.*

Pacis perpetuæ Beneventi fœdere pacto
Gregorius Romam remeavit, duxque Salernum
Hac, Mathæe, tibi construxit in urbe decoris
Ecclesiam miri, sibi nobilis aula paratur.
Dedecus illatum genero (c) prolique repulsæ
Sedibus augustis, non sollicitudine parva
Cor ducis accendit: gravis hæc iniuria multis
Esse videbatur ducis, hanc desiderat ultum

(c) Michaeli ducæ. *Leibn.*

(d) Nicephorus Botoniates qua arte Michaelem ab Imperio dejecerat. Ab Alexio Cōmeno depulsus est.

Ire senex quidam regni Nicophorus (d) habenas
Sumpserat ignavus bello, tamen ingeniosa
Mente sagax, contra furtiva pericula cautus,
Imbellis metuens plusquam metuendus habetur:
Militæ princeps sustentat Alexius illum
Astuta ratione vigens & strenuus armis,
Pectore clarus erat clarisque parentibus ortus:
Annos iste suæ plures ætatis ab ipso
Flore Juventutis primævo duxit in armis:
Siquid oportebat fieri grave, non dubitabat
Imperio sancto sibi præcipiente subire
Hostes imperii, Basilachius atque Brienus. (e)

(e) Brienus virtute Alexii victus est. *Tirem.*

Insignes Græci, bellis opibusque potentes,
Hoc duce sunt victi, victori cessit uterque:
Nam sibi non longè dum congrederetur ab urbe
Bellando victus cedit, capiturque Brienus.
Victus Alexina cessit Basilachius arce:
Alter in alterius congressum dum properaret,
Proxima castra die cedente locantur utrinque,
Nocte fugam prudens simulavit Alexius illa
Castris dimissis, nequo tota remota supellex
Ejus erat, quædam tentoria fixa manebant,
Hæc dimissa fugæ, jumentaque, luce sequenti

Esse-

Effecere fidem, castrisque relicta suppellex
Contra se nullos ubi vidit adesse paratus
Hostilis belli, castris sine gente relictis
Circumquaque suis Basilachius imperat ire,
Si quos excipiunt ab equis vel gente tumultus,
Ut sibi notificent, mussantis nulla cohortis
Vox, nullus potuit sonus aut hinnitus equorum
Audiri: sperat Basilachius omnia tuta
Atque suis hostem pro viribus expavefactum
Credit inisse fugam: cœnantem crapula somno
Aggravat, & castris gens tota quieta jacebat:
Callibus occultis advectus Alexius hostes
Irrumpens subito perterruit, his quia noctis
Obstabant tenebræ: nusquam loca tuta patebant;
Spes est nulla fugæ, capiuntur & interimuntur,
His sopor & vini dederat violentia multa
Segnitiem, nec abire valent nec ad arma reverti.
(a)Alexius Basilachium superat. Lumine privatus Basilachius (a) & tibi captus
Legatur, nihil ipse videns Nicophoro, videndus,
Imperio cujus præsumpserat esse rebellis.
Impiger, & cautus sic victor Alexius hostes
Imperii multos armis superavit & arte.
Dux transire volens mare præcipit arma parari,
Militibusque suis se præstolentur Hydronti
Imperat, aptari naves facit, ipse Salerni
Undique dona petens & supplementa moratur,
Huc illuc apices non cessans mittere secum
Navibus armatis fidas monet ire cohortes:
Insolitum multis iter illud & arce videtur,
Præcipue quibus uxores & pignora cara
In domibus fuerant, non exercere volebant
Militiam talem, sed verba minantia blandis
Dux addens, precibus multos properare coegit.
Conveniunt omnes sicut mandatur Hydronti,
Dalmaticas naves oneri dux eligit aptas
Auxilio sibi quas gens miserat illa petitas:
Has armis & equis sumptuque virisque repletas
(b)Corfu hodie, olim Corcyra. *Leibn.* Ad Corisum (b) mittit, hæc insula non procul urbe
Distat Hydrontina, (c) placidis spirantibus auris:
Huc cito transitur dimissis navibus illam
Ecriter invadunt equites ducis, atque timorem
Omnibus incutiunt, qui circumquaque morantur.
Regni sede senex hac tempestate repulsus
Prædictus fuerat, bellator Alexius (d) illum
Expulit iratus, quia non iniuria fratris
Propter eum dimissa fuit, qui viribus auxit
(e)Alexius Commenus Imperium Constāt. adeptus est anno salut. 1085. Imperium totis, tot nactus ab hoste triumphos:
Omnibus Imperii legionibus huic comitato
Præsidiis vacua facilis labor urbe reperta
Est superare senem, fit monachus ille coactus:
Deprædanda tribus datur urbs invasa diebus (e)
Dux

(c) Hydrun'hū seu aliis Hydrus urbs est in Calabria ad Jonium mare, qua hodie dicitur Otranto. *Tirem.*

(d) Alexius Nicephorum & libertate, & Civitate privavit & & eam triduo Alexius ex pacto militibus diripiendam cōcessit. *Tirem.*

Dux quibus extiterat;manibus quoque sancta nefandis
Atroces per se loca non violare verentur:
Ducit Alexius, hoc magis ut timeatur, ad urbem,
Imperii regimen bellis bellator adeptus:
Roberti genitæ non parvum blandus honorem
Exhibet, audierat quem velle venire, laborans
Pacificare ducem, quo sic avertere mentem
Posset ab inceptis, sed mens ducis ardua nescit
Cedere proposito, modico remoratus Hydronti
Tempore, præstolans adventum conjugis, atque
Multorum comitum, quos noverat ipse futuros
Esse viæ socios, mentitus se Michaelem
Venerat à Danais quidam seductor ad illum
Immerito raptum jus Imperiale reposcens,
Se profugum lacrymans;lacrymantem dux & honestè
Suscipit & tractat: placidoque favore benignum
Exhibet obsequium, populus quoque credulus omnis
Assurgebat ei flexa cervice salutans:
Hunc adhibens socium sibi dux ut justior esset
Causa viæ, secum dum transfretat, ipse reducit,
Ante tamen paulò quàm transeat, accelerare
Hunc regis mandata monent, quem Papa notarat
Regno privari censens: ut conferat illi
Auxilium, contra Papam tumidosque Quirites,
Qui facti fuerant non cum ratione rebelles:
Tempore rex Romam veniens (a) obsederat illos;
Dux quanquam placidi dederit responsa favoris:
Legati redeunt sine quolibet emolumento,
Gregorio Papæ cui pura mente favebat
Omnia notificat, damnali nuncia regis,
Seque fatetur iter nullatenus illud inisse,
Adventum hostilem prænoxere si valuisset:
Sed quia jam tantos compleverat ipse paratus,
A tantis se posse negat desistere cœptis.
Advenit interea conjux, comitesque rogati,
Egregiam sobolem multo spectante Rogerum
Accersit populo, cunctisque videntibus illum
Hæredem statuit, præponit & omnibus illum,
Ipse quibus prælatus erat, (b) dignissimus hæres;
Iste patris tanti patruelibus atque paternis
Moribus ornatus, quantæ foret indolis, ipso
Primævæ cultu virtutis significabat:
Jus proprium Latii totius, & Appula quæque
Cum Calabris Siculis loca dux dat habenda Rogero.
Roberto comiti committitur atque Girardo:
Alter fratre satus, fidissimus alter amator
Et virtutis amans erat & probitatis uterque:
Hos rogat ut Papæ solatia, siqua valebunt
Non adhibere negent. Quod cœperat ipse subire
Acceleravit iter, decies & quinque Liburnis
Adria sulcatur, Corisi tremit insula, tanti

(a) Henricus II. Roman. Rex de quo sup. superata apud Parmã Mathildi Romam hostili animo proficiscẽs in pratis Neronianis castra locavit. *Tirem.*

(b) Robertus Rogerũ filium Apuliæ, Calabrię, & Panormi in Sicilia hæredẽ instituit & eo in Italia relicto, in Græciam proficiscitur.

Prin:

Principis accessus electo milite fulti :
Illa, Botrontium, gens quæ præcesserat, urbem
Cœperat : hinc Corisi genialibus urbs operumque
Prædita præsidiis, inde ditione recepit,
Obsidibusque latis, vehit insula tota tributum.
Bundiciam nautæ vi captam depopulantur :
Magnæ mentis eques Boamundus(*a*) filius alter
Qui fuerat, prima natus de conjuge, cunctis
A duce deductis equitum pæditumque catervis
Militiæ princeps præponitur, imperat ipse,
Ut populus totus jussis obtemperet hujus :
Dyrrachium (*b*) pater hinc, & filius obsidet illinc.
Obsessum superare mari terraque laborant.
Hortatus fuerat jam sæpe Georgius illuc
Accelerare ducem : quia qui commiserat urbem,
Audierat solii Nicophorum sede repulsum :
Sed ducis æstivo perpessæ tempore naves
Naufragium impediere viam, navique procellis
In qua dux aderat vehementibus undique fracta,
Vix evadendi fuit impertita facultas.
Delati panes pro corporibus recreandis
Perfusi pluviis in frusta teruntur, & undis
Littore projectis olidi cumulantur acervi :
Dux tristatur iter peragi non posse paratum.
Aeris atque maris non fracto turbine, longas
Hoc agitante moras : multos Palialogus Argos
Dyrrachium duxit, pulsusque Georgius urbe
Fraude fuit, missum sibi gaudet Alexius hostem.
Dux tamen à ceptis, ubi comperit affore tempus,
Noluit avelli, Corisi prior insula cessit.
Hinc Avellona simul, urbibus atque quibusdam
Littoreis captis, munitius esse quod audit,
Dyrrachium obsedit : quondam fuit urbs opulenta
Magnaque præcipue tegulosis obsita muris,
Rex Epirotarum dicier (*c*) Epiduarum
Pyrrhus præcipit, quia fortia ferre Quiritum
Bella Tarentinis sociatus non dubitavit :
Inde frequens bellum varios & passa labores
Evacuata viris fuit, ad nihilumque redacta :
Destructam spatio post composuere minori
Zetus & Amphion, & præcepere vocari
Dyrrachium : ducis hoc circundatur obsidione :
Fit pavor obsessæ non parvus civibus urbis,
Et vigiles statuunt, custodia fida per urbem
Ponitur, Imperio factam ducis obsidionem
Notificant, & opem legatis poscere curant :
Oppugnare modis dux nititur omnibus urbem,
Atque operis miri fabricatur lignea turris :
Hanc super est ingens erecta petraria magnos
Projiciens Jactus, ut mœnia diruat urbis :
Assiduè cives augeri castra videntes,

(*a*) Boamundus alter Roberti Guisc. Ducis filius ex priori coniuge. *Tirem.*

(*b*) Dyrrachium urbs est in Macedonia quę antiquitus Epidamnum vocabatur hodie Durazzo. *Tirem.*

(*c*) Hanc dicier Epiduarum. *Leibn.*

Omnia vastari, prædas accedere magnas,
Hybernique domos pro frigoris ædificari
Incursu, vana spe, quæ deceperat illos
Hostilis reditus, cœpere carere coacti:
Stare ducem credunt, & non abscedere velle
Dum sibi subdat, & hanc, alias qui subdidit urbes:
Legatos mittunt, cur venerit, ipse requirunt:
Dux venisse refert, se regni sede repulsus
Immerito Michael, ut restituatur honori.
Illi promittunt, urbis quos ipse petebat
Ingressus, nunquam viso Michaele negandos:
Cornicinum sonitu circundatus atque tubarum
Et plectris, qui se Michaelem finxerat esse,
More coronatus deducitur Imperiali,
Circumvallatus cantantibus undique turbis.
Unanimi cives hunc ut videre, cachinno
Visum derident dicentes, iste solebat
Crateras mensis plenos deferre Lyeo,
Et depincernis erat inferioribus unus.
Postquam Robertum cognovit Alexius urbes
Invasisse suas, veritus ne subdat & urbem,
Dux sibi Dyrrachii magna cum gente paravit
Occursare duci: bellis navalibus illi
Præmonuit sociam pugnando resistere gentem:
Non ignara quidem belli navalis & audax
Gens erat hæc: illam populosa Venetia misit,
Imperii prece, dives opum diversque virorum,
Qua sinus Adriacis interlitus ultimus undis
Subjacet Arcturo, sunt hujus mœnia gentis
Circumsepta mari, nec ab ædibus alter adædes
Alterius transire potest, nisi lintre vehatur:
Semper aquis habitant, gens nulla valentior ista
Æquoreis bellis, ratiumque per æquora ductu.
Civibus obsessis hortatur Alexius illos
Auxilium conferre suas & ducere naves,
Et pugnare ducis cum navibus, ut superatis
Hostibus his bello, facilis labor esset inire
In terris bellum: populo ducis extenuato
Imperio parent, ducis & cum navibus ire
Pugnatum properant: jam vesper adesse diei
Cœperat, occurrunt naves ducis, at quia noctis
Hora propinquabat, bellum differtur utrinque:
Crastina progrediens Aurora fugaverat umbras,
Ad bellum populus navale paratur uterque:
Amplius hujus erat quia gnara Venetica belli
Gens ruit audacter: (a) classis ducis expavefacta
Ad portum fugitiva redit, sic pugna remansit
Ter redeunte die, gens multa Venetica portum
Appetit & naves Roberti marte lacessit
Gens comitata ducem cum Dalmaticis Ragusea
Telorum densis consternit jactibus æquor:

(a) Venetorũ Dux erat Dominicus Sylvius. Tirem

Non

Non tamen à portu procul audent ducere naves;
Castrorum dederat tutum vicinia portum.
Funibus incisis quasdam violenter ab ipso
Littore propulsat vi turba Venetica ducit:
Non hoc terretur ducis imperterrita casu
Mens aliud meditans, & adhuc certare parata
Majori statuens aliasque adducere naves
Quæ plus ferre queant & plus inferre laboris,
Facta libens turbæ victricis Alexius audit
Roberto soliti, quos insula quæque fovebat,
Ferre tributa, maris naves minus esse valentes
Dum ducis accipiunt: æqua feritate rebelles
Proponunt fieri: laus (a) personat Imperialis
Imperii jussu, ne belli prescius hostis
Cautelas adhibens ventura pericula vitet,
Montibus & fluviis munitur transitus omnis.
Irruere incauto sic sperat Alexius hoste,
Invictumque ducem assultu superare latenti,
Innumeras ducit varia degente catervas:
Maxima barbaricæ cum Græcis copia gentis
Hunc comitabatur: tamen ire Basilius ante
Electorum equitum secum duo milia ducens
Castraque Roberti ducis explorare jubetur:
Mesopotamites erat hic, bellique labores
Expertus varios, sequitur præcepta jubentis
Cumque Botrontinæ fieret jam proximus urbi,
Rumor adest, equites ducis haud procul ire ferentes
Non modicam prædam, cum pars jam multa fuisset
Saucia, Turcorum, quos duxerat ille, sagittis:
Marte mori potius, quàm cædere turpiter Argis
Unanimes statuunt, & convertuntur in hostes
Gente coarctata, quo prævaluere paratu:
Turci terrentur conversis hostibus illos
Acriter obniti, graviterque ferire videntes
Agmine stare nequit fugiente Basilius horum
Et capitur fugiens: acies Normannica captum
Præsentare duci properat: Robertus ab illo
Omnia perquirit: quid tentet Alexius in se,
Vel quid inire velit, quantas ad bella cohortes
Moverit: adventum postquam dux esse propinquum
Hostilem didicit, quantis & Alexius illum
Impetat agminibus: proceres quos duxerat omnes
Convocat, accitis, quæ noverat omnia, pandit
Et quid opus facto sit, consulit: effera quorum
Mens erat, audaci dimittere castra quibusdam
Consilio placuit: venientibus indubitanter
Hostibus occurrens, ut terreat impetus illos,
Esse refert melius dux non abscedere castris
Copia dum propius conspecta sit Imperialis,
Et frustra queri vincendi prædicat artem,
Cum nisi de Cœlo nulli victoria detur.

(a) Edictum. *Leibn.*

Is licet egregios equites sibi sciret adesse,
Nil ineundo tamen temerarius esse volebat:
Congressura quidem gens innumerabilis esse
Dicebatur ei: nec adhuc natura virorum
Nota sibi fuerat; catus unde sagaciter omnes
Ordinat ante suos & quæque paranda coaptat;
Non à Dyrrachio procul expectare volebat
Hostiles cuneos, subito venientibus illis
More locustarum montes & plana teguntur.
Proximus Oceano jam Sol erat: unde nec illis
Bella subire, nec his placuit: dant membra quieti.
Dyrrachii populo mandarat Alexius omni
Hostis congressi post terga venire studeret,
Ut tutus fieri nec retro nec ante valeret:
Castra cremat venient die dux providus horum
Ut duce digresso sit fas irrumpere nulli:
Commovit prior ipse suas ad bella cohortes:
Agmina plura movens occurrit Alexius illi:
Cum Langobardis Calabri terrentur & omnis
Pene fugam petiit, fuerat qui sub duce nauta,
Ipsaque concursu primo terretur equestris
Gens ducis, hostilis dum prægravat impetus illam;
Venit ad angustos transgresso flumine quosdam
Hæc incauta locos: dux, ne quis ab urbe venire
Contra se posset, vel ad urbem pergere, pontem
Fecerat everti, loca dum sic arcta suorum
Impediunt aditus, vehementi nube teguntur
Undique telorum, nec major visa refertur
Grando sagittarum, locus, & quia tutus abesse
Cœperat interea, cum nec pugnare valerent
Cedere nec retro: se dilatare laborant
Præcipitando mari, quia non minus hostibus ipsa
Turba coarctatis sibi plebibus officiebat
Aspera Normannis angustia tanta videtur:
Imperialis eos exercitus ex superatos
Defecisse putans, classisque Venetica victos
Quod caperet sperans, quæ proxima nabat in undis
Aggreditur spoliis inhians agitare rapinas,
Arripiuntur equi diversaque sarcina rerum;
Quas ducis accelerans ad prælia spreverat agmen:
Interea digressa, mari vix se sociare
Turba duci valuit, qui præter gressus iniqui
Exitiale loci multo sudore periclum,
In primis aderat, quem jusserat hic acierum
Ordo prior mutatus erat, miseranda locorum
Omnia mutari sic arctatura coegit,
Gaudet adesse suos, & paucis vocibus illos
Dux prior hortatur, solum tutamen in armis
Affore conclamans, & si dant terga Pelasgis,
Quemque trucidandum pecorino more minatur;
Captivis vitam morti prænunciat æquam,

His

His hortamentis accendit corda suorum,
Et licet innumeras videat properare cater vas
Partis Alexinæ, vix illo, quod sibi Papa
Ad Petri dederat summi pastoris honorem:
Et meritis Sancti, cujus fabricaverat ædes,
Matthæi fidens, non diffidenter in hostem
Irruit, atque ferox obsessa non procul urbe
Commisit bellum, superatur Alexius, atque
Terga dedere sui, quia plus quam milia quinque
Argolicæ gentis sunt hoc certamine cæsa,
Pars quoque Turcorum cum Græcis interit ingens,
Captus & armorum varius nitor est & equorum,
Captaque sunt Danaum diversi signa decoris:
Vix equites de gente ducis potuere perempti
Cerni triginta: lacrymatur Alexius hostem
Prævaluisse sibi, cui nec par copia gentis,
Nec par census erat, discedit saucius ipse,
Cogitur & lacrymans inglorius ille reverti,
Gloria cui fuerat frustra sperata triumphi:
Uxor in hoc bello Roberti forte sagitta
Quadam læsa fuit, quo vulnere territa nullam
Dum sperabat opem se pene subegerat hosti,
Navigio cujus se comendare volebat
Instantis metuens vicina pericula læthi,
Hanc Deus eripuit, fieri ludibria nolens
Matronæ tantæ tam nobilis & venerandæ.
Occidit hoc bello regni spoliatus honore
Constantinus & subhumatus honore decenti,
Dyrrachii proceres amisit Græcia multos,
Quorum per campos inhumata cadavera tabent:
Dux in Alexinis remorari tempore castris
Non multo propter putrefacta cadavera curat.
Imperii jussis gens fida Venetica servat
Urbem Dyrrachii: dux hac digressus ab urbe
Pervenit ad quendam, cui nomen divalus, amnem
Hic sibi castellum fabricans loca se comitatos
Per diversa locat, quibus incumbente pruina
Temporis hyberni securi vivere possent.
Gens cruciat variis plerosque Venetica pœnis.
Cum duce transgressos, non hunc ad bella secutos,
Qui profugi fuerant, studiis servilibus illos
Addicunt; alios ergastula carceris arctant
Ad patriam missos, alii traduntur Achivis.
Dyrrachii quidam, quem terra Venetica misit
Vir præclarus erat nomenque Dominicus illi,
Oderat hic quendam, quia non se participabat
Consilio, sociis quod pluribus insinuabat,
Hunc quasi primatem gens illa studebat habere:
Dux dicebatur genuisse Veneticus illum,
Primatu tentat privare Dominicus illum,
Quendam de profugis Batinum convocat ad se
Qui

Qui sibi charus erat fideique tenore probatus.
Hunc monet, ut noctu Roberti castra requirat,
Et se velle duci sua commoda pandere dicat,
Et properare loco moneat qui petra vocatur:
Ecclesiæ Sancti Nicolai proximus iste
Est locus, hunc Robertus adit cum milite pauco;
Accitus, profugo redeunte, Veneticus illum
Convenit & facilem promittit deditionem
Dyrrachis, nisi Dux sibi, quod petit, esse daturum
Abneget: ille libens jurando jure spopondit,
Quod petit explendum, neptim pro conjuge dandam:
Colloquio facto remeavit uterque latenter:
Constituere prius, quo tempore deditionem
Is foret acturus, quo tempore dux rediturus,
Jamque dies aderat consensu utriusque statuta:
Dux Cusentinos quosdam, quos præ fore cursu
Noverat, elegit: quosdam simul his sociavit
Electos equites, & ad Urbem nocte quieta
Accelerans, caute profugum præmittere curat,
Ut quod opus facto sit ab urbe renunciet ipsi,
Non modica noctis jam parte Veneticus illum
Præstolatus erat somno correptus, at illum
Perfuga Barinus mox evigilare coegit.
Indicat adventum ducis, imperat ille, fideles
Absque favore suos celer introducat in urbem,
Ille redit, peditesque ducis facit ire priores,
Munia tradidit his custode carenti terris,
Tempore nocturno nullos fecere tumultus,
Albescente die variis clangoribus hostes
Percipit ingressos urbs tota, Veneticus omnis
Arma capit, præter quos ille domesticus hostis
Roberto monitis allexerat, incola quisque
Hoste supergresso, fodit infra munia vallum;
Hostibus ut facilis non sit descensus ad urbem.
Jusserat à castris dux illa nocte cohortes
Accelerare suas, auditis iste suorum
Vocibus accurrens, has porta mittit ab omni;
Sic habitatores intusque forisque videntes
Se se impugnari, male fida Venetica clamat
Agmina turbatus, fugit inde Veneticus omnis;
Quidam cæduntur, quidam capiuntur, ad æquor
Pars fugit Adriacum, sic evasere fugaces
Navibus impulsis. Quicumque Veneticus armis
Obstiterat, nec non ducis horum filius, urbe
Sunt capti capta, dimotaque littore classis:
(a) Robertus Dyrrachium subdit. Tirem.
Sic sibi Dyrrachium Dux subdidit,(a)atq;quod armis
Vincere non potuit, victoria subjugat artis,
Et quæ pollicitus fuerat, post deditionem
Cuncta sibi gaudet completa Veneticus esse.
Interea populus Trojanus & Ascolitanus,
Alter jus soliti nolens explere tributi

Am-

Amplius, atque dolens eversis mœnibus alter,
Unanimes studio ducis invasere Rogerum
Hæredem egregium, qui sensu clarus & armis
Cum quantis poterat Trojana clausus in arce
Viribus obstabat: tandem properantibus illi
Auxilio sociis patrisque suique quibusdam
Dimissa ruit arce furens, populumque rebellem
Diversis punit cruciatibus, huic manus, illi
Pes erat abscisus: hunc naso, testibus illum
Privat, dentibus hos, deformat & auribus illos:
Sæpe solet captæ sic tigridis ira latenter
Dum nullos agitare potest inclusa furores,
Quæ si forte valet ruptis excedere claustris,
Quod videt omne vorat, rapit, insolitumque furorem
Exerit, occursus leo perfugit ipse furentis,
Quamvis ista minor sit corpore, fortior ille.
Robertus geminis exacto navibus anno
Adriacis undis loca rursus ad Appula transit:
Is primogenito populum commiserat omnem,
Cui nomen Boamundus erat pariterque Brieno.
Dux postquam Cannas sibi comperit esse rebelles
Obsidet, obsessas evertit humotenus illas.
Rex (a) erat, his genitus genitrice Hermanus eadem
Onfredi fuerat qua filius Abagelardus:
Non tamen unus eis pater extitit, illa duobus
Est sociata viris: miles præclarus in armis
Frater uterque fuit, sed cessit uterque potenti
Roberto, (b) cui vix par Orbe potentia toto.
Cannis destructis Romam molitur adire
Contra Gregori Romani præsulis hostem
Henricum, cujus jamdudum obsederat urbem.
Plurima barbaries annis remorata duobus,
Altaque tormentis murorum mœnia fregit,
Et turres multas invictæ diruit urbis.
Jamque sibi fuerat pars subdita Trans-Tyberina,
Gregorius quadam fuerat conclusus in arce, (c)
Quæ munita satis, non expugnabilis ulli
Esse videbatur miri structura laboris.
Hanc & munierat fidæ custodia gentis:
Robertum tantos ubi novit inisse paratus,
Et sibi cum tantis inferre paratibus arma:
Rex fugit Henricus, Ducis hunc audacia terret
Et virtus totum jam notificata per Orbem,
Expectare verens hunc ad loca tuta recessit.
Robertus Romam properans vi perforat urbis
Egregiæ muros: (d) tamen auxiliantibus ipsi
Paucis Gregorii fautoribus, inde quibusdam
Ædibus exustis, violenter ab obsidione
Liberat obsessum jam tanto tempore Papam:
Hunc secum magno deducit honore Salernum. (e)
Henrico rursus cupidi cessere Quirites

Post

(a) Rex hic pro rectore sive gubernatore ponitur. *Leibn.*

(b) Robertus Cannas recipit. *Tirem.*

(c) Hæc fuit Adriani moles.

(d) Roberto ea pars urbis eversa est quæ inter Lateranum & Capitolium interjacet. *Tirem.*

(e) Ibi Gregorius interiit. *Tirem.*

Post ducis abscessum, Papam concesserat illis
Ipse Ravennatem Guibertum, (a) qui scelerata
Mente pari insurgens regnum præsumsit adire
Sedis Apostolicæ, Clemens à plebe vocatus
Agmina Romulea Dux urbe reducta Salerni
Dimisit, nunquam par huic exercitus hæsit:
Millia sex equitum, triginta millia Romam
Duxerat hic peditum: sic uno tempore victi
Sunt terræ Domini duo, Rex Alemanicus iste,
Imperii rector Romani maximus ille: (b)
Alter ad arma ruens armis superatur, & alter
Nominis auditi sola formidine cessit.

(a) Hunc Guibertum Henricus in Lateranensi Basilica corona Pontificia publicè donavit. *Tirem.*

(b) Guiscardi virtutem insignes hæ victoriæ testantur. *Tirem.*

Explicit Liber Quartus.

IN-

INCIPIT QUINTUS.

POST ubi Robertum cognovit Alexius esse
Æquore transvectum, vires reparare minutas
Nititur, absentisque ducis perfringere castra:
Hæc duo servabant vi consilioque potentes,
Filius ille ducis Boamundus, & iste Brienus:
Haud procul à Jamna non parvi nominis urbe,
Partis Alexinæ populus sua castra locarat,
Multiplici partem præmunit Alexius illam
Obice plaustrorum, quam pervia planiciei
Ad pervadendam facilem vicinia reddit,
Ferrea cum tribulis omnes Saliunca viarum
Præpedit accessus, ut laxis hostis habenis
Dum dimittet equos, pedibus figatur equorum,
At nebula Danaum prospectus præpediente,
Illuc Normanni per vitibus aspera densis
Plenaque carectis loca pervenere latenter:
Obstat congrediens paulisper Alexius illis,
Sed non instantes sufferre diutius illos
Evaluit, petiitque fugam victusque recessit:
Urbem Thessaliæ superatus marte secundo
Appetit egregiam, vulgus vocat hanc Salanichin, (a)
Et quia bellorum varios non ambigit esse
Eventus, conatur adhuc ad bella redire.
Gaudens audaci magis agmine quàm numeroso,
Exultans capti Boamundus honore Civisci
Obsidet insigni larissam nomine claram,
Ad quam delatos thesauros Imperiales
Quamque opibus magnis audiverat esse repletam,
Prodiit hac auctor Trojanæ cladis Achilles.
Obsidione suæ turbatus Alexius urbis
Innumera cum gente venit, pugnamque virilem
Contra Normannos exercuit; obvia namque
Pugnando cedit sibi gens comitata Brienum,
Non modicum spectans Boamundus collibus agmen
Imperii pariter rectorem credit adesse,
Irruit, & trepidos hostes, ut nisus alaudas
Insequitur, populo, Græcorum exercitus, hujus
Terga dat, at tantus contexit pulvis utrunque,
Ut neuter videat quorsum pars altera tendat:
Abdita Sylvarum victi petiere Pelasgi. (b)
Occisis victor redit ad montana quibusdam,
Si qua parentur adhuc ipsi certamina spectans:
Hostes digressos ubi novit Alexius esse,
Larissea petit multo cum milite castra.
Dimissi castris pedites majoribus hostem
Viribus urgentem non armis ferre valentes
Vincuntur, major pars occidit & fugitiva
Pars minor abscedit: spoliorum quicquid ab omni

(a) Victus Alexius Salanichim cōfugit. Salonicem, quæ olim Thessalonica. *Tirem.*

(b) Alexius tertiò. prostratus. *Tirem.*

Victrix turba loco contraxit, Alexius effert.
Nuncius ad montem Boamundo pandere casus
Adversos properat, qui se speraverat esse
Victorem, victam partem dolet esse suorum:
Nil tamen ipse pavens, comites sibi dissociatos
Associare studet: nequeunt incommoda mentem
Perterre viri, magis obsidione solutam
Urbem conqueritur, jam victam jamque subactam:
Marte fatigatos jam nox admota quieti
Tradere membra monet, vallem Boamundus opacam
Haud procul inde petit, quæ cuncta sibique suisque
Apta ministrabat, sua dant ibi membra sopori.
Plurima post triduum duo conduxere potentes
Agmina Græcorum Boamundo bella parantes:
Alter Germanus, Augusti Melisianus,
Alter cognatus, nomen fuit huic Adrianus.
Normanni solitæ memores virtutis ad arma
Concurrunt celeres solitique fugacibus Argi
Elabi, pedibus redeunt properanter ad urbis
Mœnia Larissæ, (a) qua clausus Alexius ipse
Non procul audebat toties superatus abire,
Nec minus & Turci clauduntur in urbe fugaces:
Taliter obsessus populus Normannicus illis
Non remanere diu valuit, quia terra labores
Passa rapinarum, victus alimenta negabat.
Et nuper captis fuerant sua perdita castris,
milite diviso vitæ Boamundus ad usus
Quærit Ebellonæ loca Castoreæque Brienus:
Dimissa magna Salonicæ parte suorum
Ad propriæ sedem remeavit Alexius urbis,
A Constantino, quæ sumpsit condita nomen.
Gens redit interea Venetum ratibus reparatis
Atque requisitam nullis prohibentibus intrant
Urbem Dyrrachii, quia rarus in urbe manebat
Civis, egestatis dispersérat undique cives
Insolitæ casus: remorans ter quinque diebus
Gens studet utilibus vacuare Venetica rebus
Dyrrachium, sed præsidiis municio tuta
A duce dimissis, castelli jura negavit:
Hoc non posse capi postquam videre, recedunt:
Audito reditu geniti ducis advenientis
Ingressique rates communiter æquore multas
Erexere trabes, & parvæ fit modus urbis:
Castro composito de lignis, omnia classis
Instrumenta suæ gens provida, seque locavit:
Sicque sub ædiculis algenti tempore contra
Nymbosas hyemes remorantur in æquore tuti:
Jam cedebat hyems, & verni temporis auræ
Spirabant placidæ, cum navibus omnibus omnes
Ad Corisum properant, hæc complacet insula cunctis,
Classis Alexinæ dux Mabrica venerat illuc.

(a) Larrissæ plures sunt, de quibus Strabo lib. 9. Hæc in Macedonia sita est, quæ hodie Larrizo nomē habet. *Tirem.*

Inde

Inde placet nautis repetenda Venetia multis,
Mutuus ut fieri valeat redeuntibus illis
Abſceſſus, comitum patriam ſic quiſque reviſat.
Hoc ſtatuunt fieri, Roberti namque regreſſus
Protrahitur nimium, diuturna negotia rerum
Abſumendarum ſint illis cauſa ſuarum.
Tempore Robertus multis intentus in illo
Præcipuas contra Jordanem bella gerendi
Curas, infectum nil dimiſſurus, habebat.
Propterea latio non ipſe redire volebat.
Jordanis princeps perterritus advenientis
Henrici fama (a) non armis obviat illi
Ut ſe ſe ſineſque ſuos tutetur ab illo:
Sed firmæ ſecum componens fœdera pacis
Illi ſe ſubigit, genitus conceditur obſes,
Et cum prole dedit ſolidorum munera multa,
Hoc ne privetur, dominatus jure paterni
Fecit, ſi regi ſit ad Appula tranſitus arva.
Et quia Jordanis ditioni ceſſerat ejus,
Dux (b) hujus terras ferro populatur & igni.
Inde nepos petiit pacem, recipitque petitam
Gregorio Papæ, ſedatis omnibus ante
Quam repetat fines Græcorum, ſuplicat orans,
Dedicet Eccleſiam, quam fecerat hic ad honorem
Matthæi Sancti, placidus favet ille precanti.
His ita completis animos intendit ad illud
Propoſitum, quod mente diu tractarat agendum;
Electos igitur nautas, & quos magis aptos
Militiæ novit ſecum facit ire Tarentum:
Huc cum gente ſua navis convenerat omnis,
Claſſis magnificos ibi militiæque paratus
Inſtruit, expenſis naves implentur & armis.
Portum Brondiſii qui tutior eſſe videtur
His comitatus adit: tranſire veretur Hydronti,
Quo brevior tranſcurſus erat, quia tempus adeſſe
Cœperat Autumni, tranquilla receſſerat æſtas.
Unde timens ratibus, mora ne qua noceret Hydronti
Ex tempeſtatis ſubditis incurſibus orta;
In portu tuto ſit tutus claſſe recepta,
Expectat flatus prudenti mente ſecundos:
Inde valefaciens uxori littore ſtanti
Reſtantique ſimul populo cum conjuge, cœpit
Finibus Auſoniis jam non rediturus abire. (c)
Armatis centum viginti navibus æquor
Transfretat Adriacum genito comitante Rogero,
Qui patris eſſe ſequax armorum ſtrenuitate
Et placida cunctis affabilitate ſtudebat.
Duxit prœterea naves, oneraria quarum
Lex erat, has & equis ſumptuque replevit & armis
Et variis rebus quas æquoris exigit uſus.
Æquore tranſvectus exercitus ille, coegit

(a) Henricus Jordanem ſubigit. Tirem.

(b) Robertus in Jordanem. Tirem.

(c) Robertus rurſus in Græciam. Tirem.

Quem ducis egregii servabat filius alter.
Exegere fere menses in littore binos,
Tempestate gravi bellum differre coacti.
Temperie placida portum redeunte relinquunt,
Et contra Venetum naves Danaumque Chelindros
Certamen navale parant, dux quinque triremes
Ducit, ducendos commisit quinque Rogero,
Roberto totidem fratri, totidem Boamundo.
His aderant Ratium suffragia juncta minorum,
Innumeras bello Danai duxere Chelindros:
Altera turba novem confisa triremibus altis,
Quas habiles bello magis esse Venetia novit.
Roberti naves dum conspicit inferiores
Esse suis, audacter eis congressa resistit,
Atque interpositis Danaum præfulta Chelindris,
Jactibus innumeris telorum desuper hostes
Sauciat, & ferri se pondera magna minatur
Jacturam, vel classis eis inimica propinquet.
Vix in ea navi, quæ fert ad bella Rogerum
Quilibet illæsus reperitur, & ipse lacerto
Saucius, obstanti stat cedere nescius hosti
Immemor illati sibi vulneris, ardor honoris;
Quantus adesse solet victoribus, incitat illum.
Hinc pater insigni decoratus sæpe triumpho
Accit, & accitum majori classe Chelindros
Dissociare jubet, patris impiger ille jubentis
Jussa sequi properans, cum quinque triremibus illis,
Quæ sibi commissæ fuerant, inferre Chelindris
Bella parat, Danai nihil hoc pugnante repugnant,
Sed passim fugiunt, ut aves obstare volanti
Non audent Aquilæ, cursuque latere fugaci
Coguntur lepores, dum, ne rapiantur, aduncis
Unguibus & rostro metuunt cibus esse voraci.
His ita dimotis stat sola Venetica classis.
Robertus genitique sui dum stare fugatis
Græcorum ratibus solas videre triremes
Invasere suis cum navibus acriter illas,
Jamque fuit vehemens impulsus impetus harum;
Ut septem mersis non posse Venetica classis
Elabi speret, solis sed stare duabus
Navibus ad bellum nil profuit, hostibus omnes
Cedere coguntur: solito dux more triumphat:
Classe triumphata secum duo millia victor
Ad portum ducit depugnatoribus istis,
Qui magis obstiterant, quorum audacia major,
Præter eos alios quingentos annumeravit
Qui capti fuerant septem fugientibus Argis,
Argolicæ naves sunt hoc certamine captæ:
Qui castrum Corisi servare fideliter illi
Solliciti fuerant solvuntur ab obsidione
Quam passi fuerant, dux dum metuendus abesset
Exin

Exin victrices & victas ducere naves
Procurat, tutis stationibus ut locet illas
Temporis Hyberni dux incumbente pruina
Has ratione sagax Clicæum ducit ad amnem:
Naves & nautas ibi collocat, & remorari
Dum placide redeant, æstatis tempora, jussit.
Ipse suos equites hyemali tempore secum
Bundiciam ducit mansurus, ibique moratur
Clicœo populom, fuerat qui proximus amni,
Asperior solito languere pruina coegit:
Frigoris atque famis pars maxima passa labores
Interit, & tantæ crescunt incommoda pestis,
Ut prius exactus mensis quàm tertius esset,
Sint præventa decem quasi millia morte virorum:
Ne reliquis tantæ necis est exercitus expers.
Namque brevi morbus communi clade peremit
Quingentos equites nec non immobile vulgus
Magna parte ruit: nec eques nec nauta nec ullus
Vir valet instantis leti vitare ruinam:
Nulla tamen frangunt ducis infortunia mentem;
Fortis & in casus manet imperterritus omnes.
Filius ægrotans poscit Boamundus, ut ipsum
Italiæ remeare pater permittat ad oras,
Quæ medicis multis medicaminibusque redundat:
Ille licet nolens consentit abire volenti,
Tam claræ sobolis cupiens reparare salutem.
Danda recessuro dedit, hoc abeunte Rogerum
Jussit adire suo cum milite Chephaloniam,
Ut tanta fuerat, quæ tempestate rebellis,
Victa refrenetur, hæc insula dum capietur.
Undique terrendas Græcorum noverat urbes:
Jussa patris sequitur, jussamque Rogerus ad urbem
Cum ducis agminibus properavit & obsidet illam:
Dux repetit positas Glicæo flumine naves,
Et studet inclusas abducere, non minus undis
Quam terris avidus Græcos domitare tumaces.
Bella parare ferox & equis & classe laborat,
Navibus adductis turbetur ut Insula quæque
Conferat & fisco ducis Imperiale tributum:
Temporis æstivi reditu defecit aquarum
Copia, nec tantis jam defluit alveus undis,
Ut fluvio nautæ valeant deducere naves.
Dux qui difficilem facilem facit arte laborem,
Dum fluvium solitis cognovit egere fluentis.
Namque moatus aquæ brevis arcta fauce fluebat,
Multos afferri palos, & ab amnis utraque
Margine confugi connexos vimine jussit:
Et multis multa præcisis arbore rames
Composuit Crates, & arenis desuper implet,
Sic aqua lascive dispersa refertur in unum.
Alveus altior hinc, cœpitque capacior esse,

Co-

Cogitur unde viam præbere meabilis unda
Navibus, illæsæque maris revehuntur ad undas.
Vir venerabilis hoc in tempore Papa Salerni
(a) Gregorii Papæ interitus anno 1085. *Tirem.*
Gregorius moritur, (a) quem nec persona nec auri
Unquam flexit amor, justum servare rigorem
Semper proposuit, non cor date læta valebant
Absque modo lætum, nec tristitia reddere mœstum:
Solator mœsti, lucis via, doctor honesti
(b) Gregorii Pont. encomium. *Tirem.*
Legibus arcebat tumidos, humilesque fovebat: (b)
Terror iniquorum, Clypeus fuit ille proborum
Atque salutiferi spargendo semina verbi,
Nunquam cessavit populum revocare fidelem
A vitiis ad eos quibus itur ad æthera mores,
Vitaque doctrinæ non discordare solebat,
Non fuit instabilis vel arundineæ levitatis.
Dux non se lacrymis audita forte coercet
Morte viri tanti: non mors patris amplius illum
Cogeret ad lacrymas, non filius ipse, nec uxor,
Extremos etsi casus utriusque videret.
Magnus erat de morte dolor, quia magnus amoris,
Vivere dum licuit, nexus conjunxerat illos,
Alter ab alterius nunquam discessit amore
Firmatæ quondam post mutua fœdera pacis,
Ecclesia Sancti Matthæi Papa sepultus
Nobilitat tanti thesauro corporis urbem:
Hanc quia translatus Matthæus Apostolus alti
Nominis esse facit, meritumque vicarius iste
Auget ibi positus: præcunctis urbibus unam
Dux elegisset, sibi vivere si licuisset.
Verum Gregorii post mortem præsulis illi
Ad loca non licuit Latii dimissa redire.
Continuis hujus soboles generosa Rogetus
Perterrere minis non cessat Cephaloniam:
Insula Roberto proponitur esse petenda,
Ad quam missus erat capiendam filius ejus:
Navim conscendens, quam castra revisere possit;
(c) Robertus in febrim incidit. *Tirem.*
Febre prius capitur, (c) flagrare Canicula fervens
Cœperat, æstiva cujus sævissimus ardor
Tempestate solet mortalibus esse nocivus:
Uxor ab Italia non multo veneratante,
Et castris aderant, dum nati castra revisit
Dux, quibus exierat Populo cum classe relicto;
Hæc ubi Robertum cognovit febricitare,
In quo tota sui sita spes erat, utpote tanto
Conjuge, discissis fluens vestibus, acceleratis
Cursibus accessit, quæ defecisse, maritum
Extremosque videns casus instare propinquos;
Ungue genas lanians, impexos scissa capillos
Proh dolor! exclamat, quid inibo miserrima, vel quo
Infœlix potero discedere? nonne Pelasgi
Audita me morte tui natumque tuumque

In-

Invadent populum, quorum tu gloria solus
Spes & robur eras, tua quos præsentia fovit,
Extremis positus quia te præsente tuorum
Hostis nemo minas, congressus nemo timebat:
Pluribus & quamvis acies adversa catervis
Obsita non paucis, tua quos animatio tutos
Fecerat, audebant committere bella, nec unquam
Te viso potuit mundana resistere virtus:
Filius ecce lupis finitur rapiendus & uxor,
Et populus nunquam sine te securus habendus,
Te quia, qui populi fueras audacia nostri,
Amisso populus non audax esse valebit:
Quodlibet ignavum poterit præcellere vulgus,
Impia mors homini, quo tot pereunte peribunt
Parce precor, precibus quæ condescendere nescis,
Expecta salutem dum nos ad nostra reducat,
Ut locus excipiat nos post sua funera tutus.
Ah miseram! frustra precor hanc, ingrata precanti
Cum semper fuerit nullique pepercerit unquam:
Nec minus & flenti flens cum genitrice Rogerus,
Magnos cum gemitu clamores tollit ad astra,
Se prius orbatum lacrymans patre, quam vel habendi
Parta, vel ad plenum sit gnarus habenda parandi,
Sectarique sciat virtutis facta paternæ:
Astantis populi lacrymas qui lumine sicco
Inspiceret? quis tam patiens, tam ferreus esset,
Ut non mœstitiam tot passis compateretur?
Inter tot lacrymas cum corpore sanguine Christi
Accepto, moriens vita spoliatur amica:
Sic & in exilio rubusti principis artus
Spiritus exutos dimittit & examinatur, (a)
Qui fortes animos aliis inserre solebat,
Se præsente suis nil passus ad esse timoris:
Non remanere viri Græcorum partibus uxor
Corpus passa, suis conatur reddere terris,
Quamque magis celerem cognoverat esse galeram
Scandit, ibi posito Roberti corpore transit,
Mortuus ut rediens Latio solatia præstet,
Cui non fas vivo fuit ad sua regna reverti.
Castra Rogerus adit patris interitusque paterni
Notitia populum communicat anxius omnem,
Consiliumque petit, privandum namque fatetur,
Ni redeat properem, se juris honore paterni,
Hæredem cujus pater hunc indixerat esse:
Illi promittunt omnes se corde fideli
Sicut servierant patri servire paratos,
Sitque coadiutor transgressibus æquoris illis
Unanimes rogitant, populo favet ille roganti:
Se tamen expectet, dum Cephalonia petatur
Insula, qua socios dimiserat, obsecrat omnes
Et nullius, ait, fidei me jure vocare

(a) Robertus Guiscardus obiit ex Onufrio & Sigo. anno salut. 1085. Colenutio autem 1081.

De-

Deberet populus dimissus in obsidione,
Abscedens ejus si castra revisere nollem,
Et patris interitum, quem vobis notificavi
Discessumque meum non illis notificarem.
His dictis ad castra suæ redit obsidionis,
Defunctumque patrem se velle recedere pandit:
Acturos referunt se quisque quod egerit ille
Obsequijque sui cœptis desistere nolle,
Si condigna tamen sibi convenientiæ detur:
Taliter amoto sua castra petente Rogero,
Gens aliis castris tanto remorata pavore
Concutitur, quod se millatenus emerituram
Elapsum sperat, quasi vita salusque negetur:
Omnes si Danai, gens Persica, gens Agarena
Hos invasissent, & ab omni climate mundi
Afflues & populus, peteretque armatus inermes,
Non illa hac formido foret formidine major,
Mors unius erat multorum causa pavoris:
Innumeras gentes, duce qui vivente solebant
Vincere, defuncto paucis obstare timerent:
Millibus esse decem sic sæpe valentior unus,
Atque fugare viri duo millia mille probantur.
Hostis ne subeat majori classe cremata
Territa gens studuit naves servare minores,
Æquor ut Adriacum transvecta pavore levetur:
Tantus erat terror nec opus nec pallia curant.
Omnia postponunt & corpora sola carinis
Supplicibus precibus poscunt inducere nautas,
Atque licet naves à terra longius essent,
Pars conscendit equos, ut perveniatur ad illas,
Dimissis & equis imponunt corpora tantum,
Pars natat ut nando valeat conscendere navem:
Pars tamen illorum major, quia non remeare
Navibus evaluit, remanens se mancipat Argis,
Quique timebantur timidi servire Pelasgis
Incipiunt, animi pulsa feritate ferocis:
Jamque rates fuerant secus Appula littora ductæ,
Tempestas tumidum quatit intolerabilis æquor:
Naufragium passi quam plures sunt ibi nautæ:
Pars hominum cum classe perit, fractaque procellis
Qua fuerat corpus transvectum nobile, navi,
In mare delapsum non absque labore cadaver
Extrahitur, fœtor ne prodeat inde nocivus,
Viscera corque ducis subhumari jussit Hydronti
Prædita consiliis semper prudentibus uxor,
Et multo reliquum condunt aromate corpus,
Hinc deportari Venusinam fecit ad urbem,
Qua fuerant fratrum constructa sepulchra priorum:
Hos prope cum magno dux est subhumatus honore,
Urbs Venusina nitet tantis decorata sepulchris
A Caroli Magni vel tempore Cæsaris unquam

Nullos terra pares produxit fratribus iſtis.
Hic ſubhumatorum fabricata juſſibus horum
Eccleſia, cujus decor urbis prænitet hujus,
Det veniæ munus Rex illi trinus & unus.

Explicit Liber Quintus.

Noſtra, Rogere, tibi cognoſcis carmina ſcribi
Mente tibi læta ſtuduit parere Poeta:
Semper & auctores hilares meruere datores,
Tu duce Romano Dux dignior Octaviano,
Sis mihi, quæſo, boni ſpes, ut fuit, ille Maroni:

FINIS.

ROBERTI VISCARDI

CALABRIÆ DUCIS,

ET ROGERII EJUS FRATRIS CALABRIÆ, ET SICILIÆ DUCIS
Principum Normannorum, & eorum fratrum rerum in Campania
Apulia, Brutiis, Calabris, & in Sicilia geſtarum Libri IV.

AUCTORE

GAUFREDO MALATERRA MONACHO
Rogerii ipſius hortatu.

DE MALATERRA

ET EJUS HISTORIA

BREVIS NOTITIA.



Aufredi Malaterræ historiam laudavit Ordericus Vitalis Anglus ejus contemporaneus in historia Ecclesiastica, (1) ubi agit de Normannis in Italia dominantibus, & præcipuè de Roberto Viscardo ejusque fratribus, dicens. [De quorum probis actibus, & strenuis eventibus Goisfredus Monachus cognomento Mala-Terra hortatu Rogerii Comitis Siciliæ elegantem libellum nuper edidit.] Cardinalis quoque Baronius multoties commendavit auctoritatem historiæ Gaufridi Malaterræ, confirmans ex ea suas narrationes, dum ait. [Gaufredus Monachus, qui tunc ista quæ inspiciebat & scribebat.] (2) Et aliquanto post ait: [nominatus est iste Gaufredus, professione Monachus Benedectinus, cujus opus antiquitate ipsa planè venerandum delituit penè sepultum inter vetera monimenta Regum Aragonum ad nostram usque ætatem.] Vossius nullo fultus indicio Gaufridum fuisse Hispanum putavit, (3) sed potius videtur Nortmannus. Historia quidem hæc, arte typographica nondum inventa, latuit per aliquot secula; ejus tamen extabant plura exemplaria manu scripta apud viros eruditos & rerum Siciliæ curiosos (ut videre est apud Pirrum) (4) de quibus adhuc nonnulla perdurant. Inter antiquissimos caractere, & notis literarum contractis vidi illud, quod extat in Bibliotheca Marchionis Jarratanæ. Vidi etiam antiquum, quod asservatur penès D. Octavium Montaperto Principem Raffadalis ad eum perventum à D. Fabio Montaperto ejus gentile Abate Sancti Michaelis Civitatis Troinæ; & est vel illud ipsum, vel saltem exemplatum ab eo, quod scripsit Pirrus (5) fuisse repertum a prefato Abbate in eodem Monasterio, & postea anno 1555. de mandato Proregis translatum ad Regiam Cancellariam. Aliud autem exemplar habuit præ manibus Hieronymus Surita, quod typis Dominici à Portonariis fecit Cæsaraugustæ anno 1578. etenim carmina, quæ in hoc leguntur non habentur in duobus codicibus supra laudatis. Suritæ editionem iterum excudit Joannes Pistorius Præpositus Ecclesiæ Uratislaviensis tomo tertio Hispaniæ Illustratæ, Francofurti anno 1606. Hanc nos editionem Suritæ tertio renovandam typis duximus; adjectis tantum in margine, ex codice Jarrataneo nonnullis variantibus lectionibus, quibus corrigi possunt menda quæ Portonorius asterisco notavit.

(1) *Lib 3. pag. 483 in hist. Nortm.*

(2) *Tom. XI. anno 1097. pagin. 671. edit. Romanæ, & pag. 681.*

(3) *De hist. latin. pag. 390.*

(4) *Notit. 1. Eccl. Panor. post efactos Sarac n. 4. pag. 90.*

(5) *Lib. 1. de Ecclef. Troin. pag. 454.*

AN-

ANTONIO AUGUSTINO
ARCHIEPISCOPO TARRACONENSI
OPTIMO ANTISTITI.

QUantum priscæ vetustati ad magnas res conficiendas, justissimis de causis in omni artium, doctrinarumque studio semper detuleris optime Antistes, summo hujus sæculi beneficio, perpetuæ tuæ lucubrationes, sine ulla intermissione testantur. Hanc te unam venerari, & colere, supraque oblectationem omnem, & humanarum curarum requiem suspicere novimus: quam semper admirari, & in omnium prospectum, cum maximas legationes reipublicæ causa obieris, producere merito jure concupivisti: cum ejus affluentibus opibus, atque ornamentis locupletatus, ad ea, quæ in tantis horum temporum calamitatibus, quibus tot terrores, periculaque jam adesse, atque imminere videntur, universæ Christianæ reipublicæ maximè conducunt, summè profeceris: & adversus impiam hæreticorum contumaciam, qui Ecclesiam Sanctam Catholicam, quam divina providentia afflictam semper excipit, corruere nunquam sinit, perfidiam violare, & reliquas piorum gentes sacrilego scelere contaminare nituntur, in eo efficio, quod præcipuè tuum fuit, enixè ad Dei gloriam provideris, atque consulueris. Illud certè majorum vigiliarum munus, quod ad summam virorum doctrina præstantium existimationem dimanavit, à te gravissimi, & litteratissimi viri requirunt: atque efflagitant: quo innumerabilia Sanctorum Patrum, & Summorum Pontificum scita, atque decreta, & sacras Synodos obliteratas in tot volumina retulisti, ut singulari tua assiduitate, & vigilantia, cum te totum ad sacrarum constitutionum seriem, & veritatem inlustrandam traduxeris, quam maximus Canonicis sanctionibus, atque decretis cumulus accesserit. In eo præterea te vehementer omnes admirantur: quod in gravissima, & perpetua sacrarum sanctionum commentatione doctrinarum omnium studia promovere, & assidua, ac vehementi occupatione omnem conatum in contemplatione rerum, & liberalium disciplinarum scientia collocare, & non ludis, & feriis, quod studiosissimi viri solent, aut, quod ajunt, succeßivis horis, sed omne id tempus, quo vitam vivimus, & maximè expeti, & sustentari consuevit, & communi spiritu fruimur, remissioris litteraturæ studiis, tamquam allevamento quodam, & laxamento tribuere numquam intermittis. Hinc illæ divitiæ, atque ornamenta ingenii: quorum fructus adeò uberes, & fecundos es consecutus, ut cum ad hæc nostra studia, tamquam in leviorem ludum, & popularem lætitiam ad animi remissionem descenderis, majores omnis doctrinæ thesauros explices, ac propalam colloces, quam cæteri, qui omne otium, ac tempus in communium litterarum, aut politioris humanitatis meditationibus contriverunt. Sed quoniam neque instituti, aut judicii mei erat, tuas laudes, quæ gravissimorum virorum ingeniis omnium mortalium fama celebrantur, perstringere: tamen hanc me occasionem, te gravissimo vetustatis vindice, custode, atque antistite non diffitebor arripuisse: ut vetustissimi hi rerum scriptores, qui Principum Normannorum in Italiam adventum, & res ab eis in Campania, Apulia, Calabris, & Brutiis, & in Insula Sicilia gestas ante quadringentos annos posteris tradiderunt, in tui primum nominis præsidio in lucem exeant. Neque inculta eorum, & derelicta oratio, & inopi series rerum, & inconditi Gaufredi monachi versus, quamvis hebetes, ac rudes, aut præposteri, perversique numeri de sententia demoverunt: quin res ipsæ à nemine auctorum, quod ego sciam,

ſcium, ad hanc diem traditæ in publicum proferrentur. Tantum enim me in ea editione à reprehenſione ineptiæ abeſſe arbitrabar, ut propius nihil ſit factum, quam ut his Normannicarum rerum ſcriptoribus Bartholomæi Neocaſtrenſis Siculi vetuſti ſcriptoris poeticum opus, cui Meſſanæ nomen indidit, & xv. libris hexametris verſibus compoſuit, adnecterem: tametſi non aliquo ſagacis, aut bonæ mentis inſtinctu, aut artificioſa conſtructione, ſed enormi, & pingui contextu de rebus à Petro Aragoniæ Rege in Sicilia, adverſus Carolum ejus nominis primum Siciliæ Regem opus id fuerit conſtitutum: adeò mihi prorſus perſuaſum eſt, verborum jacturam tolerabilem eſſe: cognitionis verò rerum, cauſarum, & eventorum inæſtimabilem. Perſpicuum enim hoc eſt, & in vulgari prudentia ſuum principem, & primariam eſſe illam ſapientiam, qua majore voluptate afficimur ex rerum ipſarum ſcientia: vel viliſſima compoſitione traditarum: quas in animis inſitas, & quaſi conſignatas notiones inhærere oportet: quam ex ſuper vacanea, & diffluenti oratione: cum præſertim eam maximè ex rerum ipſarum traditione efflorescere, & redundare conveniat. Quam ob rem cum tibi in univerſa rerum ſacrarum functione, & Pontificalis auctoritatis, & reliquæ juriſdictionis abſolvendæ provincia, atque in tanto officio, tantoque munere incredibilis cura numquam defuerit, quin doctrinarum ſtudioſis undique proſis: magna ſpe ducor, cum tua ſumma gravitas cum ſingulari comitate conjuncta ſit, & qua es lenitate munitus minimum hoc munuſculum, acſi inſignitæ cujuſdam notæ eſſet, te non aſpernaturum, aut refutaturum: ſi cujuſvis vel tenuiſſimæ utilitatis, & emolumenti fructum præbere, & vetuſtarum rerum memoriam, quas diligentiſſimi antiquitatis inveſtigatores omni inquiſitione veri indagare nituntur, poſſit patefacere. Ut eos tamen ſcriptores Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus geſtarum adjungerem, ea me ratio, & conſilium impulit: quod, ut omittam Aragoniæ Reges ab hinc tercentum annis in Normannicam ſtirpem gemina cognatione ſe inſerviſſe, ditiones omnes, quæ à Normannis, & mox Svevis Principibus tot victoriis quæſitæ, & partæ fuerant, Aragoniis poſtea Regibus, & hæreditario, & belli jure, & ab Eccleſia publicis conſiliis beneficii loco delato munere, cæleſti, divinaque ſorte obvenere. Ad D. Encratis ex ſuburbano Cæſarauguſtano Anno Domini 16. Kal. Maii 1578.

Amplitudinis tuæ obſervantiſſimus.

Hieronymus Surita.

DOMINICUS A PORTONARIIS

DE URSINIS LECTORI.

IN editione horum librorum Gaufredi Monachi, & Alexandri Abbatis vetustiorum auctorum, qui Normannorum Principum res gestas conscripserunt, ut Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum adjicerentur, in eo potissimum hæsimus, & ab initio cœpimus subdiffidere, quod unicum exemplar nactis alterius codicis præsidium deerat: quod maximè consuevit esse adjumento: ut investigatione certa, ac veluti quadam indagine menda librariorum tollantur. Nam qui corrigendorum librorum operam ritè navare instituunt, accurata consideratione permoti summoperè abhorrent: ne conjecturis, partim ingenio, & confidentia quadam impulsi in varias non modo partes, sed in contrarias plerumque dilabantur: neve fœde auctores, quos corrigere contendunt, misere dilacerentur. Propterea, ne hac corruptela his auctoribus graviores plagæ infligerentur, qui tametsi minimè videbantur vetustatem habituri, digni tamen fuerant, compensatione rerum posteris traditarum, ut debitus eis honos haberetur, satius duximus ad depravatos locos notam adponere; ut pro se quisque, quo ingenio sit, & sollertior, quoad ejus fieri possit, vitiosis particulis, & corruptis incisis excissis, ac reliqua structura apposite interpuncta medeatur. Peræquum enim visum est: ne vulnera, quæ ad incorruptam sanitatem à nobis redigi nequeunt, non modo exulcerentur, sed ne attrectentur quidem, ut suum munus, pensumque iis relinquatur incolume, qui faciliori, & commodiori judicio, desperatis etiam ulceribus opem, & incolumitatem ferre valent: & nobis satis, superque sit, lucis usuram his auctoribus attulisse: qui nostra opera consecuti sumus, ut eis salus, atque pristina valetudo ab aliis quandoque reddi, restituique posset. Præterea rem minimè dubiam arbitramur: eos rerum scriptores in sua patria, privatis beneficiis, & eorum Principum amicitiæ decore floruisse: qui eorum hortatione res gestas posteris tradiderunt: quorum neque veterum quempiam, neque recentiore memoria Abbatem Trithemium, qui bibliothecas omnes incredibili diligentia excussit: mentionem fecisse mirum videri debet, & cum supra quadringentos annos delituerint, sartos tectos penè ab omni periculo fuisse conservatos. Gaufredus magna cum cura, & diligentia in notandis certis temporum intervallis, quod magnoperè non solum delectat, sed sine fastidio, & satietate res plena oblectamenti est, in ea laude creber fuit: Alexander verò Abbas adeò in eo negligens est, ut seriem ipsam rerum gestarum cum arbiter interfuerit, & viderit præsens fermè labefecerit. Illud verò nolim à me esse omissum: Alberiam Reginam Rogerii Regis uxorem, quam insignis religionis feminam, digna laudis commendatione idem scriptor extulit: Alfonsi Regis maximi Hispaniarum Principis filiam fuisse, qui Toletum regiam urbem, & Carpetanorum Oretanorumque civitates ab impio Sarracenorum dominatu eripuit, quam Rodericus Simenius Toletanus Antistes Geloiram, nostri Elviram nominant, ut filius ejus, quem Alexander Ansusum vocat, cui Campani Principatus honos est attributus, Alfonsi Regis avi materni nomen ediderit.

IN.

NORUM
CA.

TABULA I.
156.

EX P
secun
Nobi

EX SECUNDA UXORE FRESENDA.

GUILLELMUS Brachio f
nit cū fratribus in Apuliā,
Primò Ascoli Com: deindi
Obiit sine liberis circa A
& DROGO, qui succe
Apuliæ Com. II. obiit A
sine liberis. Uxor filia
Com. Aversæ.
& GOTFRIDUS, Com
natæ post Malgerium frat

Robertus Co:
Loritelli.

Gaufr.
Alta

Willelmus de Altavilla. An. 1098.

Robertus Comes Aversæ.

Gaufridus de Altavilla. An. 1129.

Rodulphus, de Altavilla, M. Comestabulus sub Rogerio R.

He
Anricus, Prin.
puæ
& Robertus ;
iere Impro-
.

ROGERIUS, Meliti, & Scyllacii Comes Domin. dimid. Calabriæ. Com. I. Siciliæ. Ux. I. Delicia f. Com. Moritoni. Ux. II. ADELASIA Neptis Bonifac. Marchion. Montisferrati. Ob. an. 1101.

Ex 1. Uxo: Gaufridus, ob. ex lepra & Mathildis, Ux. Raymūdi Co: S. Ægidii.

Emma Ux. Rober. III. Co: Arverniæ. & Busilla Uxor Calamani Reg. Ungar.

Constantia, alias Jole Ux. Conradi R. Italiæ. & N. Uxor Ugonis de Gersais.

Ex. 2. Ux. Simon. ob. Infans. & N. Ux. Roberti Burgundi.

ROGERIUS, ann. 1030. R. I. Sicil. Ux. 1. fil. Petri Leonis. 2. fil. Alroldi Com. Marsor. 3. Alberia fil. Alfonsi R. Castellæ. 4. Sibylla fil. Hugonis Duc. Burgundiæ. 5. Beatrix fil. Gulteri Com. Reatensis. obiit an. 1154.

N. Ux. Roberti de Bassavilla: Mater Rober. de Bassavilla Co: Loritelli. & Mathildis Uxoris Raynulphi Co: Avellini.

Alphonsus sen Anfusus Pr. Capuæ. & Tăcredus Pr. Barij, & Henricus. oblerante Patrem.

Ex 5. Ux. CONSTANTIA Ux. HENRICI VI. Imp. & Reg. VII. Sicil.
Filii Nothi: Simon Princ. Tarenti.
& Clementia Uxor 1. Hugonis Com. Molesini. 2. Matthæi Bonelli.
& N. Ux. Henrici fratris Margarithæ Reginæ.

Robertus, Co: Avellini.

Raynaldus, Com: Avellini.
& Robert.
& Drogo.

Adelais, Uxor Gaufridi de Aquila, Co: Fundani.

Rogerius, Com: Avellini.

Rogerius, Com. Avellini, de quo Falcandus.

INCIPIT LIBER

DE ACQUISITIONE REGNI SICILIÆ, CALABRIÆ, APULIÆ, ET INSULÆ SICILIÆ

Per gloriosum Principem Robertum Guiscardum ;
& fratres de Normannia veniente ;

Compilatus à Gaufredo Religioso , & honesto Viro Beati Benedicti Monacho :

Ad petitionem Illustri Principis Rogerii Trinacriæ Comitis ;
quam de infida tyrannide Sarracenorum ad devotionem
Christi redexit.

INCIPIT LIBER PRIMUS

HIC SUNT CAPITULA PRIMI LIBRI.

 Ro-

INCIPIT EPISTOLA

RELIGIOSI VIRI GAUFREDI
Beati Benedicti Monachi

Destinata ab eodem ad venerabilem Patrem Dominum Catanensem Episcopum.



Eatæ memoriæ * Georgio Catanensi Episcopo fra ter Gaufredus ab antecessoribus Malaterra agnomen trahens, infelici cursu mundano cum Martha habito, ad felicitatem quietis Mariæ cum Lazaro fratri resuscitari. Quandoquidem sanctissime Pater quadam peculiari familiaritate, à cæteris Episcopis, qui quantum ad habitum, alterius institutionis esse præfigurantur, habitu religionis, quo concingimur, quamvis indignus, vobis me uniri cognosco, peculiari etiam spe, à cæteris de vobis præsumens fruor, & vos mihi in omnibus negotiis tutorem exposco. Per vos itaque, aut saltem vestra præsentia librum hunc reputari expostulo, ut vestræ auctoritatis favore Principis gratiosior fiat, vel ab æmulis, si fortè aliqui insurgant, ob reverentiam vestri, minus remorderi præsumatur. Sciendum tamen vobis est, sive alteri, quicumque libri hujus recitator, vel certè interpres accesserit, si seriatim, minus ordinatè, secundum tempora, quibus facta sunt, quæ adnotantur, vel certè aliqua oblivione prætergressa repereritis, non hæc tam mihi, quam relatoribus, culpando adscribantur: præsertim cum de ipsis temporibus, quibus fiebant, præsentialiter non interfuissem, sed à transmontanis partibus venientem, noviter Apulum factum, vel certè Siculum ad plenum cognoscatis. Si autem de incultiori poetrica quæstio fuerit, sciendum est quoniam etiam si esset unde limpidius, aut certè pomposius eructare potuissem, ipsa Principis jussio ad hoc hortata est, ut plano sermone, & facili ad intelligendum, quo, ut omnibus facilius quidquid diceretur, patefaceret, exararem. Ego igitur sive istud, sive illud opponatur, sub umbraculo vestri tutaminis refugium expeto, ut tanto auxilio innixus, inimico dente mordere attentantes minus pertimescamus, & Principis nostri sustentamine fruar.

* *Ansgerio.*

OMnibus, quibus per universam Siciliam Episcopale, vel Clericale nomen assignatur, Gaufredus Malaterra cum assignatione nominis, & significatum. Antiquorum philosophorum traditione futuræ propaginis humanæ mos inolevit, fortium facta virorum, apicibus adnotata ad posteros transmittere; ne facta memoranda, cum ipsis, à quibus fiunt, silentio depereant: sed potius ita litteris commendata, & à futuris lecta, vel cognita, ipsos, à quibus facta sunt, quadam vitæ memoria, quodammodo quasi vivere faciat. Quod commendat Sallustius ille inter historiographos laudabilis rhetor, qui in principio sui libri scripsit dicens: omnis homines, qui se student præstare animalibus, summa ope niti decet, ne „ vitam silentio transeant, quomodo pecora, quæ natura prona, ven- „ trique obedientiam finxit. Talibus edoctus auctoribus, sibi veterum historias recitantibus, famosissimus Princiceps Rogerius laboriosos,

 & non

& non fine magno discrimine triumphos suos, qualiter videlicet primo Calabriam, deinde verò Siciliam armata manu subiugaverit, posteris, consilio suorum mandare decernens, mihi, ut ad uius operis laborem dictandum accingar, iniunxit. Sed quia precedente in me beneficio suo, quidquid iniunxit negare nequeo, minus erudito stylo, & enervi poetria, quasi lacum profundissimum natandi nescius, timidus ingredior: vosq; vestramque adversum me indignationem plurimum pertimescens, præsertim cum vos limpidissimo fonte grammaticæ artis debriatos, non autem me, talis scientiæ pane ieiunum ad tale opus accingi oportuit. Sed prædictus Princeps vos majoribus utilitatibus occupatos, interdum, videlicet Ecclesiarum curis cum Martha, interdum vero beatæ contemplationi, cum Maria insudantes cognoscens, vobis, ne a meliori proposito vos revocet, parcit. Me verò, quasi vacantem, & nullj exercitio deditum, quadam manu pulsationis vigilantiorem reddere satagit. Rogo itaque vos, ut memores scripturæ dicentis: Invicem onera vestra portate: & sic adimplebitis legem Christi: & quod alibi dicitur: frater fratrem adiuvans ambo consolantur: ad debile carmen meum sustentandum pedem vestri favoris porrigatis: ut clypeo vestræ auctoritatis munitus incursus detrahentium, & inimico dente aliorum dicta, vel facta rodere tentantium minus pertimescam. Sunt enim quidam, qui cum alicuius scientiæ gradus utcumque attingerint, & exinde humanæ laudis favorem adepti fuerint, tumenti supercilio, tanta invidia superfluunt, ut neminem sibi litteris æquipollentem ex proximo habere velint. Sin autem eos habere contigerint opus alienum, detrahendo mordaci dente appetere non desistunt: alterius laudem suam minui timentes. His competenter assignari potest illud scripturæ: qua dicitur: Scientia inflat: sed non subsequitur in eis: caritas ædificat. Adsunt alii econtra, quorum scientia, & mores ipsos in tantum nobilitant, ut quantum plus philosophico fonte debriant, tanto minori extollentia rapiantur: gressum mentis semper in humilitate figentes: aliorum dicta, vel facta non remordentes: sed quod minus ornate dictum ab eis audierunt, cum mansuetudine intra seipsos, non autem in publico, ne forte scandalizentur, corrigunt. Et ut eos apud potentes huius sæculi gratiosos verbis faciant, extollere nituntur: eorum laudem, vel lucrum, quasi suum æstimantes. Horum affectuosam benevolentiam adversum me invitari exposco. Ego verò quæcumque dictavero vobis corrigenda, & rosis vestræ scientiæ exornanda reputabo: ut vinea a vobis exarata, cultu vestræ scientiæ putata, uberiores fructus reddens, in maiorem laudem, & gratiam perveniat Principis.

NOR-



ORMANNIA patria quædam est in partibus Galliæ, quæ quidem non semper Normannia dicta fuit: sed regalis quondam Francorum Regum fiscus, cum toto suo, cuius pars erat, generali nomine Francia nuncupabatur: usque Rholo dux fortissimus pirata a Dacia, vel Norveia, coadunata sibi plurima fortium manu militum, navali exercitu se pelago credentium Frisiam, & quæque maritima loca, versus occidentem devastans, tandem in portu, quo Sequana fluvius in mare defluens intrat, appulsus est: cuius per alveum maxima classe profundiores partes Franciæ penetrans, amœnitete locorum inspecta, præ ceteris, quas per transierat regiones, hanc amore amplecti, & sibi adoptare fecit. Est enim piscosis fluminibus, & feralibus silvis abundantissima: accipitrum exercitio aptissima: frumenti, & ceterarum segetum fertilis: piscinis uberrima: pecorum nutrix. Quamobrem ex utraque ripa prosilientes incolas illius regionis imperio subiugare cœperunt. I.

II. Rex autem, qui tunc temporis Franciæ præerat Ludovicus, ut credimus secundus, comperiens hostes fores imperii sui invasisse, primò quidem indignatus commoto exercitu, hostibus occurrendum, & Ducem, & eos a finibus arcere instituit. Sed cum hoc non sine magno detrimento suorum, se agere posse cognosceret, varios eventus belli pertimescens, suorum sanguini parcens, seniorum usus consilio, fœdera pacis, & servitium, quod ab ipsis, sibi offerebatur, accepit: eisque maximam partem terræ, quam pervaserant, in beneficium concessit. Itaque terra illa concessa a pago Pontiniensi, quem ab orientali parte sui habet, seces mare Anglicum, quod ab Aquilunari parte adiacet, usque in Britanniam: quæ fines eius occidentales claudit, ab occidentali verò, & meridiano cornu, pago Cenomanicu terminatur: usque in Carnotensem & a Carnotensi clauditur Velcasino, & Belvacensi usque Pontinum. Hanc terram sibi determinatam a Rege Francorum Rholo dux hereditali feudo suscipiens, inter suos, prout convenire cognoscebat, distribuit: pretiusiora quæque pro suis usibus reservans. Quia verò procinctus terræ paucis perstrinximus, de more quoque gentis aliqua dicere utile videtur.

III. Est quippe gens astutissima, iniuriarum ultrix, spe alias plus lucrandi, patrios agros vilipendens: quæstus, & dominationis avida: cuiuslibet rei simulatrix: inter largitatem, & auaritiam quoddam medium habens. Principes verò delectatione bonæ famæ largissimi: gens adulari sciens: eloquentiis in studiis inserviens: in tantum, ut etiam ipsos pueros quasi rhetores attendas: quæ quidem nisi iugo iustitiæ prematur, effrenatissima est. Laboris inediæ, algoris, ubi fortuna expedit, patiens. Venatiuni, accipitrum exercitio inserviens. Equorum, ceterorumque militiæ instrumentorum, & vestium luxuria delectatur. Ex nomine itaque suo, terræ nomen indiderunt. North quippe Anglica lingua, aquilonaris plaga dicitur. Et quia ipsi ab aquilone venerant * terram ipsam etiam Normanniam appellarunt. In cuius quidem provincia civitas est, quæ Constantinum dicitur: in cuius territorio villa est, quæ Altavilla nuncupatur: non quidem tantum pro excellentia alicuius montis, in quo sita sit: sed quoniam, ut credimus, aliquo auspicio ad considerationem prænotantis eventum, & prosperos successus eiusdem villæ futurorum heredum, Dei adiutorio,

* *Normanni dicti terram etiam*

torio, & sua strenuitate gradatim altioris honoris culmen scandentium. Nam nescimus utrum in præcedentibus partibus, vel certè in postea futuris heredibus, aut etiam in utrisque divina providentia, quod sibi placeret inspiciens, heredes ipsos in tantum provexit, ut sicut Abrahæ repromissum est, in gentem magnam crescentes, & suum Imperium armis dilatantes, multarum gentium sibi colla subdiderint, quod paulatim perstringendo stylo prosequemur.

IV. Erat miles quidam præclari admodum generis, qui ab antecessoribus suis hereditario iure sibi hanc villam relictam possidens, Tancredus nomine duxit uxorem moribus, & genere splendidam mulierem, nomine I 1. Ex qua legali successione annorum, quinque filios postea futuros Comites suscepit: Guilielmum videlicet cognomine Ferrea brachia, Drogonem, Hunifredum, Gaufredum, & Serlonem. Horum matre defuncta, cum ipsa ætas adhuc viridis patri continentiam denegaret, honestus inhonestos coitus abhorrens, secundas nuptias celebravit, malens una, & legitima esse contentus, quam fœdo concubinarum amplexu maculari: memor illius Apostolici dicti; unusquisq; accipiat uxorem propter fornicationem devitandam. Et quod sequitur; Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus. Ducta verò Fransendis vocabatur; generositate, & moribus priore non inferior, quæ legitimis terminis marito septem peperit filios; non minoris pretii, vel dignitatis, a prædictis fratribus futuros; quorum nomina subtitulamus hic. Primus Robertus Guiscardus, postea totius Apuliæ Princeps, & Calabriæ Dux, vir magni consilii, ingenii, largitatis, & audaciæ. Secundus Malgerius. Tertius Guilielmus, Quartus Alveredus, Quintus Humbertus, Sextus Tancredus, Septimus Rogerius minor; postea Siciliæ debellator, & Comes. Mater verò accuratissimè, & materno affectu filios suos nutriens, tanto amore ipsos, qui non sui, sed mariti sui, ex præcedenti uxore erant, amplectebatur, ut vix discernere posses, nisi ex aliqua causa didicisses, quis filius, vel quis non filius esset. Unde & a marito plus amabatur, & a circummanentibus plurimum adpretiabatur. Infantes verò, ut ætas illis ministrabat, pueriles annos transcendentes, cum iam adolescentiam unus post alium attigissent, cœperunt militaribus disciplinis adhærere; equorum, & armorum studia frequentare, discentes seipsos tueri, & hostem impugnare.

V. Sed cum viderent vicinis senibus deficientibus, hæredes eorum pro hereditate inter se altercari, & sortem, quæ uni cesserat, inter plures divisam singulis minus sufficere, ne simile quid sibi in postetum eveniret, consilium inter se habere cœperunt: sicque communi consilio prima ætas, præ ceteris adhuc minoribus magis roborata, primo patria digressi, per diversa loca militariter lucrum quærentes, tandem apud Apuliam Italiæ provinciam, Deo se ducente pervenerunt.

VI. Audientes itaque inter duos famosissimos principes, Capuanum videlicet, & Salernitanum, quibusdam controversiis insurgentibus, inimicitias efferbuisse, causa militariter aliquid lucrandi, quia viciniorem, via qua veniebant, viam invenerunt, Capuano sese obtulerunt; ubi aliquantisper commorati, cum multa strenue, remuneratione accepta, peregissent, tenacitate Capuani cognita, illo spreto, ad Gaimarii Salerni Principem transiverunt; a quo decenter susceptì, propter

propter militarem laudem, quæ iam ipsos per universam Apuliam famosissimos effecerat, & maximè quia ab inimicante sibi Principe, ad se transierant, multis donariis ad fidelitatem eius inflammati diversis, & crebris incursionibus Capuanos lacessentes, totam provinciam, ac si pestilens calamitas detonaret, adtriverunt circumquaque: & salernitani passim iniurias Principis ulciscentes, indefessi idem facere adiverunt: intantumque rebellantes antea Principi compescuerunt, ut omnia circumquaque se pacata silerent. Longobardorum verò gens invidiosissima, & semper quemcumque probum suspectum habens, ipsos apud eundem Principem, inimico dente mordente, occultò detrahebant; suggerentes quatenus eos a se repelleret, quod ni faceret, facile futurum, ut gens tantæ astutiæ, tantæ strenuitatis, addentes etiam, ex sui cordis malitia, tantæ perfidiæ, ut Principe exheredato, ipsi sua calliditate, hereditate eius potirentur. Unde, & cor Principis eisdem artibus imbutum facile in deterius proclive pervertunt. Sed Princeps quamvis pravis consiliis suorum assentiens, quod hortabantur facere moliretur, tamen strenuitatem illorum timens, quod animo occultè agebat, minus in propatulo aperire præsumebat.

Maniacus autem quidam natione Græcus, a Constantinopolitano Imperatore his, quæ apud Calabriam, vel certè Apuliam erant sui iuris, præfectus, Siciliam, ad utilitatem debellandi applicare disponens, undecumque sibi auxilia conduxit: unde & ex parte Imperatoris Salernitano Principi, ut amico imperii mandat, quatenus ipsos, per quos inimicos suos debellavisse fama erat, in auxilium sui imperii mittat, promittens etiam multis prœmiis remunerandos. Princeps autem nactus occasionem, qua honestè eos a se dimittat; vocat, accersitos, ad quod hæc rogatus erat, hortatur; prœmia, quæ pollicebantur, ut eos ad id faciliùs impellat, værbis enumerans, etiam de suis pollicetur. Porrò illi non tam imperio Principis, quam spe eorum, quæ pollicebantur, illecti, apparatis, quæ necessaria erant, ad Maniacum usque pervenerunt. De quorum adventu Maniacus non minimum gavisus, plurimum eorum auxilio fidens, navigio aptato, Siciliam numeroso exercitu invadunt. Primoque Messanam, quia ripæ applicuit, contiguam oppugnans, deditione fœdus secum inire coegit. Nam quamvis apud Messanam strenuissimi suæ gentis milites essent, qui ab urbe progredientes, in congressu Græcos plurimùm collidebant, sed tamen Græcis cedentibus, nostris congrediendi locus patuit. Messanenses, nostrorum strenuitate nondum experta, primò quidem acriter instare cœperunt. At ubi vident se, plus solito vexari, quasi novæ gentis militiam abhorrentes, terga præbuerunt nostris, usque in proximum urbis, extremos quosque cædentibus. Maniacus nostrorum causa nactus urbem, in pretio eos habere cœpit; donisque, & promissionibus corrigere ad militiam. Inde ergo profundiores partes Siciliæ attentando, & omnia subiugando progredientes, Syracusam usque pervenerunt. Arcadius quidam, qui Urbi principabatur, nostris infestus, multas strages dabat; quo Guilielmus Tancredi filius, qui Ferreabrachia nuncupatur, plurimum indignatus, impetu facto, super eum irruit, fortiterque congrediens hastili robore delectum interfecit: unde & maxima laudis admiratione deinceps apud Græcos, & apud Siculos fuit. Siculi itaque usque ad sexaginta millia congregati Maniaco, & suis in partibus Trainæ urbis bellum offerre VII.

ten-

tentant. Porrò Gullielmus filius Tancredi laude militiæ ferox, armis ſtrenuus, Græcos ad certamen præveniens certamine inito, cum ſuæ gentis tantùm militibus cum hoſte congreditur, antequam Græci ad locum certaminis perveniant. Fortiter agendo plures ſtravit; reliquos fugat, victor efficitur. Græci ad locum, quo certatum fuerat, pervenientes, noſtris hoſtes inſequentibus, ſpolia diripiunt, inter ſe dividunt, nulla portione noſtris, qui ab hoſte excuſſerant, reſervata.

VIII. Quod cum noſtri, a perſequendo hoſtes redeuntes, cognovisſent, iniuriam rati, per Arduinum quendam Italum, qui ex noſtris erat, quia Græci ſermonis peritiam habebat; Maniacum utique improvisè, an ex deliberatione induſtriæ ſpolia diviſerit, ad rationem ponunt. Porrò ille indignatus, quaſi poteſtati ſuæ contradicere præſumpſerint, cum liceat de eiſdem ſpoliis ſibi, pro libito ſuo agere, per ſpatia caſtrorum fuſtibus cædendo, ad ignominiam gentis noſtræ contumeliis affici præcepit. Arduinus rediens cum talia nuntiat, noſtri grave ferentes, in Græcos inſurgere deliberant. Sed Arduinus vix eos compeſcens, utiliùs conſilium dedit. ſcilicet ut ira diſsimulata, ipſe cultioribus veſtibus in præſentiam Maniaci procedat; donec illis minus ſuſpicantibus, ipſe a notario Maniaci, cuius amicitia fruebatur, chyrographum, quo liberius tranſeant Pharum, quovis aſtu accipiant. Quod cum ſic machinatur, Maniacus his, quæ agebantur ignarus, benevolentiam militis laudare, munera promittere, ſubſannando tamen cum ſuis ridere. Ut autem chartulam a notario, quaſi aliquod negotium verſus Calabriam habens, Arduinus accepit, noſtri clam, de nocte Meſſanam uſque progreſsi, Pharum impune tranſeunt; ſicque verſus Apuliam tendentes, Calabriam, & quæcumque Græcorum iuris eſſe ſciebant, vaſtant percurrentes. Sicque faciendo uſque in Apuliam pervenerunt; ſed dolositatem Gaimarii principis cognoſcentes, ad ipſum minimè tranſierunt: verùm provinciam invaſtando, ſibi eam ſub iugandi conſilium accipiunt.

IX. Sed cum ſine caſtro, quo ſe tuerentur, patriæ illius incolæ eſſent, caſtrum, quod Melfa dicitur, conſtruxerunt; ubi cum quingenti tantum milites eſſent, Greci, qui terre illi principabantur, maxima multitudine ex Calabria, & Apulia ſibi coadunata, uſque ad ſexaginta millia armatorum, ut eos a finibus ſuis propellerent, verſus illos ire cœperunt, legatoque premiſſo mandant, ut quod maluerint eligant; aut certamen in craſtino ſecum habere, aut pace ſibi indulta, incolumes a pervaſis finibus recedere. Legatus verò, qui ad hæc miſſus fuerat, cum pulcherrimo equo inſideret, quidam Normannus Hugo, cognomento Tudextifem, equum manu attrectare cœpit. Ut autem mirabile aliquid de ſe, ſociiſque ſuis, unde terrerentur, Græcis mandaretur, nudo pugno equum in cervice percutiens uno ictu, quaſi mortuum deiecit. Reliqui verò Normanni proſilientes Græcum, qui cum equo deiectus fuerat, & ſolo timore læſus, quaſi exanimis humi iacebat, erigunt; equum autem uſque ad quoddam præcipitium pertrahentes deiiciunt. Porrò Græcus, cum vix conſolatione Normannorum ad mentem rediiſſet, meliori equo ab eis accepto, certamen paratum ſociis refert. Sed cum quod acciderat, principibus populi ſui tantùm retuliſſet, illi admiratione, & metu percuſſi, verbum inter ſe comprimebant, ne forte ſi in propatulo diceretur, exercitus territus refugeret. Manè itaque facto, ſummo di-

luculo

luculo à Normannis occurritur: fortiterque congredientes acerrimè utrinque pugnatur. Intererant huic certamini de filiis Tancredi Guilielmus Ferreabrachia, & Comes Drogon: nec dum quisquam fratrum eos subsecutus fuerat. Isti verò, ut fortissimi milites socios animantes, sed & ipsimet fortiter agentes, multis ex hostibus prostratis, tandem in fugam reliquos dederunt: quos insequentes, & posteriores quosque cædentes victoriam obtinuerunt: multis hostibus in flumine, quod Olivetum dicitur, dum transnatare cupiunt, submersis.

X. Victi, nec dum autem defatigati, sed se ipsos invicem animantes, multo ampliori exercitu congregato, duce Annone, qui ad hoc ab Imperatore Constantinopolitano missus fuerat, iterum bellum parant. Quibus Normanni bello non segnes, sub Montepiloso occurrentes, fortiter congressi, ostendentes se bellum nolle refugere, sed potiùs quasi ex delectatione appetere, in congressu Græcis contra ipsos fortiter agentibus, cum jam Normanni fatigari præ nimia cœde cœpissent, Guilielmus quartanæ febris typo laborabat, & præ nimia infirmitate, qua premebatur, certamini interesse non poterat: sed procul jacens exitum rei expectabat, cum videret jam suos minus fortiter agere, & pœnè deficere, indignatione, & ira, infirmitatis, qua præmebatur oblitus, arma corripiens se se, quasi leo furibundus hostibus medium dedit, suosque verbis exhortatoriis recreans, fortiter agendo hostes in fugam vertit: duce * Anno, duce exercitus, qui caudatus erat, quasi bove interfecto. Viribus itaque suis diffidentes, & fortunæ minus credentes, castra sua munientes ultra decertare cum Normannis, nisi muris interpositis, non præsumebant, sed neque ipsi muri contra Normannos tueri poterant. Nam crebris incursionibus eos lacessentes vineta, & oliveta eorum extirpabant: armenta, & pecora, & cætera, quæ ad usum necessaria sunt, nihil extra castra relinquentes, diripiebant. Sed & ipsa castra, ipsis intra reclusis, exercitu vallantes oppugnabant, machinamentisque, quibus doctissimi artifices erant, ad id officii agendum, necessariis aptatis, muros, & turres crebris ictibus impingendo, funditus diruebant. Ruptis muris, aditis patentibus irrumpentes, omnia sibi diripiebant, unde & reliqua circumquaque castra, id sibi invicem cernentes, ultro se se eorum ditioni subdebant.

* Duce Annone qui.

XI. Juniores verò fratres, quos ætas adhuc domi immorari cogebat, præcedentes seniores fratres apud Apuliam fortiter agendo, altioris culmen honoris, & dominationis ascendisse, fama referente cognoscentes, quam citò ætas permisit, * ipsi quoque subsecuti, duobus tantum in patria relictis, ne hæreditas, vel competens stirpe alienaretur. Abeuntes verò remanentibus, ut remanerent, vix persuaserunt, sed in hoc potiùs prævaluerunt, quod hęredibus eorum, si se sequerentur, de his, quæ adquisituri erant, se se benefacturos polliciti sunt. Sed perlongum est huic operi, per singula perstringendo inferere qualiter * apud Apuliam egerunt. Hoc tantum summatim non solum nos, sed etiam res ipsa testatur, quod omnem patriam armis domantes sibi subjugaverunt. Subsequente enim se suorum, & parentum, & compatriotarum, sed & reliquarum circum adjacentium regionum spe quæstus, maxima multitudine, ipsi impigri largitores, quasi fratres suscipientes equis, armis, & ve-

* Ipsos quoque subsequuti sunt; duobus tamen in patria relictis, ne hæreditas illis cōpetens.

* Qualiter in Apulia egerit.

& vestibus, ac diversis muneribus ditabant. Quibusdam etiam terrarum loca largissimè impertiebantur, omnibus divitiis hujus mundi, auxilia fortium militum præponentes. Quamobrem nihil incepti in cassum illis præteribat. Unde & illud Evangelicum illis provenit, ubi dicitur: Date, & dabitur vobis. Quanto enim ampliora largiebantur, tanto majora lucrabantur.

XII. Igitur seniore fratre Guilielmo videlicet Comite infirmitate præveniente, defuncto, magnus dolor omnes Normannos invasit: Quippè qui tanti consilii virum, tam armis strenuum, tam sibi munificum, affabilem, morigeratum ulterius se habere diffidebant. Sed exequiis, ex more accuratissimè, & cum magno planctu, non immeritò celebratis, secundus frater Drogo totius Apuliæ dominatum suscepit: vir quidem, ut succinte dicamus, per cuncta laudabilis. Hic fratrem suum Hunifredum Abagelardo Comitem, apud castrum, quod Lavel dicitur, virum prudentissimum, consilio Apulejensium, & Normannorum ordinavit: Robertum verò Guiscardum in Calabria posuit: firmans ei Castrum in valle Gratensi, loco, qui Scribla dicitur, ad debellandum Consentinos, & eos, qui adhuc in Calabria erant rebelles.

XIII. Longobardi igitur Apulejenses, genus semper perfidissimum, traditione per universam Apuliam silenter ordinata, ut omnes Normanni una die occiderentur, determinato die, cum Comes Drogo apud Castrum Montis Olei, quod corrupte ab incolis Montolium dicitur, moraretur, summo diluculo, ad Ecclesiam, ut sibi mos erat, properans, cum jam Ecclesiam intraret, quidam Risus nomine, ejus Comitis compater, & Sacramentis fœderatus, post januam latens, fœdere rupto, ferro eum suscepit, qui cum pluribus suorum, paucis aufugientibus, occisus est. Sed per diversa Apuliæ loca plures hac traditione occubuerunt. Porrò Hunifredus Abagelardo nece fratris turbatus, honorem sibi vendicans castra, quæ frater possederat, insiluit: Normannosque, qui periculum traditionis evaserant, sibi alligans, in vindictam fraternæ necis insurgit, multoque tempore castrum, quo frater suus occisus fuerat, oppugnans, tandem devicit, fratrisque interemptorem, cum sibi assentientibus, diversis cruciatibus afficiens, eorum sanguine iram, & dolorem cordis sui aliquantulum extinxit.

XIV. Apulienses verò nec dum traditionibus exhausti, per occultos legatos IX. Leonem Apostolicum, ut in Apuliam cum exercitu veniat, invitant, dicentes Apuliam sibi jure competere, & prædecessorum suorum temporibus juris Ecclesiæ Romanæ fuisse. Se illi auxilium laturos: Normannos imbelles, viribus enerves, numero paucos. Ille, ut assolet, quamvis prudentissimus esset, ambitione captus, Alamanorum exercitu, ab Imperatore sibi in adjutorio recepto, confidens in auxilio Longobardorum Apuliam intrat. Comes verò honestius ducens cum honore vitam finire, quam cum dedecore vita comite, suscepto honore privari, commoto exercitu, audacter hostibus occurrit, ordinataque acie suorum certamen iniens, cum primo congressu fortiter, ut solitus erat, agere cœpisset, Longobardi territi fuga se ipsos tueri nituntur, Alamanis in prælio relictis. Qui cum fortiter dimicarent, nullum refugium, nisi in armis habentes, Normannis vincentibus, penè omnes occubuerunt. Apo-

sto-

stolicus fuga vitæ asylum expetens, intra Urbem Provinciæ Capitinatæ, quæ Civitata dicitur, se se profugus recepit. Quem hostes insequentes armato milite obsident: aggeres portant, machinamenta ad urbem capiendam parant, incolas minis terrent, ut Apostolicum reddant. Illi verò semper perfidissimi, nulla pactione ad utilitatem Apostolici, nisi ut se ipsos tuerentur, adquisita, eum per portas ejiciunt, quem hostes suscipientes, ob reverentiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cum magna devotione, ejus provolvuntur pedibus, veniam, & benedictionem ejus postulantes. Sed & usque ad loca, quo exercitus castra, & tentoria fixerat, cum omni humilitate illi servire executi sunt. Quorum legitimam benevolentiam vir Apostolicus gratanter suscipiens, de offensis indulgentiam, & benedictionem contulit, & omnem terram, quam pervaserant, & quam ulterius versus Calabriam, & Siciliam lucrari possent, de S. Petro, hæreditali feudo sibi, & hæredibus suis possidendam concessit, circa annos 1052.

Apostolicum itaque Romam regredientem Comes Hunifredus, quousque sibi placuit, cum honore conduxit. Ubi verò licentiam redeundi concessit, in Apuliam reversus omnem terram placidam, & sibi obedientem invenit, quam longo tempore in pace rexit, ut vix in aliquo loco suæ dominationis latro, vel qui suis imperiis contradicere auderet, posset inveniri. Duos itaque fratres suos comites fecit: Malgerium Capitinatæ, Guilielmum verò in Principatu. Sed Malgerius moriens cum omnem Comitatum suum Guilielmo fratri suo reliquisset, Guilielmus Gaufredum fratrem suum diligens sibi concessit. XV.

Robertus verò Guiscardus cum apud Scriblam moraretur, Calabros fortiter impugnans, cum videret suos, propter infirmitatem loci, & aeris diversitatem languescere, saniorem locum expetens, non quidem hostes devitando, ut timidus retrorsum vadens, longius recessit: sed potius quasi in hostem hians, in viciniorem se conferens, castrum, quod S. Marci dicitur, firmavit. Sed cum firmato castro, quid motus introduceret, non inveniret, abstraxerant enim circum manentes ad proxima castra quæque habebant, ne ab ipsis diriperentur, quodam vespere dapifer, qui omni domui suæ præerat, requisivit ab ipso, quid in crastinum comesturi erant ipse, vel milites sui, dicens se, neque victum, neque pretium ad emendum habere. Quod si pretium haberet, nusquam, ubi cum pace adiri posset, inveniri posse. Guiscardus usque ad sexaginta, quos Sclavos appellant, totius Calabriæ gnaros secum habens, quos quasi fratres fidelissimos sibi beneficiis, & muneribus missis effecerat, sciscitatus est ab eis, utrum locum adibilem scirent, quo præda posset capi. Quibus respondentibus se ultra montes, via præruptissima, in profundissimis vallibus, per maximam scire: sed sine magno discrimine extrahi non posse, Robertus tale fertur dedisse responsum. Eja tutissimi vitæ meæ fautores, ita ne patiemini Guiscardum, * sed & ne vos fame affici? Causa victus adquirendi, dubia fortuna, usque in periculo vitæ temptanda est. Nam & temptantes sæpè triumphaliter evasisse audivimus: neminem verò, qui fame interierit, laudari. Ite inquit nocturni prædones, ebrietas Calabros minus vigiles esse permittit. Nam & hunc diem celebrem habentes, ex more con- XVI.

* *Guiscardum, & vos ipsos.*

* *Potationibus studuerunt. Præcedite.*

convivlis, & potationibus * studuerint. Præite, subsequar militibus armatis. Sicque iecto parato, cum jam collocatus esset, de nocte, nullo sciente consurgens vili veste, & scarpis, quibus pro calciariis utuntur, ad similitudinem abeuntium sese aptans, iiiis medius adjungitur. Sicque per totam noctem ignotus comes illis factus, nulli eorum verbum effecit. Nam neque excreare volebat, ne fortè ita quis esset deprehenderetur. Quia enim ejusdem gentis erant, non ex toto sese credebat illis. Porrò ubi ad locum prædæ ventum est, quidquid ibi invenerunt ante se colligentes, ipse crebris saltibus, & vibrante hastili, ut reditum accelerent, socios hortabatur. Sed antequam illucesceret, ji quibus damnum illatum fuerat, sua ablata perpendentes, cum ducerent, militibus ut prædam excutiant, prosecuntur. At Guiscardus insequentes approperare videns, & socios, ne præda privari patiantur, se se invicem audacter cohortari audiens, ut audaciores redderet, jam quis esset, aperuit. Guiscardus inquit adsum particeps laboris vestri. Sine me nil periculi patiemini. Forti animo estote, & insurgamus hostibus. Nam Deo fortunam prosperante, facilè prævalebimus. Hæc dixit: & hostibus cum maximo furore occurrens, dum certat, multos perimit: plures capit, reliquos fugat, victor efficitur. Sicque triumphalibus spoliis acceptis, de peditibus suis equites fecit, denique jam securus, captivos secum deducens, præcedit: paucis, qui prædam post se minent, relictis. Milites verò sui, cum jam lux esset orta, eos armatos versus castrum advenire cognoscerent, hostes suspicati, dominum suum ubi esset, nescientes, per totum castrum clamore requirunt. Non invenientes turbantur: audacter tamen castro prosilientes illis, quos hostes suspicabantur, occurrere accelerant. Porrò Guiscardus equum in quo sedebat, calcariis urguens, alta voce Guiscardum ingeminando, occurrit: sicque agnitus ab illis, de præsentia sua, & de felicitate fortunæ omnes hilares reddit. Redarguitur tamen plurimum ab ipsis, quod talia præsumserit, & ne ulterius præsumat, admonetur, ne fortuna quæ nunc arrisit, post modum si temptetur, in pejus cedat. Sic castrum præda, & redemptione captivorum ditans, Calabros crebris incursionibus plurimum lacessivit.

XVII. Qualiter verò Petrum de Turra, qui apud Bisinianum morabatur, acceperit, silentio prætermittendum non est. Erat quippè idem Petrus ditissimus civis Bisinianensis: sed & consilio, & virtute cæteris pollens, omnibus principabatur. Soliti autem erant multotiens convenire hic, & Robertus Guiscardus, quasi ad placitum, de pluribus controversiis, quæ inter suos eveniebant. Porrò Guiscardus cum sciret eum maxima pecunia abundare, & præ cæteris castro dominari, cœpit animo tractare, qualiter per eum & castro potiri posset, & pecuniam, quam possidebat abstraheret. Quod secum diu revoluens, tandem consilio cum suis habito, quadam die, nullo fœdere interposito, extra castrum Bisinianense, in campo, in quo colloqui consueverant, cum venissent, Guiscardus videns maximam multitudinem cum Petro venisse, nuntio præmisso mandat: se illi multitudini intermisceri nolle, ne forte inter ipsos, tumultus ex aliqua re fieret: sed longius promotis utriusque partis sociis, ipsi duo in medium collocuturi convenirent. Prædixerat tamen suis, quid facere disponebat, & cum necesse foret, sibi citius auxiliaturi occurrerent.

rerent. Assentiente itaque Petro his, quæ à Guiscardo mandata sunt, sibi minus prospiciens, sociis à longè dimissis, ipse medio loco, Guiscardo obvianti accelerat. Confidentes ergo, & diu sibi ad invicem loquentes, cum jam discessuri assurgerent, Guiscardus enormitate, & mole corporis illius inspecta, viribus suis minus diffidens, erat enim in omnibus præsumptuosissimus, & magnarum rerum audacissimus attentator, Petrum medium corripiens, collo suppositum versus suos asportare cœpit. Accurrentibus itaque utriusque sociis, Bisinianensibus, ut Petrum eruerent, Normannis verò, ut dominum suum juvarent, Guiscardus Petrum enerviter reluctantem interdum portando, interdum volutando, interdum trahendo usque ad suos perduxit. Calabrenses verò de Petro jam desperantes, & pro ipso cum Normannis minimè certare prævalentes, fugiendo se se in castrum Bisinianense receperunt. Normanni verò gaudentes quasi de triumpho, usque ad castrum S.Marci Petrum secum adducunt: ubi aliquandiu in captione detentus, pecuniam mirabilem persolvens, seipsum à captione liberavit, sed civibus non assentientibus, castrum minimè reddere potuit. Tali calliditate, & huic similibus Calabrenses de Guiscardo compertis, genus formidolosissimum, omnes ante eum tremebant: quippè cui neminem assimilari posse armis, & ingenio, sed neque viribus dicebant.

Tanta itaque pecunia Guiscardus accepta suos abundanter remunerando, in sui fidelitate roborat; Calabresesque infestiores reddit, quotidiano impetu lacessens Bisinianenses, & Consentinos, Marturianenses, & his adjacentem provinciam secum fœdus inire coegit: tali videlicet pacto, ut castra sua retinentes, servitium tantummodo, & tributum persolverent, & hoc sacramentis, & obsidibus spoponderunt. Hunifredus igitur Comes Apuliam gloriosissime, & laudabili pace gubernans, infirmitate præventus, quod dolor est dicere, mortuus est, quod Guiscardus, qui tunc temporis, apud S. Marcum morabatur, audiens, versus Apuliam magno cum dolore animi accelerat; susceptusque à patriæ primatibus, omnium dominus, & Comes in loco fratris efficitur, ordinatisque rebus suis, & tota Apulia sibi in pace conciliata, quod primum animo conceperat, minimè oblivisci potuit: sed jam ampliori imperio dilatatus, & majoribus viribus militum videlicet copia auctus, ad quod cœperat peragendum, iterum intendit. Exercitu itaque commoto, & his, quæ ad expeditionem necessaria erant, versus partes Calabriæ aciem dirigit; pertransiensque Consentinos fines, & Marturanenses, juxta calidas aquas, super flumine, quod Nocato dicitur, biduo permansit, ut exercitum itineris asperitate fatigatum recrearet, & terram certius exploraret. Indeque pertransiens usque ad castrum, quod Scyllatium dicitur, juxta litus maris iter intendens, Rhegium usque pervenit: ubi triduo situ loci inspecto, cum videret se cives urbis, nec minis, nec blandimentis flectere posse, quibusdam negotiis versus Apuliam se revocantibus reditum parat. Decedenti Leucastrum, & Maja, & Canalda pacem facientes se se dediderunt. XVIII.

Rogerius verò minor frater, quem adhuc domi juvenilis ætas, & amor parentum detinuerat, subsecutus in Apuliam venit: de cujus adventu Guiscardus non minimum gavisus, honore, quo decebat, eum suscepit. Erat enim juvenis pulcherrimus, proceræ statuæ, XIX.

turæ,

turæ, eleganti corpore, lingua facundissimus, consilio callidus, in ordinatione agendarum rerum providus, omnibus jocundus, & affabilis, viribus fortis, militia ferox; quibus artibus, brevi tempore omnem gratiam meruit. Quia verò factiosus erat, & laudis, ut in tali ætate assolet, appetens, factiosos quosque sibi alligans, quæque habere poterat, libenter, & largissime illis impertiebatur. Porrò Guiscardus fratris constantiam, & militarem audaciam certius experiri volens, cum sexaginta tantum militibus plurima millia hostium debellaturus, in Calabriam dirigit, qui audacter pergens, in altiori cacumine montium Vibonensium castrametatus tentoria fixit, ut longè, lateque visus, incolas circumquaque facilius deterreret. Quod cum compertum fuisset per omnes civitates, & castra illius provinciæ, & totius vallis Salinarum, territi omnes, legatos, qui pacem postulent, dirigunt; munera plurima dantes fortissima castra enerviter reddunt, in servitutem juramentis, & obsidibus fœderantur.

XX. Sic terra ad suam, & fratris fidelitatem pro libito ordinata, plurimum pecuniæ, quam acceperat, in Apuliam fratri per legatos misit: eventus suos, qualiter egerit, mandans. Ipse verò castrum, quod Incisola dicitur, studiosissimè turribus, & propugnaculis firmans, armatis militibus munivit: omnibus, quæ ad victum necessaria erant, sufficienter introductis. Guiscardus verò pecunia, quæ sibi à fratre directa est, accepta, & strenuitate ejus agnita plurimum gavisus est; ejusque colloquium desiderans, ut ad se venire acceleret, mandat. Ille sex tantummodo milites secum ducens, reliquis ad tuendum castrum, quod fecerat, & provinciam premendam, ne fraudes præsumerent, relictis, in Apuliam, ad fratrem venit; à quo cum decenter fuisset susceptus, eventus suos alternatim conferentes, mutua collocutione locuti sunt.

XXI. Sicque cum moratus est, donec communi consilio paratis his, quæ ad expeditionem necessaria erant, maxima manu equitum, & peditum juga montium Calabriæ transcendentes, versus Rhegium incedunt. At cum in vallem Salinarum ventum est, Guiscardus audiens Rhegienses omnia circumquaque, quæ ad victum necessaria erant, secum infra urbem clausisse, & nihil relictum, quod exercitui contiguum foret, providens ne obsidenda urbe famis angustia exercitum propelleret, Rogerium fratrem, cum trecentis militibus, versus castrum, quod Geracium dicitur, in prædam dirigit; summoperè admonens, ut quidquid ad victus necessaria rapere posset, apud Rhegium exercitui deferat ipse recto itinere gradiens, urbem obsidere accelerat.

XXII. Rogerius verò studens ad gratiam fratris, & totius exercitus, quod sibi injunctum erat, peragere, altissimos colles, cum profundissimis vallibus perlustrans, ut fidelis, & studiosa apes onustissimus ad exercitum, cum maxima præda redit: jamque pœnè deficientes omnes abundantia recreavit. Guiscardus verò videns se versus civitatem minus proficere, & exercitum hiemis asperitate turbari, obsessionem solvens, discessionisque dans licentiam, ipse apud Majam hiemandi gratia, cum paucis secessit.

XXIII. Rogerius* itaque cum, quod militibus suis largiretur, minus abundaret, & ipsi sibi in exigendo importuniores essent, à fratre expe-

* *Rogerius verò cum quibusdam militibus suis, & quod ejus largiretur minus habetur;*

petit. Ille verò pravorum consilio * versus, cum cæteris largus esset, illi strictior quem oportebat, esse cœpit. Videbat denique propter strenuitatem, quam habebat, militiam juvenum totius Apuliæ ei potius, quam sibi adhærere; unde, & ne contra se insolesceret, metuebat, & ut paucis contentus secum moraretur, penuria cogere volebat. Porrò ille, ut magni animi erat, sciens se * à fratre recedens, in Apuliam ivit.

* *Consilio usus versus cum cum cæteris largus esset, & illi strictior quem.*

* *Se sic à fratre tractari, recedens in Apuliam se contulit.*

Quod audiens frater suus Guilielmus Comes videlicet totius Principatus legatos mittit; ut ad se veniat invitat, quæ habet simul accipiat; nihil se, excepta uxore, & liberis, ab illo proprium habere velle repromittens. Veniens itaque honore, quo decebat, susceptus est; aliquandiuque cum ipso moratur. Tandem castrum, quod Scalea dicitur, ab ipso accepit, per quod multas incursiones versus Guiscardum faciens, circumquaque lacessivit. Quod cum Guiscardo relatum fuisset, exercitu moto dictum castrum obsessum vadit. Guiscardus quidem oliveta, & vineta urbi contigua devastabat. Guilielmus autem milites ejus crebris congressibus, & hastili robore militariter dejiciens, numero minuebat. Ille verò cernens se versus urbem minus proficere, & numerum suorum diatim magis, ac magis minui, ne majori damno gravaretur consilio habito à loco recessit. XXIV.

Non multo post per internuntios pace, ad tempus, inter ipsos facta, invitatus à fratre Rogerius cum quadraginta militibus fidis sibi servitum vadit, ubi quidem plurimum penuriarum passus est; sed latrocinio armigerorum suorum in multis sustentabatur, quod quidem ad ejus ignominiam non dicimus; sed ipso ita præcipiente, adhuc viliora, & reprehensibiliora de ipso scripturi sumus, ut pluribus patescat, quam laboriosè, & cum quanta angustia, à profunda paupertate, ad summum culmen divitiarum, vel honoris attingerit. Habebat siquidem armigerum quendam * Blettiva nomine coram, quo nil tuebatur, ad quod furandum intendebat. Hic ipse penuriosus adhuc *juvenis, post modum ditissimus futurus Comes, cum esset cupiens quosdam equos, quos apud Melsam in * ejusdem domo viderat, ad hæc persuasit, ut secum vadens, nocturno furto abstractos abduceret. XXV.

* *Quendam blettiuam.*

* *Adhuc vivens, postmodum ditissimus futurus Comes causa esset.*

* *In cujusdam domo viderat, ad hoc.*

Curriculo itaque mentium duorum fratris servitium studiosè peragens, cum ab ipso, nil inter se, & omnes suos, causa remunerationis, uno tantum equo excepto, accepisset, quamvis non legerat, tamen quasi naturaliter sciens illud Saliustianum proverbium: frustra niti, & ad extremum nil, nisi odium fatigando quærere, jam demùm extrema dementia est, & quod benè servienti fortuna necessaria est, sibi verò eam minus favere, cum fratre plurimum verbis altercatus, fœdere quod inter se, ad tempus habebant, reddito, Scaleam reversus est: statimque in eodem vespere, apud castrum, quod Narencium dicitur, milites suos super Guiscardum prædatum mittens, provinciam spoliavit. At dum illos, quos prædari miserat, apud Scaleam præstolatur, Berver quidam à Melsa veniens nuntiat Melsitanos negotiatores à Malfa versus Melsam, haud procul castro transire. Quo audito non minimum gavisus, equum insiliens Gisenualdum, & Carbonariam cum octo tantum militibus mercatoribus occurrit: captosque Scaleam deduxit; omnia- XXVI.

niaque quæ secum habebant diripiens, ipsos etiam redimere fecit. Hac pecunia roboratus largus distributor centum sibi milites allegavit: quibus totam Apuliam crebris, & diversis incursionibus lacerans, Guiscardum in tantum sollicitum reddebat, ut adquirendæ Calabriæ oblitus, jam quod acquisierat pœnè amitteret.

XXVII. Anno 1058. clades permaxima, & flagellum iræ Dei, ut credimus, peccatis exigentibus divinitus immissum totam Calabriæ provinciam curriculo trium mensium Martii videlicet, Aprilis, & Maii in tantum attrivit, ut trino morbo mortem sibi imminere cernentes, cum unum ad vitæ periculum sufficere posset, vix ad quodvis horum, ne dum tria simul furiosissime detonantia pericula se evadere posse existimarent. Nam una ex parte gladius à Normannis, vix alicui parcens desæviebat. Ex alia verò fames viribus exhaustis per languida æstuabat. Tertia verò * pruina mortalitatis horribiliter defluens, vix intactum percutiens, ut in arenti arundineto laxis habenis * furens incendium percurrebat. Pecunias habentes, quid emerent non habentes, atque *ipsos liberos ex ingenuitate procreatos vili pretio in servitium venundantes, dum ubi illud ad victus utilitatem expenderetur, non inveniebant, ad augmentum doloris sui, * amissione in cassa venditione liberorum, quasi quarta calamitate cruciabantur. Vescentibus carnibus, absque pane comestio, quibusdam vinum non habentibus,* ubi aquæ potu condiebatur dysenteriem faciens, multos dejiciebat; quosdam autem spleneticos faciebat. Ubi verò vino fortiori intemperate superfundebatur calor naturalis, ejusdem perniciem lueri cor, quod panis non confirmabat; internis quadam æstuatione concedens debilitari cogebat. Quadragesimæ sanctam observantiam, * à sanctis, & religiosis patribus catholicè contraditam angustia dissolvit in tantum, ut non solum lactis, vel casei, verum etiam carnis comestione, reliquis temporibus concessæ, etiam ab ipsis, qui alicujus honestatis antea videbantur, violaretur. Sic herbarum virentia olera, quibus pulmentaria fieri solent terræ sterilitas subtraxerat. Ubi verò inveniebantur, quadam pruina vitiati aeris decocta post obesse, quam prodesse degustata videbantur. Fluvialibus carectis, & quarundam arborum corticibus, cum castaneis, & quercinis, sive iliciuis nucibus, quas glandes dicimus, porcis subtractis, & mola, post exsiccationem tritis, panes facere, modico milii admixto tentabant. Crudæ radices cum solo sale degustate ventris tumorem, cum pallore vultus excitantes vitalia intercludebant. Matres pietate astu ab ipso liberorum ore cibum rapere potius, quam administrare, impudenti violentia satagebant. Sic trino flagello usque ad novas fruges attriti sunt: sed novis frugibus supervenientibus fames quidem propulsa est; gladius verò mortalitatis, acutior factus est. Nam corpora famis penuria vacuata, & cibo insueta, quanto abundantiori cibo, contra usum intemperanter reficiebantur, tanto citius periclitabantur.

**Verò pugna mortalitatis orribiliter defluens vix aliquem permittens eva dere, in tantum pertransiens.*

** Habenis fervens.*

Suos liberos

**Sui propter ammissionem incussa.*

**Habentibus aquæ potu consuecebantur.*

** Dissolvit crudis carnibus, & fructibus arborum, vel corticibus utebantur in cibis.*

XXVIII. Calabrenses denique genus perfidissimum, cum viderent fratribus inter se diffidentibus, se se à nemine suscitari, cœperunt jugum Normannorum à se excutere, & servitium, quod juraverant, vel tributum minime persolvere: unde & simulatione fidelitatis traditione composita, castrum Leucastrense accipientes, sexaginta Normannos, qui ad tuendum ibi castrum relicti erant, una die peremerunt.

Quod

XXIX.

Quod cum Guiscardo nuntiatum fuisset, videns se versus in Calabriam perdere, & Apuliam totam turbari, fratrem per legatos accersiens, pacem cum eo fecit; concedens ei medietatem Calabriæ à jugo montis *a* Intesoli, montis Scyllatii, *b* quod acquisitum erat, vel usque Rhegium essent acquisituri.

In Cod. qui olim fuerat in Collegio Panormitani. *a Nichfoli.* *b quod*

XXX.

Post hæc Robertus Guiscardus uxorem habens suæ gentis honestam, & præclari generis Alberadam nomine, ex qua habebat filium nomine Marcum, quem alio nomine dicebant Boamundum, consanguinitate adnumerata, Canonicis sanctionibus contrarius esse nolens, conjugium solvit; filiamque Gaimari Salernitani Principis Sigelgaytam nomine sibi in matrimonium copulavit.

XXXI.

Anno ab incarnatione Domini 1058. hanc apud Salernum desponsatam, antequam convenirent, Rogerio fratri procurandam committens, ipse ut *c* Gisulphum fratrem suum Comitem Principatus in hæreditate illius firmaverat, quibus * ipsi plurimum infestus erat, dirutum vadit: inde Melsam regressus, sollemnes nuptias celebravit.

c Gisulpho fratri puellæ ad votū ageret, duo castra, quæ Gulielmus **ipse tamen*

XXXII.

Quibus expletis, Rogerius Guillielmo fratri, cum gratiarum actione Scaleam reddens, rogatus à Guiscardo in Calabriam venit; Castrumque Melitense à fratre sibi hæreditaliter deliberatum habens, rebelles Calabros circumquaque impugnare cœpit. Quadam verò die cum *d* Oppidum castrum obsideret, Episcopus Cassinianensis, & Giracii Præsopus, quem nos præpositum dicimus, maximo exercitu concitato, castrum, quod S. Martini dicitur, in valle Salinarum oppugnatum vadunt anno Dominicæ incarnationis 1059. Quod cum Rogerio nuntiatum fuisset, ab obsesso recedens, citato cursu, ubi eos esse audivit, advolat. Impetu facto, indeque quasi circumcingens, vix unum evadere permisit; de quorum spoliis, & equis, & armis omnes suos abundantes fecit. Quam ob rem Calabria, & si non ex toto obediens, tamen à vicinitate ejus tremula, minus eum prior irritare præsumebat.

In C. d C. P. *d Oppium*

XXXIII.

Robertus igitur Guiscardus rogatus à fratre suo Capitinatæ Comite Gaufredo, ut contra sibi reluctantes auxilium laturus in terra, quæ Gitium dicitur, quam, ut suos fines dilataret, debellare cœperat, veniret, in fratris sui Rogerii strenuitate plurimum fidens, ut ad se, secum illuc iturus quam citissimè veniat, invitat. Ille autem invitatione suscepta, & necessitate fratris sui cognita, quamvis suis utilitatibus disponendis occupatus esset, tamen quia sibi semper mos fuit, amicorum utilitatibus, uti suis subvenire, accuratissimè versus fratris auxilium subvenire accelerat: sicque exercitu commoto, utrique in auxilium fratris aciem dirigentes, *e* Guillamatum castrum oppugnantes capiunt: Galterio, qui castro principabatur, in Apuliam captivum ducentes, oculos effodiunt: ne si oculos habens captione quandoque liberaretur, fratri iterum molestus fieret. Hic sororem quandam habebat, quæ cum ipso in captione abducta est; quæ etiam tantæ pulchritudinis esse testatur, ut si aliquando ad mare balneatum venisset, vel causa experientiæ crura in aliquo piscoso flumine deponeret, pisces albedine ejus delectati adnatabant, ut etiam manu capi possent.

e Guillimiacum.

XXXIV.

Tunc Comes Gaufredus *f* Guillamatum castrum adjutorio fratris adeptus, totam Teacinam provinciam debellare fortiter cœpit.

f Guillimiacum.

 Ro-

Robertus verò Guiſcardus cum Rogerio fratre in Calabriam ſeceſſit: ubi ad utilitatem ſuam, & fratris plurima diſponens, & uſque Rhegium prædatum vadens, Rogerio in Calabria remanente, ipſe in Apuliam hiematurus regreſſus eſt.

XXXV. Hieme verò tranſacta, magno deſiderio Rhegium adipiſcendi ardens, commeatu, & reliquis, quæ neceſſaria erant, magno ſtudio præparatis, plurimoque exercitu anno Domini incarnationis 1060. congregato, Calabriam venit; fratremque ſecum accipiens, tempore, quo meſſes colligi incipiebant: Rhegium præoccupans obſedit. Porrò illis, quaſi pro vita tuenda ſe ſe fortiter defendentibus, utrique fratres certatim ſuos cohortantes, ad oppugnationem caſtri excitant: unde cum hoſtes interdum proſiliunt, multa militaliter ab ipſis perpetrata ſunt. Nam Rogerius ne, alios ad militiam arrigens, ipſe refugere diceretur, in omni congreſſu ſe ſe ſociis præponens, quendam fortiſſimum, & enormi corpore virum, exercitui Normannorum multis cuntumeliis exprobantem, quem omnes quaſi gigantem extollebant, impetu facto, haſtili robore dejiciens interfecit. Hoc itaque taliter interfecto, reliqui, qui infra caſtrum erant, territi, cum viderent machinamenta ad urbem capiendam parata, eamque uſque perduci, viribus ſuis diffidentes, pactione facta, ut duobus, qui cæteris principati videbantur, cum omnibus ſuis abire liceret, cæteri omnes, urbe dedita, ditioni Normannorum ſe ſe ſubdiderunt. Abeuntes verò ſe ſe in caſtro, quod Scillacium dicitur, receperunt.

XXXVI. Igitur Robertus Guiſcardus accepta urbe, diuturni deſiderii ſui compos effectus cum triumphali gloria Dux efficitur; magnaſque gratias, cum meritorum recompenſatione fratri, & reliquo exercitui, quorum auxilio, tanti culmen honoris attingerat, referens, fratrem cum exercitu per urbes, & caſtra totius provinciæ, ut ſuo imperio ſubdantur, dirigit: ipſe interim à labore ſe, apud Rhegium recreans. Rogerius verò hujus artis non ignarus, ſapienter exercitum ducens, brevi ſpatio temporis, nunc minis terrendo, nunc blandimentis mulcendo undecim famoſiſſima caſtella lucratus eſt: in tantum, ut in tota Calabria nec unum caſtrum reluctari præſumeret, excepto ſolo *a* Xiliano, quod illi tenebant, qui à Rhegio exierant.

In Cod. C. P. *a Scyllatio*

XXXVII. Quod Rogerius obſidens, cum videret celeriter non poſſe capi, exercitum verò ſuum laboris tædio affici, caſtellum quoddam ante portam firmavit; militibus, qui Scillacium ſolicitarent, & his, quæ militibus neceſſaria erant, muniens, exercitum ad expeditionem ſolvit. Porrò illi, qui à Rhegio Scillacium ingreſſi fuerant, cum viderent ſe nimium ab illis infeſtari, quos Rogerius in novo caſtro poſuerat, nec diu ferre poſſe, de nocte navem ingreſſi, Conſtantinopolim aufugiunt. Scillacenſes autem Rogerio arceſſito, pacem Anno Domini 1060. facientes, caſtrum dedunt; ſicque tota Calabria in conſpectu Guiſcardi Ducis, & Rogerii fratris ſui ſedata ſiluit.

XXXVIII. Sed ne aliquis exiſtimet illos qui in Apuliam, cum aliis fratribus non venerunt, minoris valentiæ à reliquis fratribus fuiſſe, & ideò in Normannia remanſiſſe, de Serlone pauca dicenda ſunt. Hic denique cum in Normannia inter militiæ laudabiliores appretiaretur, à quodam potente injuriam paſſus, dum vindicari ſtudet, illum in-

ter-

terficit. Unde iram Roberti Comitis, filii Ricardi secundi, patris verò famosissimi Regis Anglorum Guilielmi ferre non valens, in Britanniam declinavit: ubi aliquandiu commoratus, omnium gratiam strenuitate sua obtinuit; perque legatos pacem à Comite Roberto expetens, nec obtinens, multis incursionibus Normanniam lacessivit.

Et cum quodam tempore idem Comes Robertus in confini XXXIX. Franciæ, & Normanniæ castrum, quod Taulerias dicitur, obsedisset, miles quidam Francigena à castro diatim exiens, & singulare certamen, ab exercitu Normannorum expetens, multos prosternebat. Comes verò damnum suorum timens, omnibus interdixerat, ne aliquis illi obviaret: sic suis excusationem tribuens, ut, cum quod periculosum erat, refugerent, non hoc jam timori, sed principis interdictioni ascriberent. Quod cum Serloni in Brittannia, ubi tunc temporis morabatur, relatum fuisset, ignominiam populi sui non ferens, duobus tantum armigeris comitatus Taulerias venit: summo diluculo ante portam singulare certamen offerens, de equo hasta innixus expectat. Porrò ille, qui alios dejicere solitus erat, indignatus, cum maximo furore splendidus in armis, ferventi equo advolat; quis sit, requirit, ut à loco recedat, vitam tuendo hortatur. Illo nomen revelante, sed à loco recedere nollente, dum fortiter congreditur, aliorum prostrator forti hastili prosternitur. Serlo pluribus utriusque partis aspicientibus, non tamen quis esset, scientibus, victor ad gloriam Normannorum efficitur. Sicque caput abscissum lanceæ supponens, per medium suæ gentis castrorum, nulli verbum faciens, in Britanniam redire, accelerat. Comes ergo legatum mittens, quis nam sit, perscrutari jubet; & ut ad se veniat præcipit. Sed cum renuntiatum fuisset hunc Serlonem filium Tancredi esse, & à Britannia causa imperii à populo suo propellendi venisse, se autem iram Principis, quia infensus erat, declinare; & patria, quamvis penuriosum, libenter, donec Principis ira sedetur, dum ipse jusserit, exulare. Comes pietate motus, & tanto viro ulterius carere nolens, ad se jubet accersiri. Venienti occurrit: gratiam suam indulget; osculo securè reddit, quæ habita amiserat, restituit; uxori, cui plures possessiones competebant, auget; inter sibi familiariores retinet.

De Tancredo verò tantorum filiorum patre, aliquid memoria XXXX. dignum dicere nec absurdum est. Tempore quippè juventutis suæ, militaribus exercitiis deditus, & diversarum regionum, & Principum curias perlustrans, multa strenuæ laudis avidus agendo, cum ipsa laude & plurima lucratus est. Cum autem esset in familia Comitis Normannorum Ricardi secundi, qui quartus à Rhollo Duce fuit, quadam die idem Princeps venatum pergens, tali enim exercitio, ut mos est divitibus, non minimum delectabatur, aprum miræ enormitatis, quem Singlare dicunt, movit. Erat autem sibi mos, sicut & pluribus aliis potentibus est, ut venationem, quam ipse moveret, nullus præter ipsum occidere præsumeret. Porrò canibus aprum velocius insequentibus, cum Comes præopaca densitate, spinosis saltibus tardius insequeretur, canibus infestioribus aper timens à fine lacerari, rupe quadam inventa, ipsa pro muro à cauda utitur; & dentosum caput, ad se tuendum canibus offert. Sicque ca-

 nibus

nibus venatoris auxilio destitutis, cum jam aper de ipsis spumante dente multa strages faceret, casu Tancredus supervenit; visaque strage molossorum, quamvis morem Principis non ignoraret, tamen succurrendum canibus accelerat. Aper verò ipso viso, canibus spretis firmo impetu super eum irruit. Sed Tancredus cum esset fortis viribus, audaci ense illum suscipiens, non quidem illum ictu feriendo, sed acuto mucrone per durissimam frontem, usque ad præcordia impingendo, capulum fronti adjunxit: nihil ex longissimo ense præter capulum extra corpus apri remanente. Sicque dejecto ensem in fronte linquens, ipse ne à Comite hoc fecisse deprehenderetur, longius avulsus est. Comes verò veniens aprum mortuum miratus, utrum vulnus aliquod habeat, socios lustrare jubet; deprehensoque ense adhuc in fronte defixo, impulsum miratur, cujus ensis sit requirit; ne se hujus facti actor celet, ira condonatur. At cum à Tancredo factum deprehensum fuisset, à Comite, & cæteris omnibus plurima laude extollitur; & cum antea in pretio fuerit, majori deinceps habitus est; & * dudum postea in curia Comitis decem milites sub se habens fervivit. Nunc verò quia non quidem omnia, quæ memoranda forent, sed pauca, quæ fama didicimus ab ipsis fratribus in Apulia, vel certè Calabria facta, quamvis rustico stylo exaravimus, ad ea, quæ apud increduiam Siciliam gesta sunt, * qualiterve diu rebellis subjugata sit, intentionem vertamus. Ita tamen, ut cum opportunitas expetierit, illa, quæ * postea in Apulia, vel Roma, sive Græcia facta sunt, suo * in loco oblivione non prætereantur.

* *demum*
* *qualiter ne*
* *prius*
* *suo loco oblivioni nō prætereunte.*

Explicit Liber primus.

Variantes Lectiones in Codice qui olim fuerat in Collegii Panormitani, quæ intercurrerunt post inceptam impressionem.

Ad Capit. 2. a *Porrigitur itaque* b *illis*
Ad 3. a *eloquentiæ studiis* b *expetit* c *et* d *quantum*
Ad 4. a *Moriellam.*
Ad 6. a *Gaimarum* b *addiderunt*
Ad 7. a *invadit* b *arrigere* c *in* d *sternit*
Ad 9. a *incolis* b *Tudebusem*
Ad 10. a *usum*
Ad 12. a *Abagelardum*
Ad 13. a *Abagelardus*
Ad 16. a *intus* b *Scalonos* c *prædam* d *studuerunt*
e *ducentis*
Ad 20. a *lætati.*
Ad 21. a *fratre*
Ad 23. a *aut à fratre degenerem, vel indignum, quin gradatim ad alta, ut ille fecerat, & jam ipse fortuna sibi favente scanderet, irato animo à fratre recedens*
Ad 24. a *Ascla, & ita deinceps*
Ad 26. a *Benerus*
Ad 28. a *visitari*

IN-

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

Co-

INCIPIT LIBER SECUNDUS.



I * quæritur quod Calabria, vel Apulia jam ex parte, non autem ex toto, quantum ad ea, quæ in eis facta sunt, descriptis, apud Siciliam describentes * transeamus, iterum quasi digressionem facientes *a* describenda suum locum, quantum ad tempus, quod facta * sunt, exigit ratio- nis series recto tramite * texatur; ut quæ priora facta sunt, * præcedant: quæ verò posteriora subsequendo scribantur. Comes enim Rogerius, cum primum Siciliam debellaturus agressus est, quæ apud Calabriam habebat non deservit: sed cum opportunitas exigebat, exercitu in Siciliam interim dimisso, ipse ad sua negotia disponenda redibat; multoties etiam Duci fratri auxilium laturus, vel certè in majoribus, & dubiis rebus consilium daturus, ut strenuus miles, & vir magni consilii, in Apuliam usque transibat.

quæratur quare — *trarsimus* — In Cod. C. P. *a ad eundem stylum reducturi. sciendum est quod unaquæque res describenda.* — *est* — *testatur;* — *subsequenda*

ELegantissimus igitur juvenis Comes Calabriæ, cum apud Rhegium cum fratre Duce, tota Calabria debellata moraretur, Siciliam incredulam audiens, & brevissimo mari interposito, ex proximo intuens, ut semper dominationis avidus erat, ambitione adipiscendi eam captus est; duo sibi proficua deputans: animæ scilicet, & corporis si terram idolis deditam ad cultum divinum revocaret; & fructus, vel redditus terræ, quos gens Deo ingrata sibi usurpaverat, ipse in Dei servitio dispensaturus, temporaliter possideret. Hæc secum animo revoluens, eorum, ad quæ animum intendebat, non tardus executor, cum sexaginta tantum militibus, periculosissimo, quamvis brevi pelago inter Scyllam, & Charybdim navaliter se se committens, Siciliam explorat: & gentis suæ militiam tentatum transmeando vadit. Est portui, quo applicuerunt, populosa civitas proxima: quæ à messe vocabulum trahens, eo quod totius regionis messes, quantum Romanis in tributum antiquitus persolvebatur, illuc congregari solebat, Messana vocata est. Hujus urbis cives, quorum plurima multitudo erat, hostes suos fines pervasisse cognoscentes, plurimum indignati, maximè quod paucos numero videbant, urbis portas maximo impetu prosilientes, ipsos occupatum vadunt. Porrò Comes, ut semper astutissimus, & militia callens, primo timore simulato, cum eos longius ab urbe seduxisset, impetu facto, acerrimè super eos irruens, in fugam vertit. Sicque extremos quosque cædendo, usque in portam civitatis, longo reditu fugientibus visus odibilis comminator, reduxit. Spoliis itaque, & equis illorum, quos deje-

jece-

jecerat ; acceptis , naves fuas ingreffus, Rhegium remeat, ad ducem
fratrem fuum .

Dux deinde Robertus cum Comite Rogerio fratre fuo in Apu- II.
liam hiematurus , regreffus eft : ubi quia jam aliquantulum tem-
poris tranfierat , ex quo abinde receffferat , res fuas quafi ab acumi-
ne obtufas , & minus ordinatas inveniens , tota hieme confilio pru-
dentiæ fuæ *a* refortiens , ad integrum reparavit : Apulienfefque In Cod.C.P.
Principes de noviter adepto ducatu fibi congaudentes pluribus do- a *refarciens*
nans, de expeditione verfus Siciliam in proxima futura æftate fa-
cienda permonuit .

Rogerius verò Comes Duce relicto in Apulia, Rhegium in pri- III.
ma feptimana ante quadragefimam remeavit : ad quem *b* Becumen b *Betumen*
Admiraldus *c* à Belcamedo quodam principe prælio fugatus , eo c *ab Elcar-*
quod maritum fororis fuæ, honeftum fuæ gentis juvenem , vocabu- *medo*
lo *d* Benneclerum occiderat , apud Rhegium profugus venit , co- d *Beneclerũ*
mitem verfus : impugnationem Siciliæ multis exhortationibus inci-
tans .

De cujus adventu Comes , non minimum gavifus eum hono- IV.
rificè fufcepit : ejufque confilio , necdum hieme tranfacta , hebdo-
mada videlicet proxima ante quadragefimam , cum centum fexa-
ginta militibus , ipfum * Becumen fecum ducens , Pharumque ad * *Bittumen*
Clibana tegularum tranfiens , Siciliam invadit . Dumque Becu- *fecum , co-*
mene, qui ad fe trans fugerat , ductore , verfus Melacium iturus, de *quod patriã*
nocte , haud longè à Civitate Meffana tranfiret , obvium habuit *fciebat , du-*
quendam Saracenum , militia inter fuos nominatiffimum fratrem *cens : Pha-*
fciiicet * Bennecleri : pro cujus occafione Becumena Sicilia ejectus *rumque ad*
fuerat . Hic nempè cum in præcedenti vefpere perfenfiffet , Comi- *Clibanum*
tem armata manu Siciliam intraffe, militia fua, plus neceffario præ- * *Benemen-*
fumens , à Meffana progreffus nocturnus hoftis , ut fibi aliquod mi- *cleri*
litare nomen , in damno hoftium adquireret , tentatum ibat. Comes
verò Rogerius inermis excepto clypeo folo , & enfe , quo accinctus
erat, armiger namque cum armis fubfequebatur, focios præcedebat:
oculos intentiffimè circumquaque ducens . * Dumque illum adven- **Dum illum*
tantem fub pallore Lunæ deprehendiffet, perlongum ducens ab ar- *advenientem*
migero arma recipere, ne forte , fi etiam ilie fub umbra viferet, au-
fugeret, impetu facto, folo enfe fuper eum irruens, unoque ictu me-
dium corripiens, fecavit: de corpore duabus partibus factis, equum-
que , & fpolia cuidam fuorum dedit . Inde Melacium, & Rametam
ufque pertranfiens, plurimum prædæ accepto , ad tres * batus, juxta * *lacus*
* Pharum , qui Praroli dicitur , hofpitaturus rediit ; in craftinum ad * *Caroli di-*
* ultimas aquas ufque prodiens præda , quam acceperat , Rhegium * *cuntur*
deferenda navibus . * *ad dulces*
aquas

Porrò Meffanenfes putantes jam , quibufdam naves ingreffis , * *deferendũ*
fe illos , quafi femipartitos poffe facilius occupare , equitatu , & pe- *navibus po-*
ditatu omnes urbe egreffi , invadere vadunt . Verum quia ventus *nunt .*
contrarius erat , nullus armatorum naves intraverat . Comes verò V.
cognofcens eos verfum fe adventare , Serlonem nepotem fuum , vi-
delicet Serlonis fratris fui filium : cujus fuperius in fine primi libri
mentionem fecimus ; ne fi fugere , ficut & fecerunt , vellent , libe-
rius poffent , fic præmiffum , ipfe velocius fubfecutus , dum fugere
nituntur , ita intercepit , ut vix ex tanta multitudine evaferit .

Mef-

VI. Meſſanenſibus ſuorum *a* vulnera flentibus, Comes penes civi-
In Cod. C.P. tatem tranſiens, in Inſula S. Hiacinthi, haud londè ab urbe, hoſpi-
a funera tatum vadit: ſummoque diluculo Meſſanam, quaſi viribus exhau-
ſtam oppugnare vadit. Sed Meſſanenſibus, quamvis paucis, qui
adhuc ſupererant, cum ipſis mulieribus armatis, turres, & propu-
gnacula, ſeſeque certatim, ut pro vita, defendentibus, Comes, ne
Sicilia tali facto excitata ſuper eum irruat, ad tentoria ſua rediens,
de tranſitu verſus Rhegium tractare cœpit. Mare verò turbatum
cum periculoſum tranſitum oſtentaret, Comes ſapienti uſus conſilio,
totam prædam, quam ceperat, *b* S. Andronio, ad Eccleſiam ſuam
b S. Antonio reædificandam juxta Rhegium, dandam propoſuerat. Deſtructa
quippè erat noviter. Sicque meritis ejuſdem Sancti, ut credimus,
aura proſpere flante, mare ſedatum ſeſe tranſmeabile præbens, im-
pune tranſire permiſit.

VII. Ne videatur hoc factum, quod prædam Deo obtulerunt, con-
trarium Canonicis ſanctionibus, propter illud, quod dicitur, qui im-
molat victimam ex rapina, vel ex ſubſtantia pauperis, quaſi qui vi-
ctimat filium in conſpectu patris: cum hoc potiſſimum accipiendum
c pauperum ſit dictum de ſubſtantia *c* pauperis Chriſti: de quibus & alibi dictum
eſt, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum,
d iſtis verò, quorum Regnum Cœlorum *d* non eſſe ſcimus, qui Deum nec ore, nec corpore confitentur. * Sed
quod aufertur, Deo * offerre, haud abſurdum videtur: nam acceptis
* ingrati utuntur, à quibus ipſe largitor non cognoſcitur. *
** Si quid* Comes igitur Rogerius toto menſe Martio, & Aprili per Cala-
** afferre abſurdum non eſt.* briam utilitates prudenter ordinans navibus, & reliquis neceſſariis
commeatibus expeditionem iterum verſus Siciliam certatim parat.
** ingrati* Majo itaque intrante Dux ab Apulia cum maximo equitatu Rhe-
** & cætera* gium veniens, etiam navalem exercitum per mare venire fecit. Bei-
VIII. camuer verò Almiraldus Siciliæ audiens expeditionem verſus Sici-
liam apparari, naves, quas * Cattos appellant, quæ hoſtium tranſi-
** Rockilias* tum impediant, à Panormo in Pharum mittens, per aliquot dies ho-
ſtes tranſire impediunt. Nam quamvis noſter navalis exercitus plu-
** habundantior* rimus eſſet, eorum tamen amplior, & fortioribus navibus * erat. No-
ſtri * denique tantummodo abundatior Germundos, & Galeas, Sici-
** namque tantum* lienſes * verò Cattos, & Golafros, & Dormundos, ſed & diverſæ fa-
** Kocleas, & Galafros* brices naves habebant.
Dux ita ſibi tranſitum turbari videns, cum fratre Comite, &
IX. ſapientibus accepto conſilio, divinum invitat auxilium. Exercitui,
ut Sacerdotibus confiteantur, & pœnitentia accepta omnes commu-
nicent, indicit. Ipſe cum fratre, ſi terra divino auxilio illis tribua-
tur, ſe ſe deinceps Deo devotiores futuros, voto promittunt: certa
fide in mente retinentes quod ſcriptum eſt: in omnibus negotiis tuis
Deum adjutorem tibi aſſume, & habebis proſperos effectus: &, quia
non eſt conſilium contra dominum: &, quod nulla proficiendi diffi-
cultas eſt, ubi Spiritus Sanctus cooperator adeſt: in omnibus, quæ
facere diſponebant, Deum ordinatorem, fortiorem gubernatorem
lachrymabili compunctione cordis implorant.

X. Comes itaque Rogerius videns hoſtes, ex altera ripa contra
ſuum exercitum adjacere, & nuſquam promoveri, ad callida argu-
menta, ut ſolitus erat, ac ſi legiſſet; quid refert, armis contingat pal-
ma, doliſve convertitur, conſiliumque Duci dedit, ut ibidem cum
exer-

exercitu remanens se se hostibus ostentaret: ipse interim cum centum, & quinquaginta militibus Rheglum usque progrediens, navibusque sibi abinde, sub nocturna umbra, contraductis, mare, nescientibus hostibus transiens, Sicilam invaderet. Duce verò, timore amittendi fratrem, hoc negante, & dicente se nil per fratris mortem lucrari velle, sed potius fratris vitam omni lucro præponere, Rhegium præmissis navibus ipse Comes cum trecentis militibus subsecutus, ut semper militia præsumptuosus, & magnarum rerum attentator, mare *a* incautus hostibus impune transiens, ad locum, qui communiter *b* Monasterium dicitur, applicuit: navesque remittens, ne forte aliquis suorum ad illas refugeret, Messanam oppugnatum vadit; quam inermem inveniens, nam jam dudum defensores ejus peremerat, urbe capta, turres, & propugnacula ejus diruit: quos invenerunt interfectis, quibusdam verò ad Panormitanas naves transfugientibus, anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo.

In Cod C.P. *a incautis* *b trium*

Inter quos & quidam juvenis, de nobilioribus Messanæ urbis civibus sororem habens pulcherrimam, dum fugiens secum adducere nititur puella, ut tenuis virguncula, & debilis naturæ, laboris expers, timore, & insolito cursu deficere cœpit. Frater ad fugam dulcissime verbis excitans, dum minime proficit, viribus exhaustam videns, ne inter Normannos remanens, ab aliquo eorum corrumperetur, gladio appetens interficit. Et quamvis præ dulcedine, langoris sororis lachrymis perfunderetur, unica enim erat, maluit sororis interemptor fieri, & mortuam flere, quam soror legis suæ prævaricatrix fieret, & ab aliquo lege sua non contento stupraretur. XI.

Porrò Panormitani urbe capta, se delusos ab hostibus cognoscentes, timentes ne forte tum mare turbatum, si illic diutius morarentur, eos ad terram cogeret, & ab hostibus opprimerentur, confusi, vela unde venerant, direxerunt. Ipsius verò urbis captæ claves Comes Rogerius ad Ducem transmisit; mandans ei, quatenus secure navigando acceleret ad se. Sicque mari hostibus purgato, patenti absque periculo transitu, Dux cum omni exercitu placito cursu transmeans, Messanam venit, fratremque sanum inveniens, non minimum congavisi sunt. XII.

Rebus itaque suis per octo dies sapienter dispositis, & urbe pro velle suo firmata custodibus diversis, equestri exercitu apud Messanam relicto, versus Rametam utrique fratres intendunt. Rametenses autem dudum cognito, in parva manu hostium eorundem, maximam multitudinem Messanensium bellatorum occubuisse, ne quid simile sibi accidat, advenientibus hostibus, obviam territi legatos, qui pacem postulent, mittunt, urbemque, & se ipsos ditioni dantes, libris superstitionis legis suæ coram positis, juramento fidelitatis firmant. XIII.

Inde de prospero eventu, cum maxima lætitia recedentes, & debilitate gentis cognita, audaciores sub Scabatripoli hospitium sumunt. Inde in crastinum ad Fraxinos perveniunt, ab Fraxinis ad Maniaci pratum. Hic Christiani in valle Demina manentes, sub Saracenis tributarii erant. De Christianorum adventu gavisi illis occurrerunt, multaque exenia, & donaria obtulerunt. Hoc excusationis contra Saracenos assumentes, non quod causa amoris, sed ut se ipsos, & quæ sua erant, tuerentur, hoc facerent; fidelitatem XIV.

verò suam illis inviolabilem se servaturos. Fratres verò utique eos, cum maxima dulcedine suscipientes, multa beneficia se illis collaturos, si terra à Deo sibi concedatur, promittunt. Sic in pace dimissis, ipsi Centurbium usque pertendunt.

XV. Sed Centurbienses, quamvis strenuitatem eorum non ignorarent, mori non abhorrentes, cum nullo modo servire volunt, in defensione urbis, & sua propugnacula armant. Nostri verò fortiter oppugnantes civitatem, cum viderent suos à fundibulariis, & sagittariis vexari, & sine detrimento suorum, versus urbem nil se posse proficere, ab oppugnatione desistunt: maximè cum in proximo sibi à Saracenis bellum imminere audiebant, contra quos suos, ne vexarentur, vel numero diminuerentur, reservabant.

XVI. Sic Centurbio relicto, in planicie Paternionis castramentati, tentoria figunt. Visaque planicie spatiosa, aptum locum ad præliandum judicantes, per octo dies illuc morati sunt, volentes, ut à Saracenis inibi sibi prælium dispositum offerretur. Sed cum à speculatoribus Becumenis Saraceni, qui apud Rhegium ad Comitem transfugerat, & illos fidus comes, & ductor comitabatur, didicissent bellum necdum in promptu haberi, interius progredientes, apud S. Felicem, juxta cryptas subterraneas hospitati sunt, quas oppugnantes maxima ex parte cœperunt, pluribus ex inhabitantibus interemptis. Inde progressi ad molendina, ante Castrum Joannis, in ripa fluminis, quod lingua eorum Guedeta dicitur, quod Latine resolutum fluminis paludis interpretatur, castrametati sunt.

XVII. Bechamet igitur numerosa Africanorum multitudine, & Siciliensium coadunata, bellum, quod diu disposuerat, hostibus offert, anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimoprimo. Porrò Dux exercitum semipartiens, erat enim tantummodo septingenti, & ex ipsis duas acies ordinans, unam fratri, ut priori sicuti sibi moris erat, ut hostem feriat, delegat: ipse cum altera suos alacriter verbis exhortando, subsequi non tardat. Similiter Bechamet, cum quindecim millia armatorum haberet, tres acies instituit, cum quibus primo quidem audacissime hostibus occurrens, certamen iniit. Porrò nostri in primo, ex more, congressu fortiter agendo, plurimos sternentes, reliquos in fugam vertunt, quos cædendo, versus Castrum Joannis persequentes, usque ad decem millia occiderunt. Sicque victoriam adepti, spoliis quidam sunt ditati in tantum, ut qui equum unum in prælio perdiderit, pro uno decem recipiens, consimili lucro, ad similem exercitum accedere non dubitaret. In crastino enim pro-

In Cod. C.P. a Naurcium pius castrum progredientes, ad lacum, qui est inter Castrum Joannis, & a Irancuum sola nocte hospitati, die sequenti, in monte qui Calataxibet dicitur, tentoria figunt. Sed quia mons strictior erat, & minus ad hospitandum exercitui sufficiens, ad planiciem Fontium transierunt. Comes verò Rogerius quietis impatiens, & laboris assiduus, trecentos juvenes secum ducens, usque Grigentum prædatum, & terram inspectum vadit: totam provinciam, incendio concremando devastans. Cum redit spoliis, & præda totum exercitum abundanter replevit. Per mensem itaque ibi perdurantes, totam provinciam diversis incursionibus lacerantes afflixerunt: sed Castro Joannis minime prævaluerunt. In ipso anno Dux Castrum Marci fecit.

Hie-

Hiemem itaque vicinam prævidentes expeditionem solvunt: Becuminem verò in sua fidelitate apud Catanam, sui enim juris, dimittentes, qui Siciliam interim lacessat, ipsi Messanam, militibus, qui eam custodiant, & his, quæ militibus necessaria forent munientes, Pharo transmeato, Dux quidem in Apuliam hiemandi gratia, secessit, Comes verò in Calabria remanet. Media verò hieme, intra Natale Domini, cum ducentis quinquaginta militibus iterum mare transiens, usque ad Grigentinam urbem totam patriam sollicitans, prædatum vadit. Christiani verò provinciarum sibi cum maxima lætitia occurrentes, in multis obsecuti sunt. Inde Trainam adveniens, à Christianis civibus, qui eam incolebant, cum gaudio susceptus urbem intrat: pro velleque suo ordinans, ibidem Natale Domini *a* celebrant. XVIII.

In Cod.C.P. *a celebravit*

Sic legatus quidam à Calabria veniens nuntiavit Abbatem Robertum S.Euphemiæ à Normannia * à Delicia sorore sua, nepte Normannorum * Comitum ad nita mandare sibi, ut acceleret versus nuptias celebrandas. Quod Comes audiens, multum exhilaratus erat. Denique ex multo tempore eam cupiens, speciosa quippè, & præclari generis erat, quanto celerius potuit, versus Calabriam repedans, diu cupitam puellam visum ire accelerat. Veniensque in vallem *b* Salinarum, apud S. Martinum puellam legitime desponsatam, Melitum cum maximo musicorum concentu deducens, illuc sollemnes nuptias celebravit. XIX.

* *in dicta*
* *Comitis adducta*

In Cod.C.P. *b Salinarũ*

Quibus consummatis, aliquandiu cum uxore commoratus, quo animum intenderat, oblivisci minime potuit; sed exercitu apparato, Rogerium *c* armigerum secum ex parte ducens, juvencula in Calabria dimissa, iterum Siciliam invadit: nullis persuasionibus lachrymantis uxoris detentus. A Catana itaque Becumine Saraceno per legatum arcessito, secum ducens Petrelegium obsessum vadit. Porrò cives ex parte Christiani, & ex parte Saraceni, consilio invicem habito, pacem cum Comite facientes, castrum, se seque ditioni suæ dederunt. Comes verò castrum pro libito suo firmans, militibus, & stipendiariis muniens Trainam venit, quam similiter muniens, Becuminem, ut Siciliam lacessitum, & ad suam utilitatem applicatum vadat, exhortatus, in Calabria, se desideranti, & de salute ipsius sollicitæ uxori se repræsentans, de adventu suo non minimum lætificavit. XX.

c Haurigum

Castrum itaque nullum in sua, à fratris potestate, excepto solo Melito, habens, à fratre, ut quod sibi promiserat, quando ab Scalea ab ipso invitatus ad invicem reconciliati sunt, medietatem videlicet totius Calabriæ impertiatur, maxime quia juvenculam uxorem exinde, utpote puellam, tam præclaris ortam natalibus, decenter dotare volebat, requirit. Dux autem quamvis pecunia largus, in distributione quidem terrarum aliquantulum parcior erat; fratremque per ambages differendo protrahebat. Porrò Comes fratris callidiratem animum advertens, ne diutius fallaciis passi sustinens, * per meliores totius Apuliæ * ad rationem ponit, quod sibi promissum fuerat expetens: * atque nec ita proficit, * fœdereque inter se rupto, irato animo à fratre recedit: Melitumque veniens castrum viriliter firmavit: * optimosque milites undecumque sibi, in fratris damnum * ducens. Sed quamvis erga se fratrem * suum agere patulum esset, XXI.

* *mittens*
* *ac cum*
* *fœdere quod inter se habebant*
* *optimos quoque*
* *conducens,*
* *injustum*

 lega-

legalitatem tamen suam servans, per quadraginta dies à fratris * in- In Cod.C.P. juriam abstinuit: ne si forte infra hunc terminum erga se respiceret, a *indicaretur* ipse, qui de injuria conquerebatur, potius injurius haberi *a* vindicaretur: malens hujus dissensionis iniuriosam culpam in fratrem potius, quam in se retorqueri.

XXII. Becumen verò per Siciliam vadens, sicuti à Comite rogatus, quosque poterat, ad fidelitatem nostræ gentis applicat: quibus verò minus persuadere poterat, ipsos impugnationibus vexare non desi- b *Antelium* stebat. At cum versus castrum *b* Antulium, quod quondam suum fuerat, debellandum properaret, Nichel quidam potentior, castri quondam ejusdem Becuminis miles, in dolo verba pacifica mandans, ut cum paucis à suis semotus, Antuliensibus, quasi reconciliari volentibus, loco determinato locutum veniat, mandat. Ille verò, quia jam plurima beneficia illis jam dudum, cum secum bene erant, contulerat, minus fraudem suspicatus, quo, & qualiter sibi mandabatur, venire non distulit. Antulienses itaque consilium venenoso corde Duce Nichele conceptum reperientes, equum ejus primitus spiculo transfigunt, ne sessor, ut sibi primo vulnus datum foret, fraude intercepta, equo sano liberius cum vulnere aufugeret. Sicque equo dejecto ipsum etiam in terra confodientes, cum sanguine ultimum vitæ flatum exhalare fecerunt. Quod audientes Normanni, qui apud Trainam, & Petrelajam ad castra, à Comite deputati erant, maxime turbati, ejus enim nomine præsidia quam maxime tuebantur, castris relictis, Messanam, ad tuendum vadunt.

XXIII. Dux verò fratrem à se recessisse iratus, exercitu congregato, eum apud Melitum obsessum vadit, anno incarnationis Domini 1062. Comes autem, quamvis tunc temporis typo febrium gravaretur, apud Geracium enim quibusdam negotiis se illuc vocantibus erat, ubi insolito aere corrupto, ipse nihilominus infirmatus, quosdam suorum amiserat, tamen fratri, ut hosti venienti, in monte, qui S. Angeli dicitur, acerrime occurrit; multisque ex fraterna acie hastili robore, militari congressu dejectis, ne in ipso monte, vel certe in adjacenti, qui Mons Viridis dicitur, castrum, sicut disposuerant, figant, impetu facto longius arcet. Urbe itaque obsessa, ex utraque parte ambitio laudis, & juvenilis ætas plures ad militiam exercendam impellebat; unde cum plures militaliter progrediuntur, juvenis quidam Arnaldus nomine, ex parte Comitis, gener quippe suus, & frater juvenculæ uxoris erat, vir militaribus exercitiis aptus, dum dejicere tentat, dejectus, quod dolor est dicere, occurre, occubuit. Unde permaximus dolor, & planctus, non solum his, quibus adjutor erat, verum tamen his, qui à foris impugnabant, excrevit. Ac dum soror cum multa lamentatione exequias celebrans, funus, ut decebat, exequitur, Comes, qui non minus sorore dolebat, in vindictam exardescens juvenis, congressu in hostem facto, multos militaliter sternens interimit. Dux itaque videns talibus congressionibus suos quotidie vexari, & minus proficere, duo castella ante urbem firmavit; putans tædio, & fame sic eos facilius posse affici. Comes verò ipsa castella quotidie lacessens, cum Ducem in uno esse sciebat, alterum oppugnabat: cum verò ad id succurrendum venire videbat, illo relicto per medium civitatis ad aliud transibat; sic assiduè certamen localiter alternans.

Nocte

Nocte verò quadam Melitum cum centum militibus exiens Geracium venit: urbemque sibi ab incolis traditam ingressus, in suos usus aptavit. Quod Dux audiens, maxima ira repletus, castella, quæ ante Melitum firmaverat, militibus muniens, cum toto exercitu versus Geracium, extra urbem tentoria fixit. Geracenses quidem sibi jam dudum fidelitatem juraverant: non tamen urbem, ut pro libito suo uteretur, reddiderunt; ne si forte castellum in ipsa firmaret, pro velle suo omnes prorsus subjugatos haberet. Dux verò quendam de potentioribus urbis notum habens, nomine Basillum, ab ipso ad prandium invitatus, capucio capite cooperto, ne forte quis esset, perciperetur, urbem ingressus, ad palatium illius solus comestum vadit. Quo ingresso, dum nil mali suspicans, nec dum cibo parato, colloquiis Melitæ uxoris illius, qui se invitaverat, uteretur, urbicenses per quendam famulum domus, Ducem infra urbem esse cognoscentes, traditionem suspicati, non minimum turbantur. Undique concurrentibus tota urbs tumultuatur, omnesque in arma ruentes, ad domum in qua erat, cum furenti impetu illum extrahere vadunt. Ille verò, qui Ducem invitaverat, impietatem concivium suorum cognoscens, & viribus ad restituendum diffidens, dum versus Ecclesiam profugus, vitam tueri nititur, patrio ense confossus occubuit. Uxor quoque ejus, cum tanta impietate à suis civibus attractata est, ut stipite, ab ipso ano, usque ad præcordia transfixa inhonesta morte vitam terminare cogeretur. Quo viso si Dux de vita desperavit, mirandum non est, præsertim cum videbat civem, à civibus, amicum, ab amicis, prælatos, à subditis absque recordatione alicujus præcedentis beneficiis, cum tanto furore, crudeli ense perimi. Stat inter furentium hostium minantia tela miles inermis: quondam multorum illium hostium debellator; leoninam ferocitatem, quæ sibi quasi quodammodo innata erat, in agninam transferens mansuetudinem. At cum videret sapientiores quosque ita qui exitum rei prænotabant, ad hoc inniti, ut in ordinatum furorem indoctioris vulgi, & minus prospicientis quid damni, quid ve lucri, si occideretur, proveniret, animo aliquantulum resumpto, talibus eos verbis alloqui adorsus est. Nolite inquit, nolite superabundantiori lætitia falliciter extolli; ne rotalis fortuna vobis ad præsens arridens, mihi autem adversa, arrisione sua vobis indicium prænotet, in futurum habendæ adversitatis, cum nulla potestas absque divina dispositione nemini attribuatur. Quo judicio in me potestatem habeatis, apud vos ipsos reputando conferte. Nec enim vestris viribus præsens esse perductus sum: sed neque ego, ut vobis aliquid mali machinaretur, ingressus sum. Vos quidem mihi fidelitatem fecistis: ego verò quod pactum vobis promisi, in nullo me violasse cognosco. Sed forte istud vobis ad utilitatem vestram, aut experientiam contigit, ut vestra fidelitas, cujus stabilitatis sit, à nobis cognita, vos nobis gratiosiores, & præmio digniores præsentet. Tot millibus hominum uni soli casualiter, non autem militaliter circumveniendo, intercepto fœdere, mentito, & absque diffensione vitam auferre, nulla laus est. Sed neque ut reor, quantum de me vobis aliquid proficuum. Mors enim mea, jugum gentis meæ non aufert, sed in vindictam meam vobis infestiores exardescent. Sunt denique mihi fidelissimi milites, sunt fratres, sunt consanguinei, XXIV.

nei, quibus, ſi perjurando, vos manus veſtras meo ſanguine pollueritis, nulla ratio reconciliare poterit; ſed & ubicumque terrarum hoc à vobis factum perſonuerit, opprobrium ſempiternum, propter perjuria, cum omni ſucceſſione generis veſtri incurretis, præſertim ſi ſine diſcutione, aliquod præjudicium perpeſſus fuero à vobis. Talibus verbis, faventibus ſibi ſapientioribus urbis, ignobile vulgus tumultu, ſedato, Ducem in captione, donec quid de ipſo faciendum ſit, conſilium capiunt, ponunt.

XXV. Exercitus itaque Ducis, qui extra portam tentoria fixerat, audito * Ducem tali infortunio in * captionem detruſum, undique turbati, dum quid faciendum ſit, dubitantes inter ſe diſputant, tandem meliori conſilio accepto, per legatos comiti * rei eventum intimare accelerant. Sciebant quippe legalitatem animi ejus, & quamvis contentionem ſuam, expetendo verſus fratrem aliquam controverſiam, oſtenderet, tamen in conſideratione conſanguinitatis, fratrem * ſuum, ut fratrem diligere, & fraternam vitam in tanto diſcrimine poſitam ereptum ire omni ſibi illata injuria oblita, quovis lucro præponere, *invitabit fratrem, ut fratri in * anguſtias poſito, auxilium ferendo ſubveniat, de controverſia, quæ inter ipſos erat, Duce erepto, jus teneatur, ſe ſe auxilium * illaturos promittunt.

* *Duce*
* *captione*
* *fratri rei eventum intimari*
* *cum*
* *invitat*
* *anguſtiam*
* *laturos*

XXVI. Comes itaque ſiniſtro rumore de fratris infortunio turbatus, fraterni ſanguinis affectu, totus lachrymis perfuſus, ſuos ſupplex exorat, ut fratrem * ereptum ſecum accelerent. Sicque arma corripiens Geracium citiſſimus advolat: urbicenſes, ut ſibi extra muros, fœdere interpoſito ſecuri locutum veniant, invitat: quos & ita alloquitur. * Eja inquit, amici, & fideles mei *a* inimicari, & germanum * me obſeſſum venientem cognoviſtis captum, & * mea fidelitate tenetis gratiſſimum habeo. Et quia verſus me in tantum *b* veſtra fidelitas progreſſa eſt, veſtro conſilio, non autem veſtris vel manibus, vel armis de ipſo ulciſci volo. In tantum enim me ad iram provocavit, ut nullo modo mihi ſufficiat, ſi alterius armis, quam meis intereat: quod ne veſtra fidelitas, quaſi mihi gratum obſequium ſe præſtare credens faciat, omnimode ſibi interdictum ſciat. Accelerate igitur inimicum meum mihi reddendo. Sufficiet, ut de ſuppliciis ejus primo ſciatis. Veſtro conſilio ſatiatus, faciam cum tormentis vitam finire. Nulla in reddendo dilatio ſit; nam nulla utilitas me avellet ab obſeſſione hujus urbis, donec ulciſcar mihi ab ipſo illatis injuriis. Ecce omnis exercitus ſuus injurias ejus ultra non ferens, ipſo ſpreto, in meam fidelitatem tranſiens, me ducem elegerunt. Ecce vel modicum terræ ſub ipſo habere, indignus judicabar: eo perempto, omnia, quæ juris ſui hactenus fuerunt, fortuna favente ſuſcipiam. Non ſum, quem per ambages protrahere poſſitis: ſi diutius differre tentatis, ecce ad præſens vineta, & oliveta veſtra extirpabuntur. Urbe veſtra à nobis obſeſſa, machinamentis apparatis, nulla contra nos præſidia tuebuntur. Vos ſi inviti capiamini, pœnæ quæ hoſti repromittuntur, & vobis, in ipſo repromittentur. Hac oratione habita, Geracenſes territi, licentia accepta in urbem, concivibus ſuis relaturi, & conſilium pariter accepturi vadunt. Sicque conſilio accepto, dubii utrum ne ea, quæ à comite audierunt, ex induſtria, ut fratrem eripiat, aut certè ex verò odio dicerentur, juramentum à Duce expetunt, ne ſi ab ipſis dimiſſus, fraternas minas

* *ſuum ereptum*
* *etiam eya in quid*
In Cod. C.P.
a ecce fidelitatem veſtram experiri incipio, & quia fratrem meum mihi
* *meum*
b in

eva-

evadat, dum sibi vita comes fuerit, castellum aliquod infra civitatem suam firmare faciat. Quo Sacramento minus discernentes calliditatem Ducis, decepti sunt: nam quod Dux se non structurum juravit, Comes non jurans, non multo post illis dolentibus perfecit. Sacramento itaque accepto, Ducem extra urbem adducentes, multis Normannorum præ gaudio flentibus reddunt: se se deinceps fideles utrique futuros multis assertionibus promittunt.

XXVII. Dux igitur, & Comes se se mutuo conspicientes, ut quondam Joseph Beniamin inviso, præ dulcedine in *a* aspero, in prosperum cedentis fortunæ in lachrymas prorumpentes, mutuis amplexibus fruuntur. Dux Comiti, quæ promiserat, se amodo non retenturum promittit. Comes Ducem usque S. Martinum prosecutus, inde Melitum vadit. Milites verò Comitis, qui apud Melitum erant, audito, Ducem in captione detineri, castella ejus, quæ ante Melitum firmaverat oppugnantes capiunt: milites, quos invenerant, in captione retinentes, suis militibus castellum, quod apud S. Angelum firmaverat, muniunt: aliud verò, quod forte videbatur, diruunt. Uxor verò viduationem suspicata Tropeam aufugit.

In Cod. C. P. *a insperato*

XXVIII. Dux itaque hoc audiens, maleficii, quam beneficii memor, maxima indignatione permotus conventionem, quam fratri promiserat, exequi denegat: donec sibi, & castellum S. Angeli, & milites, qui in captione tenebantur, restituantur: & de illata iniuria jus teneatur. Porrò Comes fratri Duci omnem occasionem, ejus velle exequendo, auferre volens, milites reddit: castellum, & quæ in ipso retenta sunt, restituit. Sed cum nec si animum fratris, ut sibi jus teneat, molliri videt, traditione inhabitantium, castrum Messianum ingressus, Duci inimicitias mandat. Dux itaque *b* videns castra, quæ ante Melitum in ipsa provincia habebat, sibi ablata, sciens totam Calabriam per illud facile posse turbari, in valle Gratensi, *c* fratri sibi conventionem executo Calabriam partivit: sicque in Apuliam vadit. Comes verò in Calabriam, portionem suam recepturus redit. At cum videret suos, propter seditionem, quæ inter se, & fratrem hactenus fuerat, equis, vestibus, & armis minus sufficientes per totam Calabriam, post quidem eis tributa expetitum vadit: veniensque Geracium, quia eos, quasi infideliores, cæteris exosiores habebat, ut plus ab ipsis extorqueat, castellum extra urbem, procul se se figit. Geracensibus verò juramentum sibi à Duce factum objicientibus: Comes respondit, cum medietas Geracii mea sit, Dux in sua parte juramenti sui ordinem, ne violetur, servare poterit: me verò, qui in mea parte quodlibet faciam, nec votum, nec promissio aliqua redarguit Geracenses ergo cognoscentes se callide à Duce iuramento delusos, insipientiæ suæ deputarunt. Pacto cum Comite facto, à castello, quod fœdere cœperat, pecunia, potiusquam armis illum avertunt.

b castrum quod melius in ipsa provincia habebat, sibi ablatum, &c.

c fratrem sibi accersiens ad pontem qui Guiscardi tandem sibi conventionem executus Calabriam &c.

XXIX. Comes verò suos abundanter armis, & equis, cæterisque, quæ necessaria erant, remunerans, & terram, quæ sibi forte cesserat, fidelibus suis prudenter ordinans, iterum Siciliam cum trecentis debellaturus aggreditur: uxorem juvenculam, quamvis *d* audiebat renitentem secum ducens. Veniens itaque apud Trainam, à Christianis Græcis, qui eum jam altera vice susceperant, iterum & si non cum tanta, ut prius, tamen alacritate suscipitur: urbemque, quamvis natura

d timidam, & in quantum

tura montis, in quo sita est, satis defensabilis foret, ad votum suum aptando, fortiorem reddens, uxore ibi cum paucis dimissa, circumquaque vicina castra lacessitum vadit. Græci verò, semper genus perfidissimum, hoc solo offensi, quod milites Comitis in domibus suis hospitabantur, de uxoribus, & filiabus timentes, quadam die, cum Comes apud Nicosinum oppugnandi gratia moraretur, videntes paucos cum Comitissa remansisse, suspicati se in eodem facile prævalere, ut eos ab urbe expellendo, vel certè occidendo, jugum eorum à se excutiant, oppugnare cœperunt. Sed nostri, quamvis pauci, animo tamen, & armis promptissimi, dolo cognito, in arma citius ruunt: dominam suam, se seque, pro vita alacriter defendentes, accerrime resistunt: donec nox certamen diremit. Comes verò quod acciderat, per legatum cognoscens, citissimus advolat: Græcosque, qui jam urbe ad medietatem recisa, inter se, & Normannos quandam munitionem, ad se defendendum fecerant, minus ad præsens proficiens, expugnabat. Sarraceni denique de vicinis castris quinque millia promptiores, audientes Græcos à nostris dissentire, non minimum gravisi, auxilium laturi, se jam ad illos contulerant: quorum præsidio Græci per plurimum tuebantur. Nam cum diu taliter impugnando, nunc autem se ipsos defendendo, jugi incursione detenti, dum per diversa loca prædando, victum, quærere, ut soliti erant, impediuntur, famis angustia, & assidui certaminis, & vigiliarum æstu, quæ minime sibi pariter conveniunt, per plurimum deficiebant. In tantum enim quisque sibimet intentus erat, ut etiam ipse Comes vix aliquem haberet, qui sibi cibum, excepta uxore, & armigeris appararet. Nam cum infra urbem, ne extra prædatum iret, jugi defensione interim detinerentur, extra autem omnium oculi ad hoc intenderent, ut si cum paucis latrocinari tentaret, deprehenderetur: quodvis horum agere, imminens periculum dehortabatur. Unde & tanta penuria inter eos fuit, ut neque rapere, neque gratia largiente, alter ab altero impetrare, vel mutuo aliquid accipere possent: omnibus pœne ab ipso Comite, usque ad ultimum clientem, æquo pondere indigentibus. Vestium etiam tanta penuria illis erat, ut inter Comitem, & Comitissam non nisi unam capam habentes, alternatim, prout unicuique major necessitas incumbebat, ea utebantur. Græci verò, & Sarraceni, quibus omnis patria favens pro libito patebat, plurima replebantur abundantia. Neque enim illis necesse erat victum quærendo, aliquorsum vagari: quippe quibus omnis Sicilia, quæque necessaria erant, certatim deferens ultro suppeditabat. Nostri autem, quamvis tanta penuria affecti famis, & laboris, vigiliarumque estu inter se ipsos flebiliores anhelarent, viriles animo, alter alteri flebilitatem suam, ne adinvicem dehortarentur, occultantes, quadam hilaritate, vultu, & verbis simulare tentabant. Sed juvencula Comitissa sitim quidem aqua extinguebat: fames verò non nisi lachrymis, & somno aliquid unde non habens, refrenare sciebat. Certamen assiduum * quod cibus non cibus subpeditabat, hostilis impugnatio abesse prohibebat. Sed interdum ne ab hostibus diffiterentur, si non * nisi impugnati in arma ruerent, ipsa animis eorum innata ferocitas, sagaciter etiam * volentibus viribus repræsentabat.

* *quo ad cibum, qui cibus non*
* *deriperentur si non impugnant*
* *nolentibus*

XXIX. Quadam itaque die certamine inito, Comes equo insidens, ut suis

suis succurrat, se se hostibus medium dedit. Hostes verò eo cognito, versus eum fortiori impetu grassantes, equum ejus spiculis confodiunt: ipsum cum equo humi dejectum, manibus corripiunt: quasi taurum ad victimam reluctantem, usque ad sibi tutiorem locum nituntur pertrahere puniendum. Porrò Comes in tanto discrimine positus, pristinarum * rerum haud immemor extrahere ensem, quo accinctus erat, * expetens, & in modum falcis, virens pratum resecantis, circumquaque impiger vibrando ducens, pluribus interemptis, sola dextra, & Dei adjutorio liberatur: tanta strage de inimicis facta, ut sicut in condensis saltibus jacerent à vento diruta ligna, sic circumquaque sibi adjacerent hostium ab ipso perempta cadavera. Hostes reliqui se se in suam munitionem recipiunt: ipse equo amisso, selliam, ne quasi timidus accelerare videretur, asportans, versus suos pedes regreditur. Nostris igitur, per quatuor menses in tam laborioso discrimine positis, hiems asperrima, quæ ipso anno, ipsis in partibus fuit, occasio liberationis, hostibus autem damnationis extitit. Nam & à civitate Etnæ, quæ in eadem provincia haud procul exterminat, urbs certis temporibus, ab æstuanti incendio sulphurei montis æstas acerrima. Itaque certis temporibus inundatio tempestatis procellarum, nivis, & grandinis asperrima solet fieri. Quam ob rem hostes balnearum æstuationibus æstuari assueti, frigidiori aura flante, dum vini potationibus naturalem calorem intra se excitare nituntur, somno vinum, ut assolet, subsequente tardiores ad excubias vigiliarum urbis esse cœperunt. Quod cum nostri cognovissent, cœperunt & ipsi ex industria tardiores apparere: & quamvis attentissime vigilarent, clamoribus tamen omissis, ut illos dolose securiores redderent, fingebant se quasi non vigiles essent. Quadam ergò nocte cum Comes, ut semper, nullo labore deficiens, excubias noctis cum suis armatis sub algenti bruma, suis utilitatibus accuratissime * intentis rebraret, hostes somno gravatos * intra suas munitiones, & neminem eorum, ex tanta multitudine vigilare deprehendisset, * castra eorum silenter irrumpit: * atmataque manu incautos occupans, pluribus interfectis, munitionem accipit: plures capiuntur, ex adventiciis reliqui fugæ refugium petunt. *a* Porinus, qui caput traditionis extiterat, cum sibi principaliter assentientibus laqueo suspensus, ad exemplum aliorum, vita privatur, plures diversis pœnis afficiuntur. Spoliis itaque triumphali more acceptis, nostri hactenus egentes, tanta abundantia frumenti, vini, & olei, cæterorumque, quæ ad usum necessaria erant, sunt repleti, ut merito à consimili argumento recordari possent illius, quod apud Samariam insperato à Deo subito datæ abundantiæ ad verbum Elisei dicentis: Cras hora ista in porta Samariæ modius similæ uno statere erit: cum in præcedenti die, nullo quamvis magno pretio posset inveniri.

* jurium non immemor esse
* exercens
* intentus celebraret
* inter
* castrum
* armata itaque
a In Cod C.P. Polorinus

XXXI. Ordinatis itaque rebus suis, & urbe melius ad suum libitum firmata, ut suis equos, quos amiserant, restituat, versus Calabriam, & Apuliam adquisitum vadit: uxore, & militibus suis apud Trainam dimissis, quæ quamvis juvencula, tanta strenuitate cœpit esse sollicita circa castrum tuendum, ut diatim circuens, ubi meliorandum videbat, studeret ut fierent vigiliæ: reliquos omnes, quos sibi dominus suus abiens dimiserat, blande alloquens, ut sollicite quæ servanda erant, providerent, hortabatur: multa in reditu domini sui re-

promittens: sed & transactum periculum, ne segniter agendo, quid simile incurrerent, ad memoriam reducit.

XXXII. Comes verò à Calabria, & Apulia, ut apes studiosissima, his, quæ militibus suis necessaria erant, onustus rediens, omnes suos suo advëtu lætificavit: equos,& cætera,quibus opus habebant,illis impertiens. Aliquantis ergo diebus equis, quos adduxerat, à labore itineris recreatis, comperto quod Arabici, & Africani, qui Arabia, & Africa, quasi auxilium laturi Siciliensibus, causa lucrandi advenerant, apud castrum Joannis, usque ad quingentos morarentur, cupiens experiri cujus valentiæ eorum militia esset, illuc versus aciem dirigit: præmittens Serlonem nepotem suum cum triginta militibus, qui se ante castrum ostendentes, extractos ad certamen excitarent: Ipse cum cæteris, in quodam loco, in insidiis latens occultatur, ut dum suos ex industria, simulato timore fugientes illi acrius persequerentur, ipse insperato, à loco insidiarum prorumpens, hostes longius à castro subtractos facilius occuparet. Quos Arabici, qui in castro erant, eminus adventare videntes, maximo impetu prorumpentes obvii sunt: fugientes persecuntur, accingentes diruunt in tantum, ut ad locum insidiarum non nisi duo ex nostris illæsi pervenirent. Porrò Comes suos, quos præmiserat, ex parte captos, ex parte dejectos videns, leonino impetu ab insidiis prorumpens hostibus occurrit: certamen iniit, fortiter utrimque congreditur; sed à longo, & acri certamine tandem Comes, Deo sibi propicio, paganis fugientibus victor efficitur. Hostes extremos quosque cadendo plus milliario insequitur. Spoliis onustus lætus apud Trainam revertitur.

In Cod.C.P. Urbs gaudio repletur. Volensque Siculos undique lacessere, *a* Calabutor prædatum vadit: unde rediens versus Roccas Castri Joannis, si forte Arabicos à castro extrahere posset, attentans maximam prædam reduxit. Profundiores itaque partes Siciliæ cognoscere volens, longius progressus, usque *b* Buterum venit, ubi non minima præda pecorum accepta, captivos plurimos secum reducens, apud *c* Avator hospitium sumpsit. In crastinum autem, quia pro longitudine itineris, & calore nimii æstus, sed & aquæ penuria plures equos emiserat, apud S. Felicem pernoctans, inde Trainam venit.

a *Calatabuturum*

b *Buterium*

c *Anattor*

XXXIII. Africani ergo, & Arabici cum Siciliensibus plurimo exercitu congregati, ut bellum Comiti inferant, advenire nuntiantur, anno verbi incarnati millesimo sexagesimotertio, quibus Comes cum suis alacriter occurrens in cacumen ejusdem montis super fluvium Cerami, ut eos plenius prospiceret, ascendit:videnfque eos trans flumen in supercilio alterius montis, diutius alternatim intuiti, nec his versus illos, nec illis versus hos transeuntibus, Saraceni priores locum mutantes, ad sua castra, quibus hospitati erant, regrediuntur: Comes verò apud Trainam revertitur. Sic triduo flumine interposito, sese mutuo conspicientes, nec illi versus istos transire flumen præsumebant. In quarto verò die Saraceni castra commoventes, ne ulterius, quasi ad tergum retrogradi viderentur, in monte, quo se jam triduo ostentaverant, castrametati sunt. Nostri verò hostilem affinitatem diutius impugnatam ferre nolentes, cum magna devotione, presbyteris testibus Deo confessi, pœnitentia accepta, Dei miserationi sese commendantes, & de ejus auxilio confisi, bellum hostibus inferre vadunt, Sed media via nuntio accepto, quod Ceramium ab ostibus

bus impugnaretur, illuc Comes aciem dirigit: Serlonemque nepotem ejus cum triginta militibus prætermittit, ut castrum intrans, defendendo donec ipse veniat, sustineat. Cum centum militibus, non enim amplius habebat, ipse subsequitur. Serlo verò castrum ingressus, adventum subsequentis avunculi minime sustinuit: sed per portas, vel leo furibundus in hostes prorumpens, multas strages dando, cum triginta millia essent exceptis peditibus, quorum infinita erat multitudo, quod mirum dictum est, ipse triginta sex milites habens, omnes in fugam vertit. Hoc facto patenter cognoscere possumus, Deum nostris fautorem fuisse. Nam humanæ vires, tam magnum quid, tamque nostris temporibus inauditum, nec præsumere quidem, nedum perficere potuissent. Si autem cum Propheta admirantes requirimus, quo modo persequebatur unus mille? nam hoc istis, ut quondam filiis Israel provenisse cognoscimus, profecto nobis metipsis, ex ejusdem Prophetæ verbis, absque mendacio respondere possumus: quia Deus suus vindicat eos, & Dominus in profundo iniquitatum suarum clavi iræ suæ concluserat illos. Deus suus dico, non quod eum colendo cognoscebant: sed quia quamvis indigni factori suo ingrati existendo, tamen eius creatura erant. Deus suus inquam dico secundum illud, quod ab Apostolo instruimur ubi ait: Nam idem Deus omnium: dives in omnes, qui invocant illum. Quod si aliquis hanc sententiam dialectizando commutabilem astruere tentaverit, dicens: Si dives est Deus in eos, qui invocant illum, consequi oportet, ut pauper sit in eos, qui non invocant illum: respondendum est, quia Deitas ipsa augmentum, vel detrimentum non patitur: nec in natura sua recipit magis, vel minus: sed semper in eodem statu permanens sui, peræque omnia potest. Si autem pauperem dicere concludimur, non tamen quantum ad ipsum, sed quantum ad illos, qui se indignos exhibent, quibus misericordiæ suæ divitias Deus impertiatur. Comes itaque nepotem subsecutus cum centum militibus Ceramium veniens, hostesque à nepote devictos cognoscens, dum subsequi, ut plenius devincat, deliberat, quibusdam ex timore dehortantibus, & sufficere sibi victoriam à Deo per nepotem factam dicentibus, ne forte ultra insequendo, progrediatur fortuna rotabilis, & in deterius cedat. Ursellus de Baliol *a* exploranti Comiti interminatus est, se numquam vel ibi, vel alias sibi auxilium laturum, nisi certamen cum hostibus ineat. Quod Comes audiens dehortantibus quidem multa convitia iratus intulit; citiusque hostibus, versus castra eorum, illuc enim aufugerunt, bellum offerre vadit. Porrò illi viribus resumptis, duas acies ex sese facientes nostris audacter occurrere accelerant. Comes etiam similiter duos cuneos faciens ex suis, unum nepoti, & Ursello, & Arisgoto de Puteolis, ut præcedentes primo feriant, delegavit, ipse cum altero subsequens, bellatum, Deum sibi adjutorem invocans, vadit. Prima autem acies eorum Serlonem cum prima acie nostra declinando, montem super nostros præripere volens, ultimæ aciei nostræ, quam Comes ducebat, occurrit. Comes ergo, & Ursellus de * Bailol suos solito formidolosiores præ nimia multitudine hostium, quam * incurrebant, videntes talibus exhortationibus timorem ab ipsis excutere nitebantur. Arrigite * animos vestros ò fortissimi Christianæ militiæ tyrones. Omnes Christi titulo insigniti sumus, *b* qui non

In Cod C.P. *a* *exprobrando*

* *Ballionis*
* *exhorrebant*
* *inimicos*
in Cod. C.P. b &

non deferet signacuium, * nisi offensus. Deus noster, Deus Deorum omnipotens est, & ab ipso * omnis qui de Deo diffidens, * confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Omnia regna mundi Dei nostri sunt: & quibus volet ipse * impertietur. Gens ista Deo rebeliis est, & vires, quæ à Deo non reguntur, * ocyus exhauriuntur, ipsi in virtute sua gloriantur, nos autem de Dei præsidio securi sumus. Nam neque honestum est dubitaris, quos certum est, Deo nos præcedente, ante faciem nostram non posse subsistere. Gedeon, quia de Dei auxiiio non dubitavit, in paucis muita milia hostium stravit. Dum talia versus certamen properando perorantur, apparuit quidam eques splendidus in armis: equo albo insidens, album vexillum in summitate hastilis aiiigatum ferens, & desuper spiendidam crucem, & quasi à nostra acie progrediens, ut nostros ad certamen promptiores redderet, fortissimo impetu hostes, ut densiores erant, irrumpens. Quo viso nostri hilarlores effecti Deum, sanctumque Georgium ingeminando, & præ gaudio tantæ visionis compuncti, lachrymas fundendo, ipsum præcedentem promptissime sunt secuti. Visum etiam à pluribus in summitate hastiiis Comitis vexillum dependens, crucem continens: à nullo, nisi divinitus appositum. Comes ergo aciei suæ primos exhortatus, Arcadium de Paierna, suam aciem, nostris exprobrando, promptissime antecedentem, & splendenti clamucio, quo pro lorica utimur, armatum certamine inito, fortissimo congressu, hastiii robore dejectum, cæterismetum incutient interfecit. Erat enim inter suos militia præciarissimus: cui etiam neminem armis resistere posse putabant, & * clamucium, quo indutus erat, nullis armis poterat violari: nisi * ab imò in superius impingendo inter duo ferrea, quæ per juncturas * cum catenata sunt, ingenio potius, quam * vi vitiaretur. Dum itaque utrimque fortiter dimicatur, nostri numeri paucitate muititudini intermixti ita concludebantur, ut vix aliquis nostrorum nisi armis sibi faciendo tumultum interrumpere posset. * Videns autem nostros * condensitatem circumdantium se hostium sternendo, ut à furenti vento solet condensitas nebularum disrumpi, & sicut velocissimi accipitres imbecillem turbam avium disruptam sternere. Sed cum longo certamine grassari, diutius nostrorum infestationem ferre non prævalentes, fuga tueri potius, quam armis nituntur, nostri audacter insequentes, extremos quosque cædendo perimunt. Sicque victores effecti, ad quindecim millia ex hostibus occubuerut. Nostri itaque triumphalibus spoliis onusti, usque ad hostium castra regredientes, in eorum tentoriis hospitantur: camelos, & reliqua omnia, quæ invenerunt, sibi vindicantes. In crastinum verò pedites ad viginti millia, qui fugientes scopulos, & prærupta montis occupaverant, oppugnantes, plurima ex parte perimunt: reliquos verò debellatos vendentes, pecuniam infinitam accipiunt. Sed cum aliquandiu commorati fœtore putrentium cadaverum occisorum hostium gravarentur, fœtorem abhorrentes Trainam reversi sunt. Comes Deo, & S. Petro cujus patrocinio tantam victoriam se adeptum recognoscebat, de collato sibi beneficio non ingratus existens, in testimonium victoriæ suæ, per quendam suorum, nomine Meledium camelos quatuor, quos inter reiiqua spolia, hoste triumphato, acceperat, Alexandro Papæ, qui tunc temporis vice Beati Petri pruden-

Marginal notes:

* *suum, non*
* *omnes quidem*
* *confidet*
* *impartitur*
* *citius exaurientur.*
* *claviculus*
* *ab uno*
* *& cathenata*
* *viribus inviceretur.*
* *Videntes*
* *tantam condensitatem inimicorum paganorum ac Siciliensium simul existentium, & circumdantium*

denter, & Catholice exsequebatur, apud Romam repræsentat. Apostolicus verò plus de victoria à Deo de Paganis concessa, quam de sibi transmissis donariis gavisus benedictione Apostolica, & potestate, qua utebatur, absolutionem de offensis, si resipiscentes in futurum caveant, Comiti, & omnibus, qui in lucranda de Paganis Sicilia, & lucratam in perpetuum ad fidem Christi retinendo auxiliarentur, mandat: vexillumque à Romana Sede, Apostolica auctoritate consignatum, quo præmio, de Beati Petri sibi præsidio, tutius in Saracenos debellaturi insurgerent.

Pisani ergo mercatores, qui sæpius navali commercio Panormum lucratum venire soliti erant, quasdam iniurias ab ipsis Panormitanis passi, vindicari cupientes, navali exercitu undique conflato, vela per mare ventis committentes, apud Siciliam, in portu vallis Deminæ applicuerunt; legatumque Comiti Trainam, ubi tunc morabatur, mittentes, mandant, ut equestri exercitu Panormi illis occurrat: se illi in urbe capienda auxilium laturos: vi talis præmii, acceptam vindictam illatæ sibi iniuriæ expetentes. Comes verò quibusdam negotiis se detinentibus, ad præsens ire distulit: mandans illis, ut modicum temporis sustinerent: donec hæc, quibus ad præsens intentus erat, expedirentur. Porrò illi commercialibus lucris, plusquam bellicis exercitiis, ex consuetudine dediti, sustinere, ne lucris assuetis diutius privarentur, nolentes, Panormumque per se in cassum aggredi disponentes, vela in portum ejusdem urbis dirigunt: sed plurimam multitudinem hostium exhorrentes, & ob hoc à navibus progredi minime præsumentes, catenam tantummodo, quæ portum ab una *a* parte, in alteram claudebat, abscissa, & hoc sibi, moræ suæ gentis, pro *b* proximo reputantes, Pisam reversi sunt. Comes itaque videns æstatem proximam, quæ præ nimio calore, à vicinitate Solis ferventis Caniculæ pluriores equitatus in prædali exercitio fieri prohiberet, fratri Duci in Apuliam interim, dum importuna æstas pertranseat, ire disponens, ne uxorem suam, & milites cum ipsa remanentes absque stipendiis derelinquat, Gulosam una die, secunda Brocatum, tertia Cephaludum prædatum acie dirigit. Sicque Trainam multa abundantia replens, militibus suis, ut urbem attentissime pervigilantes, incursus hostium prudenter caveant, & ne aliquorsum longius ab urbe, aliqua occasione intercurrente, progrediantur, multis exhortationibus commonitis, ipse versus Apuliam cum fratre, quid ulterius agendum sit, tractaturus vadit: plurimaque ad invicem conferentes, tandem refrigerante calore, centum militibus sibi ab eo in auxilium acceptis, versus provinciam Agrigentinam cum ducentis militibus prædatum vadit. XXXIV.

In Cod. C. P. *a ripa in alia* *b maxime*

Unde cum maxima præda inde rediret, militum suorum prædam præcedere præcipiens, ipse cum reliquis inter duos cuneos minatur ne à fronte, vel certè à tergo aliquo hostili incursu excuteretur. Porrò Africani, & Arabici cum essent cupientes ulcisci de victoria in Ceramensi prœlio sibi ablata, & laudem quam ibi amiserant, aliquando sibi favente fortuna recuperare, cognoscentes per nuntium, ita eos prædatum isse, cum septingentis electis militibus, via qua redire habebant, insidiantes occultantur. Nostri autem, qui præcedebant, ad locum usque pervenientes, illis ex improviso exsurgentibus, audaciæ, qua hactenus assueti erant, obliti enerviter XXXV.

agen-

ugentes, cum fuga potius, quam armis mortis periculum declinare cœperunt. Montem quendam, quem ex omni parte præcipitium cingebat, solo, & arto aditu patente, pro auxilio expetentes ascendunt. Hostes verò parte armigerum, qui prædam minabant, perempta, ipsam etiam prædam excutiunt. Comes autem, qui subsequebatur, tumultum audiens, dum citius advolat, quæ acciderant cognoscens, maxima indignatione, & ita repletus, ut secum de hostibus ultionem expetant, suos immensis clamoribus, à monte, quem ascenderant, in cassum revocare nititur, donec ipsemet turonem ascendens, & suos quemque nomine vocans, ne se in posterum fuisse excusarent, talibus verbis aggressus est. Ita ne inquit ò fortissimi hactenus, viribus exhausti estis, ut absque recordatione alicujus militaris laudis, in profundum putribundæ defectionis submersi, ulterius respirare nequeatis? Recordamini antecessorum, sed & gentis nostræ, nostræque hactenus habitæ strenuitatis præconizatæ: devitantes notas futuri vituperii. Recordamini quot millia hostium apud Ceramium pauciores quam nunc debellatores extinxistis. Fortuna tunc vobis arridens ab eodem, quo & nunc adhuc regitur. Resumite pristinas vires: victoria post fugam fortiter agentibus laudis reparatio est. Hæc, & alia exprobiando, plura locutus, vix eis ex hortationibus recreatis, ad certamen properans cum hoste congreditur. Fortiter agendo gens Deo rebellis debellatur: præda excussa recuperatur. Nostri victores effecti triumphalibus spoliis ditantur. Tralnam cum gaudio remanentes, excepto, quod *a* de solo Galterio de Simula, qui inter omnes militari laude dignus, in congressu fortiter agendo, quod dolor dicere est, juventutis florem ab hostibus confossus amiserat, plurimum tristabantur.

In Cod C.P. *a de sola morte Gualterii de Simila.*

XXXVI. Dux *b* verò Robertus cum in Apulia esset, sciens fratrem suum apud Siciliam multiplici incursione ab hostibus lacessiri, plurimo exercitu ab Apulia, & Calabria congregato, nolens expers esse questus, laboris etiam particeps fieri, versus Siciliam intendit. Comes verò fratrem adventare audiens, cum gaudio magno festinus illi apud Cusentum Calabriæ urbem occurrit. Sicque progredientes anno Dominicæ incarnationis 1064. cum quingentis tantummodo militibus apud Pharum mare transfineantes, tota Sicilia, nullo adversus eos aliquid præsumente impune peragrata, Panormum usque perveniunt: atque in monte, qui postea Tarantinus, ab abundantia Tarantarum, à quibus ibidem exercitus eorum plurimum vexatus est, jubente Duce, quem postea pœnituit, tentoria fixa sunt. Nam mons totus insitus Tarantis, viris, & mulieribus inhonestum, quamvis iis evaserint, ridiculosum hospitium præbuit. Taranta quidem vermis est, araneæ speciem habens, sed aculeum veneni fera punctionis, omnesque quos punxerit, multa venefica ventositate replet: in tantumque angustiantur, ut ipsam ventositatem, quę per anum inhoneste crepitando emergit, nullo modo restinguere prævaleant: & nisi clibanica, vel alia quævis ferventior æstuatio citius adhibita fuerit, vitæ periculum incurrere dicuntur. Tali inhonestate nonnulli nostrorum vexati, tandem locum mutare coguntur: vicinum urbi locum tutiorem, quo tabernacula figant, expetentes, ubi per tres menses commorati, Panormitanis fortiter repugnantibus, versus urbem quidem minime profecerunt: sed viciniora circumquaque lo-

b ergo

ca

ca plurima depopulatione vexaverunt. At cum vident se versus urbem minime tunc temporis prævalere posse, castra moventes Bugamum oppugnare vadunt: civibusque ejusdem castri enerviter reluctantibus, funditus diruunt: incolas omnes cum mulieribus, & liberis, omnique supellectili sua captivos adducunt: sicque versus Calabriam remeare volentes haud procul ab Agrigentina urbe, sic enim illis directior adjacebat via, tentoria figunt. Porrò cives ejusdem orbis, viribus suis plus necessario confidentes, per portas prorumpendo, forti strepitu super illos proruunt: * incautosque hostium tacendo dum fingunt, usque in portas suæ civitatis persequuntur. Dux itaque digressus, in Calabriam veniens, expeditionem solvit: * Bagamensesque, quos captivos * adduxerat, Scriblam, quam desertaverat, restaurans, ibi hospitari fecit.

incautique hostium cedendo dum fugiunt *Bugamenses* *duxerant* *Scribam quā desertaverit*

Anno verò Dominicæ incarnationis 1065. Policastrum castrum destruens, incolas omnes apud Nicotrum, quod ipso anno fundavit, adducens, ibi hospitari fecit. Antequam iret versus Panormum Dux Robertus, & in monte Tarantarum tentoria fixisset, Dux, & Comes Rogerius prius in provinciam Cusentii Castrum quidem *a* Regale expugnaverant: & pro libitu ordinaverunt. Eodem anno castrum quoddam, quod Agel dicitur in provincia Cusentii Dux oppugnare vadens, per quatuor menses obsedit. Agellenses autem extra castrum progredientes, cum vicinius tentoria hostes figerent, fundibulis, & sagittis longius propellere nituntur: sicque ex utraque parte mutua cæde fortiter congrediuntur. At dum nostri maxima indignatione commoti, impetum in hostes facientes, ubi densiores erant, prorumpere nituntur, Rogerius filius *b* Scoclandi jaculo confossus equo dejicitur: cum etiam * Gislibertus nepos ejus * eum relevare tentat, dejectus utrique occiduntur: de quorum nece Dux cum omni exercitu non minimum turbati, erant enim inter familiares sibi carissimi, eorum corpora apud Sanctam Euphemiam, ubi tunc Abbatia in honore Sanctæ Deigenitricis Mariæ noviter incepta instituebatur, humanda mandavit: equos, & cætera quæ habebant, eidem Ecclesiæ, pro ipsorum salvatione contulit. Agellenses itaque cognoscentes pro tali, & similibus factis Ducem se se graviter offendisse, pacem ab ipso expetunt: ne si rebelles persistendo vi caperentur, ab ira ejus, absque recordatione alicujus pietatis, ut meriti erant, omnes pariter perimerentur. Dux verò quamvis anhelans esset cum suppliciis, de ipsis ultionem expetere, tamen ne diutius perendinando, alias intendens, demoraretur, pacem cum ipsis fecit, castrumque ab eis deliberatum, in sua virtute accipi, pro libitu suo dispofuit.

XXXVII.

a In Cod. C. P. *Rigel*

b *Scotlandi* * *Gilbertus* * *duos*

Comes verò Rogerius adquirendæ Siciliæ intentus, quietis impatiens erat: omnia perlustrans crebris incursionibus deterrebat: in tantumque ex consuetudine labori continuus erat, ut hinc ne, hinc ve infestior esset, nec cæcitas obscuræ noctis dehortari posset: quin de loco ad locum transiliens, per se ipsum omnia attentaret: ejusque præsentia, plusquam omnia hostes exhorrebant: intantumque ejus veloci frequentia deterrebantur, ut nusquam absens putaretur. Sed quia ubi suis præsentibus, ipse absens ab hostibus deprehendebatur, sui hostili incursione interdum gravabantur, castrum, quo se, si forte necessitas incumberet, facilius tuerentur, & à cujus vicini-

XXXVIII.

cinitate quæque proxima loca attentius subjugata sibi concite fœderarentur, apud Petreleglum, anno Dominicæ incarnationis 1066. turribus, & propugnaculis extra portam accuratissimi me firmavit: per quod maximam partem Siciliæ, ad suæ dominationis jugum ferendum perdomuit. Filiis denique Tancredi naturaliter hic mos inolitus fuit, ut semper dominationis avidi, prout illis vires suppetebant, neminem terras, vel possessiones habentes ex proximo sibi absque æmulatione habere paterentur, quin vel ab ipsis confestim subjecti deservirentur, vel certè ipsi omnia in sua virtute potirentur.

XXXIX. Inde & Robertus Dux, qui præ cæteris hunc morem sibi vindicaverat, Gaufridum de Conversana, nepotem videlicet suum, filius quippè sororis suæ erat, ut de Montepiloso sibi servitium, sicut & de cæteris castris, quæ plurima sub ipso habebat, exhiberet, adorsus est: quodque ab ipso, sicut & cætera, minimè acceperat: sed sua strenuitate, Duce sibi auxilium non ferente, per se ab hoste lucratus fuerat. Id facere renuente Dux admoto exercitu idem castrum obsessum vadit: multisque militaliter ex utraque parte perpetratis, tandem, ut de eodem castro, sicut & de cæteris sibi servitium promittens exhiberet, compulit.

XL. Dux itaque videns omnia, quæ solo inceptu attentabat, fortuna favorabiliter arridente, sibi in prosperum cedere, famosissimam urbem, quæ Barum dicitur, adhuc Constantinopolitano Imperatori ex fidelitate * adhærentem, sibi verò rebellem, ex proximo, haud longè à Montepiloso * habens, quibuscumque Imperator præerat pactionibus, & ut sibi faventiores redderet, ad impugnationem ejusdem urbis secum * instans anno Verbi incarnati 1067. equitatu, & navali exercitu * eam obsessum vadit. Et quia ipsa civitas, quasi in quodam angulo sita in mare porrigitur, ipse eum equestri exercitu ipsam partem, qua civitas versus terram patebat, quasi ab uno mari in aliud claudens, navibus per mare extensis, una ad alteram firmiter ferreis catenis, acsi sepem faciendo, compaginatis, ita totam urbem cinxit, ut nullo latere exitus ab urbe progrediendi pateret. Duos quoque pontes, unum videlicet ab unaquaque ripa constituens, qui longius in mare usque navium funes, ab utraque parte attingebant, porrexit: ut si forte Barenses aliquem incursum, versus naves attentarent, directo cursu à militibus navibus expeditius subveniret. Barenses autem primo quæ agebant despectui habentes omnia vilipendere: ornamenta sua, thesaurumque pretiosa dependentia ostentare: Guiscardo plura convitia inferre: turribus suis fidentes rerum exitus minus metiri cœperunt. Quæ res Guiscardum ab incepto quidem non deterrebat: sed animus ambitionis cupidine fervens, quanto pretiosiora infra muros contineri dicebant, tanto ardentius spe ea lucrandi, ad quod cœperat persistendum, mentis instantiam figebat: subridendo illis respondens. Quæ inquit ostentatis meæ sunt: & quia à vobis voluntarie mihi præsentantur, habeo gratum. Estote fideles ad tempus in conservando. Vobis quippe de amissione dolentibus fiam quandoque largus in distribuendo. Sicque suos ad urbem debellandam exhortationibus, & promissis inflammans, laboris sui renuntiationisque præmium infra murum testatur esse. Ipse mœnia circumire, aggeres comportare, urbem vallare arietes facere, cæteraque machinamenta, quæ usui capiendæ urbi

** adherens. * quam habens quibuscumque poterat pactionibus Imperator etiam * inflammas * oppugnatum vadit*

urbis necessaria erant, componere, suos instruere, hostes infestare, metum jugi instantia studebat incutere. Barenses ergo videntes constantiam Ducis ultra quam rati erant, indivulsam persistere, victumque infra urbem, nullo ad introducendum hostibus circumfertis, aditu patente, à multitudine inermis vulgi, mulierum scilicet, & puerorum inutiliter devastari, quod vi nequibant, dolo vitæ Ducis periculum parant: pretioque composito, à quodam levitatis viro, ut * urbe digrediens illum spiculo corripere * attentet, mercantur. Amerinus ergo avaritia captionis cupidine captus, * appetendum tam nobile, ut sibi videbatur, facinus accelerat: spiculoque venenis infecto ab edocentibus se tantæ versutiæ fraudem accepto, urbe digressus, quasi unus ex nostris, lapides funda versus hostes, supra muros jaciendo, adversus castra nostrorum dolose speculatum circumvenit. Sicque vesperascente die, nox intercludere Solis radios properat: cumque cœnæ hora instante Dux in tabernaculo suo, ex foliosis arborum ramis composito sedisset, ille à tergo veniens, ramoso pariete interposito, Ducem prævio oculo, deinde aure per vocem, bene visum credens spiculum, quod ad hoc acceperat, fortiter impingendo, parte vestium correpta, sed Deo protegente, ipso illæso permanente in terram defixit: sicque Ducem læsum credens incasso vulnere spiculo amisso, nihil sibi fuga utilius credens, quam velocius potuit, cursu se se infra urbem recepit. Ducis verò ministri tali facto expavefacti extra prosilientes, dolo cognito, noctis excubias solito attentius, vigilesque circa Ducem deputant: cœmentarios ex ejus edicto conducentes summo diluculo primum domum brevi perficiunt.

* urbem
* attentaret mercaretur. Animus exer
* ad patrandum

XLI. Ea tempestate Comes Rogerius in Sicilia morabatur: crebris incursionibus omnia hostiliter perlustrans: ad sibi subdendum nunc premiis pulsans, modo minis terrens jugi excitatione plerumque alios damnis afficiens: intantumque quietis impatiens hostes lacessendo deterrebat, ut vix in ipsis munitionibus, nusquam autem alias securi essent. Nox, vel dies, vesper, & aurora, aura lenis, & aspera æquo pondere infesta timori erant. Unde & Sicilienses consilio intra se habito, mori potius, quam cum tanta inquietudine infelicem vitam diutius protelare deliberantes, belli fortunam contra Comitem tentare, parant. Denique versus Panormum prædatum proficiscenti exercitu innumerabili undique conflato, ex improviso apud Michelmir occurrunt anno incarnati Verbi 1068. Porrò eos è minus conspiciens totus infremuit: omnesque suos in unum coercens subridendo ait suis. Eja inquit nobilium prædecessorum nobilitas Fortuna vobis favens prædam, quam longius disposueratis quærere, labori vestro parcens, ultro vobis obviam, ne plus in conficiendo itinere fatigemini adducit. Ecce præda à Deo vobis concessa. Auferte iis, qui ea indigni sunt. Utamur ea dividentes Apostolico more, prout cuique opus est. Ne exhorrescatis jamadudum, multotiensque à vobis devictos. Si ducem mutaverunt * animo, non quo duce id præsumunt: ejusdem nationis, qualitatis, sed & a regione est: cujus & cæteri sunt. Deus autem noster immutabilis est. Si à vobis non mutatur integritas fidelis spei, nec ab ipso mutabitur sententia triumphalis aquilæ. His dictis, acieque suorum prudenter ordinata, cum hoste congreditur. Fortiter nostris agentibus gens inimica

* ejusdem nationis & qualitatis, In Cod. C.P. a religionis

in tantum debellatur, ut vix ex tanta multitudine superesset, per quem rei eventus Panormi, renuntiaretur. Nostri verò triumphalibus spoliis multum ditantur.

XLII. Moris verò Saracenis est, ut columbas frumento, & melle infuso domi nutrientes, cum aliquorsum longius digrediuntur, masculos sportulis inclusos secum ferant: ut cum aliquid novi fortuna illis administraverit, quod domi scitum velint, chartulis eventus suos notantes, & collo avis, vel certè sub ala suspendentes, avibus dimissis per aera, familiæ domi sollicitæ, utrum prospere erga peregrinos amicos omnia omnia agantur, notificare accelerant. Avicula enim dulcedine grani melliti, quam domi gustare sæpius assueverat, illecta, reditum accelerat: chartulas, morem suum scientibus repræsentat. Hujusmodi sportulas cum avibus Comes inter reliqua spolia, accipiens, avibus cum infectis sanguine chartulis dimissis, tristis fortunæ eventus Panormitanis repræsentat. Urbs tota concutitur: lachrymosæ voces liberorum, & mulierum per aera cœlum attolluntur. Gaudium nostris, illis tristitia parturitur.

XLIII. Principabatur tunc temporis urbi Barensi sub Imperatore Græcus quidam *a* Argerius nomine, qui cum cæteris civibus * pro tempore, & loco consilio habito, chartulis ærumnas urbis, civiumque, sed & hostium infestationem adnotans clam, de nocte per quendam ab urbe digredientem *b* Diogeno Constantinopolitano Imperatori dirigit: urbem, quæ sola in ejus fidelitate persistens undique hostili incursione quatiebatur, nisi citius subveniat, se amissuros victus penuria. Se jam tertio anno * instante hostibus circumseptos: cujus diuturno certamine deficientes * deditionem parare. Nisi ipsam retineat, spem * nullam de recuperatione * persuasæ ab hostibus patriæ ulterius reservari. Legatus quod instructus erat, fideliter adimplere satagens, brevi magnum conficiens iter Byzantium venit. Acceptas epistolas imperatori repræsentare vadit: Epistolis orationem exhortatoriam, ut subveniat, addit. Imperator verò susceptis epistolis, ac perlectis Duracium mittens, classem parare facit: cui *c* Gocelinum de Orencho quendam natione Normannum, & in palatio post Imperatorem secundum, paucis, quia strenuus armis, & consilio callens erat, Ducem præponens, cum multis copiis Barensibus succurrendum disponit. Porrò qui missus fuerat, jussus ab Imperatore Barum regrediens, clam hostes urbem, ut exierat intrat. Acta refert: signumque, quo auxilium veniens eminus cognoscant, edocet: ut simile signum de unoquoque propugnaculo contra advenientes faciant, fasces scilicet accendant, ne à certo portu devient, admonet. Barenses hoc nuntio exhilarati, plus necessario festinantes, animo enim cupienti nihil satis festinatur, in proximam noctem fasces accedunt: clamoribus, & laudis plus solito lætitiam ostendunt. Quid nam in hoc facto prætendant, inter nostros quæstio oritur. Fit de pluribus rebus conjectura: undique argumentatur à prudentioribus: rei veritas deprehenditur: auxilium videlicet per mare illis advenire. Advenerat in auxilium Ducis fratris plurimo remige Comes Siciliæ Rogerius noviter à fratre invitatus: leoninam in omni certamine habens ferocitatem: quem tamen prudentia regebat: & fortuna favens comitabatur. Hic callide in hoc negotio agens, singulis noctibus speculatum ire jubet: si forte eminus per mare aventantes naves aspician-

In Cod. C.P. *a* *Argeritius*
* *concilio, & loco habito*
In Cod. C.P. *b* *Diogerio*
* *instantibus hostibus circumsepto, cives diutino*
* *deditioni parari*
* *nulla*
* *habetur*
In Cod. C.P. *c* *Gozelinum de Corintho quendam natione Normandum*

clantur. Cum ecce quadam jam nocte mediante quasi stellæ lanternæ ardentes in summitate mali uniuscujusque navis eminus apparere conspiciuntur. Quod cum à Comite compertum fuisset accelerantissime armata manu, plurimo se se remigi credens, obviam hostibus ire accelerat: quos hostes eminus aspicientes, Barenses qui supra præ gaudio occurrerent rati, minus se se ad defensionem aptant. Comes verò navem Gocelini, qui dux hostium erat, duabus lanternis à cæteris distinctam eminus cognoscens illam versùs impetu suorum intendere jubet. Dum fortiter congrediuntur tanta vi quædam ex nostris, super navem illorum grassata est, ut ex uno latere cum pondere armorum incaute decurrente, centum quinquaginta loricati ex nostris submergerentur. Comes verò Gocelinum oppugnans superat: quem in suam navem exarmatam recipiens, cum triumpho gloriosus ad fratrem remeat. Dux verò amittendi timore in certamine fratris, plurimum angebatur: quippe nec succurrere poterat, nec alium, excepto illo, cæteris defunctis habebat. Attamen victor, & incolumis redire nuntiatur: nulli credulus fieri asserit, donec visu sibi satisfaciente. Utrum sanus esset scrutando in geminat cum lachrymis. Comes verò Gocelinum mirifico Græco more præparatum Duci, ad honorem repræsentat captivum. Barenses itaque se sua spe frustrati ulterius hostes ferre non valentes, deditione facta, Duci fœderantur. Anno Domini 1070. Dux voti compos effectus fratri, & cuncto exercitui gratias referens, urbe pro velle suo ordinata, fratrem in Siciliam præmittens, solito exercitu brevi iterum expeditionem versus Panormum summovet. Toto Junio, & Julio mense apud Hydruntum moratus montem, quo facilius descensus ad mare, equos navibus introducens, fieret, rescindere facit: unde & Duracenses maxime sunt territi ne mare cum exercitu transineans, eos impugnatum veniret: mulumque & equum ei, quasi ad honorem mandantes, hac occasione rem speculatum mittunt.

XLIV. Ea tempestate Costa Condomicita qui *a* Scyllum jam dudum Duci fraudulenter abstulerat, veritus ne cum Dux versus Siciliam navigio transitum simularet, *b* Scyllum obsessum diverteret, Duci reconciliatus castrum reddit: tali iniuria se, ad quod fecerat compulsum dicens. Dux Costam Pelogam quendam Stratigotum statuerat: qui nimia insolentia defluens quosque ingenuos viros, vel mulieres, nec etiam suæ consanguinitati parcens contumeliis afficiebat. Hic inter cætera quandam ingenuam matronam nomine Reginam, aviam Costæ Condomicitæ gallinam auream cum pullis, quam habere dicebatur, ab ea extorquere volens, verberibus laniatam captione retruserat. Costa Condomicita in famulatu Ducis apud Insulam Crotone detinebatur: cui cum quod acciderat, relatum fuisset, iniuriam aviæ reputans suam, infirmitate simulata, licentiam, domi causa curationis à Duce exposcens, vigilia Natalis Domini *c* Scyllum ingressus est: quem Stratigotus venisse audiens, piscium sibi exenia per famulum mittit: qualiter se res erga Ducem habebat, requirit. Ille acsi nihil mali machinans ira dissimulata, gratias remandat: sed quod animo conceperat minime oblitus, postquam comestum est, potentioribus urbis secreto circumventis, de sibi illata, aviæque iniuria quærimoniam ostentat: quibus respondentibus merito sibi talia accidisse, excusationibus minime usus, facti se pœnitere asserens, uti

In Cod. C. P. *a* Stilium *b* Stilium *c* Stilium

contulerat, auferre tentaturum promittit: si tantummodo ipsis potiatur auxiliarlis. Sicque à pluribus fide accepta, totam noctem insomnem ducens, quoscumque potest ubi allegat: summoque dilucu-lo, cum omnes, qui hujus rei ignari erant, ut dies ipsa monebat, in Ecclesia Dei laudibus infervirent, ipse cum tredecim viris, gladiis cum capis accinctis, reliquis signo dato, & à foribus expectantibus, ad portam castelli accedens, janitor nil suspicatus quasi noto aperit. Ille cum sociis ingressus hospitium Stratigoti intrat: arma, quæ invenit, corripit: versus Ecclesiam, Stratigotum præoccupare volens, citissimus currit. Undique ergo insurgente clamore, Stratigotus insidiis compertis, per fenestram prosiliens, præcipitio delapsus, dum fuga refugium petit, à civibus, quibus omnibus exosus erat, comprehensus reducitur. Costa Condomicita, quia consanguineus ejus erat, volente ei parcere, à populo condemnatur: sicque cum suppliciis pœnas luens, à quibus mala intulerat, perimitur: quos religaverat liberantur: à fidelitate Ducis palam avertuntur. Sicque per sex fere annos Duci rebelles per diversa loca Calabriæ ab ipsis turbatio plurima facta est. Istud hic inscribimus, ut caveant Prælati sibi subditos pravis ministris à sua fidelitate divelli.

XLV. Dux igitur commeatibus, & cæteris, quæ expeditioni congruebant apparatis, fratrem, quem præmiserat, subsecutus, apud Catanam, ubi Comes erat, venit: fingens se Maltam debellatum ire: quasi de Panormo diffidens: sed à fratre cohortatus, magno equitatu, cum navilibus, peditumque copiis ab inde progrediens Panormum venit: ab oceano urbem navibus obsidens, fratremque Comitem ab uno latere statuens, ipse ab altero cornu Calabrensibus, & Apulis muros ambit. Sicque quinque mensium circulo hostes urbis defensionis attentissime pervigiles, ipse nihilominus impugnationi cum fratre intentus inquietare perstuduit. Utrique pari ardore inflammati omnia circumire, suos instruere, omnia ordinare, hostibus interminari, suis plura largiri, ampliora promittere: primus, & frequentior adesse, nihil intentatum relinquere. Machinamentis itaque, & scalis ad muros transcendendos artificiosissime compaginatis, Dux hortos cum trecentis militibus latenter ingressus, ex altera parte, qua videlicet navalis exercitus adjacebat, urbem infestare, fratremque à parte qua erat, haud secus agere perdocuerat. Illi signo dato, quæ edocti erant, haud perficere segnes, magno sonitu irruunt. Urbs tota in arma ruens, quæ strepitu tumultuantium accurrebat defensioni, acceleranter grassatur. A parte qua minus cavebant, vacillatur. A Guiscardensibus scalis appositis murus transcenditur. Urbs exterior capitur: portæ ferro sociis ad ingrediendum aperiuntur. Dux, & Comes cum omni exercitu infra muros hospitantur. Panormitani delusi hostes à tergo infra muros cognoscentes, interiori urbe refugium petendo se se recipiunt. Nox tumultum diremit. Proximo mane primores fœdere interposito, utrisque fratribus locutum accedunt: legem suam nullatenus se violari, vel relinquere velle dicentes: scilicet si certi sint, quod non cogantur: vel iniustis, & novis legibus non atterantur. Quandoquidem fortuna præsenti sic hortabantur, urbis deditionem facere, se in famulando fideles persistere, tributa solvere: & hoc juramento legis suæ firmare spopondunt. Dux, Comesque gaudentes, quod offereba-

batur libenter suscipiunt anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo primo. Adepti primo omnium, scripturæ fideles imitatores dicentis: primum quærite regnum Dei, & omnia adjicientur vobis; Ecclesiam sanctissimæ Deigenitricis Mariæ, quæ antiquitus Archiepiscopatus fuerat, sed tunc ab impiis Saracenis violata templū superstitionis eorum facta erat, cum magna devotione catholice reconciliatam dote, & ornamentis ecclesiasticis augent. Archiepiscopum, qui ab impiis dejectus in paupere Ecclesia S. Cyriaci, quamvis timidus natione Græcus cultum Christianę religionis pro posse exequebatur, revocantes restituunt. Deinde verò castello firmato, & urbe pro velle suo, Dux eam in suam proprietatem retinens, & vallem Deminæ, cæteramque omnem Siciliam adquisitam, & suo adjutorio, ut promittebat, nec falso adquirendam, fratri de se habendam concessit.

Cum ista geruntur Serlo filius Serlonis, nepos videlicet utrorumque Principum istorum, cujus in præcedentibus mentionem fecimus, apud Ceramum morabatur: ad tuendam provinciam ab incursibus Arabicorum, qui apud Castrum Joannis ea tempestate morari dicebantur, à Duce, & Comite sic jussus. Nam & medietas totius Siciliæ ex consensu Ducis, & Comitis suæ sorti, Arisgotique de Poteolis, inter se dividenda cesserat: eo quod hic consanguineus eorum erat: uterque autem consilio, & armis probissimi viri erant. Arabici autem, qui apud Castrum Joannis morabantur, strenuitate Serlonis, quia eis in multis infestus erat, plurimum inimicabantur: jugique intentione dolo, vel armis ruinam ejus meditari nitebantur. Saracenus autem de potentioribus Castri Joannis nomine a Brahen cum Serlone, ut eum facilius deciperet, fœdus inierat: eorumque more per aurem adoptivum fratrem, alter alterum factum vicissim susceperat. Hic cum traditione cum suis composita, Serloni salutaria munuscula cum amicabilibus verbis mandat: inter quæ etiam intulit ista. Sciat fraternitas adoptivi mei, quod tali, vel tali die septem tantummodo Arabici ex deliberatione jactantiæ terram tuam debent prædatum adire. Quod Serlo audiens ridiculo habere cœpit: minusque sibi prospiciens, ex vicinis castris neminem sibi in auxilium arcessivit: sed terminato die inconsultus venatum secessit. Porrò Arabici, qui dolum composuerant, cum septingentis militibus, & duobus millibus peditum de Castro Joannis digressi, haud procul à Ceramo in abditis locis insidias ordinant: septem tantummodo, ut b Brahen Serloni mandaverat, milites mandantes: qui Ceramo, præda capta, Serlonem extrahunt. Insurgit clamor: ab incolis provinciæ tumultuatur: à Serlone, ubi venatum ierat, tumultuantes cives audiuntur: sed quia inermis processerat, nuntium apud Ceramum, ad deferenda sibi arma suosque invitandos mittens, ipse quo clamor infestius urguebat, sciscitaturus quid nam esset, progreditur. At dum à septem militibus præda abduci dicitur, arma sibi delata corripiens adoptivi fraudi plus necessariu credulus improvide subsequens, ultra insidias progreditur. Illis autem ab insidiis prorumpentibus, cum hostes à tergo horribili armorum turbine deprehenduntur, Serlo decertandi copiis, sed & fuga præsidio diffidens, cum paucis, qui secum erant, petram, quæ ab ipso die Serlonis dicta est, cursu expetit: qua ascensa, à dorso pro muro ejus usus, diu fortiter, sed nullo aliunde

XLVI.

In Cod C.P. a *Braclem*

b *Braclem*

de auxilio adventante, in cassum dimicatur: nam tandem confossus occubuit: nullusque ex omnibus, qui cum ipso erant, exceptis duobus, qui inter cadavera mortuorum latitaverant, evasit. Serlone exenterato Saracenicor extrahunt. Ut audaciam ejus, quæ multa fuerat, conciperent, comedisse dicuntur. Capita verò occisorum in Africam Regi ad honorem mittunt: & caput Serlonis stipiti impositum, & per plateas urbis delatum à clamante est præconizatum, ejus esse, à quo præ cæteris Sicilia impugnabatur: hostes devictos nullo simili superstite. Siciliam suæ forti amodo *a* facere cessuram. Cum ista apud Panormum Principibus nostris nuntiantur, exercitus totus turbatur. Comes amissione nepotis intolerabili dolore angebatur: Dux verò alamentis fratrem suum coercere volens, dolorem suum virili more occultare nitebatur. Feminis inquit lamenta permittatur: nos autem in vindictam armis accingamur. Igitur, quia sejunctim ad invicem utrique fratres quisque suis utilitatibus lucrari studebant, excepto, quod cum necessitatibus incumberent, alter ab altero invitatus vicissim sibi ad invicem succurrendum venirent, huic libro alium incepturi finem ponamus: ut in sequenti de unoquoque nunc sejunctim, iterumque conjunctim, prout ipsa res expostulaverit, stylum alternemus.

In Cod.C.P. a *facile*

Explicit Liber Secundus.



NI-

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

IN-

INCIPIT LIBER TERTIUS.



Uoniam quidem arduas res, clarosque triumphos duorum procerum Guiscardi videlicet Ducis, Siciliæque Comitis Rogerii nunc sejunctim, nunc verò gregatim, prout facere nos scripturas repromisimus: limpidior poetria si esset undæ, æstuandum foret, ut res quæ in ipso nobili memoria clarent, nobilioris philosophi penna chirographizaret: ne limpidissimus liquor, dum ad hauriendum porrigitur, fœtore incultioris vasis etiam ab ipsis sitientibus abhorreatur. Sed quoniam nos aureis fistulis paupertate prohibemur, ad potandum: utimur interdum plumbea fistula: dulces liquores usque degustaturi. Unde & lector quisquis historiæ seriem perscrutari temptat, non fallentia verborum commenta, sed pompales triumphos memorandorum virorum attendat. Quæ enim inseruntur non meæ, vel tuæ laudi, sed illorum, qui faciendo meruere, sub titulantur. Quonia ex edicto Principis tempus scribendi imminet, quod neglegendo hactenus minus potatum est, ad fontem, quo hauriam, unde limpidius eructetur, recurrere ipsius Principis urguens festinantia prohibet.

I. IGitur famosissimus Siciliæ Princeps Rogerius Duce fratre, expeditione, postquam Panormum adeptus est, solita, à Sicilia versus Calabriam, & Apuliam, ut suas utilitates exsequeretur, digrediente, in Sicilia remanens, exercitus recedentis fratris minimam partem præmiis, & promissionibus illiciens, ex consensu ejusdem Ducis sibi retinuit. Siciliamque debellare ex omni parte aggrediens, jugi incursione non minum lacessivit: & quamvis hactenus dum in his, quæ adquirebat cum fratre participaturus, ad plenum strenue egerit, nunc cuncta quæ adquireret, suæ forti cedere certus, quasi leo esuriens, prædeque avidus, quietis impatiens, omnia circumire, periculosioribus inceptis primus adesse, nihil intentatum relinquere patiebatur. Anno Dominicæ incarnationis 1073. duo castella, unum apud Paternionem ad infestandam Catanam, aliud verò Mazariam ad debellandam adjacentem provinciam firmaverat: Dux verò à Sicilia in Calabriam veniens, apud Russanum ejusdem provinciæ urbem dolentibus urbicolis castellum firmavit.

II. Gisulfus ergo Salernitanus Princeps frater *a* Sigelgutæ uxoris Guiscardi Ducis omnes * maritimos fines à Salerno, usque ad portum, * qui Fici dicitur, Arecumque, & S. Euphemiam sui juris esse volens, & partem à Guiscardo * dietim pervadi audiens, versus Ducem inimicitias iniecit: omnesque ei adherentes, quos capere poterat, contumeliis deturpans, nostræ genti se se inimicari non abscondebat. Dux autem Guiscardus, qui amicitiam sibi promiserat, primum quidem patienter ferens, legatis ait ab incepto resipiscat, convenire. At ubi videt, conceptam animo Principis malitiam, quantò plus lenire tentabat, eo amplius in deterius excrescere, fœdere, quod inter eos erat, renuntiato, inimicanti sibi etiam ipse in sedabiles amicitias parat. Sed quia inter se, & Ricardum Principem Aversæ inimicitiæ efferbuerant, veritus ne ab ipso Gisulfo adversum se succurreretur, pacem cum ipso fecit: quo in sui adiutorium, qui-

In Cod. C. P. *a Sigelgaitæ* * *maritimanos* * *quem fecit, & statum semnam dyatim pervadere*

buf-

busdam pactionibus conducto, Salernum multis copiis obsessum vadit.

III. Malfetani verò Gisulfum exosum habentes, timebant quippe ab ipso puniri, eo quod interfectores patris ipsius, dum eos ad subjugandum sibi impugnaret, extiterant, à Duce invitati, ut sibi ad obsidendum urbem navigio servitum veniant, potentiores Duci locutum, ex consensu aliquorum accelerant. Dux itaque callidis pactionibus si assentiant, si autem dissentiant minis terrendo attentans, tandem ad confœderationem compulit: ut si contra Gisulfum tuerentur, tota Malfa illi subjugata hæreditaliter fœderaretur. Duce verò omnia ut expetebant promittente, parte exercitus ad obsidendum urbem relicta, reliquam secum ducens, cum ipsis, qui inde venerant, apud Malfam vadit. Urbem sibi à civibus deliberatam suscipit. Quattuor castella in ea fecit. Militibus suis munit; inde cum multis Malfetanorum copiis Salernum redit. Sic deterrebat Malfetanos, si manus Guiscardi quoquo modo evaderet timor Gisulfi.

IV. Dux verò navalibus, peditumque copiis, sed & equestri exercitu Salernum vallans, frequenti incursione congrediens undique deterrebat: in tantumque attrivit, ut nullo aditu ad victum introducendum, se, suisque negantibus, patente, tantam famem inesse coegerit, ut etiam vel mures, sicut relatione eorum, qui præsentes adfuerunt, didicimus, à quibusdam introrsum reclusis comessi sint. Abagelardus verò filius Hunifredi Comitis, nepos videlicet Ducis, qui Salernum, propter inimicitias, quas cum Duce habebat, propter hæreditatem, quæ ab ipso detinebatur sibi, in adiutorium Gisulfi introierat, ingruente fame, Salerno clam de nocte digressus apud S. Severinam Calabriæ urbem Duci infestus fieri secessit. Dux autem in Siciliam ad fratrem mittens, ut Abagelardum nepotem apud S. Severinam obsessum vadat, non in cassum mandavit. Ipse verò urbis Salernitanæ infestationi indivulse persistens, tandem ad deditionem coegit: Gisulso verò, quia frater erat suæ collateralis, liberorum fratrum avunculo, quocumque vellet abeundi libertatem dedit: urbem autem sua in virtute retinens, castellis, & munitionibus pro libitu suo aptavit.

V. Inde quietis impatiens, nulloque labore, ubi aliqua spes cujusque lucri designabatur, deficiens apud S. Severinam, ubi fratrem prævenire invitaverat, nepotem Abagelardum obsessum vadit: fratremque, quem ad hoc invitaverat, ab uno latere urbem obsedisse inveniens, ab altero latere ipse consedit. Abagelardus autem diatim urbe digrediens, nostros ad certamen provocando, dum alternatim fortiter, sæpeque congreditur, multa militiæ congruentia perpetrata sunt. Porrò Dux videns se minus in urbem proficere, consilio cum suis habito, tria castella firmavit. Unum Hugoni Faloch, alterum Rainaldo de Simula ad urbem infestandam delegavit: tertium autem Herberto fratri Hugonis, & *a* Custinobarbo fratri Rainaldi. Sicque expeditione soluta in Apuliam secessit: ubi non multo post apud Cavam, in quodam congressu Heremannum Comitem, fratrem Abagelardi capiens, Rogerio fratri in turri Melitensi retrudendum mittit: qui dum in vinculis obscuro carcere cruciaretur, Abagelardus fraterna compassione tactus, pactionem cum Duce, ut urbem sibi

a In Cod C.P. *Tristomo Barba*

sibi reddens fratrem recipiat, facit. Duce itaque, hac calliditate illum deludendo, fidem dante, ut cum apud Gargantum venirent, sic enim castrum quoddam dicebatur, fratrem sibi captione liberum redderet, ille incautus verba argumentosa minime advertens, urbe digrediens Duci eam reddidit: sicque cum ipso aliquantisper commoratus fratris redditionem frustra suspicabatur. At cum Russanum ventum est, asperius cum Duce, quod nimium protraheretur, sermonem habuit: versus Gargantum iter acceleret hortatur: tum verò Dux dolum aperit: infra septem futuros annos, se illuc, quo dixerat, non iturum asseruit. Ille sic calliditate verbi se circumventum animadvertens: plurimum cum Duce altercatus, irato animo discedens in Apuliam Castro S. Agadii seditiosus sese cum suis recepit.

VI. Dux itaque sciens illum ad hoc niti, ut totam Apuliam versus se, pro posse commoveat, exercitu excitato, illum insequens obsessum vadit: sed castro natura, municione, defensalibus firmissimo, cum diutius in oppugnando persisteret, Ipsis, qui intra erant fortiter agentibus, plus damno suorum perturbabatur, quam versus castrum proficeret. Abagelardi autem de amissione fratris dolor in dies excrescebat: neque vincla, quibus frater artabatur, ipsum haud secus, ac illum ex recordatione angebant: unde & frequentius casus fratris quibuslibet pactionibus meliorare attentans, vix tandem obtinuit, ut castro reddito, fratrem recipiens, quo & sibi liberet, abscedere liceret. Sicque fratre recepto pariter discedentes, mari transmeato, ad Imperatorem Constantinopolitanum transeunt: ubi & ultimos dies clauserunt.

VII. Famosissimus ergo Siciliæ Princeps, & debellator Rogerius apud Siciliam in omnibus strenue agens morabatur. Neque enim aliqua delectatione se retrahente, hostibus absens fieri patiebatur: quippe quem egestas, labor, minæ hostis, imminens jugis decertatio, vigiliæ, vel vita asperior ab incepto non deterrebant: sed potius quanto asperitatibus quatiebatur, eo ardentiori constantia, ipso humano more animo suo innata dominationis cupidine, vincere, quam vinci nitebatur. Et quamvis omnia cupiens esset, impensius tamen zelo potiendi Castrum Joannis angebatur. Quod si adeptus foret, sciebat se, quasi *a* pro firmo ad totam Siciliam pro libitu suo ventilandam. Tali, tantoque urguenti desiderio anno incarnati Verbi 1074. in monte Calataxibet castrum firmavit: quod militibus, & reliquis, quæ necessaria erant, muniens, Castrum Joannis infestissimum redditur.

In Cod.C.P. a pro flagello uti

VIII. Africani ergo Saraceni à familia Regis Tunicii ex ejus edicto, navibus per mare piratarum more vela ventis comitentes, maritima littora versus Siciliam, & Calabriam insidiatum vadunt. Sicque Junio mense in vigilia B. Petri apud Nicotrum de nocte appulsi cives incautos, & præ gaudio instantis sollemnitatis, vino ex more, somnoque gravatos opprimunt: semisomnes alios perimunt, alios capiunt: Ipsos etiam pueros cum mulieribus omnique suppellectili vehibili prædam navibus inducunt: castrumque totum incendio concremantes, remige accelerato in altum recedunt. In crastinum ripæ propius accedentes pueros, & imbecilliorem familiam amicis redimere volentibus, pretio accepto navibus ejicientes partim exonerantur: re-

reliquos, qui alicujus utilitatis videbantur, adducunt: ficque vela ventis committentes patrios agros, unde venerant, læti revifum tendunt.

IX.

Anno verò incarnationis Domini 1075. quia in præcedenti anno pro libitu sibi favente apud Nicotrum prospere accurrerat, plus necessario cupidine avaritiæ insolentes, simile sibi evenire frustra rati, navibus ascensis versus Siciliam fortunam tentatum navigant: insulamque circumcurrendo tentantes, tandem apud Mazariam appulsi sunt. Navibus digressi urbem magna vi oppugnantes irrumpunt: castrum autem, quod infra erat, fortiter repugnantibus per octo dies obsident. Comes verò per legatum comperto castrum, suosque hostibus infestari, clam de nocte, armata manu castrum ingressus, summo diluculo per portas prorumpens, cum hoste in platea ubi ante castellum congreditur: fortiterque ex more agendo victor efficitur: pluribusque peremptis, reliquos fugientes extremos quosque in mare prosequitur. Mazara ducis strenuitate ab hoste eripitur. Gemebundus rumor à paucis, qui evaserunt. Africæ nuntiatur: sicque rotabilis fortuna homines primo prosperis successibus alludendo, illectos spe proprium eventum deceptos risit.

X.

Comes verò quibusdam necessitatibus se avocantibus à Sicilia versus Calabriam digrediens, *a* Hugonem de Gircæa, cui propter strenuitatem, quam habebat, nam & præclari generis à Cenomanensi provincia erat *b* totam servandam Siciliam delegavit: interdicens, ne si Bernarvet, quia vicinus sibi Syracusi morabatur, aliquem incursum versus se faceret, callidas ejus versutias cavens, nusquam urbe digrediens, hostem persequeretur. Sed juvenilis animus militia fervens, & laudis avidus, quod sibi interdictum erat minus servans, ad hoc niti cœpit, ut ante reditum Comitis aliquod nobile facinus, unde militarem laudem mereretur, perpetraret. Unde & Trainam usque progrediens, Jordanum Comitis filium cum familiari malitia Comitis secum Catanam adduxit. Porrò Bernarvet magno electorum militum exercitu congregato de nocte accedens, haud procul à Catana in abditis locis insidiis occultatur: triginta militibus Catanam usque præmissis, qui eos ad certamen excitatos longius ab urbe protraherent. Hugo verò, & Jordanus militia ferventes, suos ad certamen cohortando, urbe cum magno impetu digrediuntur: trigintaque electos milites insidias speculatum mittentes, ipsi incautius insequi accelerant. Porrò speculatum præcedentibus locum insidiarum transgressi, dum à subsequentibus usque perventum est, illi ab insidiis prorumpentes, hostibus horribili turbine insurgunt. Itaque qui præcesserant, insidias à tergo videntes, nec ad suos, hostibus interpositis regredi posse Paternionem fugientes evadunt. Nostri verò dum fortiter congredi nituntur, Hugo Comitis gener cum pluribus occiditur: Jordanus autem hostes ferre non valens, cum paucis Catanam elabitur. Bernarvet lætus cum spoliis Syracusiam regreditur. Comes itaque rumorem hujuscemodi per legatum cognoscens reditum accelerat: exercituque adversus Bernarvet commoto, castrum, quod Zotica dicebatur, oppugnans, funditus diruit: viros perimit: fœminas cum pueris in Calabriam venditum mittit: anno incarnati Verbi 1076. Sed quia animus Principis, dolore generi interfecti, ad mentis debilitationem pœne infectus nisi majori vindicta

In Cod. C. P.
a Hugoni
b cum filia sua de priori uxore Catinam sedebat, totam &c.

Mm 2 sanari

sanari minime poterat, ampliorem vindictam expetens, usque ad provinciam Notensem profectus, ita omnia exterminavit, ut etiam ipsas messes, tempus enim trituræ instabat, quia asportari non poterant, penitus igne combuserit: quod etiam passim per diversa loca Siciliæ facere addens maximam egestatem ipso anno eidem Insulæ incussit.

Nascitur ergo fames quia sustulit ultio panes.

XI. Anno Verbi incarnati transacto millesimo:
Adjectoque super mille septies undecimo:
Expeditionem movet Comes mense Madio.
Naves vela dant per equor suffragante Zephyro.
Æra sonant: buccinando pontus plaudit jubilo.
In Cod. C.P. a fuit — Classis magni Alexandri non *a* hac pulchrior.
Aura ridet cum fortuna: pubes gaudet bellica.
Citharizant ad hoc docti, resonant & tympana.
b itur — Trablas *b* ergo oppugnatum, nil tumescunt equora.
Sed transcendit equitatu Comes fronte bellica,
Montium scopulosorum ima, sive ardua,
Bellicosæ juventutis multa fultus copia.
Clypeos auro fulgentes, & splendentes galeas
Sol cum tangit, intuentum aciem reverberat.
Montes omnes splendescunt super clara sidera.
c echo — Equi fremunt, dant hinnitus, *c* æque montes resonant.
Mille flante aurea levi vexilla subventilant.
Horrido aspectu satis versus Trablas properant.
Hostes vident: exhorrescunt hanc carmorum nebulam.
Terra, ponto sonant tubæ, ut metum incutiant.
Clamor usque cælum pulsat: hostes infra trepidant:
d Urbs vallatur — *d* Urbem vallant circumquaque equore, vel arida.
Nautæ velis obumbrantur: terræ figunt anchoras.
Equitum pars frondes cædit, pars figunt tentoria.
Crebro currunt ad certamen: fortiter congreditur.
e colliditur — Hostis nisus repugnare, plurimum *e* concluditur.
Castro luctus post certamen, nostris lyra additur.
Hostes viribus diffisi tandem pacem expetunt.
f ditioni — Cedit Comes: castrum reddunt: *f* ditionem subeunt.
Fœderantur more suo: sed dolentes faciunt.

g mare — Ab hac eadem urbe strictior sinus terræ ab utroque latere *g* mari urguente, longius in mare porrigitur: pascuis uberrimis abundans. Ibi armenta, & cætera urbis animalia hostili tempore pasci consueverant: quo cum ex more, propter instantes hostes diatim exirent, nostri brevi sinu interposito conspicientes, cœperunt, ut in tali gente assolet, aviditate, si aliquo astu queant, adipiscendi agitari. Jordanus filius Comitis, ad id negotii peragendi intentionem certius apponens, ut hanc sibi famam militaliter præ cæteris adquireret, agebat. Tandem itaque, ut erat vir præsumptuosissimus, & laudis avidus, cum sibi familiaribus consilio habito, quodam vespere centum sibi milites eligens, patre inconsulto naves ascendit: de nocte Insulam pervadit: applicans navibus digreditur: in concavitate quadam ejus Insulæ, antequam illucescat, occultatur insidiis. At ubi

no-

nocte recedente sol irradians terris illuxit, tota *a* civitas prædicta ex more, urbe digrediens, pascendi gratia ipsam Insulam sparsim præoccupat. Porrò Jordanus ubi in insidiis occultabatur, prædam longius ab urbe progressam conspiciens, impetu leonino à loco prorupit: usque in portam urbis prædam colligens prosilit: navibus introducendam illorsum minare accelerat. Cives itaque Insulam suam insperato hostibus persuasam videntes in arma ruunt. Maximo impetu usque ad decem millia ab urbe prorumpunt: hostes, ut prædam excutiant, inconsulte prosequuntur. Nam ubi Jordanus longius ab urbe, eos progressos videt, spreta præda, hostibus leonina ferocitate occurrit: congressuque facto, acerrime utrimque pugnatur. Sed Jordanus, ut erat in congressibus fecundissimus, suos verbis exhortatoriis promptiores reddens, fortiter agendo plures sternit, reliquos fugat, victor efficitur, quosque cædendo usque in portam urbis prosequitur: sicque ad naves regrediens maxima præda *b* lætanter introducta, ad patrem impune cum triumphali laude redit. Hac re urbs quasi maxime territa ad deditionem, ut diximus, compulsa est. Comes itaque urbem nactus pro libito suo castro, & cæteris munitionibus ordinat: militibus, & quæ iis necessaria erant, munit: turribus, & propugnaculis undique vallans. Sed undique adjacens provincia firmissime circumsepta, munitissima erat: & ideò adhuc recalcitrans rebellat. Comes laboris indeficiens crebris incursionibus, ut sibi omnia substernat, infestare aggreditur: brevique termino usque ad duodecim famosissima castra suo dominio obediendo subire coegit: quæ militibus suis distribuens, cum omnibus appendiciis suis de se habenda delegavit. Sic exercitum, omnibus pro exhibito sibi servitio gratias agendo, solvens, ipse Bricam à labore pausatum secessit.

a In Cod. C. P. a tota civitatis præda

b licenter

XII. Ea quidem tempestate quidam Saracenus Bechus nomine Castrum Novum possidens, illic morabatur. Erat autem idem vir magnæ superfluitatis, & arrogans: unde & ipsos suos fideles levitate sua interdum diversis contumeliis afficiens, sibi infideliores reddebat. Hic quadam die cum Molendinario suo iratus, ante se invitans verberibus deturpavit. Porrò ille se adeò grave ferre dissimulans, in vindictam tantæ dehonestationis animum intendens, secum tacitus agebat: quibus artibus vel damno rerum suarum, aut certe læsione corporis vicissitudinem recompensaret. Unde accidit, ut quodam vespere, de subjacentibus complices sibi alligans, petram quandam, quæ omni castro supereminebat, & dominabatur, irrumpens pervadere, legatumque apud Bricam Comiti mittens, in sua fidelitate se ita egisse, & ut sibi succurrere acceleret, mandat. Hoc nuntio Comes accepto, plurimum exhilaratus, cum quantis habere poterat, citissimus illorsum intendit. Porrò Bechus Molendinarium blanditiis, & promissionibus, ut ab incepto resipiscat, sibi reconciliare dum minus prævalet, frustra oppugnare nitebatur. Comes verò adventans propius accedit: Molendinarium amplissimis promissionibus in sui fidelitate arrigit. Ille cum nulla ex parte aditus ad se accedendi nostris pateret, fune oblato demisso, quosdam nostrorum ad se pertrahit. Bechus itaque videns nostros à Molendinario infra petram susceptos, spe retinendi castri amissa territus, castro spreto, omnia quæ poterat, asportans aufugit: cives cum Comite pacem facientes infra castrum recipiunt. Comes verò sic castro potitus pro velle suo mu-

munlens ordinat: Molendinarium, ut cæteris, ad similes actus exequendos exemplum tribuat, pluribus benefactis, libertate etiam concessa remunerat.

XIII. Eodem anno Græcus quidam sub nomine Michaelis Imperatoris Constantinopolitani ad Ducem in Apuliam venit: auxilium expetens ad palatium *a*, à quo ut dicebat, fraude suorum, in die Sancto Parasceve dejectus fuerat: monachusque violenter fieri compulsus hoc solo crimine objecto, quod filiam Ducis filio suo nuptui acceperat. Ipse quoque filius, ne spe aliqua recuperandi palatii, vel deductæ uxoris procurandæ propaginis reservaretur, turpiter eunuchizatus, usque ad exitum vitæ exilio relegatus est: alio in locum expulsi in palatio subrogato: quem nec aliqua, vel extrema antiquorum Imperatorum linea ad id hæreditatis jure gentium invitaverat. Timebant denique Græci, ne si ex nostræ gentis uxore hæredes procreati in palatio *b* successerant, occasio liberius illuc accedendi nostræ genti daretur: & gens deliciis, & voloptatibus, potiusquam belli studiis ex more dedita, nostrorum strenuitate subjugata conculcaretur. Ipsam Ducis filiam reclusam diligenti custodia observabant: ne forte si alicui potenti nuberet, quia hæreditali Imperatori semel in palatio coronata fuerat, ab ipso cui nuberet, aliqua hæreditas per ipsam in palatio proclamaretur. Michael itaque à monasterio, in quo monachus coactus erat, habitu ejecto, ut dicebat, profugus, in Apuliam veniens à Duce Imperiali honore susceptus, per omnes civitates Apuliæ, sive Calabriæ processionibus, & Imperialibus pompis ex edicto ejusdem Ducis accuratissime obsecundatur. Et hoc quidem totum ex Industria Dux faciebat, *c* quandoquidem animum eum in palatio restituendi haberet. Audierat nempe generum suum eunuchizatum: unde spe suscipiendæ de filia prolis, cui palatium jure hæreditali competeret, amissa, ad hoc inter se nitens *d* tutius agebat, ut sub nomine Michaelis, quibusdam sibi faventibus, Græcis facilius debellatis, cum ad palatium usque perventum foret, vi coronam cum sceptro, & Imperialibus ornamentis pervadens, ipse Imperator fieret. Promittens tantum se sibi auxilium laturum, per duos ferme, & amplius annos honore, quo cœperat, eum secum detinuit: donec ea, quæ tanto inceptui necessaria forent, apparabantur. Erant autem tunc etiam quidam cum Duce, qui in palatio tempore Michaelis Imperatoris servientes faciem ejus se novisse, & hunc similem minime, vel in modico assimilari dicerent: sed fraudulenter hunc spe alicujus à Duce accipiendi muneris advenisse. Porrò Dux uterne, an pro certo esset æquipendens, cum multus susurrus inter suos super tali negotio fieret, ab incepto minime deterrebatur: sed potius quod cœperat exequens, cum ipse non esse hunc dubitaret, nil de hac re dubitare asserebat: & hoc ex industria quidem laudans suos faciebat: ne ab ipsis ab incepto dehortaretur.

a recuperandum

b subsisterent

c non quod animum &c.

d tacitus

XIV. Talia disponens, tacita sed mente reponens:
Sumptibus insudat: quo Byzantium sibi ludat.
Undique terrarum quærit spem materiarum.
Nulla remittuntur: nec rustica despiciuntur.
Sed prodesse queunt, quæ jam despecta fuerunt.
Ligni cæsores mandantur in arte priores.

Un-

Undique terrarum conducitur ars tabularum.
Robora cæsa cadunt, resecantur, sectaque radunt
Artifices ligni. Ferrum faber applicat igni.
Anchora conflatur: clavorum forma paratur.
Compago navis *a* texitur superaddita clavis. In Cod.C.P. *a tegitur*
Obducunt imas alii lanugine rimas.
Atque picem liquidam properant superaddere quidam.
Vela suunt isti: studium dant funibus isti.
Classis adaptatur: non navis sola paratur.
Crescat ut in numeros studiosius imminet heros
Omnibus aptatis, & navibus arte paratis.
Per liquidum pontum classis conflantur Hydruntum.

Interim dum ista aguntur anno instante 1078. Comes Tauromenium obsidens viginti duobus castellis vallavit: ita ab uno in alterum sepibus, & *b* stropibus claudens, sed & navalibus copiis à procinctu maris cingens, ut nullo latere pateret aditus ad castrum volentibus hostibus aliquid introducendi, vel educendi. At dum quadam die de castro in castrum per præcipitia scopulosi montis Comes visum transiret cum paucis, pars quædam *c* Sclavorum inter myrtetica virgulta latitans in quodam artioris transitus loco prorumpens irruit. Et nisi Evisandus quidam natione Brito, audito strepitu armorum se se Comiti, & hostibus interposuisset, de ipso Comite, ut ajunt, hostibus triumphus cessisset. Sed cordium solus inspector Deus bonam intentionem Principis in præcedentia, sive subsequentia per eum futura bene prænotans aliter, *d* quam illi moliebantur, rem transtulit. Scriptum quippe est: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. XV. *b stropibus* *c Scalanorũ* *d &*

Evisando itaque in domini fidelitate taliter interfecto, dum nostri in arma ruunt, hostes per præcipitia scopulosi mõtis elapsi sunt. Sic mors Evisandi *e* vice Comitis sub Dei præsidio fuit. Comes autem fidelitatem ejus honeste remunerans, corpore humato decenter, multa beneficia egenis, & sacris locis pro redemptione animæ ejus, nec immerito contulit. Montium autem cacumina cum ipsis vallibus perlustrans, peditum copiis iter faciens, à monte, qui ab incolis Gibel appellatur, quem nos Etnam dicimus, usque Trainam neminem ejusdem superstitionis impunitum dimisit. XVI. *e vita*

Militibus multus planctus fuit, iste sepultus.
Nam suo merito carus fuit undique Brito.
Pro merito fidei fortem capiat requiei.
Cui cum sit ita mors, est Comiti data vita.
A Juda *f* discat, quem tanta fides sibi dicat. *f distat*
Ille Deum vendens, laqueo se postea pendens
Mortem mercatur, cum traditione notatur:
Hostili cultro spes hujus se dedit ultro:
Ut dominum servet: meritumque sibi coacervet.
Non virtute pari debent ji substitulari.
Traditor alter erat: ut salvet & alter anhelat.
Angelicam pennam capiet hic: ille gehennam.

Qua-

XVII. Quatuordecim ergo naves, quas Golafros appellant ab Africa regis Tunicii piratarum more per mare plantantes sub Tauromenio appulsæ, quodam diluculo à nostris in mari haud longe anchoris fixis conspiciuntur. Nostræ autem naves armatis expositis, minus erant ad exequendum paratæ. Comes autem latronem, qui nam sint, quave de causa, vel unde, hostes ne, an pacem portans advenerint, sciscitatum mittit. Interminando subjunxit: si in tanto sui juris vel modicum quid iniuriæ, vel fecissent, vel facere, attentare præsumerent, nusquam impunitos à se evadere posse. Ac dum nil mali adversus ea, quæ ejus juris erant, sub excusatione, & obrestatione legis suæ machinari renuntiantur, sed potius ex edicto Regis Tunicii, ut infestos piratas à mari, si invenirentur, propellerent, missos, ejus famulatui, si necesse foret, inservire paratos: primi cujusque navis ad amicum colloquium invitantur: ut si vel victu, vel aliis quibuslibet rebus minus sufficientes essent, ejus munificentia supplerentur: qui dum invitationi assentientes fœdere suscepto advenire appararent, aura contraria insurgente, naves cum ipsis per equora pulsæ ab intuitu nostrorum protinus sunt avulsæ.

Sic quos invitat, boreas accedere vitat.
Et quod promisit dare, ne daret aura recisit.

XVIII. At Comes intentus fuerat quibus ante retentus:
In Cod.C.P. Obsidet, & pugnat: castrum pro posse repugnat.
a durat Certamen *a* datur, Comes huc *b* perstare conatur.
b persistere curet Quamvis cura ligat, tamen hunc res nulla fatigat.
Instat, & hortatur, hostes virtute minatur.
Dat: dare promittit: nil, non tentando remittit.
Ad quod adhortatur socios, prior esse probatur.
Cum sit certamen: & fratribus esse levamen,
Ante suos fertur: cum posteriore refertur.
c Crotonius Primus ad excubias *c* Othonus, alter Elias:
Tertius Arisgotus: Jordanus abinde remotus
Esse recusavit: socios hæc ars animavit.
Exiit edictum, liceat ne quærere victum.
Sic devincuntur: nostri statione fruuntur.
A montis magno prohibentur abundique stagno.
d Nulla sub adduntur, A *d* nullo subduntur: *e* post addita deminuuntur.
e prius Unde fames crevit, congressus ab hoste quievit.
Decrescit virtus, habet hostis jam prope victus.
Solo securus, quod cingit abundique murus.
f timet Ut det congressum, *f* cavet extra figere gressum.
Deficit ut panis, populus superatur inanis.
Sic Comes accitur: castro pro velle potitur.
Arbore sub lauri curvantur mœnia Tauri.
Fœdere confecto, dolet hostis in hoste recepto.
Sed quamvis doleat, non dissimulando revelat.
Cur doleat noscis: quia lætus erat suus hostis.
Si sic fortuna diversa sit, est tamen una.
Illis sit tristis: gaudens cognoscitur istis.
Sextus erat mensis quo fervidus eminet ensis.
Piscibus obsedit: fervente Leone recedit.

Tanto

Tanto sibi adjumento collocato divinitus, XIX.
Ne appareat ingratus vilipendens Rogerius,
Secum cœpit deputare quid litaret potius.
Cœmentarios conducens undecumque aggregat.
Templi jacit fundamenta in urbe Tainica.
Ad quod perstans *a* ævo brevi superat. In Cod. C.P. *a studiosus*
Laquearia tectorum ligantur Ecclesiæ.
Parietes depinguntur diverso bitumine.
Consecratur in honore Virginis Puerperæ.
Multa dote augmentatur, terris, sive decimis.
Ornamentis palliatur: & diversis copiis.
Cathedra Pontificatus sublimatur insulis.
Sacer clerus augmentatur, prout sumptus suppetit.
Altaris vasa, vel vestis plusquam clero sufficit:
Candelabra, cruces, textus, *b* ac cerasumbuli. b *acerra, thuribuli.*
Ex metallo signa fiunt plebem invitantia.
Melodiam dulcem reddunt: *c* pulchre consonantia. c *pulchre consonantia*
Melodizat sacer clerus hymnos sacris laudibus.
Præsul verba sacræ legis seminat in gentibus.
Divinus cultu arcessitur pluribus credentibus.
Cui debent hæc ascribi nisi tanto Principi?
Qui reduxit sacram legem, unde prius corruit.
Cujus ope fit hoc totum: & hanc legem *d* edidit. d *addidit*
Textum libri persequamur: nam ista sufficiunt.
Sermo nimis inculcatus interdum fit tædium.
Subsequens stylus narrabit, si quid est residuum.
Urbs Traina felix gaude: *e* da dignas laudes titulo. e *digna laudis titulo*
In te primo reparatur divina *f* legio. f *religio*
Messana consociata pari servit clypeo.

XX. Incarnati Verbi anno millesimo septuagesimonono Jacenses natura montis in quo habitabant, numerosa multitudine suorum fisi, erant enim usque ad tredecim millia familiarum, jugum nostræ gentis abhorrentes statutum servitium, & censum persolvere renuntiant. Comes verò per legatos eos conveniens, nunc blandimentis eos mulcendo, nunc minis attentando, ne contra se insurgerent, neve *g* per vitium incurrerent, neve eum irritando contra se excitarent, ab incepto detrahere nitebatur. At ubi minus proficit exercitu admoto, quos blanditiis, vel minis nequit, virtute attentando flectere aggreditur. Mons autem, quem inhabitabant, ita ab omni latere, scopuloso præcipitio erat munitus, ut ex nulla parte ascensus pateret: excepto uno solo arto, arteque exciso aditu: quo civibus egrediendi, & ingrediēdi iter porrigebatur: & hoc in excelsiori cacumine ejusdē ascensus porta, murusq; ex utroque latere in longum porrectus munibat. At quia mons hic spaciosi ambitus minus claudi obsidendo poterat, illis potissimum in locis, ubi infestiorem se hostibus fieri posse existimat, sedes ponit. Porrò Jacenses ac si pro vita certare, instare, omnia circumire, nil remittere: quibus partibus plus timebant loca munire, inde fatigabiles adesse vigilanti cura studebant. Et quia armenta sua, & pecora secum in abditis ejusdem montis, cavernosisque locis à pervasione hostili tuta aggerebant, & minus ab hostibus ea diripi g *perjurium*

metuentes, obduratiores erant. Comes autem quanto eos in sui defensione attentius instare videbat, tanto altiori ira inflammabatur: quo se eos minus lædere posse cognoscebat. Non ab incepto deterrebatur: sed eo instantius quo prævaleret omnia conando nitebatur. Sicilienses ergo milites suos, quibus jam impertierat possessiones Insulæ, quantum subjugaverat, apud Parthenicum, & *a* Corticum dimittens, Jacensibus infestos fieri præcipit: ipse cum Calabrensibus Cinisum, qui similiter contra se recalcitrabat, obsessum vadit. Sicque uno, eodemque tempore uno in confinio duas obsessiones, & à se divisas ponens, utrasque fortissime tenuit: atque de una ad aliam sæpissime migrans hortari, instare, per se ipsum omnia attentare, hostibus infestus adesse: nunc minis, nunc incursionibus terrere: * suis blandiri, plurima largiri ampliora * largire in sui fidelitatem arrigere, hostibus infestos reddere non desistebat.

In Cod. C. P. a Cornilium

** suos*

** permittere*

XXI.

In Cod. C. P. b hostilis detonat

c Jacam

Mensis erat sextus *b* Sextilem denotat æstus:
Hic studet ut lædat, studet alter ut ille recedat.
Lædunt, læduntur: sic alternando premuntur.
Sic paribus votis non deficit hostibus hostis.
Tempus erat messis: armis macerat ita fessis.
Uruntur messes: turbat res ista Jacenses.
Quodque *c* jam lædit Cinensibus haud bene cedit.
Consilium captant: succurrere messibus aptant.
Sed cum vi nequeunt, hoc artibus addere quærunt.
Conveniunt Comitem: tentant sibi reddere mitem
Fœdere componunt: fraudis munimenta reponunt.
Fruges salvantur: Comitique reconciliantur.

XXII.

e & ab utrisque partibus exsequendum Sacramentis firmatk fuisset, die nuptiarum statuto, qui venerant pluribus donariis d Comite munificati, festiniore gressu domo suo sibi congressum renuntiant, &c.

f utriusque partis proceribus

** chirographatur,*

** partis præsulibus, ab ipsis*

** attentissime*

** suffragante*

** rederunt.*

Igitur anno Dominicæ incarnationis 1080. Raimundus famosissimus Comes Provinciarum famam Rogerii Siculorum Comitis audiens, propter strenuitatem, quæ de ipso referebatur, legatos dignos, qui à tanto ad tantum dirigerentur, mittens Mathildim filiam suam, quam de prima uxore admodum honeste faciei puellam habebat, sibi in matrimonium copulandam expostulat: quod cum à Comite concessum, *d* renuntiant, qua de re ille non minimum gavisus, erat enim propter formositatem, quam de ipsa audierat, illam ardentissimo amore cupiens, audito termino nuptiarum: per se ipsum in Siciliam accedendo, diem prævenire accelerat, venientem, Comes honore condigno excipit: pactiones renovantur: dos puellæ sub testamento * chirographizatur: sponsalia præsentibus * utrisque partibus, precibus ab Episcopis, & sacris ordinibus catholice celebrantur. Qui jamdudum inter juvenem, & puellam paulatim adoleverat, prima nocte, ut assolet, immensum excrescit. Celebratis itaque, & non sine magnarum expensarum sumptibus nuptiis, socer generum suum aliquandiu secum retinens, tandem munificentiis benevolum, ut res ipsa expostulabat, factum, sed & iis, qui cum ipso advenerant singulis singula, prout quemque esse sciebat, largiens, navibus apparatis placido equore à se cum filia dimisit. Illi autem vela ventis * accuratissime committentes zephyro * suffragante, brevi tempore unde venerant, cum sponsa * reducunt.

Sper-

Sprevit nata patrem: puduit nec *a* relinquere matrem. XXIII.
Extremo Comiti *b* sociatur delectat.
A quo nutritur caret, *c* hic alteroque potitur.
Pœna quidem multa cum *d* nutrix: cum sit adulta.
Nec *e* quæ nutritur lascivo fratre potitur.
Plus externum quam quem sit jure paternum.
Nec nimis hoc culpo, quamvis hic talia sculpo.
Nec prohibens vito: cum fiat *f* invita marito
Diligat & juste fœdus servando venuste.
Nam quos lex jungit, sententia nulla repungit.
Ut soboles crescat, ne deficiendo tabescat.
Prima virago datur: primoque viro sociatur.
Tali fortuna duo sint ut carne sub una.
Lex ita divina præcepit: non peregrina.
Pinxit scriptura quæ sunt facienda futura.
Postponat patrem, postponat denique matrem
Quisquis & uxori jungatur amore priori:
Jure maritali servatur linea tali.

In Cod.C.P. *a linquere* *b delectatur sociari* *c ac alter qu* *d matris* *e qua* *f juncta*

Igitur famosissimus Apulorum, & Calabriæ Dux Robertus dietim instigante se Michaele, qui ad se transfugerat, ut cœperat versus Romaniam animum intendens, anno Dominicæ incarnationis 1090. mense Majo apud Hydruntum venit: apparatisque pro processu sumtibus tanto inceptui dignis, quindecim naves trans mare aliquam urbem præoccupatum mittit: ut cum ipse cum reliquo exercitu subsequeretur imbecille vulgus, cujus pars maxima in expeditione erat, quo se ab hostili incursu, si necesse foret, tueretur haberet. Illi verò vela ventis committentes de nocte apud Corofon applicant. Insulaque de mari eminus inspecta, multitudinem hostium, quam invenerunt abhorrentes, minime à navibus progredi præsumunt: sed reditum accelerantes, Duci placidum, etiam si major esset exercitus, renuntiant. Dux itaque plurimum exhilaratus copiis navibus introductis festinus cum omni classe transfretare accelerat: pluribus ex remanentibus amicis, quibus Apuliam, Calabriamque procuratum delegaverat, timore eum, & qui cum ipso abibant, amittendi, usque ad ipsa lachrymarum indicia, quas affectus pietatis exprimebat, dolentibus: quibusdam verò ex iis, qui cum ipso proficiscebantur timore tam horribili, ad quod intendebat inceptus, ac si febrium typo gravarentur, militibus demisse trementibus. Nam quantæ audaciæ, cujusve militaris strenuitatis Dux iste fuerit, cum per multa exercitia satis abundeque clareat, etiam si reliqua omnia sileant, ex hoc potissimum indubitanter annotari potest, quod cum tam populosum imperium, tamque copiosum Imperatorem, totve millia hostium pauca manu spe subjugandi bello lacessere tentatum ire præsumebat, ipse armatæ militiæ non plusquam mille trecentos milites secum habuisse, ab eis qui eidem negotio interfuerunt, attestatur. Porrò copias ei, viresque, quas res ipsa, tempusque quantum ad numerum, oculorum intuitu minus sufficienter administrabat, ipsa ejus animo innata militaris ferocitas, ac si plus ipsis hostibus necessariis copiis abundaret, sufficienter, supraque eum habere in mente repræsentabat: suorumqe animos præ timore minus hilares, lætum vul- XXIV.

tum ostendendo, largis ejusdem regionis possessionum, thesaurorumque, ac si jam debellavisset, promissionibus recreando, spe ea in posterum recipiendi, si strenue secum agere volunt, ad militaris exercitus pericula tentanda, quæ formidolosa æstimatio dehortabatur, promptiores reddebat. Copiis itaque tanto inceptui dignis pro spe apparatis, dum naves per equora prudente remige reguntur, aura leni prosperante ventosa carbasa, usque ad portum placidæ applicationis impune recipiuntur: parsque classis applicat in portum, qui Herico dicitur. Post autem ubi fluvius Bajosæ in mare defluit, placido litori transfertur. Dux ergo pro libitu suo placido litore potitus, navibus digrediens, mox ut terram pedibus attigit, inspecta amœnitate, situque locorum suis dixisse fertur, O fortissimi milites, & honoris prædecessorum non degeneres hæredes: hæc est enim hæreditas vobis competens: pro hac adipiscenda armis decertandum est. Non vos deterreat ignobilis vulgi, & imbecillis quamvis numerosæ multitudinis strepitus hostium: sed adhortetur species, & fœcunditas hostilis adipiscendi hæreditaliter agri: speciesque, & abundantia post certamen, si strenue agitis, vobis debitarum rerum. Hæc dicens castrum, quod Casopolis dicitur in Insula Carosi oppugnans capit: & aliud castrum, quod ex nomine Insulæ Carosium nomen accepit, cum tota insula suæ mancipat servituti. Inde progrediens urbem, quæ *a* Avolucia dicitur, juxta *b* Pemachios campos, quia confinio quo applicuerat, adjacens erat, mox oppugnatum vadit. Porrò cives Ducis adventu audito, præsentiaque nimium territi, viribus suis ignaviter diffidentes, deditione à se ipsis facta, ejus ditioni cum ipsa urbe subduntur. Castrum etiam quoddam * urbe haud procul * situm, quod Canna dicebatur, à præsentia Ducis timore languidum, & eo maxime * quod Avalonem, quæ bellicis copiis se abundantior erat, * deditionem fecerat, haud secus subditur.

In Cod. C.P. *a Avalona* *b Æmathios*

* *urbi* * *secum quod Canam dicebatur ex* * *Avalonam* * *deditione facta sunt*

XXV.

Fortunam sibi Dux satis bene cedere
Cognoscens, adjicit plurima visere.
Duraci mœnia obsidet, undique
Armata populi manu.
Sic urbs contremuit hostibus obsita:
Diffidunt sibi jam fortia mœnia:
Insistunt civibus tela minantia:
Alternant sibi funera.
Sed plus atteritur asperitatibus
Græcorum populus territus hostibus:
Nec reddit timidus aspera vulnera:
Vires abstulerat timor.
Constantinopolim Chartula mittitur.
Hostes in prœlio adfore dicitur.
Ereptum veniant cum *c* pretio quæritur,
Ne subdantur ab hostibus.

In Cod. C.P. *c prece*

XXVI. Imperator itaque de præsentia hostium sinistro nuntio accepto chartulis expeditionem submonens, totum imperium sollicitat: multisque millibus, paucis numero hostibus, sed strenuitate abundantioribus occurrere parat. Credensque à multitudine suorum eos facile

cile occupari posse, Venetianis mandat, ut plurima classe apud Duracium sibi occurrant: ut si ibi forte nostri bello ab ipso devicti, fugientes per mare evadere niterentur, ab ipsis navali certamine præventi, facilius intercepti perimerentur. Qui jussa fideliter complentes classem accelerant: triduoque ante sibi præfixum ab Imperatore terminum, versus Duracium adventare à nostris eminus in mari conspiciuntur. Ad quorum intuitum nostri in arma ruentes, navali congressu dimicaturi hostibus promptissime occurrere accelerant. Sicque per totam diem utrimque acerrime congressum est. At cum jam die refrigerante Sol ad occasum vergens liquidas undas Oceani quasi subintrare videretur, prævalente hostibus strenuitate nostrorum, Venetiani viribus exhausti deditionem pollicentes pacem, induciasque usque in crastinum, quo Duci, pro libitu suo fœderentur expostulant. Sicque nostris, quod expetebant, inconsulte concedentibus, certamen hac vice scinditur: nostri in portum suum revertuntur. Nostri itaque deditionis falsa pollicitatione delusi, per totam noctem, quasi jam hostes triumphavissent, gloriantes, dum usque in crastinum securius sustinent, Venetiani naves suas pluribus commeatibus aggregatas, nocturno silentio exonerando levigantes, & in summitate mali uniuscujusque navis solium duorum, vel trium hominum arte componentes, lapidibusque, & pilis ad jacendum munientes se se ad defensionem potius, quam ad deditionem aptant. Dux verò doli ignarus, summo diluculo potentiores exercitus sui, qui eos se ipsos sicut promiserant dedentes susciperent, mittens, salvis omnibus, quæ ipsorum erant, usque ad se deducere præcipit. Sed advenientibus Venetiani arma potius, quam deditionem ostentantes dum magno impetu versus ipsos grassantur, nostris, quia imparatiores processerant, certamen declinantibus, ipsi in portum Duracensem ad ignominiam, damnumque nostrorum impune applicant: sicque facultatem liberam urbem ingrediendi habentes, vicissim nautæ urbicensibus, & urbicenses nautis consociantur: invicemque per totam noctem, & diem consilium captantes plus minus à medietate noctis transacta, sub pallore Lunæ armantur: navibusque litore ocyus amotis, buccinis concrepando nostris certamen offerre progrediuntur: quibus nostri certatim occurrentes acerrime utrimque congreditur. Sed illi artificiose ignem, quem Græcum appellant, qui nec acqua extinguitur, occultis fistularum meatibus sub undas persflantes quandam navem de nostris, quam Cattum nominant, dolose inter ipsas liquidi equoris undas comburunt. Sed nostri dolo cognito, facto impetu aliam navem de suis non minoris pretii penitus in mare submergunt: sicque damno contra damnum composito, pari ultione facilius fertur: nostrisque exhorrescentibus dolum ipsorum, ipsis autem strenuitatem nostrorum, certamen utrimque diremptum quievit. Ipsi in portum urbis unde exierant, regrediuntur: nostri verò ubi prius applicuerant persistunt.

Porrò in crastino summo diluculo illucescente, mense Octobri instante, dum pars exercitus nostri pabulum quæsitum ire appararent, Imperatorem cum innumerabilibus copiis adventare per signa in summitatibus hastilium eminus evētilantia deprehendunt. Fit concursus, & strepitus in castris: alii terrentur: alii animo promptiores minus fortes exhortantes, recreando robustiores fiunt. Dux verò XXVII.
videns

videns ſibi belli certamen imminere, ut ſuis omnem ſpem fugæ auferendo, ad defenſionem ſui ardentius inflammaret, naves ſuas à mari * protectas omnes combuſſit: ne forte cum acrius prælium noſtris immineret, timidi certamen declinando, ſpe tranſmeandi illorſum aufugerent. Imperator verò appropinquans haud procul à caſtris noſtrorum, ſed quaſi ſtadiis quatuor interpoſitis, caſtrametatur: exercitus abundique *a* ipſe facit: nemine ipſorum adverſum noſtros, ſed neque ex noſtris adverſum ipſos ipſa die aliquid preſumente. Sequenti nocte Dux primas noctis facit excubias. Secundas videlicet à media nocte donec dieſcat, Boamundus filius Ducis. Mane autem facto, Dux ipſe lucis crepuſculo, omneſque noſtri ſurgentes cum ſumma devotione hymnos Dei, cum miſſarum celebratione audiunt: presbyteris compunctive confitentes peccata, muniunt ſacri viatici miniſteriis. Sicque ordinatis aciebus ad certamen gradatim, & conjunctiſſime progrediuntur. Imperator verò ſibi occurrens tanta multitudine undique *b* conſpicatur, ut nullius montis aſcenſus ad ſupervidendum extremitatem ejus ſufficere videretur. Angli verò, quos Vvaringos appellant, ab Imperatore primitias congreſſus expetentes, certamine inito, caudatis bidentibus, quibus hoc genus hominum potiſſimum utitur, infeſtiſſime inſtantes, noſtris admodum importuni primo eſſe cœperunt: cum ecce quædam acies noſtra ex adverſo illis ſub nudo latere prorumpens, forti congreſſu ſauciatos, & ab incepto deterritos in fugam cogit: qui verſus Eccleſiam S. Nicolai, quæ ibi contigua erat, vitæ *c* auxilium expetentes, dum alii quantum capacitas permittebat, ſubintrabant, alii tanta multitudine tecta ſuperſcandunt, ut pondere * ipſa tecta diſſoluta conſubruantur: illos qui ſubintraverant, opprimentes * concluſi pariter ſuffocarentur. Porrò Imperator videns Vvaringos, in quibus ſibi maxima ſpes victoriæ fuerat, enerviter ſuperatos, & noſtros inſequentes adverſum ſe adventare, territus fugam potius, quam certamen eligit: omniſque exercitus Græcorum, tentoriis cum omni ſuppellectili ſua relictis, quiſque prior fugæ fieri accelerat. Noſtri itaque victoriam adepti, Duce eos reprimente, haud longe fugientes perſecuti ſunt: ſed ad caſtra eorum regreſſi, Dux in tentoriis Imperatoris hoſpitatur: cæteri qui priores accedebant, pretioſora hoſpitia cum ſpoliis uſurpant.

Dux ergo videns hiemem ſibi imminere, menſis enim erat Octobris, inde progreſſus, ſuper fluvium Dæmoniorum caſtrum ad *d* æſtuandum conſtruxit: quod ex ſuo agnomine vocans, Montem Guiſcardi appellavit: à quo etiam diatim uſque Duracium armata manu progrediens, diverſis incurſionibus crebro laceſſebat. Caſtra verò diverſa ejuſdem provinciæ ejus infeſtationem ferre non valentes, fœdere cum ipſo compoſito, deditionem facientes ſibi conciliantur.

Marginalia: * *parvas* — In Cod. C. P. — *a ipſi taciti* — *b conſtipatur* — *c aſilum* — * *ipſo certo diſſoluto cum ſubiciuntur* — * *colli ſuffocantur &c.* — In Cod. C. P. — *d hiemandū*

XXVIII. Erat autem ea tempeſtate apud Duracium Venetianus quidam nomine Dominicus nobili genere: cujus providentiæ major turris ad tuendum delegata erat. Hujus animum Dux quadam collocutione habita inter ſe frivola, quantiſper dignoſcens, aliquando, ſed rarius per ſe, aliquando per alios, ne forte fraus ab aliis inter ipſos componi deprehenderetur, attentans diverſis in conventionibus, de traditione urbis ſollicitare cœpit. Animus verò cupidine æger, ut promittentibus avaritiæ luxuria admiſcetur, facile corruptus, à bono, honeſtoque propoſito proclivis in deterius dilapſus eſt. Dux denique ne-

neptem speciosæ formæ habens, filiam videlicet fratris sui Guilielmi Principatus Comitis, ut ei in matrimonium cum hæreditate puellæ competenti sociandam se dare spopondit, pro libitu suo favore usus, Sacramentis ab utrisque partibus datis, illo ut urbem tradat, isto ut neptem conferat jurante, nox per traditionem urbem subintrandi terminatur. Dux de nanciscenda urbe certus, scalas ad * transcendendum muros ex ligno componit. * Venetianus autem in adjutorium Ducis ex funibus * per lexas advenientibus hostibus de muro dependentes porrigit. * Et quia sic scriptum est: nullus perniciosior hostis est ad nocendum, quam familiaris inimicus: ab ipso qui vi tue- ri debuerat, libera facultate urbem prorumpendi hostibus concessa, sub nomine Guiscardi, sinistro clamore sæpius ingeminato, buccinis concrepantibus urbs tota turbatur. Cives in arma ruentes ignari, quod hostes jam secum * infra muros, & in altiori turri essent, in cassum repugnare nituntur. Triduo tamen pro posse,* sed frustra renitentes tandem vi coacti, fœdere composito, deditionem * ipsis facientibus, ditioni Ducis colla * submittunt.

** trascendēdos*
** Venitianus*
** perplexas*
** & quia, fiduti*
** in altiori terræ erant incassum pugnare*
** renitentes*
** fecerunt, ipsumque facientibus*
** submittuntur.*

XXIX. Igitur Dux urbe potitus pro velle suo ordinans Fortino de Rosana procurandam delegavit. Ipse cum exercitu ultra progrediens, totam provinciam debellando sibi subjugatum vadit. Unde & apud urbem, quæ castoria dicitur, veniens, quia ditionem ejus subire recusavit, obsidione composita, eam undique vallavit: minisque terrendo, & interdum blandimentis mulcendo aliquanto tempore infestus persistens, plurimum lacessivit. Trecenti enim Vvaringi in eadem urbe habitabant: custodes ab Imperatore deputati: quorum præsidio, & opere non minimum defensabatur. At cum nostros in oppugnando persistentes vident, machinamenta quibus urbs facilius debeat debellari & debeat apparere timentes, & capta urbe pejus fœdus inire, sibi in futurum præcaventes, fœdere confecto, deditionem faciunt: sicque urbe subjugata, omnes circumquaque provinciæ cum finitimis castris ejus ditioni subjugantur. Ipse quippe omnes qui ad se convertebantur, cum summa honorificentia habebat: muneribus augebat: eorum consilio in iis, quæ facienda erant plurimum utebatur. Et hoc ex industria: ut alii cum ista audirent, facilius sibi applicarentur, agebat. Timor autem ejus totum Imperium, usque ad ipsam Regiam Urbem tremere faciebat.

XXX. Cum ista apud Romaniam à Duce agerentur, Sicilensi Comite Rogerio apud Calabriam, & Apuliam fraternis negotiis uti suis intento, Benarvet apud Siciliam Christiano nomini infestus multa incommoda inferebat. Erat callidissimus: & militari exercitio deditus: audax, subdolus: aliud lingua proferens, aliud tacito pectore occultando gerens: Syracusi, & Noti princeps: cujus consilio omnes Saraceni, qui adhuc in Sicilia rebelles erant, innitebantur. Hic quendam paganum nomine *a* Bencimine, quem Comes apud Catanam in majorem urbi præfecerat, callidis circumventionibus aggrediens, ad tradendam urbem multis munerum, possessionumve pactionibus sollicitabat. Paganus verò nominis sui competens imitator, avaritia cæcatus fidei, Sacramentorumque, quæ Comiti dederat oblitus, statuto termino, *b* infra urbem illum cum maxima multitudine suorum fraudulenter de nocte accipiens, traditionis nomen sibi perpetualiter vindicavit. Quod factum cum per totam Insulam personuisset,

In Cod. C.P. *a Beschumne*
b intra

Chri-

Christiani quidem eo quod tam nefanda fraus inter ipsos reperta sit, plurimum erubescebant: Saraceni autem passim de tanta Christiani nominis ignominia subsannando exhilarabantur. Porrò Jordanus filius Comitis, & Robertus de Surda valle, & Elias *a* Cartomensis, qui ex Saracenis ad fidem Christi conversus, postea apud Castrum Joannis à sua gente hostiliter interceptus, quia negando apostata fieri noluit, martyrio vitam laudabiliter finivit: exercitu admoto versus Catanam iter intendunt. Benarvet verò eos advenire, per speculatores suos, quos undique omnia visum præmittebat, audiens, extra urbem copiam suorum ad præliandum ordinans dimicaturus occurrit. Pedites quidem usque ad viginti millia dextro latere suo in occursum hostium paulisper anteponens, ipse cum equestri legione in sinistro cornu fixus manens: hostes præstolatur. Nostri autem cum centum sexaginta tantummodo milites essent, nil remorati certamen, Deum sibi propitium invocantes ineunt. Tertioque super pedites impetu facto, cum immobiliter persistentes flectere nequeunt, declinantes eos, super equites irruunt: fortiterque congredientes multa strage facta, in fugam vertunt: quos insequentes, & extremos quosque cædentes, usque in portam civitatis impellunt. Benarvet verò sic per fugam vix elapso, de peditibus permaxima strages facta est. Nostri verò ante urbem tentoria figentes obsessionem prægravabant. Sed Benarvet clam de nocte urbe digrediens cum pagano traditore fugiens Syracusi se recepit. Sicque urbs à nostris recuperatur. Paganus traditor à Benarvet, ne Syracusam, sicut Catanam fecerat, tradat, dum præmia pollicita requirit, truncatur.

In Cod C.P. *a Crotomensis*

XXXI. Gregarius autem miles quidam nomine *b* Angelmarus Comiti diu servierat: cui ipse Comes, quamvis infimioris generis esset, propter militarem tamen strenuitatem, quam in eo videbat, volens servitium suum honeste, ut sibi semper mos fuit, remunerare, uxorem nepotis sui Serlonis, *c* videlicet apud Siciliam à Saracenis interemptus fuerat, cum omni *d* sibi competenti, ipsa multum renitente, in matrimonium sibi concessit: ut præclari generis mulierem, erat enim filia Radulfi Bajanensis Comitis, militis generositas inter sodales clarior fieret. Ille verò apud Geracium, cujus quadrans ex dote mulieris sibi competebat, nuptiis sollemniter celebratis, non jam humilitatis honorem servans, ad sui generis debilitatem mentem reducebat, sed uxoris generositatem in animo sibi vindicans, æqualem se & genere, & dignitate illi, cujus antea uxor fuerat, jactans proterve appetebat. Hic apud Geracium, ubi Comes turrim firmaverat, demum defensabilem incipiens, paulatim provehendo, & interdum dissimulando fortissimam turrim effecit: Geracenses omnes suis adulationibus, & favoribus sibi attrahens: & Sacramentis datis, & acceptis in amicitia confœderans. Quod cum Comiti renuntiatum fuisset, insolentiam ejus animadvertens, & in futurum timens, ne forte fiducia turris, in aliquod deterius consilium reverteretur, turrim in modum domus habitabilis deponere humiliter jubet: increpans eum, quod se inconsulto tale quid præsumpsisset. Ille verò cum Geracensibus consilium habens prave * definito ipsis se sibi laturos promittentibus, beneficii sibi collocati, ut assolet inter degeneres, oblitus contra Comitem recalcitrare, potiusquam obedire, indecenter * elegit. Quod cum Comiti compertum fuisset, Geracensibus, ut turrim destruant, &

b Engelmarus. *c qui* *d dote* * *diffinito ipsis se auxilium* * *eligit.*

An-

a Angelmarum captioni suæ mandent, imperat: quibus non tam fidelitate Angelmari, sed quia omne genus nostræ gentis illis invisum erat, & magis discordias inter nostros, quam pacem fieri exoptabant, ad id recusantibus, Comes legalitatem suam servans, hactenus homini suo diffidentiam in posterum mandat: sicque admoto exercitu, versus Geracium obsessum pergit. Angelmarus verò astu Geracensium animos demulcens, aliquanto tempore suæ ineptiæ complices detinuit. At dum vident se à Comite exterius, interiusque prægravari, cœperunt & ipsi à stulto proposito deficere: & fatigari. Quod Angelmarus advertens, territus ne ab ipsis Comiti traderetur, & ipsi reconciliarentur, profugus evagans discessit. Uxor autem ejus ad misericordiam Comitis veniens, pia recordatione nepotis, cujus uxor fuerat, salvis omnibus, quæ habebat, ad maritum conductum meruit: Comes verò reconciliantibus Græcis Geracium recepit.

a In Cod. C. P. Angelmarus

XXXII. Eodem anno idem Comes sumptibus pluribus apparatis, undecumque terrarum artificiosis cæmentariis conductis, fundamenta, castella, turresque apud Messanam urbem jaciens, ædificare cœpit: cui operi studiosos magistratus, qui operariis non deessent, deputans, interdum ipse visum veniens, ipsos per semetipsum cohortando, festinantiores reddens, brevi tempore turribus, & propugnaculis immensæ altitudinis mirifico opere consummavit: & quia hanc, quasi clavem Siciliæ æstimabat præ cæteris urbibus, quas habebat, fidelibus tutoribus deputatis artiori custodia observabat. Ecclesiam etiam in honore S. Nicolai in eadem urbe cum summa honorificentia construens, & diversis possessionibus augendo dotans, clericis ad serviendum deputatis, Pontificali Sede aptavit: sed eam cum Trainensi cathedra univit.

XXXIII. Igitur famosissimus Dux Calabriæ, Apulorumque Princeps Robertus Guiscardus apud Bulgatos fortiter, omnia sibi subjugando, agens, anno incarnati Verbi 1082. à Romanæ Sedis Apostolico viro Gregorio litteris continentibus angustiam suam acceptis, ut in adjutorium S. Romanæ Ecclesiæ reditum acceleret, multis precibus cohortatur. Imperator namque Alamanorum Henricus, quibusdam controversiis inter se ortis Romam cum exercitu veniens, obsessa diutius urbe, eandem fortuna suffragante irruperat: Romanisque potentioribus *b* sibi injungendo confœderatis, ipsum Apostolicum virum in turri quadam, quæ Crescentii dicitur, reclusum obsederat: aliumque in loco ejus, Archiepiscopum videlicet Ravennatem Umbertum nomine, re indiscussa, contra sanctos Canones quod nefas est dicere, Cathedræ Beati Petri subrogaverat. Ipse verò tanta obsidione prægravabatur, ut neque sibi, usquam progrediendi liber transitus pateret. Dux verò quamvis ad id quod cœperat, intendere omnibus utilitatibus in animo præfert, tamen calamitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ audiens, & dominum suum, sub quo omnia, quæ habebat, possidere se cognoscebat, in tantum angustiari, fidem datam, & legalitatem suam servans maluit sua, quamvis cara, ad tempus ponere, & Sanctæ Dei Ecclesiæ, vel domini sui necessitatibus inservire. Sicque filio suo Boamundo strenuissimo militi, quæ cœperat exequenda committens, copiis omnibus sibi delegatis, ipse cum paucis placido remige versus Apuliam, versus Hydruntum applicat.

b subjugando

XXXIV. Ea tempestate plures apud Apuliam propter absentiam Ducis in-

insolentes, adversus eum conspiraverant: volentes ea, quæ ejus juris erant, usurpare: putantes eum altioribus negotiis intentum ulterius regrediendi illuc non curare. Unde & Gaufridus de Conversana apud urbem, quæ Oria dicitur, haud longe à provincia Tarentina obsidionem ponens, plurimum lacessendo infestissimus erat. Dux verò apud Hydruntum applicans, auditu urbi obsidionem imminere, illorsum cum paucis appropiare accelerat. Porrò illi qui obsidionis primarii erant, per legatum Ducem adventantem cognoscentes, præsentiam ejus exhurrescentes abincepto deterriti, cum plures essent, obsidione soluta quisque fugam accelerans in sua dilabitur. Cives autem sic obsessione, qua prægravabantur eruti advenienti Duci occurrere accelerant: cum gaudio, & omni obsequio excipiunt. Sed per universam Apuliam seditiones, quas infidelitas turbaverat, à præsentia ejus sedatæ in conspectu ejus, acsi numquam fuissent, siluerunt.

XXXV. Porrò Dux fratre Comite à Sicilia arcessitu, admoto plurimo exercitu, super Jordanum nepotem suum Principem Aversæ messes vastatum vadit. Nam cum antea inter ipsos diversis controversiis inimicitiæ efferbuissent, hoc ira in Principem plurimum incalescebat, quod noviter in damnum Apostolici, Imperatoris hominem ipsum effectum, & terram suam sub ipso deserviendam suscepisse audierat. Veniens itaque cum exercitu ante urbem Capuanam, & Castrum, quod Aversa dicitur, ipsu invito, nec prupulsare valente, per octo, & eo amplius dies commorans, multa depopulatione totam provinciam lacessivit. Sed quia ipse Jordanus elegantissimus miles erat, & elegantissimos secum habebat, multa militaliter diversis congressibus utrimque perpetrata sunt. Inde itaque rediens per totam Apuliam, & Calabriam exercitum perscribens submonetsut proxima ventura æstate secum Romam super Imperatorem ituri expensas, sive commeatus aptarent.

XXXVI. Comes à fratre noviter à Bulgaria revertente invitatus, sibi occurrere versus Apuliam intendes, Jordano filio suo Siciliam procurandam delegat: interdicens omnibus, ne quis in iis quæ præciperet, sibi contrarius esse præsumeret. Erat autem Jordanus ex con-
In Cod.C.P. cubina: tamen magnæ *a* viris animi, & corporis: magnarum rerum
a *vis.* gloriæ, suæ dominationis appetitor: & jam dudum consilio pravorum sibi adhærentium juvenum tacito sub pectore usus, insurgendi conspirationem versans, sic discedente patre, locum suæ pravæ dispositionis, ut sibi dicebatur nactus, plures callide circumveniendo,
* *peracto* fidem illorum, nec dum negotiu * aperto, astu abstrahit: ut quæcum-
astu attrahit que ipse prior inciperet, ipsi complices in perficiendo persisterent.
ut quicumque Talibus * itaque deceptis, tandem dolum diu dispositum aperit. Cum
quibusdam displicuerit, * pluribus placet. *b* Quibus quisque * talibus
* *ita* assentire renitens * improbe hortatur, ne fidem datam mentiri velit.
* *&*
In Cod.C.P. Sacramenta patri exhibita in hoc salva fore, quod proficiscens quid-
b *Probus* quid Jordanus vellet, vel præciperet omnibus obedire debere impe-
* *&* raverat. Jordano plura promittente, sic pravi consilii assensus inter
* *improbo* plures à Jordano in iis quæ patris erant, ultra quam deceret, vel ab ipso patre concessum erat, præsumitur. Nam castrum Sancti Marci, & Mistretam sibi usurpans, detecta fraude prædas per totam provinciam ibidem introducit. Sed & versus Trainam hostiliter accedens,

dens, patris thesauros, qui illuc servabantur, asportare nisus, dispositione sua frustratus, vacuus redit. Nam fideles Comitis fraude comperta simul convenientes, hostiliter accedentem ab ipsis finibus arcent. Quod cum patri renuntiatum fuisset, reditum accelerat: atque ut vir sapiens, provide agens, ne filius territus ad Saracenos, qui adhuc rebelles erant, transiret, versus eum hostiliter ire dissimulat: sed omnia, quæ fecerat filius, juvenili ætate, & indulgentia digna ascribit. At cum filio, quæ fecerat patrem leviter ferre nuntiatur, minus iis, qui secum erant, prospiciens, flebili fœdere interposito ad patrem accedit. Pater ad tempus iram dissimulans, advenienti filio lætum vultum ostendit. Sed paucis diebus interpositis pater in futurum prospiciens, ne si ii, qui tale consilium, filio complices facti dederant, impune transirent, alii ad simile aliquid præsumentes raperentur, nesciente filio, duodecim priores hujus erroris, unum post alium arcessens, oculis privari fecit. Quo facto filium etiam tali incepto ulterius compescere terrendo volens arcessitum, idem causa justitiæ facere fingens minatur. Sed à fidelibus suis, quibus ex industria idem agere prædixerat, retentus: territo filio, de cætero pro libitu suo, ut decuit usus est: nam disciplina, & rigor justitiæ cum pace communionem habent: Psalmista attestante: qui ait. Misericordia, & veritas obviaverunt sibi: justitia, & pax osculatæ sunt. Sic enim misericordia sectanda est, ut justitia remissior in ultra quam decet, non fit: ne vitia nimium inolescant. Unde & providus pater, ut sapiens medicus, hunc ipsum filium suum, ut à pravitate compesceret, tanto rigore territum attrivit.

XXXVII.

Anno itaque Dominicæ * Incarnationis 1083. omnibus accuratissime apparatis, equestri plurimo exercitu, sed & peditum * copiis Dux versus Romam * ad obsessionem Imperatoris, infideliumque Romanorum * Papam Gregorium, * qui & Ildebrandus ante susceptum papatum dicebatur, * contra Cæsarem si necesse * fit, & nisi cedat, dimicatum leonina * ferocitate iter intendit. At cum jam prope ventum est, incaute incedere volens, ordinatis aciebus, mille electos milites, cum totidem vexillis præmittens, aliam aciem cum tribus millibus pedetentim subsequi præcipit. Ipse cum reliquo exercitu, peditum copias, & quæque infirmiora ante se ponens provide subsequitur. Audierat quippe milites Imperatoris sibi in occursum, Romani ex parte aquæductus exisse: sed hoc sibi falsò relatum erat. Nam ipse Imperator jamdudum multa ex parte exercitum suum à se dimiserat: & cum minori militia quam accesserat, Romæ nil tale suspicatus morabatur: dumque hostes adventare præsentiit, suis viribus minus sufficiens, & Romanorum fraudem, quamvis indeficientes illi adesse promitterent, pertimescens, cum maximo dolore animi cedens, urbe digressus jam ante triduum recesserat. Dux itaque neminem sibi, ut suspicabatur, occursantem hostiliter offendens, libero ad urbem accessu nisus, ante portam, qua via Tusculana porrigitur, juxta aquæductus castra metatur: ubi triduo commoratus, urbe undique circumconspecta, quodam diluculo cum mille & trecentis militibus ad portam, quæ S. Laurentii dicitur, sub aquæductu juxta Tiberim, ubi minorem custodiam, nemine in illa parte aliquid suspicante, persensit, accedens, scalis silenter appositis muros transcendit: portisque ferro apertis suos introducens per plateas urbis, usque

* incarnationis omnibus
* plurimis
* obsidione
* ad liberandum
* quia Aldebrandus suû suscepisse
* contraque
* esset
* feritate

usque ad pontem, in quo suus exercitus præstolabatur Guiscardum clamoribus ingeminando, civesque terrendo, portaque vi potius fracta, quam reserata suos intromittens urbem irrumpit. Sicque directo impetu usque ad turrim Crescentii percurrens Papam eripit: eductumque honore, quo decebat abducens palatio Lateranensi restituit ubi Dux prior, & omnis exercitus subsequenter cum oblationibus ad pedes ejus, debito more provoluti plurimum thesaurum contulerent. Porrò Romani viribus resumptis, conspiratione invicem facta, tertia die post congregati, per medias plateas urbis impetu facto super nostros irruere conantur. Fit clamor, & strepitus in urbe. Nostri à mensis quibus assidebant, prorumpentes, ocyus in arma ruunt: hostibus hostes corruunt: dura frons ab dura fronte obviatur. Rogerius filius Ducis cum mille equitibus nesciente patre extra urbem à Romanis infestari, citissimus cum impetu advolat. Sed Romanis fortiter insistentibus nullus impetus prævalebat: donec Dux ignem exclamans, urbe accensa, ferro, & flamma insistit. Tunc demum Romani incendium ferre non valentes in fugam vertuntur. Dux fugientes extremos quosque cædendo, usque ad pontem persequitur. Urbs maxima ex parte incendio, vento admixto accrescente consumitur: nostri victores apud Lateranum revertuntur. Romani itaque hostes infra muros sibi imminere cernentes, & eorum infestationibus prægravari, ulterius ferre non valentes, consilio inter se prudentiores urbis habito, eligunt sanius Apostolico suo confœderando reconciliari, quam diutius in incepta ineptia persistendo hostili gladio, nullo quæstu ventilari. Sicque pace expedita allocutum accedentes pluribus circumventionibus de excusatione fraudis usi, tandem venia impetrata reconciliantur. Sacramentis pro libito Papæ, & Ducis obligati fœderantur. Nostris recedentibus urbs à calamitate hostili absolvitur.

At vir Apostolicus perfidiam Romanorum cognoscens, & ulterius obsessione circumveniri cavens, consilio fidelium suorum usus, ad tempus urbe digrediendo, Romanorum fraudem declinare, *a* quam ibi persistendo, & libera facultate eis concessa de se ipso periculum faciendo utrum ea quæ promittebant, fideliter, an non servarentur tentare, sed cum Duce in Apuliam secedens apud Beneventum venit: sicque in Apuliæ partibus usque ad extremum vitæ Roma invisa permansit.

a In Cod. C. P. *a & in Monasterio Casfinensi Pontifex diu habitavit*

XXXVIII.

Roma quodam bellipotens toto orbe florida:
Colla superborum domans perlustrabas climata.
Leges dabas: & habenis temperabas omnia.
Ante te tremebant Duces: Principes: Imperia:
Curvabantur colla Regum loris tuis domita.
Nil superba resistebant: ense tuo territa.
Ordinabas *b* quod volebas Duces, sive Princeps.
Deponebas *c* quos volebas servos dans humile.
Artibus *d* exercuisti justos habens judices.
Dumque justa sectabaris, fruebaris prosperis.
Leges à te requirebant omnes reges sæculi.
Sententia per te data indivisa perstitit.
Tempore *e* haud longo talibus studiis
Implicaris fraude tua turpibus negotiis

b quos
c superbos
d his
e hoc longe talibus à studiis

Frau-

Fraude tua clarescente *a* mœres despicabilis. In Cod.C.P. *a marces*
Te jam nulli pertimescunt: terga præbes omnibus.
Arma tua hebetata carent acuminibus.
Leges tuæ depravatæ plenæ falsitatibus In Cod.C.P.
In te cuncta prava vigent, luxus, avaritia,
Fides nulla, nullus ordo, pestis Simoniaca
Gravat omnes fines suos; cuncta sunt venalia
Per te ruit sacer ordo, aqua primum prodiit.
Non sufficit Papa unus: binis gaudes infulis
Fides tua solidatur sumptibus exhibitis.
Dum dat iste, pulsas illum, hoc cessante revocas:
Illo istum minitaris, sic imples marsupias. In Cod.C.P.
Cuncto orbi dans errorem hæc miscendo schismata.
Ni cessassent bonæ artis in te prima studia,
Nulli Regi de te *b* cessisset victoria. *b posset*
Miles *c* quidem iste Normannus, qui te victam superat. *c quidam est*
Non terret te Apostolorum sacra præsentia?
Nec revocant ab inceptis *d* te sanctorum pignora? *d tot*
Fons quondam totius laudis, nunc es fraudis fovea In Cod.C.P.
Moribus es depravata exausta nobilibus
Pravis studiis inservis, nec est pudor frontibus.
Surge Petre summe pastor finem pone talibus.

Duce itaque apud Romam Apostolicis necessitatibus inservien- XXXIX.
te Boamundus filius ejus apud Bulgaros, ubi à patre relictus erat, strenue gerens, patris vices haud graviter exequebatur: urbemque, quæ *e* Arta dicitur, obsidens plurimum infestus persistendo, capere (*e Arsa*) omnibus artibus nitebatur. Porrò Imperator audiens urbem sui juris hostibus prægravari, Ducemque, quem plurimum pertimescebat, recessisse, absentia ejus viribus resumptis, exercitu admoto, urbi succurrendum multis copiis parat. Sed venienti Boamundus occurrens, certamine inito, bellum *f* comperit. In primo congressu, qui (*f conserit*) * primum accesserant, collisi sternuntur: subsequentes visu * terrentur: fuga initur. Imperator cum primis fugientibus esse utile * ducit. (* *primi* * *suasequenter visu terruntur* * *fugam capere dicit; quo fugato*) Imperatore fugato Boamundus victor efficitur.

Quod cum Duci cum triumphali gloria à Roma revertenti renuntiatum fuisset, filium à se non degenerare cognoscens, & in hoc maxime, quod uno in tempore duorum Imperatorum fuga triumphali gloria laus sibi, suisque concessa sit, veniens in Apuliam mini- XXXX.
stros suos undecumque convocans omnibus suis ordinatissime dispositis, plurimo exercitu versus Græciam quæ cœperat, executum accelerare disponit. Navibus denique mense Septembri à tota Apulia, Calabria, sive Sicilia apud Hydruntum conflatis, copiisque necessariis introductis, prospera aura suffragante, optato portu applicans filium, & quos cum ipso apud extremas partes dimiserat, de reditu suo sollicitando anhelos, plurimum lætitiæ se ipsum repræsentando reddidit. Sicque ad quod venerat exequens, omnem patriam suo reditu turbabat: urbibus infestus obsessionibus *g* indefessus: congres- (In Cod.C.P. *g assiduus persistendo*) sibus prior: excubiis nusquam absens: nunc minis terrendo, nunc blandimentis mulcendo Imperium sollicitum reddens ante se tremere faciebat.

XL. Mirabile quoddam præſagium, quod per totam Apuliam, Calabriam, ſive Siciliam viſum eſt, huic operi inſerere dignum duximus. Maxime quod ea, quæ tale ſignum portendebat, nos ex parte non ignorare putamus. Anno denique incarnati Salvatoris 1084. ſexto die Februarii inter ſextam, & nonam Sol obſcuratus eſt per ſpatium trium horarum: in tantum, ut qui infra domos alicui operi inſudabant, non niſi luminibus accenſis, interim quæ cœperant, exequi poſſent: qui verò de domo ad domum tranſmigrare volebant lanternis, & facibus uterentur. Sed antequam annus pertranſiſſet ſignificatio talis eclipſis, in quantum nos putamus pluribus cum maximo damno præclaruit. Nam eodem anno venerabilis Papa Gregorius, cujus ſuperius mentio facta eſt, infirmitatis ſuæ à medicis medicamentum expetens fruſtratis medicaminibus obiit. Dux Julio menſe: & famoſiſſimus Rex Anglorum, & Normannorum Dux Guilielmus nono die Septembris moriuntur. Ducis verò exequias uxor *a* Gayta cum filio Rogerio, qui tunc cum ipſo apud Bulgaros morabatur, & cæteri Barones ejus debito honore, non tamen ſine *b* juſtitia exequentes funus tranſmeatum Venuſium humatum perferunt. Græcia hoſtibus recedentibus libera, læta quievit: Apulia tota ſive Calabria turbatur.

In Cod. C. P. *a Sichelgayta* *b juſtitio*

XLI. *c* Jam fratribus Rogerio, & Boamundo, utroque Ducatum appetente, inter ſe diffidentibus, & pluribus nunc ab iſto, nunc ab illo incrementa expetendo, lucrum ſuum quærentibus, multorum Apulorum fides quanti fuerit, experimento claruit. Rogerius tandem adjutorio avunculi ſui Siculorum Comitis Rogerii, qui vivente fratre, idem ſibi promiſerat, Dux efficitur. Omnia caſtella Calabriæ, quorum necdum niſi medietatis cujuſquam Comes Rogerius habebat, à nepote ad plenum ſibi conceſſa conſignantur. Nunc itaque quia ſuprema dies tanti Principis loquendi de ipſo, quantum ad librum finem facit, finis quoque, ut mihi videtur hujus hic ponendus eſt libri: ut de novo Duce mixtim cum Comite loquentes novum librum obſequamur.

c nam

Explicit Liber Tertius.



IN

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

IN-

INCIPIUNT GESTA
QUARTI LIBRI.

*poema

* novarum verum ut vilitate assolet & pectore, * poema



I esset unde, nova, & elegantior * poetria, novo Duci adhibenda esset: ut facundior sermo à juvene * novorum, ut in tali ætate assolet, appetitore, novo stylo, novos favores, suo merito extorqueret. Sed ne stylum mutando hoc quasi adulatione facere dicamur, prioris * poetriæ ordine servato, orationis seriem exequamur.

I. IGitur Rogerio Comite nepotis utilitatibus, ut eum plenius in Ducatu Calabrensi, vel certe in Principatu, & dominatione Apuliæ contra voluntatem æmulorum suorum solidaret, intendendo præoccupato, Benarvet Syracusi navigio apparato, navali exercitu apud Nicotrum veniens, à radice destruendo devastat. Direptis omnibus quæ potuit, viros, & mulieres captivos asportat. Sicque ante Rhegium veniens, Ecclesiam haud longe in honore Beati Nicolai, & aliam in Beati Georgii sitam depopulat: sacras imagines deturpando conculcat: sacras vestes, vel vasa, suorum usibus aptando asportat. Inde progressus quandam sanctimonialium Abbatiam in honore Sanctę Dei Genitricis, & Virginis Mariæ in confinio Scyllatiensi, loco qui *a* Roca Asini dicitur, consacratam aggrediens devastat: sanctimoniales abductas turpi stupro dehonestatas abducit.

In Cod. C. P. a Recca

II. Qua de re Comes divinitus ira plus solito inspiratus, in ultionem tantæ Deo illatæ iniuriæ ardentissime insurgit: classemque, qua illum facilius circumveniendo opprimat, primo die Octobris aptare incipiens, vicesimo die Madii perficit: sicque sese affligendo, summa devotione in litaniis, nudis pedibus, per diversas Ecclesias processiones exequens, multa beneficia indigis largitus, navali periculo sese committens, versus Syracusam vela dirigit: Jordanum verò filium suum cum equestri exercitu illuc sibi obvium fieri præcipit: videns naves nutu Dei agi: & nulla aura, vel remige impingente, rapidas * equorum undas è recto sulcare: ut facile perpenderet hanc expeditionem Dei * favorem comitari: & hostibus prævalere debere. Comes igitur *b* hostsione de obtinenda victoria certior factus, prima nocte *c* Turoneum applicat: secunda verò apud * Longeuam, tertia Resesalix. Hic Jordanus filius suus cum exercitu equestri sibi obvius factus, multa inter se, de iis, quæ facienda erant, consilio habito conferentes, Philippum filium *d* Georgii patrui, cum velocissima sagetia, versus Syracusam omnem rem exploratum mandant. Qui jussa fideliter complens, de nocte inter classem Saracenorum, ac si unus ex ipsis esset, circumnavigat: nam & lingua eorum ipse, & nautæ omnes qui cum ipso processerant, peritissimi erant: omnibusque prudenter circumspectis, rediens certamen paratum renuntiat: Deo propitio nihil periculi imminere: hostibus audacter occurrendum hortatur. Erat autem Sabbathum. Comes autem suos commonens, prima luce illucescente hymnos matutinos, cum missarum sacra executione audivit: presbyteris confitentur: sacris mysteriis initian-

* equoris undas directo cursu
* favore
In Cod C. P. b obstensione
c Taurome-nium
* Longinam, tertia Besselap
In Cod C P. d Gregorii patricii

ftantur: per totam diem ibidem morantur. Sequenti nocte mediante, equoris anchoris extractis, cum filentio procedentes, luna illucefcente Syracufam, ubi Benarvet acerrime cum claffe fua præftolabatur, venerunt: certamen ineunt: utrimque congreditur. Benarvet inftinctu diaboli, qui vitam ejus jam mifera morte terminare volebat, quo navem Comitis eminus agnovit, magno impetu graffans illorfum irruit: acriter bellatur: fed acrius excipitur. Nam à Lupino quodam primum jaculo confoffus, dum à Comite, qui navim ejus infilierat, minaci enfe perfequitur, ipfe proximam navem de fuis ad fugiendum faltu appetens, in mare cum pondere ferri demergitur. Sicque iniuriam, quam Deo arroganter intulit, divino judicio condigna ultione multatur pœnas luendo perpeffus. Reliqui verò dum fugere nituntur, à noftris citato remige perfecuti truncantur. Si Jordanus interim urbem oppugnaffet, profecto facile debellata fuccubiffet: fed pater minus provide interdixerat fibi ne fieret. A Majo igitur ufque in Octobrem obfeffione urbi dedita, ipfa multum recalcitrante, plurima infeftatio utrimque facta eft Cives verò Chriftianos plurimos incaptione infra urbem habentes folutos ab urbe ejiciunt: rati noftros fic facile ab urbe proceffuros. At dum nihilominus perfiftere vident, uxor Benarvet cum filio, & melioribus urbis, navibus duabus de nocte, per medias naves noftras rapidiffimo remige evadentes fe fe Notum recipiunt. Reliqui fœdere compofito, deditione fe, & urbem reddunt: anno Dominicæ incarnationis millefimo octogefimo quinto.

III. Cum ifta geruntur, Pifani apud Africam negotiando proficifcebantur, quafdam iniurias paffi, exercitu congregato, urbem Regiam Regis Tunicii oppugnantes, ufque ad majorem turrim, qua Rex defendebatur, capiunt. Sed quia fua virtute urbe expugnata, patriam retinere minus fufficientes erant, Comiti Sicilienfi, quem talibus prævalidum cognofcebant, eam fi recipere velit, per legatos invitantes offerunt. Porrò ille quia regi * Tunitii amicitiam fe fervaturum dixerat, legalitatem fuam fervans in damno illius affentire diftulit. Rex verò * Tunitius cum certando refiftere nequit, pretio pacem * mercatus, quos armis minus fufficiebat, pecunia a claffe fines Chriftiani nominis * pervafum ulterius tentare: & quos ejufdem religionis captivos tenebat, coactus eft abfolvere.

* Thumino

* Thuminus

* mercatu, quamvis In Cod. C P. a finibus fuis arcet. promittens etiã fub oftentatione legis fuæ nulla, claffe &c.

* ulterius tentare pervafum,

Dux autem Rogerius apud Apuliam, & Calabriam fua fapienter difponens, in omnibus ftrenue, & provide agebat: & quanvis juvenili ætate effet, fecundum quod agebat, eum non jam juvenem, fed moribus feniffimum judicare poffes. Militiæ affiduus, frequentium militum amans: colloquio affabilis: muneribus largus: labori, vigiliifque indeficiens: Ecclefiarum defenfor: pauperum, & mærentium confolatur: fuis clypeus: hoftibus aculeus: jufte judicans omnia: excepto quod pietatis affectu obviante, in rigore juftitiæ aliquantulum remiffior erat. His artibus in fe accrefcentibus omnium bonorum favorem brevi obtinuit. Hic Boamundum fratrem fuum ambitione Ducatus à fe defcifcentem, qui jam urbem, quæ Oria dicitur, traditione civium adeptus erat, per quam provinciam Tarentinam, & Hydruntinam fpe prædæ, complicibus undequaque fibi alligatis infeftabat, minus adverfum fe proficere videns, non quod miles elegantiffimus non fuerit, fed quia fumptus ad id negotii nécef-

IV.

cessarii minus suppetebant, fraterna pietate commotus, arcessito ad se, & reconciliato partem paternæ hæreditatis contulit: annuens ei ipsam Oriam urbem, quam pervaserat: adjiciens Tarentum, & Hydruntum, sive Galipolim cum omnibus appendiciis: & quidquid Gaufridus de Conversana sub ipso habebat cum famulatu ejusdem. Reliquos verò, si qui adversarii erant, sua strenuitate sternebat: ubi verò minus per se sufficiebat, Siciliensi Comite, quasi pro verbere ad alios subjugandos utebatur: cujus virtute pluribus territis, minus resistere præsumebant.

V. Comes ergo Rogerius omnes potentiores Siciliæ à se debellatos gaudens, & nemine, excepto Chamuto superstite, ad hoc assidua deliberatione intendit, ut ipso circumveniendo debellato, omnem sibi de cætero Siciliam subdat. Unde exercitu admoto, ipso apud castrum Joannis immorante, uxorem ejus, ac liberos apud Agrigentinam urbem obsessum vadit anno Dominicę incarnationis millesimo octogesimo sexto prima die Aprilis: quam undique exercitu vallans, diutina oppressione lacessivit: studioque machinamentis ad urbem capiendam apparatis, tandem vicesimaquinta die Julii viribus exhausta imminentibus hostibus patuit: uxor Chamuti cum liberis, Comitis *a* inventa est captionis. Comes itaque in urbe pro libitu suo positus uxorem Chamuti omni dehonestatione prohibita, suis custodiendam deliberat: sciens Chamutum sibi facilius reconciliari, si eam absque dehonestatione cognoverit attractari. Urbem itaque pro velle suo ordinans, castello firmissimo munit: vallo gyrat: turribus & propugnaculis ad defensionem aptat: finitima castra incursionibus lacessens ad deditionem cogit: unde & usque ad undecim ævo brevi subjugata sibi alligat: quorum ista sunt nomina: Platono, *b* Missor, Gastaiel, Satuti, Racel, Bisar, Muclose, Garo, Calatenissa, quod nostra lingua interpretatum resolvitur, *c* Castra Feminarum: *d* Lerata, Remise.

In Cod. C.P. *a innecta è captioni*

b *Missar, Gnastilel, Satiri, Gemellos, Rasclbisar, Miclusfe,*

c *Castrum*

d *Lecata, Remunisse*

Comes itaque sibi omnia prospere cedere Dei miseratione cognoscens, adjicit castrum Joannis sibi aut oppressione, aut certe astu, aliqua composita confœderatione sibi applicare. Unde & quodam

VI. diluculo cum centum militibus versus Castrum Joannis properans, Chamutum fœdere interposito, locutum invitat. Quem diversis verborum circumitionibus attemptans deditione Castri, & conversione ad Christi baptismatis regenerationem pulsat. Porrò ille cognoscens, experimento de aliis sumpto, Comitem ad quodcumque intenderet, fortuna favente, nihil frustra niti, aliquantulum etiam de conversione ad fidem tacito sub pectore inspiratus, clam suis agit, ut statuto termino Comes cum exercitu ante castrum veniens, ipsum cum omni suppellectili sua ad se transfugientem suscipiat. Timebat enim ne si in propatulo fieret, quod castrum reddere, vel ad fidem Catholicam transire niteretur, à suismet perimeretur. Comes à tali promissione lætus apud Agrigentum redit: statuto termino silenter exercitu conflato, haud procul à castro Joannis, loco inter se prænotato insidiis occultatur. Chamut omnibus suis mulis, & equis superpositis, quasi aliquorsum processurus urbe digreditur: ex industria super insidias nostrorum incidit: à nostris excipitur. Comperto Castrum Joannis à nostris oppugnatur. Porrò cives tali facto viribus exhausti terrentur: pro re, atque tempore consilium aptant. Fœdere composito

ſito Comiti reconciliantur: Caſtrum deditioni adjicitur. Comes Caſtrum adeptus lætus efficitur: noſtræ genti ad tuendum fortiores turres aſſignantur. Chamut cum uxore, & liberis Chriſtianus efficitur: hoc ſolo conventioni inter poſito, quod uxor ſua, quæ ſibi quadam conſanguinitatis linea conjungebatur, in poſterum ſibi non interdiceretur. Chamut inter ſuos ulterius commorari vel differens, vel diffidens ne Comiti, quaſi aliquam fallaciam miſcens, ſuſpectus fieret, vel minus crederetur, apud Calabriam in provincia Melitana à Comite terram ſuis uſibus ſufficientem expetit: quod Comes ſibi libenter annuens illuc ſeceſſit: ſicque poſtea longo tempore vivens, ab omni fraude verſus noſtram gentem ſeſe irreprehenſibilem deinceps exhibuit.

VII. Comes videns propiciatione Dei omnem Siciliam, excepta Butera, & Noto ſuæ ditioni ſubeundo ceſſiſſe, ne ingratus tanti beneficii ſibi à Deo collati exiſteret, cœpit Deo devotus exiſtere: juſta judicia amare: juſtitiam exequi: veritatem amplecti: Eccleſiam frequentare cum devotione: ſacris hymnis adſtare: decimationes omnium redditūum ſuorum ſacris Eccleſiis attribuere: viduarum, & orphanorum, ſed & mœrentium cum ratione conſolator. Eccleſias paſſim per univerſam Siciliam reparat: ipſe pluribus in locis de ſuo ſumptus, quibus facilius ſiant, attribuit. In urbe Agrigentina Pontificalibus inſulis cathedram ſublimat: terris, decimis, & diverſis copiis, quæ Pontifici, & clero competenter deſignata ſufficiant, hæreditaliter chirographris ſuis dotat: ornamentis, & ſacri altaris utenſilibus ad plenum conſignatis. Huic Eccleſiæ Gerlandum quendam natione Allubrogum, virum, ut ajunt magnæ caritatis, & Eccleſiaſticis diſciplinis eruditum Epiſcopum ordinans, præfecit. Haud ſecus apud Mazaram facere addens, omnibus quæ rite ſufficerent Præ-lato, & clericis ad plenum deſignatis Stephanum quendam Rothomagenſem, honeſtæ vitæ virum Epiſcopum ordinavit. Apud Syracuſam verò idem adjiciens Rogerium Decanum Eccleſiæ Trainenſis honeſtæ eruditionis clericum, & boni moris, & affabilitatis virum in Provincia ortum Pontificalibus inſulis ſublimavit: Trainenſibus non minimum de ejus amiſſione dolentibus: quippe cujus doctrina, & exemplo ad meliora ſemper hortabatur: & conſilio, & eloquentia etiam in ipſis ſæcularibus negotiis, quaſi pro baculo ſuſtentationis utebantur: nam & abſente Epiſcopo vices ſibi delegatas eum omni prudentia, & moderatione exequebatur. Apud S. Euphemiam verò monachum quendam, natione Britonem, virum religioſum, poſt Abbatem totam Eccleſiam prudenti moderamine audiens, ut hunc Eccleſiæ Catanenſi *a* impetrare queat, Epiſcopum *b* ordinare intendit. Quare & per ſe metipſum illuc accedens, vix tandem monachis hoc carere volentibus, ipſo etiam præ cæteris amplius, reluctante obtinuit. Sicque ſollemniter Epiſcopatum concedens, quod nulli Epiſcoporum feciſſe cognoſcitur, totam urbem ſedi ſuæ cum omnibus appendiciis ſuis ſub chirographo, & teſtibus hæreditaliter poſſidendam aſsignavit. Porrò ille Eccleſiam minus cultam, ut pote à faucibus incredulæ gentis erutam ſuſcipiens, *c* juris ſtudiis primo ſtudioſius inhærens, brevi Eccleſiam omnibus neceſſariis provehens, ad Mariæ vices cum Martha exequendum tranſiit: monachorum turbam non modicam ſibi coadunans, diſtrictæ regulæ jugo, verbo,

In Cod. C.P. *a* ſi *b* ordinet. *c* Marthe

& exemplo subesse, ut fidelis pastor coegit.

VIII. Ea tempestate Philippus Rex Francorum uxorem habens legitimam, & præclari generis Bertam nomine, ex qua susceperat filium nomine *a* Leudovisinum, cui etiam ab omnibus curialibus regnum post se habere designaverat, contra jus legitimæ conjunctionis exosam habere fecit: & à se contra Canonum statuta libello repudii conatur repellere: nihil criminis objecto: excepto quod sanguinitatem falso adnumerare tentabat: nec poterat. Hic legatos apud Siciliam ad Comitem dirigens, filiam ejus nomine Eminam, quam de prima uxore speciosam puellam habebat, sibi in matrimonium copulandam expetit. Comes verò fraudis, quam versus legitimam uxorem habebat, ignarus, cum multis sponsalibus se sibi daturum concessit: statutoque termino, navibus apparatis eam usque ad S. Egidium cum pluribus thesaurorum exeniis, quo Rex se obvium fieri dixerat, maritimo cursu transmittit. Habebatque fiduciam in Comite ejusdem provinciæ Raimundo, quod eam Regi honeste consignaret: nam & ipse aliam filiam Comitis jam dudum duxerat. Rex verò pravorum consilio usus, ad hæc nitebatur, ut thesauris susceptis, Comitem de filia, non ducendo iudificaret. Porrò Comes Raimundus regia fraude comperta, cœpit & ipse nihilominus aliam fraudem conjecturare: videlicet ut puellam dissimulata fraude cum honore suscipiens, alteri probo viro in matrimonium consigaret: ipse verò omnem pecuniam usurparet. Sed prudentes viri, quos comes cum familia miserat, prece puellæ pecunia exportata, fraudem quæ agebatur comperientes, anchoris extractis, vela ventis committentes, puella cum sororis marito relicta, placida aura sufflante, cum pretiosioribus thesauris ad Comitem in Siciliam revertuntur. Comes verò Raimundus fraude, quam machinabatur, ex parte frustratus, puellam Comiti Claramontis legalibus nuptiis copulavit: sicque sola Dei dispensatione solemniter maritata, & pater opprobrio, quod rex machinabatur, & filia inordinata, & contra jus quavis legali copulatione liberatur.

a In Cod. C. P. Ludovicum

IX. Mihera verò filius Hugonis Foioch vir magnæ levitatis, sed elegantissimus miles, læva, pro dextera utens, Roberto Duce defuncto in insolentiam prorumpens, vicinos circumquaque prædis, & diversis incursionibus lacessendo appetere cœpit. Possidebat enim tunc temporis castra sibi à patre hæreditaliter relicta Catantiarum, & Roccam: plus verò armis ambiens, in ipso etiam Duce præsumens, castrum, quod Maja dicitur, traditione civium sibi usurpans irrumpit. Sed suis viribus auxilia addere volens, Boamundi fratris Ducis, qui jam fœdere rupto adversus fratrem conspiraverat, homo efficitur. Majam, quam pervaserat, & omnem terram, quam hæreditaliter à patre sibi relictam sub Duce possidebat, ipso Duce renuntiato, & Sacramentis confœderatus Boamundus ab ipso recipitur.

X. At Boamundus ambitione nancifcendarum, pervasione super fratrem urbium avidus, cum Consentinis secreto, de traditione urbis agit: promittens se castellum, quod Dux illis invisum in eadem urbe firmaverat, si eorum auxilio capere possit, funditus dirutum iri. Qua promissione illi ad fraudem proclive illecti, Boamundo assentientes, illum infra urbem cum sua virtute suscipiunt. Sacramentis sibi confœderantur. Castellum vallantes oppugnatum vadunt. Quod cum Duci in Apuliam, ubi tunc morabatur, nuntiatum

tum fuisset; exercitum admovens illorsum accelerat: avunculumque sibi in auxilium invitans, ut sibi apud Cusentum obvius fieri non differat, mandat. Nam ut diximus, contra omnes sibi adversantes illo, quasi pro flagello ad terrendum alios, utebatur. Comes verò militaribus, & peditum copiis apparatis invitanti se nepoti obvius fieri accelerat. Sed antequam ab utroque exercitu, Ducis videlicet, sive Comitis illuc perventum est, castrum quod oppugnabatur, dum pro posse repugnat, machinamentis appositis, viribus exhaustum hostibus cessit: funditusque, ut à Boamundo promissum erat, dirutum fit. Porrò Dux sibi Comitem obviam habens, Rossanam, quæ Consentinis in fraude assentiebat, oppugnans capit: incendio omnia percurrens. Boamundus itaque, ne obsidione infra urbem clauderetur, devitans Hugonem Claramontis, qui Consentinos in sua fidelitate retineat, apud Cusentum relinquens, Roccam secessit. Dux verò, & Comes putantes eum apud Majam digressum, illuc præoccupare volentes accedunt. Sed cum non ibi esse comperiunt, versus Roccam properantes, loco, qui Lucus Calupnii dicitur, tentoria figunt: ubi per internuntios, pace quidem ab utrisque partibus interposita, apud Sanctam Euphemiam conveniendi, & plenius reconciliandi terminum statuunt. Sed Mihera huic termino assensit: non autem Boamundus. Ipse enim reconciliari differens, jam Tarentum recesserat. Instante itaque die præfixo, Mihera conductum, quo fœdere accedere, vel recedere liceat, expetit. Conceditur: accedit, Boamundo inconsulto, Duci reconciliatur. Maja reddita, Duci, cui jure competebat, resignatur. Fratres itaque post biennii dissensionem consilio utrorumque fidelium reconciliantur. A Duce, ut semper viro largissimo Boamundo Cusentum, & Maja conceditur: sed brevissimo intervallo, quia Boamundus Cusentinis juraverat, castrum ibi se non facturum, & Dux idem se Barensibus, cambio inter se facto, Dux Cusentum recipit: Barum fratri mutua vicissitudine concedit: ut salvo quisque in suo jure libera potestate quod volet faciendi utatur. Sicque amicitiam suam testibus, & chirographo confirmantes, deinceps indivulsam tenuerunt.

Mihera ergo Comiti Rogerio, & Radulfo * Loracelli sibi infestantibus diu rebellis, videns offensas suas modum reconciliationis excessisse, ulterius ferre non valens Adæ filio suo omnem terram suam assignat: putans eum auxilio ex parte matris parentum facilius resistere hostibus, aut certè reconciliari: ipse verò Beneventum secedens monachice consociatus habitum induit. Nam neque Dux, neque Boamundus, quia vicissim utrumque fœdere rupto ludificaverat, amici erant: ob quam rem Comes, & Robertus Loracelli jam à Duce terram ejus sibi datam iri expetentes, facilius obtinuerant. Comes verò milites suos Rodulfo Loracelli ductore super Adam mittens, diutinis incursionibus aliquanto tempore repugnantem, tandem penuria afficit: qui cum videt se ulterius ferre nequire, palatium suum, & omnes meliores domos nocte ubi oppugnabatur incendio destruens, castro relicto hostibus, recessit anno * Verbi incarnati millesimo octogesimosexto. Comes verò, & Rodulfus * Loracelli terram ejus, * ut à Duce concessum erat, inter se dividentes deinceps ut pote sua * sunt. XI.

* *Lodocelli ductore superadditam mittens diutius incursione*

* *Domini 1087.*

* *à Duce ut concessam*

* *forte*

Igitur

XII. Igitur Comes Rogerius omni Sicilia adversum se fœdere composito sedata, excepto quod Notenses, quo uxor Benarvet cum filio transfugerat, & Buterenses adhuc pro posse in cassum recalcitrabant, exercitu admoto Buteram obsessum vadit: anno Dominicæ incarnationis millesimo octogesimo octavo: inchoante Aprili.

XIII. Prudenterque armata manu, hostiliter undique vallans, aliquanto tempore inclusos diversis calamitatibus afflixit. Sed dum machinamentis ad castrum affligendum apparatis attentius insudaret, Legatus Papæ Urbani cum litteris ab ipso sigillatis adveniens nuntiat eundem Apostolicum virum Siciliam intrasse: eique, ut apud Trainam sibi locutum accedat, mandare: eum longo itinere fatigatum, à Terracina enim digrediens adveniebat, præ lassitudine corporis, & montosis saltubus ad huc interpositi itineris progredi nolle. Comes verò quid potissimum ageret sollicitus, nam sedem belli deserere damnosum ducebat, Papæ verò, qui à tanto intervallo locorum ad se veniebat, non occurrere, medico itineris interposito indignum, ut Catholicus vir æstimabat. Tandem consilio vir prudens accepto, agit, ut neque sedem belli deserat, neque Apostolico non occurrendo inobediens existat. Exercitu nempe fidelibus suis prudentibus viris, & talibus negotiis peritis delegato, hostes infestare instruit: ipse cum paucis se invitanti Apostolico obvius apud Trainam occurrit: lætique ad invicem alter ab altero cum summa veneratione excipitur. Hic ab illo Apostolica benedictione sub vice Mariæ, ille ab isto in his, quæ corpori necessaria erant, obsequiis Marthæ: in crastinumque summo diluculo convenientes agunt ad invicem de negotio, quod Apostolicum accessisse compulerat. Nam idem Apostolicus ante paucos dies Alexium Imperatorem Constantinopolitanum per Nicolaum Abbatem Cryptæ ferratæ, & Rogerium diaconum conveniens paterna increpatione commonuerat: quod Christianis Latinis, qui in sua provincia morabantur, azymo immolari interdixerat: præcipiens in sacrificiis more Græcorum fermentato uti: quod nostra religio omninò non habet. Imperator verò increpationem ejus humiliter suscipiens, invitat eum per eosdem legatos chartulis, aureis litteris scriptis, ut veniens cum eruditis catholice viris Latinis, Constantinopolitano Concilio congregato, disputatio fieret inter Græcos, & Latinos: ut communi definitione, in Ecclesia Dei illud scinderetur: quod Græci fermentato, Latini verò azymo immolabant: unaque Ecclesia Dei unum morem teneret: dicens se libenter Catholicæ discussioni assentire: & quod auctenticis sententiis, præsentibus Græcis, & Latinis assentiri definiretur, sive azymo, sive fermentato immolandum esset, se deinceps observare velle. Terminum etiam, quo Papa accedere deberet, statuit: anni videlicet, & dimidii. Comes verò, ut tantum schisma ab Ecclesia Dei amputetur, eundi consilium dedit. Sed impedientibus inimicis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui Romæ sibi infesti persistebant, iter prohibitum est. Comes itaque Papam pluribus donariis honoratum à se dimisit: ipse verò Buteram rediens, hostibus infestus tandem ad deditionem coegit: sicque castro potitus pro libitu suo disponit: potentioresque in Calabriam mansuros mittit: ne sibi ibidem manentes, aliquam fraudem machinando, commotionem facerent.

Anno

Anno igitur incarnati Salvatoris 1089. Comes Rogerius uxore *a* Elemburga filia Gnilielmi Comitis *b* Mortonensis defuncta, aliam duxit *c* Adalaidem nomine, neptem Bonifacii famosissimi Italorum Marchionis: filiam videlicet fratris ejus juvenculam honestæ ad modum faciei: duasque sorores ejusdem puellæ, duobus filiis suis Gofredo videlicet, & Jordano in matrimonium copulavit: sed Gofredus antequam nubiles annos attigisset, quod dolor est dicere, morbo prohibente minime eam cognovit: Jordanus autem sollemnibus nuptiis duxit. XIV.

a Eremburga in Cod. C P.
b Moritonensis
c Adelaidem

Porrò Notenses videntes omnem Siciliam sub Comite curvatam, seseque ulterius in cassum resistere, consilio inter se habito, Comiti reconciliari utile ducunt. Denique de se ipsis legatos eligentes ad Comitem dirigunt: qui apud Melitum, ubi tunc Comes morabatur, accedentes, pacem faciunt anno Dominicæ incarnationis 1090. Februario mense. Comes itaque censum duorum annorum illis condonans, Jordanum filium suum, cui etiam terram, & uxorem dederat, ut urbem ipsis dedentibus reciplat, cum ipsis mittit: qui à patre edoctus, urbe suscepta castello munit: proque libitu suo in patris fidelitate disponit: uxor autem Benarvet cum filio in Africam transfugit. Sedata itaque omni Sicilia, Comes Rogerius collati sibi à Deo beneficii non ingratus existens, omnimode secundum quod mundiales curæ, quibus occupabatur, permittebant Deo cœpit se se devotum exhibere: & quanto ampliori honore terreno se à Deo provectum cognoscebat tanto ampliori studio agebat: ut in perfectæ humilitatis statu persistens gressum mentis figat. Militibus itaque suis, quorum auxilio tanti honoris culmen adeptus fuerat, arcessitis, gratias cum omni mansuetudine referens, quibusdam terris, & largis possessionibus, quibusdam verò aliis diversis præmiis laboris sui sudores recompensat. XV.

Sic itaque omni Sicilia pro libitu suo sapienter composita, Comes militaribus exercitiis assuetus, quietis impatiens, laboris appetens, lucris inhians, corpus ab assuetis exercitiis minime desuescere passus est: sed quæ transmarina regna prima potissimum sibi subjuganda attento animo, jugi meditatione tractat. Unde & Melitam insulam, à referentibus viciniorem cæteris sibi cognoscens, classem, qua eam attentet, accelerare imperat: militibus suis, ut se ad id exercitii aptent, præcipiendo denuntiat. Dum ista geruntur, Mainerius Gerentia à Comite, ut sibi locutum veniat invitatus accedere differt: cum arrogatione, præsente adhuc legato Comitis respondens: se nunquam ipsum, nisi ut damnum si possit, inferat, visum velle. Quod referente legato, qui missus fuerat, Comes audiens, plurimum indignatus, festinus mari transmeato, à Sicilia in Calabriam venit: Petrum Moritonensem, cui vices suas plurimum commiserat, ut per Siciliam exercitum commovens post se acceleret, mittit: qui prudenter injuncta perficiens, infra octo dies ab omni Sicilia copioso exercitu congregato *d* in Majo ad Comitem adduxit. Sicque Comes versus Gerentiam accelerans, castrum terribili obsidione vallavit. Qua de re Mainerius territus se stulte, & fecisse, & locutum cognoscens, supplex ad misericordiam Comitis venit: equos, mulos, thesauros, & omnia quæ habebat, veniam petens in ejus dispositione ponit. Comes super his, quæ fecerat, eum pœnitere videns, ut sem- XVI.

d in prato Maii

per

per pii cordis omnia condonavit: excepto quod, quasi pro disciplina, potiusquam ambitione, mille aureos solidos de suo accepit: ut eum à tali præsumptione coerceat: sicque per ardua adjacentium montium inde digrediens Cusentum venit: & quia incolæ provinciæ illius Duci recalcitrabant, triduo vineta, & oliveta eorum extirpans, inde aratam secessit: ubi cum suis consilium captans exercitum brevi tempore solvit: præcipiens, ut unusquisque ad expeditionem versus Melitam domi aptatum recedat: termino quindecim dierum interposito: quo sibi apud Resacrambam, illuc enim classem suam convenire fecerat, obvii fiant. Portus autem in ariditate naturæ à cæteris differt: ita ut si quis experientiæ causa cannam, vel aliquid con-
In Cod. C P. concavum accipiens, *a* cubita duo à ripa in mare terræ tenus palmo
a *cuaitu uno* tantummodo profunditatis figat, tantæ longitudinis, ut desuper undas concava summitas quantum volet attingat: cum mare salsissimum sit, dulcissimas, & potabiles aquas per concavitatem in altum
b *videas* ebullire *b* vident. Hic die terminato ab omni Sicilia, & Calabria plurimo exercitu Julio mense conflato, quodam vespere Comes na-
c *ingredi* ves *c* aggredi accelerat. Porrò Jordanus filius Comitis cum classis aptatur, semper suspicans erat, Comitem quidem versus Melitam non iturum; sed sibi, ut ipse exercitum illorsum conduceret, comissurum: Comes autem in ipso ingressu navium arcessito imperat, ut cum designatis, quos sibi placuerit, Siciliam procuratum remaneat. Urbem nullam, vel castrum ingredi, donec ipse à Melita revertatur, præsumat: sed in tentoriis habitans, ubicumque per Siciliam ad succurrendum necesse sit, paratus ejus regressum sustineat. Porrò ille aliter quam ratus erat, patrem præcipientem audiens, totus admiratione attonitus fit; patremque ab iis, quæ dicebat dehortari nisus, cum lachrymis proclamat: dignum potius, si placeat patri esse, se juvenem tanto labori ascribi: patrem jam quasi emeriti stipendii virum à laboribus plurimum passum corpus recreando quietis oblectamentis uti. Minus damnosum si ipse minoris pretii juvenis in tanto discrimine pereat, quam vir tantæ auctoritatis, tantive consilii. Comes verò ad verba filii indignatus eum, quamplurimum convitiatus in audientia omnium retulit, se numquam vel filium, vel aliquem, quo ipse primus esse non audeat, missurum: & sicut primus esset in possidendis, vel distribuendis, ita conveniens esse, ut prior fieret in adquirendis. Sic pluribus remeantibus pietate abeuntis, deinde lachrymantibus Comes naves ingressus buccinis ex ejus edicto concrepantibus, & diversi generis musicæ artis pluribus, ut quisque doctus erat, instrumentis modulantibus, anchoris extractis vela ventis plurimo apparatu committunt: auraque prospera suffragante, secundo
d *Melitam* die applicant apud *d* Miletum. Navis verò Comitis cæteras velocitate præcedens, ut primum terram attigit, Comes navi digressus, cum tredecim tantum militibus equos ascendens plurimam incolarum multitudinem, quæ ut impedirent, ad ripam obviam fuerat, aggrediens, multos sternit: reliquos fugat: extremos quosque cædendo per longum insequitur. Vespere autem ab insequendo regrediens in littore maris cum omni exercitu suo illa nocte hospitium sumpsit. Crastino verò illucescente propius urbem accedens obsidione vallavit: circumquaque per Insulam suos prædatum mittens. Porrò Gaytus, qui urbi, & insulæ principabatur, cæterique cives bel-

bellicis exercitationibus minus assueti, præsentia hostium deterriti, pacem libere, ad colloquium cum Comite accedendi expetunt: qua à Comite concessa, ad tentorium Comitis sibi locutum, ut pacem faciat, accedunt. Diversisque circumlocutionibus usi, tandem cum calliditatem Principis minus se fallere posse perpendunt, pro libitu Comitis, primo captivos Christianos, quorum plurimam multitudinem infra urbem tenebant, reddunt: & equos, & mulos, & arma omnia, quæ habebant, cum infinita pecunia Comiti offerunt. Datam uno quoque anno persolvendo determinantes, urbem de Comite se serviendam promittunt: iicque more legis suæ Sacramentis datis Comiti confœderati sunt. Videns autem captivos Christianos ab urbe progredientes, præ gaudio suæ insperatæ liberationis ab uno quoque cordis lachrymis profundi, ligno, vel calamis, prout quisque primo inveniebat, compositas cruces in dextris ferentes Chyrieeleison proclamando, ad pedes Comitis provolvi, nostros verò ad talem intuitum pietatis affectu lachrymoso rore perfundi. Comes ergo taliter urbe sibi confœderata, captivos, ut asportet, per naves ordinans, reditum cum magno timore, præ nimio pondere captivorum submersionem veritus, accelerat: sed dextera Dei, ut credimus ex eventu patuit, naves per undas sublevans, cubitu uno liberiores super mare ferebat, quam in aditu suo: cum eas minus onus gravabat. At cum mare sic reditum accelerat, eminus insulam, quæ *a* Golsanit Cod. C.P. dicitur, intuens, illorsum, ut debellet, vela dirigi imperat. Quo *a Golsa* applicans prædis aggrediens devastat: sicque secum fœdus inire cognoscens suæ ditioni assignat. Undique impune per equora vela dirigens, Siciliam reversus desiderantibus se fidelibus suis plurima præda onustus repræsentat. Captivos autem, quos captione erutos secum reduxerat, omnes convocans liberos facit: offerens eis si secum in Sicilia remanere velint, villam unam suis sumptibus, loco, quo eligerent, construere debere: & de suis sumptibus necessaria ad lucrandum subministrare: illam etiam eandem Francam, idest liberam villam, eo quod omni vectigali, vel servili exactione libera in perpetuum foret, subtilitulare: sed & illis desiderantibus proprios agros, amicosque visere, liberam facultatem quo vellent, abeundi concessit; per totam terram suam necessaria, & absque pretio Phari transitum tribuens. Porrò ipsi cum gaudio, & Comiti de sua liberatione gratias referentes quisque in loca sua recedunt: per diversa regnorum spatia, prout nationis erant, nomen Comitis magnificando dilatantes.

Anno ergo millesimo nonagesimo primo, Rogerius Dux contra XVII. Consentinos diu rebelles indignatus, exercitu ab omni Apulia coadunato, fratre Boamundo secum accepto ipsos mense Majo obsessum ire disponens, avunculum Comitem à Sicilia, ut sibi auxilium ferendo illuc occurrere non differat, invitat. Ille amore nepotis ab omni Sicilia multa Saracenorum millia excitans, sed & militum copias conducens, quo invitabatur haud segniter accelerat. Consentini, hostes versum se accelerare audientes, se ipsos vallo, & muris muniunt: arma, & quæ defensioni necessaria erant, aptant: sumptus naturæ necessarios infra urbem comportant: defendere, potiusquam succumbere invicem cohortantur. Dux, & Comes se se invicem apud Cusentum obviantes urbem undique vallant. Dux planiciem obsi-

dione occupat. Comes montana conscendens, quo major labor, & hostis infestior imminebat, castris suorum urbem gyrare imperat. Consentinis itaque ex consilio, & edicto Principis vallo, & sepibus undique clausis, ingrediendi, vel egrediendi, vel quidlibet introducendi facultate sublata, plurimum deterrentur. Sic jugis decertatio: certamen assiduum. Sed Consentinis major spes defensionis in fundibulis, & sagittis erat. Propius accedere, ut ense tenus cum nostris decertarent, periculosum ducebant. Porrò Comes interdum ad deditionem mulcendo blandiri frequentius interminando deterrere, suos instare hortari, omnia circumire, nil intentatum relinquere: quæ facienda erant, prior adire, ad certamen suos præcedere, in recedendo subsequi; omnia prudenti ordinatione providere studebat: exemplo sui, ad quæ facienda erant, omnes vigilantiores reddens. Consentini itaque constantiam Comitis jam pridem cognoscentes, & hostes à finibus suis spe arcendi decidentes, consilio inter se habito, urbis deditionem, si forte de offensione suæ rebellionis veniam à Duce, & Comite mereantur, aptant. Primo quod Comitem prudentioris consilii virum sciebant, & cujus ordinatione omnia regebantur, conventiones, se, suumque consilium supplices ei committunt: sine ipso nihil acturi: à quo sciebant, postquam promitteret sine fraude, vel sui detrimento, ubi vitari posset, sibi consilium dari. Ille verò eorum verba, ut semper pius, & pacis amator suscipiens, ita prudenter rem ordinavit, ut & Dux pro libitu suo urbe potiretur; & Consentini Ducis gratia reconciliari non fraudarentur. Dux avunculi sui strenuitate urbe potitus, antequam expeditio solvatur, arte cæmentaria castrum ad urbem, à tali præsumptione ulterius prohibenda, in altiori urbis jugo firmat. Comiti autem pro recompensatione servitii sibi exibiti medietatem *a* Pausemitanæ urbis assignat; sicque expeditione mense Julio soluta, Dux in Apuliam, Comes verò in Siciliam digrediuntur. Comes autem in sua parte castrum firmat: urbemque, cum jam communis esset, ita ordinat, ut plus ex medietate post modum Duci perveniret, quam primo cum sine comparticipe, totius urbis redditus possideret.

a In Cod. C. P. *a Panormitanæ*

XVIII. His itaque peractis, quia per successionem temporum ea, quæ gesta sunt, vel acciderunt, prout fuerunt, nos scripturos repromisimus, ordo temporis damnosum dolorem Siciliæ & Calabriæ, nos quin huic libro inseramus prætergredi vetat: quamvis pluribus in præsentia sui hoc idem ad memoriam revocare, onerosum, quasi dolorem renovando, videatur. Nam sunt nonnulli, qui præ nimio affectu, quem erga ipsum, de quo sermo fit, habuerunt, ut si in eorum præsentia quod accidit, recitatur, à lachrymis minime se possunt continere; ac si recens sit quod narratur. Jordanus enim filius Comitis propter strenuitatem suam omnibus amabilis, quem plures, quia jam Gaufredum, quod dolorem non minuit, morbus Elephantinus pervaserat, Comitis hæredem futurum suspicabantur, nam neque alium masculum habebat, apud Syracusam sui juris urbem febris typo percussus est. Quod cum patri nuntiatum fuisset illorsum prævenire mortem accelerat: sed morbo ingravescente, ultima determinatio vitæ Jordani patre velocior fuit. Comes autem urbem ingressus, ut funus filii conspexit, intolerabili dolore corripitur: omnesque, qui cum ipso advenerant, doloris participes facti lachrymoso planctu ra-

rapiuntur: pluresque patris dolor, quam Jordani mors ad lachrymas pertrahebat. Urbs tota lachrymoso ululatu ventilatu: in tantum, ut ipsos Saracenos nostro generi invisos, non quidem ex amore, sed ex mœrore, quo nostros affici videbant, pietatis affectus pervadens ad lachrymas usque pertraheret. Comes itaque funus decenter ordinans, *a* Trainnam per totam S. Nicolai sollemniter humandum deducit. Multa beneficia eidem Ecclesiæ, sed & aliis pro redemptione animæ ejus conferens anno Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo secundo. Porrò cives urbis *b* Peutargæ, quæ juris Jordani hactenus fuerat, mortem Jordani, quem plurimum pertimescebant, audientes, casso gaudio rapiuntur: atque in insolentiam prorumpentes, jugum nostræ gentis, rebellando à se excutere frustra nituntur. Nam Comes filio humato nil remoratus, cum sola familia sua illos obsessum vadit: expeditionem ab omni Sicilia se illuc subsequi imperans. Sicque vi superans, illos, qui tam inepti consilii auctores fuerant suspensos extinxit: reliquos tormentis diversis afficiens, urbis stultitiam *c* fedat.

In Cod.G.P. *a Trainæ per porticum* *b Pentargæ* *c sedavit.*

XIX.

Patre orbo, gravi morbo sic sublato filio,
d Unde doleret, quod careret hæreditali gaudio, — *d Nè*
Ditat prole, quasi flore superna provisio.
Imprægnatur, ac gravatur: matris gaudens uterus
Intumescit. Infans crescit naturæ successibus.
Orat pater: sed & mater Deum, ut sit musculus.
Implet vota forma tota, dum *e* semen coagulat. — *e semet*
Fiat natura jam secura: infra matris viscera.
Nonus mensis spe suspensis. Sic partus accelerat.
Infans prodit. Nullus odit. Fit cunctis lætitia.
Obstetrices sunt felices *f* à matris lætitia. — *f ad maris indicia.*
Nuntiatus puer natus nova præstat gaudia;
Mater audit, unde plaudit fit doloris nescia.
Festinatur: nuntiatur hæc patri lætitia.
Qui congaudens, atque plaudens tura precum cælitus
Supplex litat: atque ditat legatum muneribus.
Plura jubet, prout lubet largiri pauperibus.
Dolor mortis gravis fortis jam sublati filii
Fit *g* lucitus: & oblitus spe nascentis *h* gaudium. — *g levitas* *h gaudii*
Simon fonte, pictus fronte inunctione chrismatis
Heredatur: solidatur Dux futurus Siculus.
Calabrenses suos enses sibi optant adjici.
Pater totum implet votum, *i* Dux concessit fieri. — *i dum concedit.*

XX.

Porrò Dux Rogerius uxorem habens præclare nobilitis, neptem videlicet Francorum Regis Philippi, filiam Flandrensium Marchionis Roberti, quem Frisium appellabant, Adalam nomine, de qua duarum sobolum pater existebat, apud Melfam Apuliæ urbem febre correptus acriter torquebatur anno Verbi incarnati millesimo nonagesimotertio. Morbo itaque ingravescente, jam pœne * vitalibus interclusis, cum * ipsi in partibus peritissimi sic medici attestantur, * natura contra usum attonita oberrabat: ut ab ipsis medicis nec pulsu, nec urina, sed neque aliis pronosticorum indiciis * infirmitas de-

** in talibus* ** cum ipsis in partibus* ** sic* ** infirmitatis determinatio*

determinate posset comprehendi. Qua de re cum de ipso etiam ab ipsis medicis desperari videretur, fama, quasi jam objisset, totam Apuliam, sed & Calabriam turbavit. Ea tempestate Boamundus apud Calabriam morabatur; qui cum fratrem, fama referente jam objisse audisset, credulus castra, quæ juris fratris fuerant, irrumpens Sacramentis sibi confœderare persuadet; ita tamen discernens, ut si frater, quod se nolle protestabatur, jam objisset, salva fidelitate legalium hæredum suorum, videlicet fratris, sibi quasi fideli eorundem hæredum patruo, usque ad intelligibilem ætatem, qua ipsi legitime terram regere cognoscerent, fideles persisterent. Comes autem Rogerius eum talia facere audiens indignatione commotus, quod talia se inconsulto præsumpserit, veritus etiam, quamvis hanc fidelitatem honeste discernens susciperet, pictis verbis * fraudem occultans in posterum, contra nepotes ambitione captus aliquid fraudis machinaretur, à suis insequi præcipiens à tota Calabria arcet.

* pacem

XXI. Plures etiam audita fama mortis Ducis in insolentiam prorumpentes, de iis quæ Duci competebant, distrahendo sibi usurpare moliebantur. Unde & Guilielmus de a Grantemaniol, summa cupidine correptus, in insolentiam proclivis declinans, Rossanam Calabriæ urbem pervadens intrat: dicens sibi jure competere: ut qui sororem Ducis, filiam Guiscardi Mabiliam nomine uxorem habebat: hæreditatisque particeps fieret, Sic quæ Ducis fuerant, propter imbecillitatem hæredum quisque quantæ fidei erga ipsos hæredes fieret, ostentans sibi distrahendo usurpabat. Sed natura, quæ jam diu peregrina oberraverat, in sui juris proprietatem reversa, contra spem medicorum convalere incipit, Sicque sanitate diatim excrescente, ad integrum pristinæ restitutus est sanitati. Quod Boamundus audiens magna mentis alacritate Melfi, ubi fratrem esse sciebat, de ejus sanitatis recuperatione congavisurus occurrit; castra quæ sibi confœderaverat reddens, quæ fecerat, non jam dolose fecisse ostendit. Porrò Guilielmus de Grantamanil turpi illectus avaritia, nec de domini sui recuperatione sanitatis congavisurus, nec, ut urbem quam pervaserat reddens accedere curavit: sed imprudenti fronte fraudem ostenstans, eandem urbem pro posse muniens, contra ipsum Ducem, si forte impugnare attentaret, armavit. Comes autem Rogerius super hac re plurimum indignatus, tamen ut sapiens vir, quia neptis maritus erat, legato ad ipsum misso, ad reconciliationem contra dominum suum urbem reddendo hortatur. At dum blandimentis minus prævalet, in iram totus prorumpens, jurat se, & urbem, quam nequiter persuaserat, ablaturum: & omnia, quæ ex licentia Ducis ante tenuerant, exheredato sublaturum.

In Cod. C. P. a Grantemanil

XXII. Sicque potius ipse Ducem ad expeditionem super Guilielmum urguens, quam ipse à Duce ad injuriam ulciscendam submoveretur, exercitu admoto, ab utrisque Castris illam obsessum itur anno Incarnati Salvatoris Millesimo nonagesimoquarto. Hoc autem operimentum fraudis suæ Guilielmus sibi adaptabat, quod cum ab urbicolis primo infra urbem susceptus est, illis improvisa determinatione jurejurando firmaverat, se numquam alicui urbem redditurum: excepto Ludoviso filio Ducis: hoc quia parvulus erat, post decem annos futurus: fidelitatem quam Duci juraverat, solvere, minoris offense, vel opprobrii ducens, quam quod per juris, & fraudaturibus

jura-

juraverat. Sic avara ambitio, sed & uxoris prava persuasio mentem juvenis à bono, honestoque discernendo proclive cæcatum sibi illexerat. Dux ab omni Apulia equitum, peditumque copiis, fratre Boamundo sibi in auxilium cum Hydruntinis, & Tarentinis, & reliquis, qui sui juris erant assumpto, Vallem Gratensem, versus Castri villam occupat. Comes verò multa millia Saracenorum à Sicilia, & Apulia conducens, equitum quoque, sive peditum Christianorum copias illorsum nepoti occurrere acceleranter non relaxat. Porrò Guilielmus de Gratemenul auctoritatis viros adversum se conspirasse, & obsidionem sibi imminere cognoscens, se se ad defendendum pro posse aptat. Dumque sibi auxilia undecumque ducere nititur, quamvis mos sit juvenibus, talibus exercitiis causa militaris laudis, sed & quæstus libenter interesse, tam iram Comitis, quam Ducis veriti minimè sibi, cum multa promitteret, associari præsumebant: maximè quia fortunam sibi adversam, propter quod ipsum cum aliqua inhonestate retorquebant, prænotantes metuebant. Dux autem in valle Gratensi Comitem, dum veniat sustinet: castrum quod S. Mauri dicitur, usque properans, deditione civium tali pactione suscipit; ut in perpetuum, dum vita comes fuerit, illud Gulielmo non reddant. Inde Rossanam usque pertransiens, quia Guilielmus filios potentiorum civium sibi obsides adduxerat, minus sibi assentientes offendit. Sed quia ipse Dux jam ante annum, contra voluntatem Græcorum, qui eidem maxima ex parte principabantur, Græco Archiepiscopo ejusdem sedis defuncto, successorem Latinum eligendo, subrogaverat, sed nec dum Sacramento, aut sacra Unctione firmatus erat, electione Latini frustrata, dum à Duce conceditur, ut de sua gente Archiepiscopum sibi Græci pro libitu eligerent, favorem illorum adeptus, urbem quoque illorum deditione obtinuit; sed castrum oppugnans, fidelibus Guilielmi renitentibus minimè prævaluit. Porrò Comes cum exercitu veniens, de Duce, qui jam tantum profecerat, gavisus juxta castrum Tarsæ super fluvium qui à S. Marco defluit, quo jam Dux tentoria fixerat, castramentatus est. Hic Guilielmus à Comite invitatus, ut securus ad colloquendum veniat, accessit. Multisque rircumventionibus usus, dum & fraudem suam operiret, quæ persuaserat, Duci restituit. Dux autem jussum expetendo, Guilielmum exequens reconciliari sibi, ut judicio Comitis, cæterorumque prudentum, qui intererant virorum jus teneat, quod sibi tandiu injurius extiterat, Sacramento, & fide promissa obtestatur. Qui sui reatus conscius, & judicio prægravari timens, dum renuit, licentia abeundi accepta, Castri villam impune redit. Quem Dux, & Comes in crastinum cum omni exercitu subsequenti castrum obsidione vallant: sicque ligno, & armatorum copiis sepiendo cingentes, ut nulla ex parte aditus ingrediendi, vel aliquid introducendi Castrivillensibus esset: sed infra muros modicum victus habentes, dum per tres hebdomadas imminente hoste premuntur: exhaustisque, quæ ad victum habebant, Guilielmus, quod ut faceret primo expetebatur, ut si susciperetur expetens, se jus Ducis tenere repromittit. Ad quod exequendum, dum fidejussores ad placitum Ducis non habet, quæ de ipso habebat, pro plegio ponit. Duci, in sua virtute, usque ad determinatum diem: quo jus teneatur deliberatum, per manum Comitis securus factus, quod jus

exe-

exequi prævaleat, castra sua sibi reddantur. Instante itaque termino juris tenendi, loco determinato convenientes, querimonias suas adversus Guilielmum exponit. Sed ille modicum juris habens, dum minus rhetorice argumentatur, judicio, his, quæ sub Duce habet, privatur. At dum judicio contradicere molitur, minus facultatis, vel juris habens, terris privatus cum uxore ad Imperatorem Constantinopolitanum transivit: ubi aliquantisper commoratus, tandem cum multa pecunia rediens, Duci, ut pio, & misericordi viro reconciliatus, terram, quam amiserat, excepto castro, quod S. Mauri dicitur, recipit.

XXIII. Cum autem inter Urbanum Apostolicum, & Henricum Teutonicorum Imperatorem dicerentur dissensiones efferbuisse, quibusdam controversiis, inter Conradum ejusdem Henrici filium, ac patrem, quod seriatim longum est enarrare, insurgentibus: Conradus irato animo à patre discedens ad Apostolicum, & Malthildem Marchisam, quæ ei ex fidelitate adhærebat, se contulit: eorum auxilio plurimum per Italiam rebellis existens. At cum juvenis & sine uxore esset, & sumptibus, ad id quod cœperat, necessariis minus abundaret, consilio Apostolici, & præfatæ Marchisæ Malthildis per Conradum Comitem, quem ad id legationis per agendum direxit, filiam Siculorum, Calabriensiumve Comitis sibi in matrimonium concedendam expetiit. Apostolicus etiam litteras suas committit, ut sibi familiari, & amico ad hoc idem dirigens, ad concedendum hortatur: dicens sibi magno honori, & proficuo futurum, si filia, filio Regis futuro sponso jungatur: & juvenis S. Romanæ Ecclesiæ fidelitate adhærens, sed sumptibus quibus contra patrem, qui eum injuste oppugnabat, minus sufficiens, quos pater cum filio daret, viribus victus ad debellandos inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ prævaleret. Comes autem hac legatione percepta, & suasoriis litteris Apostolici viri perlectis, usus consilio fidelium suorum, & maximè Roberti Trainensis Episcopi: per quem omnem convenientiam Conradi adquirit: nam Italus erat, & illarum partium gnarus, quod expetebatur concedit: & ab utrisque partibus exequendum Sacramentis firmare fecit. Nuptiarum itaque die determinato Conradus Comes à Comite Rogerio pluribus munificentiis honoratus, reditum unde venerat accelerat: anhelumque de relatione legationis dominum, nuptias concessas accelerans plurimum lætificat. Porrò Comes Rogerius apparatis his, quæ ad effectum congruebant, plurima classe Episcopum Trainensem, & alios Barones suos filiam multis thesaurorum enxeniis ditatam Pisam, usque conducere facit: ubi filius Regis obvius cum omni honorificentia suscipiens, auctentice dispensata sollemnes nuptias celebravit anno Verbi incarnati millesimo nonagesimo quinto.

XXIV. Porrò Dux Rogerius adhuc juvenis, & nil malæ suspicionis adversus aliquem habens, sed ex sui cordis puritate aliorum mentes dijudicans, Longobardos æque, ut Normannos, quia ex parte matris ex eorum gente erat, sibi fideles credens, & eorum genus, nostræ genti invisum minus discernens, castra sua tuenda eis haud secus, ac Normannis delegabat. Unde accidit, ut dum apud Malfam idem faciendo, minus sibi prospiceret, Malfetani urbe, & castris, quæ Guiscadus ad perfidiam eorum comprimendam ibidem fecerat, pro

libi-

libitu suo utentes, liberam facultatem fraudis suæ exercendæ nacti, jugum gentis nostræ, & Ducis, quia moris nostri executor erat, à e excutere, nec tributum, & servitium statutum persolvere, sed & ipsi Duci ad eandem urbem accedendi, omnibus fidelibus suis exclusis aditum denegarent. Dux autem videns tantum damnum sibi illatum, de credulitate, quam erga eos habuerat, sero pœnitens, à Comite, & fidelibus suis consilium subjugandi eos requirit. Sicque avunculo Comiti, ut sibi attentissime succurrat, medietatem urbis sibi, si subjugare possent, concedens: ab omni Apulia, & Calabria navali, & equestri exercitu admoto, peditum etiam copiis certatim accelerat: anno incarnationis Domini millesimo nonagesimosexto. Urbe itaque à procinctu maris navibus cingentes, per præcipitia circum adjacentium montium equitum, & peditum copias prudenter ex consilio, & opere Comitis ordinantes, undique obsidione vallant. Sic itaque urbem opprimendo, profecto, ut credimus obtinuissent, nisi infortunium tale, quale subtitulando adnotabimus, intercessisset. Boamundus namque Ducis auxilio simulato, & ab ipso sub monitus adveniens, plus fratri ad damnum, quam ad proficuum, non tamen ut credimus, ex industria factus est. Ipso anno ex edicto Urbani Papæ expeditio versus Hierusalem ab undique terrarum serventissima erat. Boamundus autem, qui jam dudum cum Guiscardo patre Romaniam pervaserat, & semper sibi subjugare cupiens erat, videns plurimam multitudinem per Apuliam, sed sine Principe illorsum accelerare, Princeps, exercitus sibi eos alligando, fieri volens, signum ejusdem expeditionis, crucem videlicet vestibus suis apponit. Porrò juventus bellica totius exercitus, tam Ducis, quam Comitis, novarum rerum, ut in tali ætate assolet, appetens, visa cruce Boamundi, & ab ipso submoniti ad id faciendum certatim concorrunt: sicque crucibus sumptis, fines Christiani nominis ulterius non attentare, donec paganorum fines pervadant, absque contatione voto obligantur. Dux autem, & Comes exercitum suum maxima ex parte sibi taliter defecisse videntes, tristes expeditionem solvunt. Sicque urbe, pœne usque ad deditionem vexata, tali infortunio privantur. Boamundus mare transiit. Dux in Apuliam secedit. Comes Siciliam revertitur. Urbs oppressione gaudens liberatur.

Alamanus autem Rex Ungarorum audiens famam Siculorum gloriosi Comitis Rogerii, legatos dirigens filiam suam in matrimonium concedi expostulat. Ille verò quamvis honesti viri, qui adhoc venerant, essent, tamen illos honeste à se dimittens, de suis etiam, ne fallatur, cum ipsis dirigens remandat: ut si executum: quod ceperat velit, alicujus auctoritatis gradus, vel ordinis personas, quibus facilius credatur, ad id confirmandum mittat. Qui anhelus exequi Arduinum Joviensem Episcopum, & Thomam Comitem idem expostulatum mittit. Comes autem eos honeste accipiens, secum detinuit: de suis honestos, & callidos viros apud Pannoniam mittens, in eorum præsentia à posterioribus regionis illius exequenda postulabatur juramento firmare cogi. Quod Rex libenter annuens per suum Ducem nomine Alivum, & reliquos non minoris dignitatis viros, omnia, quæ mandaverat, exequenda juramento firmavit. Sicque legatos Comitis, ut pactum * firmatum renuntiant, munificatos à se dimittit. Comes autem relatione suorum * accepta, haud secus & ipse XXV.

* confirmatum renunciant

* suscepta

* ipse legatos Regis à se dimittens, pluribus honoribus * à se compilavit: Regi terminum, quo sibi filiam suam mittat, statuit. Anno itaque * incarnationis millesimo nonagesimoseptimo, apparatis, quæ necessaria erant, mense Majo cum trecentis militibus usque Thermas conducere facit Henricum Lescastrensem Episcopum: & quosdam de fidelibus suis abinde, * maritimo cursu usque Pannoniam, cum puella procedere faciens: qui navibus apparatis, puellam cum multis sponsalibus * intromittentes, velis vento commissis, prospera aura flante per equora * feruntur: usque dum in portum Albæ, * qui juris Regis Ungarorum est, impune applicant. Hic * Vincurius Comes Bellegratæ missus cum quinque millibus armatorum obvius * fuit: eamque cum his, qui cum * ea venerunt, decenter * excipiens, usque ad Regem perduxit. Per totam * Pannoniam nuptiæ Regis præconizantur. Undique cum * enxeniis concurritur. Et cum semper frequens, * & numerosa manus ex more cum Rege * innumerabilem turbam plus solito * nuptiarum, & novæ Reginæ * visendæ appetitis, conflavit, die terminato, præsentibus Archiepiscopis, & Episcopis, & diversis ordinibus dos puellæ * legali more in publico protestatur. Rex, & Regina catholice pariter desponsantur: sollemnesque nuptiæ in tentoriis, & ex virentibus ramis tabernaculis factis celebrantur. Nam nullæ domus tantæ multitudini sufficiebant. Nuptiis itaque regalibus expletis, Rex Episcopum Lecastrensem, & qui cum ipso reversuri advenerant, aliquantisper secum commorari faciens, ut videt de egressione festinos, legaliter munificatos à se dimisit. Illi ad portum venientes, maritimo cursu regredi accelerant. Jamque nostræ gentis fines appropriantes, cum terram eminus conspiciunt, navicula, in qua Episcopus erat, sociis armis carentibus, à duabus piratarum navibus, quas galeas appellant, hostiliter aggreditur. Nauclerus qui navim regebat, jaculo confossus colliditur: navis remige carens submersionem minatur. Episcopus nullum refugium armorum habens, sed neque hostibus deditionem subire volens, Dei auxilium implorans, socios hortatur. Ipse idem faciens inter alia subjungit. Deus inquit, si meis peccatis exigentibus minus mereor exaudiri, exaudiar saltem per gratiam, quam erga progeniem Tancredi te habere multotiens ostentasti. Hic enim interceptus suum pro servitio filii sui. Nondum dixerat: & ecce aura intercurrente, navis in qua erat, ab hostibus avulsa securiores reddit: videns navim absque remige directo cursu, ad jacentem insulam tanta velocitate, per rapidas equoris undas ferri, ut hostiles naves remige, & velis insequentibus minus adversus illam velocitatem prævalerent. Sicque directo cursu divinitus, ut credimus, regebatur: ut cum idem portus condensis syrtibus insitus arto, & periculoso aditu, nisi à peritis nautis attentetur ad insulam pateat, impune scopulosas undas placito portu applicarent. Hostibus itaque frustratis recedentibus, ipsi prospero equore, in quo disponebant applicantes ad Comitem perveniunt: ordinem actionis suæ exponentes. Quis dubitet progeniem hanc divinitus quadam felicitate denotatam? cum in suis utilitatibus ubi (...) putes fuisse narrantur tot felicibus successibus: fortuna etiam in suis fidelibus, ubi sua negotia exequebatur, defuisse passa non sit. Ad nominationem quippe gratiosæ fortunæ eorum, navis hæc erepta est ab impugnatione hostium.

Co-

** ipsos*
** ampliavit*
** Domini 1097.*
** maretimo cursu cum puella usque ad Panormũ precedere faciens ubi*
** introductione*
** ferentur*
** quem juris Regnum Ungarorum*
** Viricurius Comes Bellagrate*
** sit, eumque*
** ipsa*
** recipiens*
** provinciã*
** exeniis*
** umbrosa*
** sit*
** rumor*
** vidende appetitus*
** in regali more*

Comes ergo totius progeniei suæ sustentator, citra Romam versus Siciliam, sicuti maria ab undique cingunt, abundantia rerum, & industria callentis sapientis consilii præcellebat: unde & omnes sua negotia ad ipsum conferebant: ut sua prudentia, ut ferrum cote à Comite resumpto ad sua disponenda prudentius callerent: & ejus, ubi necesse foret, auxilio potirentur. Porrò ipse omnes, quemadmodum gallina pullos sub alas, clypeo suæ protectionis, & consilii fovens, ut pius patronus re, & consilio, prout poterat, omnibus omnino desævebat. Unde accidit, ut Ricardus Juvenis, Jordanis Principis filius, Princeps & ipse Aversæ defuncto patre orbus pusillus superstes, fraude Longobardorum urbe Capuana injuste jam dudum privatus, cum jam ad intelligibilem ætatem pervenisset, damnum sibi illatum videns, & dolens, ac de auctoribus ultionem petere disponens, ad sibi consanguineum Comitem prudentes viros supplex illorsum, ut sibi auxilium laturus accelerare non differat, cum servitio suo; vice recompensationis Neapolim, quæ sibi similiter recalcitrabat, si prævalere posset, fiducialiter concedens. Dux, ut qui parti consanguinei Principis favebat, non viliori legato, quam laterali conjuge Adala, videlicet Marchionis Flandrensis filia, ne cum exercitu venire differat, ac sibimet auxilium laturus summopere invitat. Princeps causa auxilii, quod ab ipso sperabat, homo Ducis factus fuerat: quod numquam Guiscardus, cum multarum artium, & virium esset, à Jordano Principe, quamvis hic avunculus, ille autem nepos, sororis videlicet filius esset, vel vi, vel blandimentis extorquere potuit: cum sæpissime attentatus fuerit. Comes autem pietate consanguinei Principis, & multis verbis Ducissæ sibi à Duce delegatæ, legatione deprecatoris, & humilitate exponentis illectus, & persuasus, exercitu, qualem nunquam antea habuisse dignoscitur, ab omni Sicilia, & Calabria forti imperio * conflato, prima hebdomada Aprilis, secunda * pace Pharum transiens, illorsum accelerat: sed in prato Marco aliquantisper commoratus, * exercitum maris transmeatione, & * arto scopulosorum montium transitu tardantem, dum veniat sustinet: * videns juga montium Calabriæ * gregibus armentorum, & * pecorum, sed & caprarum in usus Saracenorum, quorum maxima pars * exercitui intererat, occupari: ut merito à collatione similis argumenti, gregum Laban, * & Jacob, si legisses, vel * certo deferente, didicisses, recordari * poteras. Congregato exercitu, quis armatorum millia enumeret? cum ipsa tentoria bitumine palliata vix ullo numero concludi potuerunt. Tam pomposo plus solito exercitu Comes Apulos fines visum intendit: maxime quia Apuli expeditionibus aliquo annorum curriculo desueti, corpus nullis plagis, & diutinis laboribus fatigando, quin recreando, sibi potius indulgere, quam expeditionibus iterum assuescendo insudare nitebatur: unde & ipsum Ducem, quasi Principis præsentialiter auxilio destitutum minus verebantur: sed per loca adversus eum insurgendo, insolentiam prorumpentes ejus jussa minus exequebantur. Dux quoque simili argumento, de ejus versus Apuliam expeditionaliter adventu minus credulus, nam cupienti nihil satis festinatur, ut se ipsum submovendo extrahat, versus Calabriam accelerat. Versus Apuliam proficiscenti apud Liscum juxta castrum Orioli occurrit: multumque

* constans
* Pasche
* exercitus
* & arcos cosorum montiū trāsitum tardāte
* videri super
* greges
* pecorum in usus
* exercitus
* in Jacob
* certe aliquo
* potuisse

ad invicem lætati, Dux quidem versus Melfam exercitum submovendo accelerat: Comes autem ne greges sui deficerent, iter conficiens Beneventum venit: ibique in planicie super fluminis ripam Calorii, ad pontem S. Valentini castrametatus est. Beneventani autem ejus adventum pertimescentes, pacem expostulantes jam triduo occurrunt. Comes autem sciens urbem juri Apostolici Urbani, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere, susceptis mille quingentis aureis, & sex ambulatoriis urbi, & messibus suis parcendum indicit: indeque pertransiens super fluvium, quod Sabbatum dicitur, tentoria figens Pentecosten celebravit. Ipse quidem legatos jam pridem Capuanis honestos viros præmiserat, submonendis hortando, ut ab inepto incepto desisterent. Se illis nil mali inferre velle: sed potius, si cum Principe suo jus exequi velint, eorum parti cum justitia sustentata tutamento esse. At ubi legatis regredientibus eos nil moliri, sed potius in malitia sua superbe persistere audit, inde commovens Capuanos fines pervadit: quo diluculo cum mille armatis exercitum præcedens ad urbem accedit: extractos plurimos militariter dejectos damnose judicavit: multosque amplius læsisset, ni pulvis equorum pedibus excitatus, & à vento condensissime agitatus intercessisset. Sic ad castra sua reversus in crastinum cum toto exercitu, urbi se viciniorem conferens à meridiana plaga obsidione vallando, à ripa orientali, usque in occidentalem cingit. Dux autem, & Princeps cum suo exercitu ab Aquilonari parte obsidentes urbem tendunt prægravari. Porrò Comes, cujus consilio omnes incedebant, quia sollicitior, quia prudentior in omnibus agendis vigilanti cura erat, pontem ex lignis erigens, ita trans flumen ordinavit, ut suo exercitui, & Ducis, libero aditu patente, fieret transitus. Sicque urbs ab utroque exercitu in tantum oppressa est, ut nulla ex parte arida, vel liquida egrediendi tuto, vel ingrediendi aditus pateret: Ipse autem omni diluculo ante lucem surgens, utrumque exercitum, pontem transeundo invisens, utrum attenti essent ad excubias visum ibat: Ducemque, & Principem adhuc somno oppressos inveniens, ludibrio habebat. Porrò ipsi rubore perfundebantur: quod juvenes ipsi, & ad quos peculiarius negotium attinebat, segniores forent: Comite provectioris ætatis, & corporis plagarum, laborumque asperitatis viro vigilantiore existente. Nam & ab omni exercitu ejus vigilantia admirationi erat: omnesque in ejus exemplo vigilantiones reddebantur. Anno Dominicæ incarnationis 1097. ibi se imprægnavit Comitissa Adalasia de Comite Rogerio.

XXVII. Cum ista aguntur Papa Urbanus colloquium Ducis & Comitis desiderans, à Roma progrediens, apud Capuam, ubi obsessionem tenebant, venit: Comesque sex tentoria illi deliberans ad hospitandum, sumptus necessarios abundantissime ministravit. Porrò ipse sciens scriptum, Beati pedes evangelizantium pacem, & Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, & alibi scriptum est, Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum: & maxime quia sciebat, se totius Christianitatis curam suæ provisioni delegatam, de pace inter ipsos reformanda primo Ducem, & Comitem, Principemque pariter conveniens attentare cœpit. Qui consilio Comitis prudenti responsione usi, in præsentia Apostolici, copia Beati Petri dicunt se jus inire: si à Capuanis pari discrimine idem exequatur, con-

ce-

cedunt. Papa infra urbem ibidem de Capuanis rescitum vadens, dum ab utrisque partibus conceditur, spe conficiendæ pacis frustra gaudens, renuntiat. Dies disputandi statuitur. His opponentibus, & illis, prout se se res habebat, respondentibus, gravi syllogismo Capuanis, à judicibus legaliter conclusio determinatur. Capuani audientes se judicio prægravari, vel oppositione, vel rationabili contradictione contra judices usi, publice se iniuriosos ostentantes, exequi vel nolle, vel non posse denuntiant. Quod audiens vir Apostolicus, & quia hæc ab illis exequendi internuntius fuerat, aliquantulum erubescens, gladio Beati Petri animadvertens interminatur: parti nostrorum ex toto favendo se contulit: constantiam Comitis in fortia exercenda per plurimum laudans: vitamque ejus omni cura Romæ, & Italiæ per necessariam asserens. Nam timor ejus plures ab insolentia, plusquam zelus honestatis compescebat. Apostolicus itaque ecclesiasticis negotiis, plusquam expeditionalibus exercitiis intentus, totalibus tumultibus mente declinatis, his tribus Principibus, sed, & omni exercitui Apostolica benedictione concessa, Beneventum secessit.

Comes autem cum Duce, & Principe in oppugnatione urbis attentissime persistens, machinamenta ad urbem capiendam artificiosissime aptant. Capuani primo ludibrio habere, contemnere, ad defensionem se se ad invicem cohortari. Duci tamen, vel Comiti se, si retinendo recipere velint, urbem reddere attentant. Sed nobilissimi Principes hanc fraudem sibi nullatenus assumere volentes, nisi ut Principi reddantur, acquiescere passi non sunt. At ubi Capuani machinamenta apparata versus urbem appropriare vident, quæ prius ludibrio habebant, exhorrescentes, deditione urbis se se, consilio Comitis committunt. Sicque ipso mediatore usi, vix suæ fraudis impunitas impetratur. Principi pro libitu suo urbs Capuana restituitur. A Principe Duci, & Comiti gratiæ referuntur. Dux, & Comes apud Salernum pariter digrediuntur. Princeps urbem suo libitu vindicans, in altiori turri triumphaliter hospitatur. XXVIII.

Papa urbem redditam, & pacem inter ipsos factam audiens, & gaudet de fraude compressa, & de pace confecta: sed quia Ducem, & Comitem Salernum secessisse audivit, nolens Comitem, donec sibi loquatur, versus Siciliam remeare, illorsum accelerat. Veniensque cum Archiepiscopis apud Sanctum Matthæum, ut cum debito honore eum acciperet, cum processione præstolatur: & tamen propter amicabilem venerationem, quam versus Comitem habebat, primum ad ejus hospitium eum amabiliter visum vadit: diuque ejus colloquio usus, ad processionem, quæ præstolabatur, suscipiendus accessit: in crastinumque convenientes, alter alterius colloquio cum maxima dilectione fruuntur. Sed quia ipse Apostolicus jam dudum Robertum Episcopum Trainensem, Comite inconsulto, legatum in Sicilia, ad exequendum jus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ posuerat, perpendens hoc Comitem grave ferre, & nullo modo, ut stabile permaneat, assentire: cognoscens etiam ipsum Comitem in omnibus negotiis ecclesiasticis exequendis zelo divini ardoris exfervescere, casso facto, quod de Episcopo Trainensi fecerat, Legationem Beati Petri super Comitem per totam Siciliam, *vel habendam hæreditaliter ponit; ea discretione, ut dum ipse Comes advixerit, vel aliquis hære- XXIX.

* & sui juris Calabriâ habitam

dum suorum zeli paterni ecclesiastici executor superstes fuerit, legatus alius à Romana Sede, ipsis invitis nullus superponatur: sed si qua Romanæ Ecclesiæ juris exequenda fuerint, chartulis à Romana sede in Siciliam, vel Calabriam directis, per ipsos consilio Episcoporum earundem provinciarum auctentice definiantur. Quod si Episcopi ad Concilium invitati fuerint, quot, & quos ipsi Comiti, vel suis futuris hæredibus visum fuerit, illuc dirigant: nisi forte de aliquo ipsorum in Concilio agendum sit, in Sicilia, vel Calabria in præsentia sua auctentice definiri nequiverit: & ad hoc commissum perpetualiter permanendum, privilegio suæ auctoritatis firmavit: cujus sententiam subtitulamus.

URbanus Episcopus servus Servorum Dei carissimo filio R. Comiti Calabriæ, & Siciliæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam supernæ majestatis dignatio multis triumphis, & honoribus exaltavit: & probitas tua in Saracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatavit, sanctæque sedi Apostolicæ devotam se multis modis semper exhibuit, nos in specialem, atque carissimum filium ejusdem universalis Ecclesiæ assumpsimus, idcircò de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita etiam litterarum auctoritate firmamus: quod omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui hæres exstiterit, nullum in terra potestatis vestræ, præter voluntatem, aut consilium vestrum legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus: quinimmo, quæ per legatum acturi sumus, per vestram industriam legati vice exhiberi volumus: quando ad vos ex latere nostro miserimus ad salutem videlicet Ecclesiarum, quæ sub vestra potestate existant, ad honorem Beati Petri, sanctæque ejus Sedis Apostolicæ, cui devote hactenus obedisti: quamquam in opportunitatibus suis strenue, ac fideliter adiuvisti. Si verò celebrabitur concilium tibi mandavero, quatenus Episcopos, & Abbates tuæ terræ mihi mittas: quot, & quos volueris mittas: alios ad servitium Ecclesiarum, & tutelum retineas. Omnipotens Dominus actus tuos in beneplacito suo dirigat: & te à peccatis absolutum ad vitam æternam perducat. Dat. Salerni per manum Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi III. Nonas Julii. Indictione VII. Pontificatus Domini Urbani Secundi XI.

Explicit Opus Gaufredi Monachi.

AP-

APPENDIX
EX CODICE
MARCHIONIS JARRATANÆ
AD ULTIMUM CAPITULUM LIBRI QUARTI
HISTORIÆ GAUFREDI MALATERRÆ.



OST hæc piissimus Comes occulto Dei judicio penitus virili progenie orbatus, fusa ad Deum prece in spe sobolis procreandæ uxorem suam cognovit, in eaque filios, & filias generavit. Qui usque ad senectutem honestissimam agens vitam plurimum in edificatione Ecclesiarum intentus, easdem prout insoluta ipsius posteritas adhuc & regit, & conservat per totam terram suam copiosè dotando, & virorum psallentum religiosè atque decenter ordinando, pius Orphanorum & Viduarum protector, ac munificus pauperum Christi sublevator extitit. Cumque hiis & filiabus proficiendo semper in melius honeste sanctitatis exemplum cunctis exsisteret, tandem necessaria humanæ conditionis lege naturalem in ea dissolutionem operante, illam illustrem animam tanta collustratione, ut meritorum agnitione insignitam ad desideratam beatorum collegia ante cospectum Divinæ Majestatis expirando delegavit: corpusque ejus apud Melitum in Ecclesia quam spe fundaverat honorifice, ut tantum virum decebat, sepultum est.

Post hunc Simon filiorum primogenitus Regnum accepit. Qui per paucos vivens annos, graves ab Apulis mutationes sustinuit. Huic successit ille hominum maximus à Deo dilectus & benedictus unicus Leo, & pacis firmamentum Rogerius Mundi admiratio, virtutum omnium splendor, & pro Regibus heros sapiens & immensus omnia, prius tamen Comes, postea Dei multum incomparabili ejus sapientia operante, dignus Dux Feracis Apuliæ & Capuæ Principatus, ad ultimum Rex Siciliæ, Tripolis, Africæ potentissimus fines Imperii sui longe, lateque multiplici terrarum acquisitione ampliavit: ad cujus laudes & gesta probitatis singulariter referenda quoniam Ciceronis eloquentiam insufficientem fuisse reputo; ego qui fere nullus sum, tantæ gravitatis onus mihi adhuc incognitum in presenti tentare formido.

Appendix altera, sive brevis Cronologia ex supra citato Codice Jarrataneo.

Anno Domini 1027. decimosexto Kalendas Augusti Gaytus Maymonus Hispanus Saracenus Pactas & terram Syracusanam infra dies septem vastavit, predavit & incendit, utriusque sexus de hominibus partem occidit, & partem captivavit.

Anno Domini 1032. Stratigotus primus Georgius Patritius & Maniachius cum Duce ceperunt Civitatem Messanæ; & ipso anno commisit bellum. Idem Maniacus ignoratur cum quibus adeptus est victoriam.

Anno Domini 1060, Kalendis Augusti captus fuit Innocentius Papa à dicto Rege Rogerio Rege Siciliæ in Civitate Captinata.

Anno Domini 1101. Indictionis nonæ mense Julii obiit maximus Comes Roger ius pater Regis Rogerii. An-

Anno Domini 1118. nonæ indictionis obiit Adelasia Regina Jerosolomitana mater Regis Rogerii.

Anno Domini 1149. mense Julii Africa capta fuit ab eodem Rege Rogerio.

Anno Domini 1154. obiit Rogerius Rex Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ,

Anno Domini 1164. pridie nonas Februarii subversa est Civitas Cathaniensium à Terremotu: in qua subversione omnes Monachi cum Episcopo eorum oppressi fuerunt.

Anno Domini 1166. obiit Rex Guillelmus Primus filius Regis Rogerii.

Anno Domini 1178. Idibus Septembris decimætertiæ indictionis Sol passus est eclypsim in hora nona stellæ apparuerunt.

Anno Domini 1172. Regina Margarita mater Regis Guillelmi Secundi cepit fabricare, edificare, & dotare Monasterium Maniacentium.

Anno Domini 1187. mense Julii vigilia Præcursoris Domini capta est Jerusalem à Saladino Soldano Babiloniæ.

Anno Domin 1189. indictione septima obiit Rex Guillelmus Secundus. Eodem anno eadem indictione mense Martii Rex Tancredus fuit coronatus Rex Siciliæ, & receptus in palatio Panormi.

Anno Domini 1194. vigesimo die Februarii obiit dictus Rex Tancredus.

Anno Domini 1195. Dominus Henricus Imperator receptus est in palatio Panormi ultimo mensis Novembris. In quarto die post festum Nativitatis Domini cepit Regem Guilielmum filium Regis Tancredi, quantitate Comitum & Baronum istius Regni, & devastavit eos.

Anno Domini 1198. obiit Dominus Henricus Imperator.

Anno Domini 1198. Fredericus filius Domini Henrici Imperatoris de Civitate Panormi fuit Rex Siciliæ Coronatus. Et in eodem anno Domina Costantia mater ejus obiit.

Anno Domini 1200.... decimoquinto mensis Augusti duodecimæ indictionis Domina Constantia de Aragonia applicuit Panormi: & Dominus Rex Fredericus in eodem mense desponsavit eam.

Anno Domini 1212. anno Nativitatis Domini Regis Frederici decimaquarta indictione anno Regni ejus undecimo. Ipse verò vocatus fuit ab Innocentio Papa III. ad coronam Imperii ab anno nativitatis suæ anno decimosexto.

Anno Domini 1216. celeberrimum Concilium celebratum est sub Innocentio Papa III.

Anno Domini 1219. Indictione septima quinto die intrante mense Novembris Damyata principalis Civitas Amaleth à Christianis fidelibus capta fuit, & Christicolis dominio detinetur.

Anno Domini 1220. mense Novembris, nonæ indictionis Dominus Rex Fredericus una cum Domina Uxore sua Regina Constantia coronam Imperii susceperunt à Domino Papa Honorio III. in eodem anno Damyata fuit perdita à Christianis.

Anno Domini 1221. decima indictione Dominus Fredericus Imperator ivit cum magno exercitu super Saracenos Jacis, & cepit Benayeth cum filiis suis, & suspendit apud Panormum.

Anno

Anno Domini 1222. undecima indictione Domina Imperatrix Constantia obiit apud Cathaniam. Et in eodem anno Dominus Imperator cepit Celanum, & ejecit Comitem Thomasium de Celano de Regno.

Anno Domini 1223. duodecima indictione Dominus Fredericus Imperator misit exercitum suum in Gerbis, & cepit illos, destruxit, & captivavit.

Anno Domini 1232. decimatertia indictione Dominus Fredericus Imperator misit exercitum magnum super Saracenos Siciliæ, & remanserunt in Montanis, & magnum guastum semper annuatim faciebat super illos usquequo descenderunt cum magno opprobrio, & fecit illos morari in plano Siciliæ in Casalibus.

Anno Domini 1227. prima indictione mense Junii Dominus Fredericus Imperator Secundus transivit in partes ultra marinas, & ibi accepit coronam ejusdem Regni. Et in eodem anno antequam transiret, Domina Imperatrix Uxor sua obiit. Et Rex Corradus natus fuit. Et in eodem anno Papa Gregorius suscepit Papatum Romæ.

Anno Domini 1225. decimaquarta indictione Dominus Fredericus Imperator accepit uxorem filiam Domini Regis Joannis, nominis Isabella.

Anno Domini 1208. secunda indictione Dominus Imperator reversus fuit in Regnum.

Anno Domini 1229. tertia indictione in dicto mense Augusti Dominus Imperator fecit pacem & concordiam cum Domino Papa Gregorio. Et intrante mense Septembris quartæ indictionis mansit in Anania cum Domino Papa tribus diebus.

Anno Domini 1230. quarta indictione Dominus Imperator tranctavit, vel fecit tractare Constitutiones suas.

Anno Domini 1231. quinta indictione Dominus Imperator misit ipsas Constitutiones suas per totum Regnum, & in Siciliam per Dominum Reccardum de Montenigro, qui erat Magister Justitiarius Siciliæ. Et in eodem anno mense Augusti dictæ indictionis Martinus Ballonus se rebellavit contra Dominum Imperatorem cum aliquantis hominibus Messanæ. Et ipse Magister Justitiarius arripuit fugam. Et dictus Martinus causa timoris Domini Imperatoris similiter arripuit fugam, & fuit captus cum sociis suis apud Maltam.

Anno Domini 1232. sexta indictione Dominus Imperator mense Aprilis ejusdem indictionis venit Messanam, & succedit dictum Martinum Bellionem. Et in eodem anno similiter fecit apud Syracusam & Nicosiam.

Anno Domini 1233. septima indictione Matthæus Marchasaba fuit constitutus Secretus Siciliæ & Calabriæ.

Anno Domini 1234. octava indictione Dominus Imperator Fredericus ivit Alamaniam.

Anno Domini 1235. nona indictione Dominus Imperator Fredericus II. accepit uxorem, sororem Regis Angliæ. In eodem anno cepit filium Regem Henricum, & restituit eum in carcere usquequo mortuus fuit apud Maturanum, & sepultus fuit in Ecclesia Cusentina.

Anno Domini 1236. decima indictione ultimo mensis Novembris Dominus Imperator ivit Lombardiam cum magno exercitu; & ivit super Mediolanum, & cepit Corrocium Meliodalanentium.

Anno

Anno Domini 1236. undecima indictione mense Februarii natus fuit Rex Henricus filius Domini Imperatoris de uxore sua tertia, quæ fuit soror Regis Angliæ. In eodem anno Dominus Imperator obsedit terram quæ dicitur Brixa, & nihil prevaluit in ea.

Anno Domini 1237. duodecima indictione primo mensis Augusti Marchafaba Secretus obiit. Item eodem anno Papa Gregorius exscomunicavit Dominum Imperatorem Fredericum.

Anno Domini 1238. decimatertia indictione fuit Secretus Siciliæ Major de Brancadoria; & Justitiarius Siciliæ Guilielmus de Angione: & permanserunt in officio eorum per spatium mensium septem. Et in mense Junio dictæ indict. fuit Secretus Siciliæ Ubertus Fallamonica, & Justitiarius Petrus de Calabria, & Capitaneus Rogerius de Amicis.

Anno Domini 1239. decimaquarta indictione Prælati Franciæ capti fuerunt à Domino Frederico Imperatore tempore Domini Gregorii Papæ. Et in eodem anno idem Dominus Papa obiit.

Anno Domini 1240. decimaquinta indictione erat Justitiarius in Sicilia Petrus de Calabria. Et in eodem anno Rogerius de Amicis ivit ad Soldanum Babiloniæ.

Anno Domini 1241. primæ indictionis Ubertus de Fallamonica de mandato Domini Imperatoris ivit apud Maroccum. Et in eodem anno Soldanus de   & insiluerunt Christianos qui habitabant Jerusalem & ceperunt illos, occiderunt, & captivos duxerunt. Et in eodem bello fuit mortuus ille Perfectus Episcopus Sancti Georgii de Rama, & Dominus Guaterius de Breta Dominus Joppen. Et in illis diebus Dominus Rogerius de Amicis manebat Babiloniam, & in Cayrum cum Soldano.

Anno Domini 1242. secundæ indictionis Rogerius de Parisio fuit Capitaneus Siciliæ. Guilelmus de Taraum Justitiarius.

Anno Domini 1243. tertiæ indictionis Dominus Serrebaldus Cardinalis suscepit Papatum Romanum; & statim ivit per mare apud Januam: & postea ivit usque Ludunum, & permansit ibi per spatium annorum sex. Item eodem anno mense Julii ejusdem indictionis omnes Saraceni de Sicilia tanquam rebelles ascenderunt in Montana, & ceperunt Jatum & Antellam.

Anno Domini 1244. quartæ indictionis mense Martii ejusdem indictionis Tibaldus, Franciscus, & Guilelmus de Sancto Severino, & alii Comites & Barones de Regno ceperunt terram Capacii, & ipsius Castrum tanquam rebelles, & Dominus Imperator Fredericus Secundus obsedit eos, & in medietate mensis Julii ejusdem indictionis cepit eos omnes: captis omnibus hominibus qui manebant cum illis, & transportavit illos, & in terra Neapolis omnes illos succendit. Et inde nobilioribus mulieribus Regni cepit, & misit illas in carcere apud Panormum, & nunquam postea comparuerunt. Item eodem anno mense Julii ejusdem indictionis fuit constitutus in Sicilia Justitiarius Dominus Hugo de Casino.

Anno Domini 1245. indictionis quintæ de mandato Domini Imperatoris Comes Reccardus de Caserta ejecit omnes Saracenos de Sicilia, & misit illos apud Noceriam in Apulia. Item eodem anno Dominus Papa Innocentius celebravit magnum Concilium apud Lugdunum cum Prelatis ultramontanis, & non de Regno, preter Dominum Reccardum Panormitanum Archiepiscopum, qui ibi missus fuit à Domino Imperatore.

Anno

Anno Domini 1247. indictionis septimæ Dominus Imperator Liodaycus Rex Francorum transivit in partes ultramarinas: & permansit in Insola Cypris in mense Junii ejusdem indictionis: & in eodem mense transivit viriliter usque mare Damiatæ, statim cum magno gaudio cepit ipsam terram.

Anno Domini 1248. indictionis octavæ mense Aprilis ejusdem indictionis Dominus Rex Francorum perdidit dictam Terram Damiatæ, & Soldanus Babiloniæ recuperavit eam.

Anno Domini 1250. indictione nona mense Decembris ejusdem indictionis Dominus Imperator Fredericus Secundus obiit in Apulea in terra quæ dicitur Florentinum, & corpus ejus applicuit Messanæ decimotertio Januarii dictæ indictionis, & mansit corpus ejus de die in diem aliquantis diebus in Ecclesia Pactensi tempore Domini Philippi Episcopi ejusdem terræ, & fuit conductum postea apud Panormum, & ibi fuit sepultum. Dominus Henricus Rex filius Domini Imperatoris procreatus de uxore Angliæ decimonono die mensis Januarii dictæ nonæ indictionis applicuit Messanam, & cum gaudio magno fuit ibi receptus.

Anno Domini 1250. indictione decima mense Januarii ejusdem indictionis Dominus Rex Corradus filius Domini Imperatoris venit de Alamanca per mare cum magno extolio misso per Dominum Principem, qui erat Ballius totius Regni de mandato Domini Imperatoris, & applicuit in Apuleam octavo Januarii dictæ indictionis.

Anno Domini 1252. indictione duodecima mense Octobris ejusdem, Civitas Neapolis capta fuit ab eodem Domino Rege Corrado. In mense Maii ejusdem obiit, & sepultus fuit Messanæ. Item eodem anno mense Januarii ejusdem indictionis Rex Henricū prędictus obiit.

Anno Domini 1253. indictione decimatertia mense Novembris ejusdem indictionis Innocentius Papa IV. intravit Neapolim cum magna exultatione, quia Dominus Princeps voluit, & per licentiam suam intravit in Regnum. Et in illis diebus fuit interfectus Borrellus de Anglone. Et intrante mense Decembri dictæ indictionis Dominus Papa Innocentius obiit in eadem terra Neapolis, & ibi fuit sepultus; & statim Dominus Alexander Papa suscepit Papatum Romanum, & mansit in terra Neapolis usque in mense Maii dictæ indictionis. Item in eodem anno mense Decembri decimetertiæ indictionis Dominus Princeps recuperavit Luceriam & Achinengiam; in qua interfectus fuit Joannes Maurus: & postmodum recuperavit Civitatem Melfiæ: & destruxit Civitatem Rapullæ nolentem se reddere in eum. Et in mense Februarii decimætertiæ indictionis Universitas Civitatis Messanæ ejecit Comitem Petrum Russum de Calabria ab eadem Civitate cum tota familia sua: & misit Domino Principi ut veniret & acciperet Messanam cum tota Sicilia. Et postea finistro Consilio habito miserunt magnum exercitum contra exercitum Domini Principis prædicti in Calabria in contrata quæ dicitur Corona. Et exercitus Domini Principis insiluit in prædictum exercitum Messanæ, & pessimè prævaluerunt in eum, videlicet alios interfecerunt, & alios vulneraverunt, & alios producerunt, & alios ceperunt: & parum ex eis evaserunt. Item mense Augusti prædictæ decimætertiæ indictionis Universitas Messanæ destruxit terram Tavormenii eoquod nolebat obedire mandato eorum. Item eodem anno mense

S f. Octo-

Octobris decimæquartæ indictionis Universitas Messanæ misit Romam, & elegit Potestatem Dominum Jacobum de Pente, & permansit in potestate usque ad medietatem mensis Maii prædictæ indictionis; & cum eo venit Dominus Joannes de Columnis Messanensis Archiepiscopus missus à Domino Papa.

Item anno Domini 1254. Indictione decimaquarta mense Aprilis Henricus de Abbate cum exercitu Vallis Mazzariæ cepit Panormum, & Fratrem Businum legatum: & tota Sicilia se convertit ad Dominationem Domini Principis, preter Platiam, Castrum Joannem, & Aydonem.

Item anno Domini 1255. decimaquinta indictione Comes Fredericus Lancea venit Vicarius in Sicilia: & congregatis Baronibus Calabriæ Vallis gratis terre Jordani, & totius Siciliæ, ivit cum magno exercitu super Platiam, & obsedit & cepit ipsam; & quamdam quantitatem hominum ipsius terræ interfecit. Et postea ivit super Castrum Joannem, & Aydonem, & homines earumdem terrarum converterunt se ad Dominium Domini Principis. In eodem anno fuit Justitiarius Philippus de Aternò.

Item anno Domini 1256. indictionis primæ fuit Justitiarius Siciliæ Bernardus de Acquaviva. In eodem anno mense Aprilis primæ indictionis Dominus Princeps Manfredus venit Messanam, & postea ivit Panormum; & ibi fecit congregari omnes Prelatos & Barones totius Regni; & ad electionem eorum Dominus Princeps fuit coronatus Rex Siciliæ decimo die mensis Augusti primæ indictionis cum maxima lætitia & exultatione.

Item anno Domini 1257. indictione secunda Comes Fredericus Maletta venit Capitaneus in Siciliam, & Justitiarius fuit Fredericus de Avenis Arenes.

Item anno Domini 1258. indictionis tertiæ mense Maii Gobbanus Theotonicus interfecit eumdem Comitem Fredericum Malettam ante Montem Trapani: & idem Gobbanus ascendit in eumdem Montem; & ipse una cum hominibus ipsius Montis Calcaneum rebellionis erexerunt contra Dominum Regem Manfredum negantes nomen ejus; & Dominus Comes Fredericus Lancea cum exercitu magno obsedit prædictum Montem, & mense Octobris indictionis ejusdem cepit prædictum Montem cum hominibus ejusdem, & fecit eos ab inde discedere, & quosdam eos devastavit,

Anno Domini 1263. nona indictione Comes Carolus intravit Romam in estate; mense verò Aprilis ejusdem indict. Dominus Rex Manfredus misit extolium suum apud Marsiliam ad obsidendū eam.

Anno ejusdem Incarnationis 1265. indictione nona Comes Carolus cepit Pontem Ciplanum, & turbata est Civitas Neapolis. Et postmodum idem Comes cum exercitu suo venit apud Pontem Valentinum in partibus Beneventi: & die Veneris vigesimosecundo mensis Februarii prævaluit in eumdem Regem Manfredum cum exercitu suo, & habuit victoriam super eum.

Item anno dictæ Incarnationis ejusdem nonæ indictionis die Sabbati decimotertio mensis Martii Civitas Messanæ elevavit vexillum prædicti Comitis Caroli; & die Jovis primo mensis Aprilis ejusdem indictionis Comes Philippus de Monteforti venit Vicarius in Siciliam pro parte ipsius Comitis Caroli.

F I N I S.

ROGERII
SICILIÆ REGIS
RERUM GESTARUM LIBRI QUATTUOR:

ALEXANDRO GELESINO

COENOBII ABBATE AUCTORE.

UIS fuerit Abbas Celesinus, quo tempore vixerit, & qua occasione historiam suam quatuor in libris (non in sex ut ex errore asserit Vossius) divisam , narrat auctor ipse in præfatione Operis. Hunc tertiò typis mandamus post Hieronymum Surita , qui simul cum Malaterra primus typis mandavit Cæsaraugustæ anni 1578. & Joannem Pistorium in tomo tertio Hispaniæ Illustratæ Francofurti editæ anno 1605.

ROGERII
SICILIÆ REGIS
RERUM GESTARUM LIBRI QUATTUOR:
ALEXANDRO CELESINO
COENOBII ABBATE AUCTORE.



Lexander Celesini Cœnobii Immeritus Abbas universis in Christo positis salutem. Non ab re esse reor, si res olim gestæ, in memoria scripto habeantur. Nam in eis plurimum fertur commodum: in quibus quid tenendum, quidve sit cavendum satis agnoscitur. Si quidem ipsa bellica acta, cum bona non esse cernantur, ideò tamen conscribuntur, quia, ut non fiant, quodam modo innuunt: immò jubent: ut & pacis vinculum desiderabilius deinceps perseveranter in nobis vigeat: faciliusque non queat dissolvi: quam ob rem merito me quis culpare non debet, si militaria gesta, quæ modernis temporibus acciderunt, ad posterorum notitiam stylo comprehensa monachus retulerim: cum etiam in sacris veteribus historiis, videlicet Saul, & David, cæterorumque Regum multa his similia narrantur: quæ in cunctis per orbem Ecclesiis ad proficuum audientium legi non prohibentur. Malui igitur à Cœnobialibus ad tempus curis, & sine quolibet segregari damno, quam ea inutili suppressâ silentio, taliter infructuosâ manerent. Ad perficiendum tamen opusculum istud importuna me valde Comitissæ Mathildis sororis Regis Rogerii, conjugisque Ranulphi Comitis precatio impulit: cujusquidem petitionem, etiam si primo propter ordinis rigorem, subterfugere volui, postmodum verò me ei non assensisse pœnituit. Conjiciebam enim futuris temporibus, quod ab ea poscebatur, indubitanter profuturum non deesse. Nunc igitur ejusdem Regis gesta ad perpetuam conscribenda memoriam assumantur: qui primo quales pueriles gesserit actus, quique post Siciliensis Comitatus honorem, qualiter ad Ducalem apicem, deinde quomodo ad Regiam provectus fuerit dignitatem: seu quanta diebus nostris in hoc sæculo excelluerit potentia: quantove etiam terrore provincias omnes à Sicilia, Romam usque conterens in brevi sibi subdiderit: summa tantum carpendo in hoc propaletur volumine. Cujus quoque præcellentissima virtus, etsi in vindicandis tot regionibus sibi satisfacere gestivit, tamen, ut quæ in ipsis multum superfluebat iniquitas, jam finem acciperet, hujus quoque erat occulto Dei judicio conterenda flagello. Nam sicut ipso Deo disponente, vel permittente, vigens Longobardorum nequitia supervenientium Normannorum violentia olim comprimenda fuit, ita & nunc certum est Rogerio cælitus datum, vel permissum fuisse, harum scilicet regionum immensam gladio suo coerceri malitiam. Quid enim tunc mali non in ipsis exercebatur? Quippe omni ti-

timore ablecto, cædes hominum, furta, rapinæ, sacrilegia, adulteria, perjuria, necnon Ecclesiarum, monasteriorum oppressiones, virorum Dei contemptus; pluraque his similias fieri non desinebant. Peregrinorum quoque pro Deo itinerantium alii prædabantur, alii verò, pro rebus eorum diripiendis, in abditis locis perimebantur: quibus facinoribus plurimum Deus offensus idcircò Rogerium de vagina provinciæ Siciliæ extraxit, ut eundem quasi gladium acutum in manu tenens, harum perpetratores iniquitatum, per eum percutiendo comprimeret: atque ad viam justitiæ, quos incorregibiles valde diu sustinuerat, ejus conterriti terrore revocarentur. His ergo in præfatione paullulum prælibatis, ad narrandum ejus initium jam veniamus.

Igitur Vvilielmus Dux Apuliæ postquam humanis rebus morte interceptus excessit, qui nepos Roberti Viscardi robustissimi fuerat Ducis, videlicet genitus à filio ipsius Rogerio, qui secundus ei ad suscipiendum Ducatus successerat apicem, contigit: ut hæc ipsa jam facta provincia, aliæque circumquaque positæ regiones ingenti possideientur calamitate: ut pote quæ absque regiminis Ducalis habena fuerant postpositæ. Quippe Dux ipse legitima carens prole, heredem jure sibi succedentem moriens non relinquerat: unde accidit, ut & ipsarum Ducalium urbium scilicet Salerni, Trojæ, Melfiæ, Venusii, cæterarumque, quæ sine domino, & Duce relictæ fuerant, quædam istius, quædam illius tyrannica ambitione surriperentur. Sed & singulis quibusque, quod placitum erat in oculis ipsorum, nemine contradicente agere liceret. Nemo quippe tunc ulla corporis punitate exterrebatur: ideoque ad malum operandum magis ac magis universi effrenabantur: ita ut non solum viatoribus jugis fieret metus, verum etiam agricolis ad excolendum agrum exire cupientibus securitatis quies deesset. Quid plura? nisi Deus Guiscardinæ pertinens prosapiæ reliquisset semen, per quod cito Ducatus recuperaretur monarchia, omnis pœne siquidem terra nequissimis involuta facinoribus inhumanæ mentis præcipitium ruitura periret. Quis itaque illud fuerit semen nunc subjungendo manifestetur. Semen inquam illud fuit Rogerius filius Rogerii Siculorum Comitis: fratris prædicti Guiscardi: qui tempore; quo supra memorata gerebantur, Siciliensium degebat Comitatu: cujus quidem qui, & quales in se pueriles fuerint actus, hic primo, licet summatim, recolere dignissimum duxi.

Huic quippe unicus erat frater primogenitus nomine Simon: qui patri obituro ad suscipiendum ipsius provinciæ dominium successurus erat: quem quidem, ut moris est puerorum, nummo ad bellum ludendo provocabat. Hic namque ludus ei præ ceteris ludis specialissimus inerat. Cum ergo uterque cum singulis puerorum catervis, ad hoc accitis præliarentur, superabat minimus Rogerius: unde deridens fratrem suum Simonem ajebat. Mequidem sic triumphare dominatus honore post funera patris potius conducet, quam te. Quapropter cum id potitus fuero, te aut Episcopum, aut vel Romæ Papam, quod magis tibi competit, constituturus ero. Cumque crebro sic superando talia in eum insultantius verba proferret, jam in se portendebat, quod vere dominus ipse post patrem futurus esset: quodque nonnullas, ut in sequentibus apparebit, pluribus longe, lateque ter-

terris subactis, consecuturus esset victorias.

Factum est autem dum Simon, genitorque Rogerius vi numinis ad extrema pervenissent, Rogerius minimus ad potiendum provinciæ ipsius Comitatum heres succedit. Sed quia adhuc tenera comprimebatur ætate, nec poterat hac præpeditus, dominatus exercere curas, genetrix illius Adalesia nomine mulier prudentissima, quousque ad ætatem ipse pertingeret legitimam, regimen sub se peragendum ipsius Comitatus accepit. Hic namque dum adhuc puer sub matris tutela degeret, persæpe tanta movebatur pietatis gratia, ut non pauper, vel peregrinus ab eo vix sine stipe recederet. Plerumque enim cum quid dare non haberet, genitricem adiens petebat, quatinus sibi conferret, quod inopi largiturus esset: cui etiam, quatinus à se ad ipsum fieret, magnopere fusis precibus suggerebat.

Cum autem adolevisset, factusque miles dominatus jura per se agere deberet, tanta utebatur industria, tantaque virtutis fulciebatur gratia, ut totam Siciliæ provinciam optime, strenueque regens sub omni terrore constringeret: adeò ut non fur, non latro, aut raptor, sive quislibet malefactorum ex latebris suis prodiens apparere auderet. Auro verò, vel argento, cæterisque rebus ita opulentissimus erat, ut cunctis prægrandem ex hoc ipso stuporem ingereret: unde non solum à suis, verum etiam ab alienis, seu longe positis quam maxime timeretur. Invaserat enim & alias insulas; quarum una Malta vocatur: cumque ad alias iterum occupandas insulas, terrasque attentius persisteret, repente audivit præfatum Ducem, Guilielmum ab hac luce Salerni decessisse; qui doluit valde, quod se ignorante defunctus sit: quodque se, ut sibi vivens statuerat, si filium non haberet, hæredem non fecisset. Unde moram non patitur; sed præparato navali itinere, quantocyus Salernum tetendit.

Cumque non procul ab urbe, navibus infra mare fixis constitisset, delegatis nuntiis Salernitanis civibus misit: quatinus eidem subderentur: nam potius sibi, quam alteri dominatus ejusdem civitatis, generis successione competebat: quod & Guilielmus Dux si ex conjuge nato cariturus esset herede, vivens ei concesserat. Quibus illi respondentes, nos nullo modo inquiunt, nullave ratione ei subdemur: quoniam plura malorum à Guilielmo Duce, ejusque prædecessoribus perpessi sumus: quæ etiam ab eodem ipso nobis inferri, si dominatus culmen super nos susceperit, formidamus. Cumque hæc, & his similia ab eis superbo ore proferrentur, atque magnas quidam Sarolus nomine, unus ex illis, qui ex parte Comitis verba detulerant, dura contra eos pro hoc ipso verba reddidisset, mox illis in eum furore concitatis, dum fugam evadendi infelix ageret, ferro ab ipsis succissus interiit.

Quæ videlicet cum Rogerio relata fuissent, licet cordis dolore intrinsecus quam plurimum tangeretur, animi sui impetum pro tempore gravitate obvoluens, rursus mittebat: exorans eos, quatinus, quod sibi justum ad habendum erat, non denegarent. At illi super hoc iterum, atque iterum multipliciter secum conferentes, tandem talia respondentes dixerunt. Concedatur nobis munitio turris majoris ad custodiendum: sicque post dominio ipsius subdemur. Quo audito ille, quamquam super hoc pernimium aggravaretur, subditionem tamen civium accepturus, prædictam arcem eis pro nutu ipsorum conservandam annuit.

Inte-

Interea Comes Ranulphus, qui ejus jam fororem nomine Mathildim in conjugium duxerat, audiens illum Salernum advenisse, continuo pergens invenit eum in mari, in eodem adhuc loco, quo prius fubftiterat, perfiftentem: ubi cum poft multa verborum Rogerius ejus hominium fubdendum poftulaflet, illeque, nifi forte quid fibi ab eo daretur, pro quo id fieri deberet, recufaret, percunctatur mox, quid fibi per hoc ab eo conferri geftiret. At ille volo inquit, quatinus fi mei fubmiflione hominii honorem confequeris, fic verfa vice Rogerii Orianenfis Comitis me fubditione honores: quod cum audiffet graviter accepit: abnuens parem pari fubmitti. Unde dum uterque poft inter fe vicaria durorum prolatione verborum altercarentur, Comesque deinceps Ranulphus animi indignatione motus penitus recedere vellet, tandem Rogerius eum abire non poffus, tam pro conjugali Mathildis copula, qua ei propinquus exiftebat, quam pro ftrenuitatis fuæ nomine, quam fibi in adquirendo Apuliam omninò profuturam fperabat, ejus fufcepto hominio, fubdidit ei præfatum quem popofcerat Comitem: deinde cum accepta fidelitate Salernum ingreditur. Amalfitani deinde videntes Salernitanos Comiti colla fubdidiffe, & ipfi itidem ei retentis munitionibus fubjiciuntur:

Per idem tempus Romanæ Ecclefiæ Pontificium Honorius Papa fecundus adminiftrabat: qui Romæ obitum Guilielmi Ducis percipiens, nec non Sicilienfem Comitem Ducale jam ambire regimen cognofcens, doluit valde: atque fine dilatione urbem egreffus, Beneventum properat: deinde miffarum celebrans follemnia, ipfum publica voce anathematis jaculo perculit: fi Ducale obtinere culmen ulterius conaretur: vel quifquis ei ad id nancifcendum, confilium, auxiliumve tribueret. Unde factum eft, ut & ipfe Ranulphus Comes ab eo, quamquam male confultus, penitus averteretur: modis omnibus nitens præpedire eum, ne Ducatus quiret confcendere apicem.

Verum Rogerius Salerni commorans cum audiffet, quod Papa Beneventum petiffet, atque in fe excommunicationis intorfiffet jaculum, mifit ad eum orans, ut non ab Ecclefia dominatum, Ducalemque honorem generis jure fibi competentem confcendere prohiberetur: nam ei, prout æquitas imperaret, de ejufdem Ducatus culmine libenter ipfe obfecundaturus effet. Papa verò iis perceptis, nulla ratione, nullove pacto ejus precationibus flectitur: Immò amplius illum excommunicando feriens expellebat. Porrò Rogerius indignationem adhuc illius patienter fuftinens, mifit iterum, atque iterum, quatinus eum fufcipiens, quod fe habere jure decebat, non denegaret. At contra Papa eodem modo quo fupra in eum, obftinatiffimum gerens animum, nullo modo defiderio ipfus affenfum præbere volebat.

Poft hæc autem prædictus Præful à Trojanis civibus accitus, eorum hominium, flagitantibus ipfis accepit: ubi quidem univerfi Apuliæ ad fe venientes Magnates adverfum Rogerium ita, eodem follicitante, fœdere ei uniuntur, ut non, nifi aut illum penitus expellerent, aut in bello fi poffent, de terra necando delerent. Ex quibus fuerunt Grimoaldus Barenfium Princeps, Gofridus Comes Andrenfis, Tancredus de Converfano, atque Rogerius Orianenfis Comes, aliique complures: quorum fcilicet unanimitati & Robertus Capua-

norum

norum Princeps ejusdem Papæ hortatu, Comitisque Ranulphi instigatione consociatur. Nec mora: præfatus Apostolicus Beneventum repedat: ibique non longa intercedente mora, rursus Trojam revertitur: qui ibidem Episcoporum celebrans concilium Rogerium iterum, vel quisquis ei ad adipiscendum Ducatum consensurus, seu opem collaturus esset, ab Ecclesia excommunicando eliminavit: cumque his peractis denuo Beneventum remeasset, Rogerius rursus legatione ad eum directa suppliciter precatur: quatinus anathematis sententia remota, Ducalique sibi dignitate concessa, servitium ejus susciperet. At ille rursus in eodem ipso quo supra, immobili mente persistens, petitioni suæ nullatenus adquiescit.

Rogerius tantam ipsius insolentiam, animumque ejus ita inflexibilem spectans, ad Siciliam transvectus navigio redit: quatinus quod humilibus verbis obtinere non poterat, armorum violentia revertens adipisceretur. Cujus abscessu cognito Papa, & ipse Romam quantocyus potuit, repetit: uti inde bellicam aciem ducens adversus eum, simul cum præmemoratis Principibus obsistere deberet: si forte cum hostili manu Ducatum invasurus rediret. Multa quidem præterii: quoniam summa tantum, atque extrema, sicut in proœmio jam dictum est, enarrare proposui.

Igitur Rogerius cum apud Siciliam, quousque ad bella solitum est procedi, demoratus fuisset, coacto nimium immenso exercitu fretum Pharense transvadavit. Qui inde movens ad turrim, quæ Hunifredi dicitur, constringendam properat: quam quidem cito comprehensam ad solum usque subvertit. Deinde Tarentum perveniens, civibus se se dedentibus, mox eam obtinuit. Cujus post obsidionem Hydruntini cives pertimescentes, civitatem & ipsi, seseque ei submittunt. Hæ quippe urbes Boamundi juris fuerant: quas ipse, omnemque terram suam, cum ad potiendum Principatum Antiochiæ, transmarinum peteret iter, Apostolicæ prius fertur tutelæ commisisse. Verum ille ejusdem civitatis decoratus Principali infula, brevi intercapedine posita, in loco, quo se tutum omnino cum suis fore putabat, subito à Turcorum interclusus acie, cum multis aliis digladiatus finem vitæ dedit. Deinde super Brundusium urbem prædicti Tancredi veniens, eam nimio obsidionis rigore tamdiu oppressit, donec urbicolæ non diu tolerantes, civitatem ei, seseque dedere: quo facto ad oppidum, quod nominatur Castrum, obsessurus festinat: quod quidem sine dilatione capitur. Post hæc autem oppidum, quod nuncupatur Oira adiens, continuo illud aggreditur. Præterea, & alia ejusdem castra capiuntur: quorum nunc nomina nequaquam recolli ignorationis necessitas cogit.

Honorius itaque Papa cognoscens Siculorum Comitem mare transmeasse, terrasque Boamundi, atque Tancredi ex parte jam occupasse, cum militibus ferme trecentis revertitur: mandans Principi Ruberto, Comitique Ranulpho, ceterisque per Apuliam præmemoratis Principibus quatenus militaribus collectis agminibus, secum hosti Rogerio jam imminenti armis obviaturi procederent. Comes igitur Rogerius comperiens præfatam expeditionem ad se debellandum properare, movens se ad fluvium Bradanum, ubi vadus Petrosus dicitur, castra figi præcepit. E contra verò Papa cum omnibus suis appropinquat: in tantum, ut medius inter eos fluvius ipse difflueret.

At Rogerius cum dominum Papam expeditioni illi interesse percepisset, reverentiam illi ita exhibebat, ut vitaret eum contingere: ne contra Deum, spreto ipsius vicario, repugnare videretur. Quin etiam ad eum legatione semel, ac iterum facta flagitabat, ut ei anathematis vinculo absoluto, Ducatum etiam jure generis sibi succedentem liceret accipere.

Cumque sic hi, & illi sine rerum effectu diutius permansissent, Magnates Principis Roberti, deficientibus sumptuum stipendiis, egere incipiunt adeò, ut & plures illorum chlamydes suas distrahentes, cibos sibi mercari compellerentur. Unde factum est, ut quidam eorum inediam non ultra ferentes, latenter recederent. Apostolicus verò cognito quod Baronum, militumque murmur instaret, eo quod multum temporis militare sustinentes exercitium, egestatem pati cogerentur, vellentque se se dimisso, recedere, fultos consilio ad Rogerium clam, festinanter præmisit: pollicens illi Ducatum annuendum: ita tamen ut prius Beneventum petens, suum ei ibi hominium subderet: sicque postea ipsum à se Ducatum ex more acciperet. Hoc quoque illo annuente, simulque ab utraque parte firmato, Apulienses heroes comperto hoc, mox dissolutis papilionibus, ad sua cum dedecore revertuntur: culpantes pernimium Papam, quod sine eorum consensu, cum hoste Rogerio concordatus fuisset.

Cum ergo Præsul Beneventum redisset, ecce Rogerius adveniens in montem S. Felicis, haud longe à Benevento positum ascendit: militari ejus cuneo in devexum ejusdem collocato montis. Post diem verò tertium præfatus Pontifex ab eo accitus paullulum ab urbe progreditur: ipsiusque, ut moris est, hominio suscepto, cum vexillo Ducale eidem tradidit regimen. At Rogerius Apostolica roboratione Dux constitutus, secundum quod inter se jam propositum fuerat, Sacramentum ei fidelitatis per omnia servandum exhibuit: quibus peractis Papa ad palatium revertitur: Dux Trojam festinus obsessurus pergit: quæ quidem & si strictius ab eo obsessa teneretur, tamen ei à civibus omnino resistebatur. Nam Trojani præscientes obsidionem ipsam super se venturam, urbem nimium præmunierant: unde eum obsidentem audaciores parvipendebant. Cum ergo Dux ibi aliquandiu moratus civitatem etiam munitissimam fore conspiceret, nilque tunc ad capiendum eam, ob hiemem jam imminentem se proficere posse prævideret, remota obsidione, interim ad recipiendum Melfam, aliasque Ducales urbes festinat: quæ jam legatis præmissis, ultro se se ei subdendas mandaverant: quibus receptis expeditionem bellicam ad propria redire jubet: sicque Salernum reversus, ibique parumper moratus, ad Siciliam cum multo iterum inde reversurus exercitu, remeat. Qui dum apud eandem provinciam morans, Apuliæ absentaretur, Tancredus suis interim persuasionibus Brundusium civitatem, & oppida, quæ invadente eo amiserat, recuperavit.

Factum est autem, cum tempus egrediendi in hostem opportunum successisset, Dux Rogerius collecta rursus militari expeditione fretum, quod Pharum dicitur, transmeavit. Exinde moto exercitu cœpit huc, illucque terras sibi omnes militari violentia occupare. Cum ergo ex parte recuperasset oppida, quæ jam Tancredus eo absente resumpserat, tandem iterum Brundusium, ut eam recuperet,

obsef-

obsessurus vadit: qui cum longa in obsidendo mora traheretur, nilque tunc ad obtinendum eam posse proficere prævidisset, dimittens eam ad tempus, ad alia interim aggrediendum oppida accelerat.

Veniens itaque super Castrum superius jam memoratum, continuo, quod se ab eo avertens Tancredo adhæserat, illud evertit. Deinde cum Montis alti oppidum ab eo obsideretur, Robertus interim de Grantmania se ei præsentans rogitabat eum, uti ei jam ad sua redeundi licentiam largiretur. At ille, quare inquit hoc flagitas? Cui ille respondit: ideò recedere quæro, quoniam inedia constrictus exercitus hujus, laborem ultra perferre non valeo: nam feudum, quod videor hebere, modicum quidem valde est: nec ad sustinendum diu militare sufficit exercitium. Sciatur itaque, quoniam si illud non mihi modo adauctum fuerit, ipsum militare opus non amplius tibi serviens exerciturus ero: sed trans Alpes, ad terram consanguineorum meorum pergam: quo quidem sine inopia ero mansurus. Cui Dux noli inquit, precor rem hanc agere: sed parumper attendere: quousque universa mihi subjiciatur Apulia: sicque postmodum quod quæris tibi proculdubio adimplendum erit. At ille videns differri quod petebatur, mox more suo, ira succensus ait: Si nunc quod peto non dabitur, jam ultra à te mihi illud dari non præstolabor: nec etiam quæ nunc à me tenetur, terram, eo quod modica sit, amodo tenere cupiam. Cumque hæc, & his similia affatus ei se absentasset, protinus sine ipsius nutu, male consultus ab hoste discessit: quodquidem Duci quantum displicuerit, in sequentibus aperietur.

Capto itaque Monte alto, Rubeam præfati Tancredi urbem invasurus properat: qua devicta Alexander Comes, Tancredus, Grimoaldus Barensis Princeps, nec non Gofridus Comes Andrensis tantam ipsius potentiam experti, saniori consilio inter se habito, mox ei subjiciuntur: unde Tancredo ipsi Dux animo jam sedatus terras quascumque abstulerat, reddidit: quibus deinde præcepit, ut post ipsum ad obsidendum secum Trojam celeriter accessuri essent. Porrò Trojani percipientes præfatos Magnates Duci colla jam subdidisse, confusi sunt valde: qui etiam ne sine tutore existerent, miserunt ad Robertum Capuanorum Principem, quatinus cito veniens dominium super se susciperet: atque à Duce, qui jam instare cernebatur, protegeret. At ille nolebat ad eos ire: verens certa pro incertis neglegere. Ad hæc Comes Ranulphus iratus respondit: ego inquit, si tu non vadis, nullo modo agam, quin eis auxiliaturus pergam: qui cum Trojam ingressus fuisset, cives alloquitur: mutuoque firmata fidelitate, eos se contra Rogerium protecturum firmissime spondet.

Verum Dux appropinquans venit super Salpim: moxque eam obtinuit: qui audiens Ranulphum Comitem contra se Trojanos velle tueri, indignatur valde, dicens: Si Comes Ranulphus terram meam abstulit, ego vadam, relicta interim Ttroja, suam ei ablaturus. Cumque prætergrediens Trojam, ad castrum, quod dicitur Grentium pervenisset, Comes Ranulphus putans eum ad terram suam invadendam, sicut dixerat, velle ire, verensque eam amittere, præmisit legatos suos post eum: per quos cito concordia ipsius secum habenda flagitetur. Cumque Dux cum eodem, si Trojam de se tenere vellet, se concordaturum promisisset, confestim ille Trojanis dimissis, ad castra ipsius, qui in prædicto adhuc loco morabatur, concitus

ivit. Deinde seorsum habito vicissim colloquio, pactoque alterutrum concordiæ constituto, Comes ad propria regreditur. Dux autem Trojam obsessurus rediit: ad quam videlicet obsidionem supradicti Proceres, ut eis imperatum fuerat, accelerarunt. Quid longius moror? Urbs quippe obsessa in tantum constringitur, ut infra paucos dies vellent, nollent Duci subderentur. Troja itaque capta, ceteræ urbes Ducales tumore mentis magis deposito, humilius eidem subjiciuntur: atque ita omnis ei Apulia sine ulla contradictione submittitur.

Post hæc autem Rogerius agens exercitum vadit ad oppidum, quod vulgo nominatur Lacupesulum: in quo videlicet loco Robertum de Grantimania reperiens, coram omnibus super eo querimoniam egit: quod sine ipsius nutu cum Montem altum obsideret, ab exercitu abscesserit: profitens id ad damnum sui, ab eo actum fuisse. At ille, absit inquit hoc à me: sed ut trans montes ad terram parentum meorum pergerem, recessi. At Dux: si ergo inquit ad Transalpinas terras festinare desideras, terras quas modo possides, quasque etiam te ultra non velle tenere confessus es, nunc coram omnibus renunties: cui ille respondit: accipe eas cito: eo dumtaxat tenore, ut mihi securiter liceat abire. Quid plura? Dux statim terris ipsius receptis, continuo ei abeundi licentiam dedit.

His quoque peractis Dux Melfiam properans, cunctos Apuliæ Optimates ad se convenire jussit: quibus etiam inter cætera edictum dedit: ut in pace permanentes alterutrum non adversarentur. Simulque eos jurare compulit: ut ab ipsa hora, & in antea justitiam, & pacem tenerent: & adjuvarent tenere: nec manu tenerent homines, qui latrocinium, aut rapinam facerent in terris suis: nec esse consentirent. Et si aliquis ibi hujusmodi malefactor reperiretur, sine fraude, curiæ suæ, in loco à se constituto, ut justitia ex eo fieret, præsentarent: & quod ecclesiasticis personis, & rebus earum, videlicet Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Monachis, omnibusque Clericis, laboratoribus, villanis, & cuncto populo terræ suæ dominationis cum rebus eorum, nec non peregrinis, viatoribus, mercatoribus pacem tenerent: & observarent: nec eos inquietarent: nec inquietare ad suum posse permitterent. Unde non mirum si terras sibi omnes Deo cooperante subjicere poterat: quoniam quidem in omni dominationis loco hujusmodi justitiæ assiduo rigore promulgato, pax continua, in qua secundum Psalmistam factus est locus ejus, perseverare videbatur. Quomodo enim pacis bonum deesse poterat, ubi nullus quidem malefactor, terrore ipsius coercitus prodire auderet? Cum ergo ibi Dux aliquandiu moratus hæc, & his similia ad commune proficuum disposuisset, Baronibus ad sua redeuntibus, Tarentum ipse regreditur: qui verens, ne Robertus supradictus recedens aliquando quidquam ei adversi moliri satageret: jurare eum ante discessum compulit, quatinus ultra montes abiens, ibi in perpetuum degeret: neque jam amplius Apuliam ad inhabitandum requireret. Quod cum ille juramento firmasset, hoc modo liber abscessit. Dux post hæc ad Siciliam remeat.

Ibi cum ad tempus usque opportunum moratus fuisset, audiens præfatum Robertum violato Sacramento reversum, atque oppidum Orgeolum, nec non Castrumvillæ contra se pugnaturum recepisse, ira-

iratus fretum Pharense, Siculorum exercitum agens transmeavit. Deinde Calabrorum, Apulorumque etiam bellicis adscitis agminibus, cum immensa animi indignatione super illum ivit: quem quidem omnimodis ita obsidione sevissima constrinxit: ut intra paucos dies sese ei vellet, nollet, subjiciens, oppida etiam ipsa cogeretur dimittere. Deinde Salernum adiens, eam acerrima circumcinxit obsidione: quatinus ei à civibus munitio turris majoris, quam eis custodiendam, petentibus ipsis, non corde annuerat, redderetur. Non enim se urbis illius dominari arbitrabatur: quamdiu arx illa non ei subesse cerneretur. At illi videntes se nullatenus posse obsistere, sine dilatione concesserunt quod ab ipso flagitabatur.

Quibus ita finitis, non diu post cum ipso exercitu movens, se in terram Rogerii Orianensis Comitis tendit: secus oppidum, quod nominatur Apitium, castrametatus: ibique tamdiu ex industria moratur, quousque terra ejusdem Comitis poene omnis à suis circumquaque frumentatoribus depopularetur. In magna namque Dux simultate prædictum Comitem tunc habebat: quem quidem eum erga se non recta fide jam incessisse relatione didicerat. Qua de re coram omnibus post impetiturus, cum se à noxa per judicium excusari non posse cerneret, Padulum ei propter hoc, atque Montemfuscum, duo scilicet ingentia castra consulitur ultro dimittere. Quod cum factum fuisset, mox ab animo Ducis sic exclusa simultas cessavit.

Unde progrediens Trojam iterum obsidione circumsedit durissima: cujus cives, sicut & Salernitani egerant, & ipsi nihilominus egere. Nam castrum, quod ab eisdem, Guilielmo Duce ab hac decedente luce, destructum fuerat, reædificari etiam volentes concedunt. Dux ergo tot, tantisque successibus potitus, Troja lætus continuo recessit: Melfiam petiturus. Ubi etiam munitionem, quæ à civibus, jubente eodem Duce, subversa fuerat, restitui compellit. Tunc temporis, & Robertus Capuanorum Princeps solo nominis sui terrore constrictus suo subditur dominio. Nec multo post Salernum rediens ad Siciliam inde remeavit. Nunc itaque in hoc loco primus de Ducatu claudatur libellus: quatinus ad ea, quæ jam Rex constitutus gessit, commemoranda stylus vertatur.

Explicit Liber Primus.

IN-

INCIPIT LIBER SECUNDUS.



UM Dux Rogerius per omnia lætis potitus successibus, totas Boamundi terras,omnemque Ducatum in integrum potentissime obtinere videretur, nec non Capuanorum Princeps, Magisterque militum Neapolitanus, omnisque terra, quæ erat usque pœne fines Anconitanæ urbis, bellorum cunctis contrarietatibus sopitis sibi subderentur, sæpissima sibi, ac familiari quorundam, maximeque Henrici Comitis avunculi sui, à quo plus aliis diligebatur, cœpit suggeri collocutione: videlicet, ut ipse, qui tot provinciis Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, cæterisque regionibus, quæ pœne Romam usque habentur, Domino cooperante, dominabatur, nequaquam uti Ducalis, sed Regii illustrari culminis honore deberet. Qui etiam addebant, quod regni ipsius principium, & caput Panormus Siciliæ metropolis fieri deceret: quæ olim sub priscis temporibus, super hanc ipsam provinciam Reges nonnullos habuisse traditur: quæ postea pluribus evolutis annis, occulto Dei disponente judicio nunc usque sine Regibus mansit.

Horum itaque amica, atque laudanda suggestio, cum infra semet ipsum multifarie tractando versaretur, velletque exinde certum, ratumque habere consilium, Salernum regreditur: extra quam non longe convocatis ad se aliquibus ecclesiasticis peritissimis, atque competentioribus personis, nec non quibusdam Principibus, Comitibus, Baronibus, simulque aliis, qui sibi sunt visi, probatioribus viris, patefecit eis examinandum secretum: & inopinatum negotium: ac illi rem ipsam sollicite perscrutantes unanimiter tandem uno ore laudant: concedunt: decernunt: immo magnopere precibus insistunt: ut Rogerius Dux in Regiam dignitatem apud Panormum Siciliæ metropolim promoveri debeat: qui non tantum Siciliæ paterna hereditate, verum etiam Calabriæ, Apuliæ cæterarumque terrarum, quæ non solum ab eo bellica obtinentur virtute, sed & propinquitate generis antecedentium Ducum jure sibi succedere debent. Nam si regni solium in eadem quondam civitate, ad regendum tantum Siciliam certum est exstitisse, & nunc ad ipsum per longum tempus defecisse videtur, valde dignum, & justum est, ut in capite Rogerii diademate posito, regnum ipsum non solum ibi modo restituatur: sed in cæteras etiam regiones, quibus jam dominari cernitur, dilatari debeat.

Istorum itaque Dux consiliis, atque veridicis assertionibus roboratus, Siciliam repetit: mandans suarum provinciis ubique terrarum, quatinus omnes cujuscumque dignitatis vel potestatis, seu honoris essent in die susceptionis ejus coronæ, quem Dominici Natalis primo advenientis sollemnitas susceptura erat, Panormi omnes convenientes adessent. Cum ergo ad diem constitutum universi illi, simulque & de populis pusilli, & magni absque numero confluxissent, hujuscemodi iterum causa sollemniter, diligenterque investigata, atque tractata ab omnibus eodem modo, quo & supra, ad gloriam Dei, ejusdemque Ecclesiæ augmentum regia in urbe Panormitana fieri omnino decernitur promotio: cui etiam adeò tanta concessa est virtutis potentia, ut ad exercendam malorum vindictam, & ad confer-

servationem justitiæ ipsum genus suum ampliori terrarum adquisitione jam superexcedere videatur.

Cum ergo Dux ad Ecclesiam Archiepiscopalem more regio ductus, ibique unctione sacra linitus regiam sumpsisset dignitatem, non potest litteris exprimi, immo mente æstimari, quæ, & qualis, quantave ejus tunc esset gloria: quam magnus in regni decore: quamque etiam in divitiarum affluentiis admirabilis. Nempe aspicientibus tunc universis ita videbatur, ac si omnes hujus mundi opes, honoresque adessent. Inæstimabiliter quidem tota coronabatur Civitas: in qua non nisi gaudium, & lux erat.

Palatium quoque regium undique interius circa parietem palliatum glorifice totum rutilabat. Solarium verò ejus multicoloris stratum tapetis terentium pedibus largifluam præstabat suavitatem. Euntem verò Regem ad Ecclesiam sacrandum, universis eum dignitatibus comitantibus, immensus etiam equorum numerus ex parte altera ordinate procedens sellis, frenisque aureis, vel argenteis decoratus secum comitabantur.

Ad regiam discumbentibus mensam ciborum, potuumque multimodus, atque affluentissimus apparatus habebatur: ubi quidem non nisi in pateris, seu catinis aureis vel argenteis ministratum fuit. Servitor ibi nullus nisi quem serica tegeret vestis: adeò ut ipsi etiam parobsidum reportitores sericis operirentur indumentis. Quid plura? gloria, & divitiæ in domo Regis tot, & tales, tantæque tunc visæ sunt, ut omnibus, & miraculum ingens, & stupor vehementissimus fieret: in tantum, ut timor etiam non modicus universis, qui de longe venerant, incuteretur. Etenim multo plura in eo conspiciebantur: quam rumor non fuit: quem audierant.

Cumque peractis Regiæ coronationis celebritatibus, ad propria singuli redissent, cœpit Rex sollicitus intra mentis suæ voluere arcanum, qualiter deinde regnum suum, quod multum desiderabat, perpetua solidaretur pace: nullusque adversum se resistendi facultatem posset habere. Unde ab Amalfitanis vehementius, instanterque cœpit exigere, quatinus cunctas suas dimittentes munitiones sibi eas custodiendas traderent: alioquin nullo modo, nulloque pacto ulterius pateretur, ut ipsi eas sibi servandas tenerent: qui cum omnes uno id ei animo consentiendum contradixissent, atque in hoc ipso obstinatissimo persisterent corde, Rex indignatus illos à fidei suæ consortio dissociavit.

Arcessens itaque Ammiratum nomine Joannem, virum scilicet in rebus bellicis prudentissimum, atque strenuissimum præcepit, ut quantocyus pergens, cunctos jussu ejus sollicitaret, quatinus ad obsidendum Amalfiam accelerarent rebellem: qui fretum pertransiens Phari, dum universos Calabrorum, Apulorumque bellatores summovere intenderet, interim Georgius maximus Ammiratus, vir quidem Regi fidissimus, atque in negotiis sæcularibus exercitatissimus mare jussu ejusdem Regis sollicitius Amalfiam circumgyrando observare studet: si forte Amalfitanorum aliquos pelagus peragrantes capere posset: & ne forte quilibet alii undecumque per equora accedentes, eis opitulari succurrerent.

Qui dum sic marinas excubaret semitas contigit, ut oppidulum Amalfitanorum quoddam, quod Guallum nominatur, videlicet infra

fra mare positum violenti caperet manu. Deinde oppidum aliud, quod Capris dicitur, similiter infra mare situm, navigiis ejus circumdatum sine dilatione strage facta multorum aggreditur. In quibus quidem regiis dispositis excubiis, mox Triventum Amalfiæ oppidum obsessurus vadit: quod jam præfatus Joannes, regio quem acciverat, obsidente exercitu, immaniter constringebat.

Contra quos Joannes cognomento Sclavus, qui castro eidem præerat, omni studio, omnibusque viribus eis contrastare satagebat. Verum bellatores regii videntes castrum fortissimum, constructo molimine, tormentis illud vexare insistunt. Novissime verò cum longissima pertica, in cujus summo uncinus ferreus erat, antemurale, quod vulgo Barbacanus dicitur, toto divellunt conamine. Dumque sic exteri ad illud divellendum instantius fervescerent, prænominatus Joannes viso hoc, timore concutitur. Cernensque se demum nullum evadendi vestigium posse reperire, se se regi, castrumque submittit. Capto itaque Trivento, aliud Amalfitanorum oppidum nomine Rabellum regiæ phalanges obsessuræ pergunt. Cumque præparato molimine ligneo instanter ab eis ipsum coerceretur, Rex interim non longe post equoris undis advectus advenit: à quo etiam non solum castrum illud, sed & alia quædam Amalfitanorum oppida singula singulis exercitibus obsessa, terribiliter angustari non desinunt.

Factum est autem dum turris Rabelli, in quo præ cæteris oppidis maxima Amalfitanorum spes inerat, petrarum ictibus crebrius quateretur, pars non modica ex ea obruitur: quo viso Rabellisii, ipsique Amalfitani continuo corde soluti, viribusque præ timore destituti, de pace cum Rege habenda mox consulunt. Quid plura? Rex Rogerius pro velle suo datis, acceptisque dextris recepit Rabellum, Scalam, Gerulam, Pugerulam: cæteraque Amalfitanorum oppida: sicque sibi pro velle suo subjecta Amalfia Salernum victor revertitur.

Dumque ibi moraretur, Magister militum civitatis Neapolis Sergius nomine, cernens in Rogerio tantam virtutis exercuisse potentiam, non quidem belli rigore, sed solum ipsius timore conterritus ivit ad illum: ejusque subjicitur dominatui: quæ videlicet civitas, mirabile dictu, post Romanum Imperium vix umquam, à quoquam ferro subdita fuit: nunc verò Rogerio, solo verbo præmisso submittitur.

Deinde Rex quia grave, durumque sibi erat, quod Ricardus Ranulphi Comitis frater tanta involuebatur superbia, ut Avellinum urbem, necnon castrum Merculianum se ita possidere assereret, ut nec ipsum, nec quemlibet alium dominum ex eis habiturus, nec cuiquam unquam serviturus foret, legatione abinde præmissa, proprio ea subdidit dominatui. Quippe jam erat tantum virtutis ipsius nomen, ut fere cuicumque castro, vel civitati solum jussionis verbum dirigeret, sine aliqua dilatione ei subderentur. Cum ergo hoc ipsum Ricardo relatione compertum fuisset, continuo nimio furore succensus, atque bello demens effectus, eundem ipsum, qui verbum retulerat, mox dejectum in terram, naribus ejus succisis, oculorum lumine privari jussit.

Verum Comitissa Mathildis, cujus jam longe superius mentio ha-

habita est, audiens Rogerium Regem fratrem suum Salernum advenisse, de Allifis, absente, & ignorante viro suo Ranulpho Comite ad eum profecta est: profitens se nulla ratione, nullove pacto, ad ejus torum ulterius redituram: nisi ei dotalia cuncta restituerentur: videlicet tota vallis Caudina cum ejus omnibus infra manentibus oppidis. Cujus quidem justam adventus causam cum Rex cognovisset, cupiens illi patrocinium impendere, eam apud se pro suo velle manere permisit. Videbatur enim injustum omnino non esse, quod ipsa poscebat. Neque enim eam aliter suam posse obtinere justitiam arbitrabatur, nisi ei secum manendi ad tempus daretur facultas.

Cumque Comes Roma, quo ierat, reversus uxorem suam recessisse, nec non Avellinum, atque Merculianum sibi dempta reperisset, Immenso animi mœrore concutitur: non tantum quod præfatas amiserat terras, quantum quod se à conjuge ita dimissum comperisset. Quam ob rem misit ad Montem fuscum, quo ipse erat, deprecans obnixius, quatinus conjux ejus sibi, simulque Avellinum, nec non Mercülianum restituerentur. At ille iis, qui missi fuerant respondens dicebat: ego quidem uxorem Comitis nec teneo, nec redire cogam: quoniam eam non abstuli: ipsius ergo requiratur voluntas: & si quidem revertendi habuerit animum, ego non contradicam. Verumtamen quod quærit, videtur justum, quærere: nec esse utique sibi denegandum: quandoquidem sub horum, quæ dicit, condicione dotalium, eam me concedente, duxit uxorem. Avellinum autem, & Mercülianum ea propter non reddere debeo, quoniam Ricardus frater ejus ipso audiente, atque omninò tacente fatebatur, ea sibi ita esse propria, ut neminem inde dominum super se cognoscere, nec cuiquam famulari deberet. Si igitur inquam sui juris, ut ipse asserit, erant, ut quid cum inde nullum se habere dominum Ricardus ipso audiente testaretur, ea juris sui esse non ore proprio notificabat? Est & aliud propter quod ei non sunt reddenda, quæ quærit: quoniam cum Panormi positus essem, & de ejus superbia, quod nec mihi, nec ulli alii, ex his, quæ tenere videbatur, subdi volebat, præsente eodem conquerere, ipse per omnia tacendo potius fratris fallentis verbis, quam iis, quæ à me dicebantur, consentire videbatur. Attamen veniat ipse Salernum ad me cum proceribus, quos voluerit suis: & quidquid à me recti exigendum fuerit, libenter paratus ero eidem persoluturus: eo tamen interposito pacto, ut & ipse mihi, de quibus juste eum causatus fuero, justitiam faciat.

Redeuntes itaque nuntii Comitis, quæque perceperant retulerunt. At ille more suo, male consultus ad eum sicut mandaverat, ire neglexit: magis eligens mittere ad eum, per quos sibi, quæ videbantur ablata deposceret reddi. Verum Rex graviter indignatus, quod se ita contempto noluerit venire, Mathildim sororem suam post cum filio suo Roberto, quem tunc secum habebat, ad Siciliam navigio transuectam secum perduxit.

Comes ergo coniugem, filiumque suum tam longe abscessisse audiens, majoris doloris stimulo perurgueri cœpit: certus existens, quod cor Regis vere jam totum contra se versum esset: quodque etiam æstivo tempore redeunte, super se absque dubio manu belligera irruiturus foret. Quam ob causam munitiones interim suas omnes magis præmunire studuit: regiæque pugnæ, si forte se adversus consurgeret, obviare prorsus accingitur.

Igitur Rogerius Rex postquam ad Siculorum reversus est regionem, ibi tamdiu moratur, quousque tempus, quo proceditur in hostem, opportunum redisset: qui transito fretu, quod Pharum dicitur, cum vigenti bellatrice manu Tarentum pervenit: ubi cum Comes Andrensis Gofridus, in ejus, ex more, curiam adventum fecisset, Rex de quibusdam eum facinoribus impetens, justitiam ex eis fieri magnopere exigebat. At ille perpendens se per judicium excusare non posse clarescentibus culpis, magnam per hoc terrarum suarum partem ei quietam dimittere censetur.

Post hæc Rex, eo quod Grimoaldus Barensium Princeps, contempta ejus fidelitate inimicis suis consenserat, super Barim veniens terra, marique obsedit. Cæterum Comes Ranulphus, ut cognovit Regem Barim obsidione circumsedisse, zelo ipsius ductus collecta equitum multitudine, præfato cupit Grimoaldo subvenire: quem mox Princeps dominus suus accersiens vix ei persuasit, ut à militia ipsa quiescens, terram Regis hac vice, pro quavis cumque causa non prœliaturus introiret: nisi prius per legatos conveniret eum: si forte sibi direpta restituerentur. Com ergo ad Regem pro hoc ipso mitteretur, Comes equites, quos sibi coadunaverat, adpropriare, sibique interim quiescere jussit.

Igitur Grimoaldus omni studio, omnique belli conamine civitatem contra Regem obsidentem protegere satagebat: sed frustra: nam in tanta agilitate urbs ipsa, ejus obtinente justitia, capitur, ut non pluquam tres fere in eadem obsidione hebdomades complerentur: quam scilicet Robertus Guiscardus robustissimus Dux per tres continuos annos obsidens, vix aggredi valuit. Captus itaque Grimoaldus vinculis mancipandus in Siciliam dirigitur.

Tancredus ergo de Conversano, unus ex magnis Apuliæ Magnatibus, cum Grimoaldum jam victum teneri, magnamque Gofridum terrarum partem suarum, ut jam factum est, amisisse comperisset, cœpit eo magis sibi timere: quo contra Regem eisdem ipsis se male confœderatum fuisse sentiebat. Qui ante quam in curia super hoc imperitus judicaretur, consulitur, ut potius transmarinum petendi iter, occasionem prætendens, Brundusium, cæterasque urbes, atque oppida, quorum tunc ipse dominabatur, Regi sponte distraheret; sicque ejus cavens judicium, ab eo hoc modo liberaretur. Quid amplius? Tancredus vigenti stifatorum numero à Rege accepto, terris suis omnibus renunciavit; Hierosolymam, ad terminum statutum properaturus.

Cum ergo supradicti legati Principis ad Regem, jam Bari aggressa pervenissent, preces, quas per eos Princeps mandaverat, intulere; videlicet ut Ranulpho Comiti Baroni suo Avellinum, & Merculianum, insuper & uxorem, filiumque suum restitueret: alioquin servitium suum ei indubitanter esset prohibiturus. Qui audito hoc indignans ait eis. Miror valde quod Princeps de his, quæ sibi non attinent, me sollicitare audeat. Ideò namque talia mittit, ut occasione inventa mihi servire non debeat. Revertimini ergo ad eum primitus prænuntiantes ei, legatos à me sine mora sibi esse dirigendos; per quos verba mea verbis suis responsura deferenda erunt. Hoc tamen solum vobis referentibus illum pro certo volumus scire, quoniam si pro hoc, vel quolibet alio servitium meum abstulerit, perjurii crimine incunctanter denotandus erit.

Nec

Nec mora aliis redeuntibus Rex ad præfatum misit Principem, quatinus ipse militari collecto agmine Romam, in hostem, in adjutorium Romanę Ecclesiæ pergeret: quibus ipse hujusmodi responsum dedit. Ego nullo modo jussis regiis obtemperaturus ero, nisi homini meo Ranulpho Comiti sua reddantur. Quo audito nuntii celeri ad Regem reversi sunt reditu: nuntiaturi omnia quæque præceperat.

Interea Princeps, Comesque Ranulphus verentes ne forte displicitis sibi verbis, quæ ei remissa fuerant, super se armis irruiturus esset, immenso equestri coadunato agmine vallem anticipant Caudinam: ibique interim morari decernunt: quatenus Rex, si forte contra se insurrecturus esset, eos ad prælium imparatos non inveniret. Rex ergo responsis Principis perceptis, non æquo animo ea suscepit: qui etiam comperiens, quod & ipse Comes collecto pedestri, militarique non modico cuneo, contra se ad bellum præpararetur, indignatur valde: movensque exercitum, ad quoddam oppidum, quod dicitur Crepacorum, venit: ibique castra figi præcepit. At Princeps, Comesque Ranulphus cognoscentes illum tam propinquum adesse: animadvertebant, quod vere contra se properaturus esset: unde toto animo, totisque viribus se defensuri præparantur.

Verum Rex iterum castra movens, ea subtus oppidum Montis calui fixit: indeque ad Principem, qui jam relicta memorata valle, in loco, qui Cressanta dicitur, cum Comite morabatur, direxit: quatinus per terram suam Romam in hostem sibi ire permitteretur: simulque & ipse secum veniret. At ille tale fertur dedisse responsum. Neque per terram meam Romam ire patiar: neque cum eo simul veniam: nisi Baroni meo, quæ sua sunt, reddantur. Revertentes itaque nuntii Regii quæque viderant, & audierant, referunt. Rex quoque audito hoc, grave accepit: motisque castris subtus Padulum oppidum, per devexum montis metatur. Tunc ad eundem Principem iterum misit: ut consentiret ei prius transire per terram suam: ut Romam in hostem pergeret. Sicque post quindecim dies, postquam redirum fecisset, sibi quod faciendum esset, apud pontem S.Valentini exhiberet. Cæterum ille animo mox indignatus, atque vilipendens, quod sibi fecerat fidelitatis jusiurandum remisit ei: quia nisi ante Comiti Ranulpho Avellinum, & Mercuilianum, adhuc autem & uxorem suam, & filium reddiderit, nulla ratione: nullove pacto ei adhęream: nec etiam jussis obauditurus ero: neque Romam, quo ire cupit, per terram meam abire patiar.

Rex ergo Rogerius Principis animum ita obstinatissimum contra se haberi considerans, misit Beneventano Rectori nomine Crescentino, atque Archiepiscopo, qui Landulphus dicebatur, quatinus omnem Civitatis populum, salva tamen fidelitate Apostolici, fidum sibi juramento statuerent: qui cum nonnullis Regis fautoribus eos ad jusjurandum compellere cœpissent, oritur propter hoc in urbe ingens seditio: ita ut pœne contra eos universa plebs concitaretur: nolentes Sacramentum fidelitatis Regi persolvere. Pontifex verò, & Rector seditionem populi metuentes, fuga coacti sunt urbem deserere.

Tunc cives ad Principem, Comitemque, qui in prænominato adhuc loco cum expeditione bellica commanebant, legationem fecerunt: quatinus invicem fidissimi jurejurando facto Regi unanimiter adversarentur. Verum Rex percipiens Beneventanos omnino nolle

 sibi

sibi cohærere, Principisque animum, ut jam dictum est, in se obstinatissimum stare, misit ad eundem Principem: arguens eum valde: quod adversus se dominum suum, nil se lædentem arma movisset. Sed & ad Ranulphum Comitem, quem contra se Principem ipsum irritasse compererat, diffidando mandavit.

Porrò Princeps, Comesque Regis minas contemnentes consilium habuere: quatinus exercitum illinc moventes, Beneventanæ urbi appropinquarent: ut vicinius positi, quod à civibus promissum fuerat, facilius consequerentur. Itaque ab eo illo digressi venerunt: castrametaturi secus castellum Poconis: non longe à flumine, quod dicitur Calorius: ita ut uterque exercitus civitate interposita, alterutrum sese conspicarentur. Deinde Princeps, Comesque Beneventum ingressi, civesque allocuti, quædam inter se posita servari pacta, itaque se ipsos fieri adinvicem fideles adversus Regem jurejurando statuunt.

Cæterum Rex cum eos alterutrum confœderatos, Principemque ipsum servitium penitus jam denegasse comperisset, ita permotus jussit signo dato castra moveri: petensque Nuceriam, ingentissimum videlicet ejusdem Principis oppidum, obsidione circumdedit. Porrò Princeps, Comesque ignorantes quo Rex secessisset, consuluntur tamdiu ibi stare, donec quo ipse abscesserat, cognosceretur: & ecce altero die subito percipiunt Regem castrum circumsedere: atque ad ipsum crebris assultibus jam infestare: qui mox moto exercitu abscedunt: succursum obsessis celeriter daturi. Cum ergo ad fluvium Sarni, ubi Scaphatum dicitur, pervenissent, putantes se cito transituros, quoniam aliunde transeundi non erat possibile, invenerunt pontem ipsum ligneum à Regis exploratoribus jam pridie destructum: cujus etiam ligna in undis projecta natando fuerant delapsa: qui quoque dolentes quod transvadare nequirent, coacti sunt tamdiu ibi commorari, quousque eodem ponte aliis lignis restituto, facultas cis transmeandi daretur. Ponte itaque reparato, cum Rex hostes se ad transeundum jam præparare comperisset, castrum obsidere desistens jussit suos omnes armari: quatinus celeriter occurrentes cum eisdem prœlium inirent.

Verum Princeps, & Comes audito, quod Rex ad irruendum jam super se accinctus fuisset, cœperunt tanto celerius cum suis fluvium transire: quanto intuebantur sibi hostium prœlium imminere. Cum ergo & ipsi transeuntes armis primitus induti fuissent, dispositis in suis locis more bellico singulis cuneis, ad bellum præparantur. Cumque jam hinc inde moroso gressu appropinquatum fuisset, anterior Regis acies mox primo cuspidibus dimissis, equisque calcaribus punctis, contra anteriorem adversæ partis aciem concurrendo, acriter insurgunt: quorum rigido concursu prædicta cohors exterrita terga continuo vertunt. Quod videntes retropositi custodes, & ipsi quidem perterriti per medium hinc inde divertentes, spatium fugientibus præbent. Quo viso pedites, qui in ordine suo retro pro munitione statuti fuerant, & ipsi eodem timore concussi, nihilominus divertuntur. Cum ergo qui primo terga verterant, à Regiis militibus insequerentur, pars illorum, dum evasioni successus fugitando petitur, in aquas ipsas fluviales ruentes, undis morituri intercipiuntur: pars verò per campum longum, amnem devitantes diffugiunt: plerique

que autem lanceis ipsorum impulsi ab equorum sellis in terram dejiciuntur. Peditum autem supradictorum, qui territi fuerant, pars maxima, dum præ timore, ereptionis quæritur locus, cum multis aliis super ripam fluminis consistentibus, in fluvium ipsum suffocandi corruunt.

Comes ergo Ranulphus, ut erat acerrimus, qui in dextro habebatur cornu, ubi vidit suos ita repulsos, hastam manutenens in Regiam aciem antestantem primus prosilit: quod videntes sui, qui de dextri, sinistrique lateris erant custodia, ejus mox animo provocati, cum eodem ipso pariter adversarios obsistendo premunt: cumque cuspidibus alterutrum impulsi hastas rupissent, enses capiunt: hinc inde feriuntur. Dum ergo Comes fortiter pulsando hastam confregisset, mox, & ipse manum mittens ad pugionem, in capite cujusdam obstantis sibi equitis ita terribilem super galeam ictum dedit, ut miles ipse ferrea obtunsione hebefactus statim dorsum cædenti præbuerit. Quem cum cæteri, qui hinc, illincque astantes erant, vertentem vidissent, continuo unus post alium versi illum sequuntur: deinde alii, qui in dextro, sinistroque latere positi erant custodes, cum suos terga dare cernerent, mox exterriti, & ipsi statim cum eisdem terga verterunt.

Perpendat itaque in hoc loco apud se prudens lector, quo nam Dei judicio actum sit: ut Rex Rogerius, qui ante in omnibus victor extiterat, nunc sibi victoria attributa non fuerit. Verum quod mihi videtur, etiam si Regi ipsi durum videatur, ad correptionem tamen ejus, cum dilectione dicam: quia idcirco forte in hac parte voluntatem suam ipse invenire invitus non est permissus: eo quod secundis semper successibus potitus, supra modum animus ejus elatus sit: cum magis ipse humiliari debuerit: hortante scriptura, quæ dicit: quanto magnus es, tanto magis te humilia. Nam sicut postea relatum est, Rex etiam ipse interdum proprio inde scripto, ore accusans, merito tale contigisse humili voce confitebatur. Qui tamen Salerni commórans ita vultu hilari, menteque constans cernebatur, ac si nil sinistri sibi accidisse videretur: sciens pro certo malum eventum illum feliciori quandoque fortuna, Deo donante penitus evacuandum.

Porrò prænominatus Tancredus, cognito quod Rex cum Principe Roberto, Comiteque Ranulpho in plano Nuceriæ territorio conflictum habuerit, ibique non dignos ei successus fortuna bellando providerit, transmarinum iter appetisse, terrasque suas distraxisse, atque abjurasse se pœnitet. Qui etiam ut sua omninò resumere possit, in Montepiloso, quo monitis indigenarum contra Regem susceptus fuerat, milites coadunare præsumit: quibus terras Regis huc, illucque discurrendo immaniter infestaret. Erat & civitas quædam nomine Gilentia non solum opere, sed & natura præcipue munitissima, cujus cives domino suo, nomine Polutino, eo quod Regi ultra votum illorum subderetur, expulso, Tancredum etiam ipsum, ut eis dominaretur, atque contra Regem tueretur, suscipiunt. Post hæc verò considerans, quod tempus sese ad recuperandum sua valde opportunum sequeretur, ad Gosfridum Andrensem Comitem, & Alexandrum perrexit. Qui simul in Regem committentes aperta perjuria, iniquum societatis fœdus, contra eundem pugnaturi inierunt: qui etiam ad Robertum Capuanorum Principem, Comitemque Ranulphum

phum direxit: quatinus cum Rege nullum fine eo pactum, nullamve concordiam agerent: quoniam & ipse fine eorum assensu nullum quid fœderis, vel pacis cum eodem esset acturus.

Porrò Regi inter hæc Salerni moranti nuntiatur, quod Barenses cives ab eo se aversures jam præpararent: eo quod non nullos Saracenos, quos ibi ad ædificium munitionis suæ delegaverat, ira commoti necaverant: quoniam cujusdam nobilis filius ab eisdem ipsis Saracenis fuerat interemptus. Unde & opus ipsum, quo castrum regium semotum ab urbe perficiendum erat, civibus ipsis contradicentibus jam dimissum fuerat. Rex autem hujusmodi rumore sollicitatus sinistro, præmunitis oppidis suis, quæ circa Beneventum erant, Barim petiit: qui pro eo, quod Tancredi, seu cæterorum hostilitas immineret, Barensem ad præsens nolens exacerbare populum, quibusdam eorum petitionibus, prudenti consilio usus, consensit: sicque eos pro tempore quietos dimisit.

Post hæc autem Rex militibus dispositis contra Tancredum, ejusdemque conjurationis complices prœliaturus, ejusdem omnibus in Apulia urbibus, oppidisque præmunitis, Salernum iterum revertitur. Qui dein in Montefusco, atque Padulo oppidis ampliorem militum custodiam delegans, jussit, ut ipsi Beneventanos cives, quod Principi, Comitique, magis quam sibi adhæserant, deforis huc, illucque debacchantes indesinenter arcerent: quibus etiam ut nullum quid de Apulia delatum Beneventi venundaretur, prohibuit. Post hæc autem non diu post in Siciliam revertitur: cum expeditione bellica ad suos iterum expugnandum, sibique subdendum rebelles, opportuno succedente tempore proculdubio reversurus.

Dum ergo moras in eadem provincia ageret, corde sedulo, quibus modis hostes sui contererentur præmeditari non desinebat. Econtra verò Robertus Capuanorum Princeps, Comesque præcipue Ranulphus quomodo, qualiterque contra ipsum essent acturi mente cautissima exquirere non desistebant: qui quoque ad hoc usque inhiabant, ut Regii culminis illum honore privatum, funditus etiam si possent de terra delerent. Unde factum est, ut Comes ipse Principis consultu in Apuliam pergens cum Tancredo, Comiteque Gofrido, atque Alexandro Comite, cæterisque Magnatibus, Regis scilicet jam manifeste perjuris colloquium haberet: quatinus invicem fœdere uniti in Regem eundem pariter omninò sævirent. Dumque factam adinvicem conspirationem jurejurando firmassent, audivit Regem Teutonicum Lotharium nomine Romam advenisse. Qua de re lætus effectus ad sua festinus revertitur. Dein cum Principe inito consilio, ambo pariter summa cum festinatione eum adiere: auxilium ab eo adversum Regem Rogerium expetituri: qui licet ab ipso honorifice suscepti fuissent, adjutorium tamen ipsius, uti speraverant, contra Regem Rogerium nequaquam obtinere potuerunt.

Qui dum Romæ adhuc apud Regem commorarentur, audientes Regem Rogerium cum immenso militari, pedestrique exercitu fretum Pharense jam transmeasse, petita à Rege, atque accepta, quamquam non grata licentia, quantocyus ad propria redeunt. Verum Rex Rogerius, eo quod supradictorum adversum se Principum compererat cum perjurio factam conspirationem, tanta quidem contra eos rapitur indignatione, tantoque mentis erupit furore, ut non

Co-

Comiti, non Magnati, non etiam cuilibet militi, qui ita perjurantes in eum colla erexerant, penitus parceret. Alexander verò Comes dum ob perjurium perpetratum Regem valde pertimesceret, relicto quodam munitissimo oppido nomine Matera filio suo, cui nomen erat Gosfridus, ad Comitem Ranulphum profugus advenit. Interea Princeps Robertus cernens se Teutonico frustratum fuisse auxilio, Pisam citissimo navigio advectus perrexit: quatinus inde bellicam manu accitam ad sui contra Regem auxilium secum adduceret.

Cum ergo Rex terras Gosfridi Andrensis Comitis, atque præfati Alexandri suorum perjurorum passim occupasset, videlicet Aquam bellam, Coretum, Barulum, Milerbinum, Gruttulam, aliasque nonnullas, tandem ad prænominatum castrum, quo Gosfridus filius prædicti Alexandri Comitis inerat, obsidendum se contulit: illudque tamdiu obsidione coercuit, quousque Gosfridum pro suo velle subjiciens sibi, ipsum etiam caperet oppidum. Quo audito Comes Alexander, qui præ timore illius aufugerat, immenso animi mærore diutissime consternatus est: deinde in Dalmatiam profugus iens, non solum exheredatus, verum etiam patria extorris cogitur manere: qui non longe post, ut ad Imperatorem pergeret secedens, cum ad quendam nemorosum pervenisset locum, incidens in latrones, omnino cum suis omnibus deprædatus est: qui dein Avellone positus, ab iis, qui hæc ipsa ejus ab ore audita nobis nuntiaverunt, egenus valde, & pauper visus est manere.

Devicta itaque Matera Rex super Armentum munitissimum oppidum, quo Robertus frater prædicti Gosfridi inerat, venit: cui Robertus regia compulsus obsidione statim se, & castrum Regi subegit. Dein cum obsidem, qualem Rex poscebat, pro se dare renuisset, Siciliam vinculis mancipandus dirigitur.

Post hæc verò Rex castra movens super quoddam arduum, & munitissimum castrum nomine Ausum, quo Gosfridus Comes aderat, acceleravit: illudque tamdiu obsidione sævissima circumsedit, quousque comprehensus in Siciliam exilii retrusionis pœna, perjurii culpam luiturus destinatur.

His itaque peractis ad obsidendum Montempilosum festinat. Cæterum Tancredus audiens subito Regem super se venturum, mox relicto quodam municipio nomine Urso, quod ab eo tunc obsidebatur, sub omni celeritate percurrens urbem prædictam tuiturus revertitur: ad quem jam Ranulphus Comes ducente Rogerio de Plenco acerrimo milite, Regique inimicissimo quadraginta, & eo amplius milites in adjutorium sui direxerat. Monte itaque piloso Regis obsidione circumdato, Tancredus ei ad resistendum totis viribus præparatur. Nam ante ejusdem urbis Barbacanum quidam locus, qui Catuvella dicebatur, non parvo terræ aggere munitus erat: in quo pene tota civitas ad repugnandum collecta consistebat. Quem videlicet locum, dum regia cohors illis repulsis, violenter irrupisset, Tancredus post cum suis eos persimium opprimens, terga, relicto aggere, præbere compellit. Deinde Regii bellatores animum resumentes, rursus in Tancredum, suosque impetum facientes, aggerem illis repulsis recuperant. Tancredus ergo, suique à loco illo funditus rejecti, intra Barbacanum recipiuntur.

Cæterum Rex perpendens urbem munitissimam, manumque in-

ea

ea bellatricem consistere, ad ingenium vertitur: videlicet, oppidum, quod prœliando adiri non poterat, artis peritia aggrederetur. Itaque molimine, constructo, Rex illud paulatim ducendo, quo minus civitas muniri conspiciebatur, approximari jubet: quo ita pacto exteri cum civibus cominus per eam bellabant: jacula alterutrum intorquentes. Interim autem dum ita utrimque pugnaretur, Saraceni per illud instrumentum ligna, quibus fossatus repleretur, instanter jactabant: alii autem ferreis rastris ab aggere summo nisu terram trahentes, ligna ipsa ejus jactatione superplanare conabantur.

Tancredus ergo dum fossatum impleri conspiceret, mox ignem atque fomentum, quo facilius accenderetur, intus immittendum ad comburendum ligna accelerat. E contra autem dum per canalem ligneum aqua derivata intus deflueret, ignis immissus extinguitur: quo extincto, iterum qui erant in machina cum longissima pertica, in cujus summo uncinus ingens ferreus erat, ipsum antemurale, quod & vulgo Barbacanus dicitur, divellere incipiunt. At illi qui Barbacanum defendebant, videntes perticam Barbacanum, diruentem, violenter tenentes succidunt. Cumque sic tertio aliæ perticæ ad divellendum extensæ, tertio etiam ab eis succisæ fuissent, postremo acriter interum extendentes partem ex eo non modicam diruerunt.

Cumque hoc viso cives exterrerentur, universi terga dederunt: portamque ingressi in aliam partem urbis, quæ munitione tutior erat, se se recipiunt. Evestigio autem phalanx regia continuo porta introeuntes, dum eos insequuntur, quosque ante se inveniunt, unanimiter feriendo prosternunt. Cives ergo qui in præfata se parte civitatis receperant, dum viderent se nullum evadendi vestigium posse reperire, hostibus negligenter resistentes, ipsam eos partem urbis intrare consentiunt.

Cum ergo civitas sic ingressa à regiis bellatoribus huc, illucque debacchantibus depopularetur, Rogerius de Plenco, qui supra memoratus est, cum aliis comprehensus ad Regem moriturus perducitur. Cumque Tancredus latens Rege summopere jubente quæreretur, tandem à quodam proditus, ante conspectum ipsius præsentatur: quo Rex viso, super ipsius, inventione quam maxime lætatus est.

Porrò infelix præfatus Rogerius, qui in Regem jamdiu amarissimo effrenatus animo fuerat, nulla ipsius miseratione præventus horrenda laquei strictione necatus est. Denique Tancredus licet sit ei mortis indulta sententia, vinculis tamen constringendus ad Siciliam transmittitur. Ex militibus autem pars, ne putarentur equites, vilioribus indumentis transformati, armis, equisque relictis, per devia quæque fugitantes evaserunt: pars verò ad Gilentiæ civitatem, quæ Tancredo adhæserat, utcumque fuga adnisi pervenientes, ibi se captionem ipsius evitati recipiunt: alii quoque, qui erant comprehensi quidam huc, quidam verò illuc vinculis tenendi mandantur. Deinde verò civitas ipsa rebus funditus exinanita, atque igne succensa, novissime autem subvertitur. Nunc itaque in hoc prudens lector diligenter consideret, quantum sceleris sit, perjurii crimen committere: maximeque illud, cum quis vitam, & membra, seu honorem domini juramento sui, vel ei captionem non inferendam assecurat: & non custoditur, ut jurat. Unde Grimoaldus, & Gofridus, Tancredus, atque Alexander Comes, nec non & alii quoque Rogerii domina-

natum super se suscipientes, erga eundem fidelitatis Sacramentum non servaverunt, merito ulciscente divina justitia, digna pro hoc malorum retributione feriuntur. Etenim ipsis ita accidit sicut & Sedeciæ Regi demurato constat accidisse. Nam cum ipse quoddam pactum Nabuchodonosor Regi jurasset, ipsumque pactum irritum perjurio fecisset, venit Nabuchodonosor Hierusalem: qua erat Sedecias: & obsedit eam: qui videns se nullatenus ab eodem posse evadere, dum fugam evadendi egrediens civitatem expeteret, à militibus ejus exercitus mox insecutus, cum filiis suis, qui se concomitabantur, captus est. Cumque pater, & filii Regi Nabuchodonosor præsentati fuissent, continuo aspiciente patre ipso filii ejus jubentur interfici: sicque demum ipse oculorum privatus lumine, compedibus constringendus Babylonem cum multis aliis concaptivis transducitur. Patet itaque miserrima istorum dictante ruina, perjurium omnino esse cavendum: quandoquidem, qui illud contemnit vitandum, contemnetur à Deo ita, ut dignam proinde, sicut, & istis contigit, sine dubio quandoque excepturus sit pœnam. Nunc itaque ad narrationis seriem, in qua paullulum digressi sumus, redeamus.

Igitur Rex Rogerius Montepiloso succenso, atque subverso Gilentiam obsessurus properat: qui deinde considerans se nec tunc eam capiendi facultatem posse habere, concordiam eo pacto cum eis habendam spopondit: ut præfatus quem abjecerant, Polutinus in eorum restitueretur dominio: ipsius videlicet dominatui se subditurus.

Verum Comes Ranulphus comperta Tancredi captione, simulque Rogerii nefanda suspensione, immenso animi mœrore afficitur, non tantum pro illorum tristi fortuna, quantum etiam, quia ipsorum magno destitueretur auxilio. Qui quoque perpendens, quod Rex illis devictis super se sine dubio irruiturus esset, tristitia tandem solatio sopita, ad se tuendum prorsus convertitur. Pergens itaque Beneventum, ibique inter se, & cives unanimitate, quam jam ad invicem compacti fuerant, renovata, sine mora revertitur. Deinde collecto ad vallem Caudinam peditum, equitumque non parvo agmine, Regem, quem super se venturum putabat, ad bellum expectat: cujus etiam expeditioni Sergius Magister militum, Hugoque Bojanensis Comes consentiebant.

Igitur Rex super Bissiliam maritimum oppidum veniens, eam sine dilatione aggreditur: cujus muris per gyrum ejus dirutis, movens inde castra super Tranum metatur: quæ videlicet civitas tanto ipsius terrore percellitur, ut statim sibi subdita, turres etiam omnes, ipso jubente subverterentur. Exinde veniens Barim, quam civibus, sicut supra expressum est, pro velle ipsorum demiserat, cunctis turribus eorum eversis, castrum etiam in ea, quod jam intermissum fuerat, reædificari instituit. Deinde agens exercitum repetit Trojam: quam videlicet civitatem, eo quod ipsa munitissima sæpe rebellior ei exstiterat, magna ex parte in plures dispertitam casales, communit.

Et Comes Ranulphus audiens tam propinquum Regis adventum, suspicans illum vere super se venturum, ad muniendum se acrius accenditur: quam ob rem Neapolim ocyus pergit: ibique Magistrum militum, civesque allocutus, in adjutorium sui cunctos sollicitavit: deinde Aversam reversus cunctos, qui arma ferre possent,

in hostem venire hortatus est. Exinde ad vallem Caudinam, qua exercitum dimiserat, rediit: Magistrum militum, omnesque qui deerant, præstolans.

Interea dum Rex Trojæ moraretur, Ricardus Rohelis filius oppidum suum, quod dicitur S. Agathæ, accepto pro eodem cambio, volenti ei contradidit. Si quidem castrum ipsum plurimum optabat: eo quod in arduo posito monte, omni pœne Apuliæ supereminebat: quam sibi per illud ex maxima parte posset tueri.

Troja itaque debilitata, Rex illinc recedens dum Melfiam pergeret, in ipso itinere civitatis itidem Asculensis superbiam deposuit: nam illam omnino eversam plano in campo manere instituit: in tres videlicet dispertitam casales. Cum Comes itaque inadverteret, quod Rex tunc super se venire non esset intentus, sed apud Melfiam demoraretur, cum suo exercitu ad propria recessit.

Verum Rex Melfia discedens Gravinam urbem petiit: ibique aliquantulum commoratus, Salernum post remeavit: gaudens, & exultans, quod tota Apulia funditus devicta, solum sibi Beneventum, ac Princeps Robertus, Comesque Ranulphus, atque Neapolis ad expugnandum supererant. Quam ob rem Rex ipse militibus circa Beneventum, Capuamque constitutis diligenter præcepit, ut quousque à Sicilia cum hostili manu reverteretur, eas ipsi de foris incessanter deprædari non desisterent. Post hæc autem, ante quam hiemis importunitas subintraret, navigio transvectus Siciliam repetit.

Cumque illic ad tempus usque progrediendum in hostem moratus fuisset, navali rursus tramite Salernum advenit: qui innumeram undique confluentem armatorum manum ad se accitam prope Aptium oppidum congregari jussit. Cum ergo ipse Beneventum obsessurus putaretur, repente mota expeditione bellica, quoddam castellum nomine Pratum assiliens ignis incendio dedit: penitusque evertit. Deinde tria alia castella ejus timore perterrita, unum post aliud sese ei dedentia comprehendit: quibus tamen, quod se ultró dediderant, pepercit: horum siquidem castellorum Radulphus de Frameto sub Ranulphi Comitis dominio dominatus fuerat: quorum uni nomen erat Grint. alii Simontum, alii verò Alzacunda.

Interea Ranulphus Comes in loco, ubi nominatur Cressanta, cum paucis, qui secum erant, commorabatur: cujus spiritus immenso cruciabatur mærore, quod parvo cum bellatorum numero constipatus illum pro velle suo adire non poterat: unde suis Principibus, Baronibusque instanter omnibus mittens, ad se eos sub nomine prœlii festinare hortatur. Dumque eorum successus attonitus expectaret, ecce Rex, cum iterum putaretur ad obsidendum Beneventum rediturus, subito motis castris, oppidum cujusdam magnatis Principis Annonii nomine, quod dicitur Palma, sub omni celeritate aggreditur. Post hæc autem repente ad aliud, quod nominatur Sarnum superſedendum castra coegit: cujus quidem optimas ejusdem Principis Henricus nomine dominabatur: quibus Comes perceptis tristitiam cordis animositate contegens, mox ad Marilianum oppidum Roberti de Medana cum suis, qui tunc secum erant, revertitur: ubi quidem Principem Robertum, qui jam Pisa reversus Pisanorum auxilium expectabat, Sergiumque Magistrum militum, omnesque magnates ejusdem Principis, & suos inhiant er præstolari cœpit: quatenus

nus cum eisdem omnibus Sarni fluvio, Regem ab ejusdem captione castri, ad bellum provocando, amoverent.

Cum ergo magna jam pars illic coadunata, nihilominus & ipsi prorsus paucitate alios inhianter præstolarentur, ecce præmemoratum oppidum à Rege comprehensum nuntiatur. Deinde turris, quæ erat in præfato flumine, quod Scaphatum dicitur, continuo turricolis, ejus solo terrore contritis eam dedentibus capitur: sicque pons ligneus, qui ibidem erat, lignis in undis projectis totus destruitur: ne per eundem aqua ipsa à quoquam contra Regem acturo transmeari posset: per quem videlicet pontem, quia aliunde transeundi facultas non erat, Laboranus exercitus, ut jam supra expressum est, ad obsistendum Regi se transituros putaverant. Unde quoque non modico afficiebantur dolore: non tantum pro oppidi captione, quantum quod præfata turre à Rege potita fluminis meatum amiserant. Porrò Princeps, ubi turrim comperit præfatam aggressam, cernensque Pisanorum auxilium, quod sibi sperabat, cito adesse, diu differri, iterum puppim ingressus Pisam festinus rediit: eos ad præsidium sui, quantocyus secum minaturus: quos jam multarum millium marcarum argenti emolumentis, quas illis promiserat, sibi acciverat.

Sarno itaque invaso evestigio Rex Nuceriæ ingentissimum Principis oppidum obsidione circumdedit: arce quidem præfata, ad coercendum fluvialem transitum, custodibus jam præmunita: quod videlicet oppidum non solum loci situ, munitione roboratur, verum etiam expugnantium animo, viribusque mirifice extollebatur; cum ergo ab exteris tentatum acerrimo fuisset assultu, econtra ab iis, qui intus erant, opitulante etiam loci ipsius ardua positione, summis nisibus defensabatur.

Verum Laborana expeditio in loco adhuc præfato commorans expectabat: si quomodocumque, vel undecumque fluviali transitu, an ne posset Regi obviare: eumque ab obsidione oppidi prælio provocatum removere. Quam ob rem Comes Ranulphus non pauco constipatus numero galearum, ad præmemoratum Scaphatum pergit: exploraturus si illuc sibi, ceterisque omnibus libera transeundi præberetur facultas. Sed quia Regis jam meatus omnes custodiis præmuniti erant, nec posset ipsis ulla transvadio fieri, mox ad suos reversus commilitones, cum eisdem multa cordis angebatur mæstitia: quod sine repugnationis effectu sic cogerentur manere.

Interea Rex Rogerius perpendens pernimiam aggrediendi oppidum difficultatem, ingenii armatur solertia: quatenus quod vi certaminis potiri non poterat, moliminis adipisceretur peritia. Ligneam ergo parari machinam jubens, loco quo aptius, minusque vicinius prospiciebatur, approximari statuit. Cumque jam prope esset, ut per eam lapidibus jactis oppidi mœnia feriri inciperent, mox oppidicolis animo dissolutis timor incutitur: regiaque pax desideratur. Quocirca quidam ex primoribus eorum uno uniti consilio, ad Regem egressi sunt: postulantes ut sibi, cæterisque indigenis, simulque castrensibus impunitatem, oppidique integritatem conservandam promitteret: sicque deinde absque dolo ipsi cum eodem oppido ei subjicerentur.

Facta itaque regia super hoc pollicitatione redemit intus adnotantumque Tribunum militum nomine Rogerium de Surrento, cum

aliis castrensibus deditione oppidi facienda mox consulunt: præsertim Comitis: quod non eis succursus adesse videretur. Nam melius inquiunt erat eis, ut Regi potius subderentur, quam ut oppido aggresso, atque subverso & ipsi periclitarentur. Quibus auditis, omnes primoquidem id fieri contradicunt: postmodum verò terrore regio constricti, loci deditionem consentiunt. Oppido itaque hoc modo à Rege accepto, prænominatus Rogerius, cæterique omnes, qui ad illud defensationis gratia confluxerant, impunitate eis, ut Rex promiserat, indulta capiuntur: sicque postea fide constricti abire dimittuntur.

Capta itaque Nuceria, militarique in ea delegata custodia ad invadendum Ranulphi Comitis terram Rex prorsus animum figit. Qua propter coacto in unum exercitu Padulum proficiscitur: indeque motus ad obtinendum oppidum nomine Pontum accelerat: quod quidam Magnas Balduinus nomine sub Ranulphi Comitis dominio tenebat: cujus immensam Pontifii eminus cernentes expeditionem, mox terrore percussi accedentem illam sine ulla repugnatione intrare permittunt. Quo capto die ipsa continuo ad castrum, quod nominatur Limata, aggrediendum properat: quod cito comprehensum, simulque depopulatum, novissime verò ignis crematione omnino deletur. Erat enim, & illud alterius prædicti Comitis Optimatis: cujus vocabulum Radulphus de Bernia dicebatur.

Interea Ranulphus Comes in præfato Mariliano adhuc morabatur: cumque re'at one tot terras ablatas sibi comperisset, cum multo animi mærore ad sua recuperanda galeis comitantibus festinanter egreditur: qui dum secus municipium, quod dicitur Ducenta, figeret gressum, à suis ibi omni consulitur instantia, quatinus priusquam omnibus suis exueretur, regia pace summopere præveniri studeret. Facta itaque propera ad Regem legatione, rogat ea quæ pacis sunt: eique pro velle suo se penitus subdendum promittit. Quibus Rex auditis, mox furori suo frenum imposuit: terras suas ulterius præoccupare desistens: denique describens concordiæ pactum, misit ad eum, ut secundum quod ab eo calamo prænotatum erat, ita illum in pace suscepturus esset: restituens & sibi uxorem suam, & filium: eo tamen interposito tenore, ut dotalia, pro quibus ipsi ab eo discesserant, ei restitueret: terrasque omnes, quas vi certaminis super eum obtinuerat, omnino quietas sibi dimitteret. Verum ille quamquam de his omnibus plurimum aggravaretur, tamen ne suorum omnium amissionem incurreret, ad subjiciendum se ei, prout ipse mandaverat, potius animatur.

Veniens itaque ad eum genibus flexis, pedes ejus osculari voluit: quem cum ille propriis manibus ab osculatione pedum sublevasset, orisque sui osculo vellet suscipere, Comes prius precatur, ut ex corde indignationem funditus abjiceret. Cui Rex, ex corde inquit, abjicio. Et ille volo iterum, ut sicut deinceps tibi famulatus fuero, ita me diligas. Cui ille, & ego concedo. Iterum ait, istarum sponsionum, quas alternatim fecimus, volo ut testis sit Deus: inter me, & te. At ille, ita inquit fiat. Quibus dictis Rex eum statim osculo suscepit: diuque in amplexu ipsius delectari visus est: ita ex oculis quorundam circumstantium ut prægaudio lachrymæ effundi viderentur.

Prin-

Pincipem verò in sua pace hoc tenore suscipiendum pepigit: videlicet, ut si usque ad dimidium mensis Augusti reditum faceret, suo non privaretur honore: si tamen juxta quod in capitulari scripto statutum erat, subditus ei vellet parere: retentis si quidem sub proprio dominio, quæcumque vi guerræ obtinuisset. Si autem forte ei animus redeundi deesset, ejus filio parvulo nomine Roberto Principatum concederet: eo tamen interposito pacto, ut ipse ejus tamdiu regimen teneret, quousque legitimam idem consecutus ætatem exercere militiam posset. Quod si & ipse præfatum absentatione sui, terminum præteriret, Rex deinceps Principatu Capuano, cunctorumque heroum hominio inculpabiliter sub proprio potiretur dominio. At Hugo Bojanensis Comes prævidens Regis iram super se movendam, quod adversus illum Principi, Comitique adhæserat, cum multis precibus veniam ipsius postulaturus advenit: quam quidem impetrare nullatenus valuit: nisi primo terras suas universas, quas Bifernus fluvius orientem versus præterfluit, ei reliquisset: nec non Castellum maris: situm scilicet, quo fluvius Volturnus cursus sui finem designat. Verum Sergius Magister militum, secundum quod à Rege exigebatur, ejus tunc super se dominatum suscipere, atque servire abnuebat: ad quem postea Ranipotus Tribunus militum Beneventanus audita Comitis concordia, præ timore continuo civitatem deserens, centum, vel ferme constipatus loricis aufugit.

Interea Rex Celesinum cœnobium fore sibi vicinum comperiens, voluit visere illud: fratrumque se orationibus commendare. Cum ergo ad monasterium venisset, honorifice, ut illum decebat, à fratribus obviam ei progredientibus, cum hymnis, & laudibus suscipitur: qui cum completa ante altare oratione capitulum intrasset, osculatis sigillatim fratribus, sanctam postmodum eorum fraternitatis societatem per manum Alexandri ejusdem congregationis Abbatis humiliter, reverenterque accepit: qui etiam bona se collaturum devote eidem monasterio spondens, ad exercitum, quo venerat, valefaciens fratribus, lætus abscessit.

Post tertium verò diem, summo mane secedens Capuam illustrissimam urbem, civibus ejus, cunctisque terræ Laboris Magnatibus sese dedentibus recepit: quæ videlicet urbs metropolis existens, idcirco, ut ab antiquis traditur, tale sortita est vocabulum, vel quia caput Campaniæ est: vel quia campi planitie longa, lataque gyratur: seu ut quibusdam videtur, à Capy conditore suo Capua dicitur. Est quidem ampliori situ capacissima: mœnibus, turribusque in circuitu munitissima: cujus quoque muralem ambitum Volturnum flumen medium præterfluit: intra cujus fluenta plurima in aquis supernatantia molendina funibus cannabineis innexa consistunt. Pons quoque miræ magnitudinis, miroque opere constructus in ipso amne extat fundatus: qui intrantibus, & exeuntibus meatum præbens, ab una parte urbe, ab alia verò burgo valde prolixo obviatur. Sed & Cerere, Baccho, carnisque edulio, nec non diversis commerciis civitas uberrima, populoso nihilominus frequentatur accessu: & quod majus est, Principali constat dignitate præcellens.

Cum ergo civitatem ipsam jam sibi subditam Rex introiturus esset, à præordinata clericorum, totiusque populi processione honorifice, prout decebat, suscipitur: atque ad Archiepiscopium usque,

cum hymnis, & laudibus perducitur. Deinde continuo foras ad expeditionem egressus Sergium Magistrum militum præstolabatur: quatenus cito veniens sibi subderetur: alioquin sciret, se sine dubio obsidione constringendum. Verum ille veritus, ne Rex ab eo contemptus super se irrueret, civitatemque ejus aggrederetur, deposita mentis cervice, venit ad eum: qui genibus flexis, manusque suas manibus suis immittens, suum ei hominium subdidit: fidelitatemque juravit. Res inquam valde stupenda: nam uti jam in secundo expressum est libro, Neapolis, quæ post Romanum imperium vix umquam ferro potuit subdi, nunc quoque verbo tantum visa est constringi.

Nec mora post hæc Rogerius cogens exercitum, castra inter Morconium, Pontemque Landulfi metaturus reducit: daturus universas terras Roberto Ricardi filio: quas ei Bojanensis Comes dimisisse supra dictus est: nam dum ipsius, aliorumque irritaretur guerris præmemoratas ei terras, cum eas adepto triumpho, potiturus esset, pollicitus fuerat: si tamen, dum guerras suas ageret, non infidelis reperiretur.

Dum à Rege mora ibidem fieret, Burrelenses domini ejus super se adventum futurum formidantes, accelerant illum prævenire: ut suum ei hominium quantocyus subdentes illum placarent. Ex in Beneventum reversus, ibique extra urbem defixis tentoriis, cives ejus sibi fideles juramento, salva Apostolici fidelitate instituit.

Cæterum supradictus Raimputus Neapolitanum Magistrum militum cum Rege concordaturum præsciens, mox puppe ascensa, dum fuga vellet petere Pisam, equorea interceptus procella, cum filio suo marinis fluctibus suffocatus interiit. Denique Rex cernens cuncta ad votum suum prospere sibi accidisse, omnesque pro velle suo ditioni suæ subegisse, suam illic dispertiens, expeditionem, singulos ad proprias redire permisit: retenta sibi sola militia, quam ex proprio sustentabat ærario. Deinde repetens Salernum, ibique paullulum moratus ad Siciliam post triumphali redimitus gloria, ovanter revertitur. Hic secundus compleatur libellus: quatenus paullulum dato silentio, ad inchoandum, & perficiendum tertium, vires loquendi reparentur.

Explicit Liber Secundus.

IN-

INCIPIT LIBER TERTIUS.

FActum est autem cum Rex Rogerius in Siciliam repetisset, eodem anno, non multo post corporis langore corripitur. Sed cum Deo tribuente citius convaluisset, Alberia Regina conjux ipsius, mox infirmitatis tacta incommodo, ad extrema pervenit: quæ videlicet mulier dum vixit, religionis gratia, atque eleemosynarum largitione fertur plurimum enituisse. Qua defuncta Rex ipse ita mœroris contritus est amaritudine, ut multis se diebus intra cameram recludens, exceptis ejus privatis obsecutoribus non apparuerit: unde accidit, ut fama paulatim diffusa, non solum iis, qui longe, verum etiam, qui prope erant, vere objisse existimaretur. Quo videlicet rumore Princeps Robertus, qui Pisam aufugerat, sollicitatus, cum immensa belligerorum Pisanorum manu navigio advectus in Neapolis urbe excipitur: favente sibi Sergio ejusdem civitatis Magistro militum: qui jam cum eo, præmissis alterutrum nuntiis contra Regem conspiraverat.

Comes autem Ranulphus & ipse eodem rumore deceptus, Regis obitum vere contigisse credebat: qui cum Principem cum ingenti armatorum multitudine reversum comperisset, corde respirans, lætabatur valde: quod Rege defuncto, tempus jam accidisse opportunum videretur, quo & idem Princeps Capuam, Principatus amissi honorem, & ipse terras, quibus deminutus fuerat, recuperare possent. Perjurium itaque contra Regem Rogerium perpetrare non timens, sine ulla dierum dilatione, donativo suo milites circiter quadringentos collegit: atque cum eisdem ipsis non longe extra muros Capuæ progressus est: expectans si forte, quomodo civitas ipsa Principi restituenda ab iis, qui ampliori ejusdem amore connecti videbantur, sibi redderetur: cujus quoque proditionem, cum post ad effectum non evenisse comperisset, immenso animi mœrore contritus est. Deinde aurora illucescente, per campos passim discurrens, copiosam animalium, diversarumque rerum rapinam in suburbanis ejus exercuit: sicque Capaciam munitissimum ejus oppidum, quo iter assumperat, timido corde regreditur. Guerra itaque hoc modo adversus Regem incepta est: cui quoque Comiti quidam suorum Baronum clam, quidam verò manifeste consentientes in Regem perjuravere: qui ei utique hoc jusjurandum egerant: videlicet, ut si quando Comes ipse contra eundem Regem vellet insurgere, dierum quadraginta præstolaretur spatio; quo eorum hortationibus ad regiam revocaretur subditionem: alioquin exinde tamdiu ab eisdem instanter debellaretur, quousque ei nollens etiam subjiceretur.

Eodem namque tempore Cancellarius Regis Vvarinus nomine, vir quidem litteris apprime eruditus, & in sæcularibus negotiis prudentissimus, & Joannes Ammiratus, cujus jam superius summam nemini strenuitatem, cunctam Laboris terram tunc temporis procurantes custodiebant: qui comperto Principis reditu, nec non & Comitis subita rebellatione, diligentiori protinus sollertia Capuam urbem, Matalonum, Cicalam, Nuceriam, cæterasque terras, ipsam terram Laboris, castra belligerorum viribus munire cœperunt.

Erat

Erat autem in eadem terra Laboris civitas quædam nomine Aversa: quam Normanni cum Apuliam aggrederentur, primitus condirunt: quæ licet duodecim Magnatibus, militibus atque immenso populo in se cohabitantibus glorietur, tamen potius aggere, quam murali circumcingebatur ambitu: quo contra hostes, si necesse esset, resistere possent: ad quam cum Joannes Ammiratus, & Vvarinus Cancellarius venissent, cœperunt ipsos Primates, & equites, omnesque in ea cohabitantes diligenter præmonere, quatinus nullo umquam amore, seu timore concussi regiam fidelitatem relinquerent: sed & bonum nomen, quo tunc usque in summa legalitatis observatione, fideique puritate vigenti enituerant, qualibet ignominia tempore necessitatis instante obfuscari non paterentur. Cumque iis, & aliis exhortationibus eos sufficienter allocuti fuissent, Joannes in Apuliam etiam misit sollicitans omnes regio jussu, ut ad tuendum terram Laboris, quam citius possent, accurrerent.

Igitur Princeps Robertus de Regis adhuc obitu non incertus, non desinebat intra mentis suæ voluere arcanum quomodo, qualiterve Principalem ademptum apicem resumere posset. Misit itaque ad Ranulphum Comitem, uti ad se quantocyus festinaret: quoniam quidem quod erat acturus, absente ejus strenuitate agere nullatenus quiret. Verum & illecum de Regis morte, ut jam dictum est, nequaquam cunctaretur, mox cum ipsa militari, quam collegerat acie, ad illum Neapolim sitienter properavit: cujus quoque adventu Princeps ipse, Sergiusque Magister militum ad majorem resumendum audaciam, vehementur sunt vegetati: putantes per eum, eo quod vir bellicosissimus esset, ad effectum rei, quam desiderabant, feliciter pertingere. Firmata itaque ad invicem conspiratione, hoc tandem apud se firmiter proposuerunt, ut & Princeps, & Comes sua ablata ad integrum sibi restituerent: & magister militum Neapolim & cætera, quæ jure sibi suppetebant, securiter possideret. At Rex sicut & prius, ita & tunc extinctus credebatur: de cujus quoque vita nonnulli etiam fidelium suorum hæsitabant: præsertim cum instantibus hostibus plus solito venire moraretur: sed & si quis veniens eum vivere, vel venire assereret, jam audiri contemnebatur: cum multis aliis antevenientibus, atque id ipsum asserentibus in vacuum sit creditum: jam enim Madius mensis cursus sui metam attingebat.

Aversani hæroes, simulque universus populus quamquam certificantibus quibusdam Regem vere vivum, vereque venturum audissent, in tantam tamen devoluti sunt insaniam, ut oblitis, quæ à Joanne, & Vvarino præmoniti fuerant, sine ulla præcedente repugnatione, abjecta Regis subditione, ejusque contempto dominatu, Principis dominio subderentur. Cæterum Cancellarius Vvarinus, & Joannes Ammiratus præscientes hoc ipsum ab eis agendum, Capuam jam, ne ab ipsis capti, hostibus traderentur, recesserant: ubi cum ad tutandum urbem ipsam cum pluribus equitibus idem Cancellarius remansisset, Joannes ad præmuniendum Matalonum, Cicalam, cæteraque oppida continuo vadit: ad quem cum Apuliensis militum, peditumque exercitus cupiosus, sicut ipse mandaverat, Cicalam convenisset, morantur ibi; tuituri terram Laboris: præsidente eodem Joanne, usque dum Rex adveniret: inter quos erat Robertus filius Ricardi: fidissimus Regis: qui in superiori proximo libello præ-

scrip-

præscriptus est Rogerius Orianensis Comes: aliiq; quam plures: unde factum est, ut tam ipse exercitus, quam milites, qui intra Capuam habebantur, præter pedites, fere duo millia supputarentur.

Aversa itaque urbe à Principe recepta, Pisanus exercitus, qui cum eo venerat, quorum numerus circiter octo millia ferebantur, eidem Principi, & Ranulpho Comiti, Sergioque Magistro militum omnimodis instant, uti ad aggrediendum Capuam quantocyus festinarent. Asserebant enim illam sine dubio quantocyus fore invadendam. Sed illi cognoscentes urbem militari plurimum protectione fore munitam, impetum eorum, prudentiori consilio cohibent: quatinus circa Clanum flumen, in loco, qui Pons Silicis nuncupatur castrametentur: paullulum attendentes, utrum ab iis, qui plus aliis diligebant Principem, urbs ipsa el quo quomodo proderetur. Verum Cancellarius, ut erat cautus, & sollicitus, antequam ipsi ad eundem accessissent locum, quosque Principem plus aliis diligentes perceperat, & in quibus tradendi civitatem major haberetur suspicio, universos comprehendens Salernum custodiendos direxerat,

Dum ergo Princeps in illo loco moratus spem prodendæ sibi urbis amisisset, motus inde iterum in alium locum, secus ejusdem fluminis decursus aquarum tentoria fixit: stante ex altera parte regio: cui Joannes prædictus præsidebat, exercitu. Comes verò Ranulphus nimio mentis ardore æstuabat, eo quod in illos ad feriendum, medio stante flumine, furtivo, subitoque eventu irrumpere non posset. At Joannes Ammiratus vir sagacissimus è contra, sinistros præcavens eventus caute agebat exercitum: videlicet ab irruptione inutilis audaciæ eos coercens. Cumque sic ab utraque parte aliquantisper ibi moratum fuisset, Principis expeditio panis inopia coangustari cœpit: quam non jam sustinere valebat. Tanta namque in eodem loco egestas habebatur, ut unus panis pusillus vix jam Rothomagensi nummo mercaretur: quam ob rem derelicta Princeps cum Magistro militum Neapoli, recedunt: Comes autem Ranulphus ad custodiendum Aversam delegatur.

Dum ergo res ita haberetur, ecce subito Rex Rogerius, quem omnes sui sitienter expectabant, quemque inimici ejus non vivum credebant, equoreis undis advectus, quinto die intrante Junio Salernum ingreditur: cui cum de navi exeunti, universus civitatis populus unanimes occurrissent, tanto excepti sunt gaudio, ut pro eo Deo gratias omnes exclamarent: cujus adventum, & Beneventani audientes, ita ipsi immenso sunt exhilarati tripudio, ut in urbe, me ipso præsente, & audiente Ecclesiarum signa simul pulsarentur: & ab Archiepiscopio, ad monasterium usque S. Sophiæ cum hymnis, & laudibus clericalis ordo processerit. Rex denique à præsentibus rerum casus seriatim sciscitans, atque prænoscens, per omnes mox ditionis suæ terras dirigens, ad se omnes, qui arma gerere, eisque ad prœlium exerceri possent, accelerare imperat.

Cum ergo undique adveniens exercitus coadunaretur, Rex interim super Aversanis, quos de legalitate multa, fideique sinceritate jam laudibus suis extulerat, plurimum conquerebatur: quando quidem, quod in eis laudaverat, necessitatis tempore ingruente, in ipsis non est inventum. Contristabatur etiam præcipue super Ranulpho Comite: conquerensque ajebat: quomodo Ranulphus Comes à

me ultra suscipiendus sit, vel credendus: quem semper ad malum mihi inferendum, nec propinqui sanguinis copula, nec postquam ejus hominium accepi, Sacramentum fidelitatis cohibuit? Quocirca merito postquam ab eo violatum est jusjurandum, fides ei non est amplius adhibenda: amorque propinquitatis, quo ob conjugium sororinum, unitusque cum eo ligatus tenebar, penitus dissolvatur. Qui quidem si in mei nunc fidelitate positus gloriam meam, & honorem quæsisset, oblitis omnibus, quæ mihi intulerat, malis, multum à me honorem sine dubio consecuturus foret. Magister verò militum, qui fidelitatem meam, inimicis meis adhærendo dereliquit, nulla utique super hoc venia dignus habeatur: Neapolitanam quippe dignitatem amittens. Princeps autem, qui iram meam magis delitescendo fugit, quoniam in hoc non multum deliquit, utique miserendum est ei: suoque ex toto non privetur honore: si tamen ab inimicis meis, videlicet Magistro militum, Comiteque Ranulpho discedere velit. Unde mittatur cito ad eum: & experiamur, utrum verbum istud sibi placuerit: videlicet, ut ab illis discedat. Verum Princeps, Comesque, ex quo adventum perceperunt, in tantam animi tristitiam corruerunt: ut mori magis, quam vivere vellent: videntes se rumore falso fuisse delusos.

Cum ergo Princeps hoc, quod ab eo mandatum fuerat, contemnendum elegisset, Rex illico coacta in unum, quam collegerat, militum, peditumque innumera expeditione, qua major nulla alia antea ab eo habita est, ad aggrediendum Aversam, qua Comes Ranulphus ad custodiendum remanserat, toto animo tendit: cujus aggressionem asperrimam Aversani formidantes, cœperunt omnes, quicumque citius poterant, fugam arripere: atque Neapolim, ad se ibi tuendum properare. Comes autem cernens se, ita fugiendo, ab omnibus præ timore derelinqui, bellum sine dubio Regi inferendum sæpe comminatus fuerat, vix tandem cum paucissimis fuga ab eo elapsus est: atque Neapolitanis mœnibus, quibus tunc Princeps, Magisterque militum adhæserant, se nimis confusus recepit: qui cum ibi intrusus civitatis claustra non egredi auderet, intra mentis suæ viscera immaniter torquebatur: pœnitens valde, quod male consultus guerram cœperit: sibique ea, quæ pacis sunt, consulentibus nequaquam crediderit. Quid ergo ageret? cum se, etiam terras in proximo jam amissurum cerneret: ad quas tuendum, & fratrem suum Ricardum dimiserat. Sed ille similiter regio perterritus adventu, etiam filio suo, quem Regi obsidem dederat, derelicto, cum ad fratrem suum Comitem redire nequisset, per occulta tramitum continuo fugam inivit.

Cum ergo Rex super Aversam irruens Comitem fuga evasisse comperisset, doluit valde, quod captionis suæ retia evadens, ultionem ipsius meritam non fuerit expertus: qui deinde tanto mentis furore accenditur, ut tota urbs prius omnino depopulata, ignis post incendio traderetur: quæ videlicet civitas non solum intus, sed etiam de foris abundantissimo fuerat indabitata populo: omnibusque individuis ita fertilis fuerat, ut etiam Capuæ, seu Neapoli, quæ circa se erant, non inviderct. Frumento, & vino, carnisque edulio ita feracior exstiterat, ut fere nullus in ea habitantium in victu egeret: unde contigit, ut pœne omnes in ea effrenatius turpi libidini sub-

de-

derentur: ob cujus piaculum, quo se moderari nec lexerunt, Deus magis offensus, sic eam, ut æstimo, per Rogerium delere decrevit.

Cum ergo sic Aversa deleta fuisset, Rex post modum suburbana ipsius concremari jussit. Deinde appropinquans Neapolim, inter oppidum, quod dicitur Cuculum, Patriæque lacum castra defixit: Ibique tamdiu moratur, quousque & cuncta suburbana Neapolis in partibus illis ignis incendium consumeret: segetesque universæ à frumentatoribus suæ expeditionis depopularentur. At Princeps Robertus, Comesque Ranulphus, Sergiusque Magister militum ita præ formidine ipsius intra urbem intruduntur, ut nec de porta bellaturi exire auderent. Cumque omnia ibi consumpta fuissent, iterum Rex Aversam destructum repetit: qui etiam illic diligentius jubet, ut si quid inter Aversam, Neapolimque, quod comburendum esset, incombustum remansisset, omnino combureretur: ubi quippe moram tamdiu facit, donec & rebus agrariis, quæ superfuerant, universis consumptis, solum telluris omnino vacuum dimitteretur.

Dum hæc ita gererentur, Rex habito consilio præmisit Cancellarium suum Vvarinum cum multitudine militari: quatenus civitates, quas Comes Ranulphus sub proprio dominio tenuerat, sponte sibi subjicerentur: alioquin si ipse super eas irrueret, sine ullo miserationis intuitu depopulatæ, ignis quoque concrematione funditus exinanirentur. Veniente itaque Cancellario ad urbem, quæ dicitur Allifa, ipso die quo venit, universus ejus populus Regi, sine ulla refragatione subjicitur: quo facto, postera die ad oppidum S. Angeli cognomento Rabicannum suscipiendum tendit: cujus videlicet Ricardus frater ejusdem Comitis dominatus fuerat: quique etiam regio, ut jam fatum est, adventu perterritus, dimisso eodem castro, in Campaniam aufugerat.

Post hæc autem Cancellarius recessit Cajaciam: remotus tamen ab ea tertio milliario secus Volturni fluenta. Mandatur exinde Cajacianis, & præcipue illis, qui castro ejus præerant, ut & ipsi Regis super se quantocyus suscipiant demanium. At illi sentientes inexpugnabili se castro muniri, audacius recusant id fieri: immo si necesse fuerit, se ei repugnaturos prænuntiant. Quam ob rem Cancellarius motus inde, castra super Sanctam Agatham urbem metatus est: exhortans cives Regi se ultro subdendos. Verum illi, sicut & Cajaciani id fieri renuentes, ad resistendum potius se parant. Nuntiantur itaque Regi, qui tunc Aversæ morabatur, hæc omnia: & quia utræque urbes munitissimæ erant, necesse erat, ut Rex ipse ad expugnandum super eas irrueret.

Porrò Rex audiens illorum superbiam, grave accepit: unde magna expeditionis suæ parte ad custodiendam Capuam, cæteraque oppida circa terram Laboris sita, delegata, ad obsidendum præfatas urbes iratus festinat. Veniens ergo super S. Agatham eam undique artissime circumsedit: atque machinas, quibus citius caperetur, fieri jussit. Quo viso civitatis habitatores immenso consternantur timore. Unde nonnulli eorum cito exeuntes Regem prævenire fatagunt: pedibusque ejus provoluti precibus instant, uti eorum subditionem suscipere jam dignaretur: & ne ipsi cum uxoribus, & liberis, rebusque eorum in prædam darentur: essentque in ignominiam cunctis audientibus. Rex itaque precationibus eorum vix flexus, urbem sic,

fine ipsorum discrimine suscepit: atque post tertium diem ad habendum Cajaciam properat: sicque ejusdem urbis positio ita stare cernitur, ut orientem versus ingens in ea castrum, non solum humano opere, verum etiam montis excellentia naturaliter munitissimum habeatur. Quod quidem castrum ita ab urbe distat, ut etiam cives ipsi in nullo quomodolibet contra illud penitus prævalere possint. Cæterum & obsidionem ab eo non formidare videtur: ut si virtus alimoniæ, qua tutores ejus sustententur, non defuerit, vix umquam possit captione subdi.

Veniens itaque Rogerius super illam, mirabile dictu, ita castrenses in primo exterriti sunt, assultu, ut nil aliud, nisi quæ pacis sunt, cogitantes eidem subdi quantocyus cuperent. Quippe tantum percrebruerat in eodem assultu spiculorum jactura, ut vix cujuslibet manus castrensis ad repellendum instantes hostes contrahendi fuerit ausa. Nam defensationis gratia quicumque inermis positus bracchium extenderet, ictum deforis venientes jaculi statim in se ipso excipiebat. Sic itaque castrum ipsum semel oppugnatum, atque devictum à Rege accipitur: quod cum postea visendi causa fuisset ingressus, illud quam maxime, pro Ipsius ardua, ingentique munitione commendasse fertur: multumque sibi prodesse ad ejus defensionem coronæ taxatus est.

Post hæc autem quendam ibi heroem Nicolaum nomine, eo quod inimicis suis consentiens perjurus ejus fuerit, justo exheredavit examine: qui deinde cupiens in perpetuum solidare pacis bonum, dedit edictum, ut cuncta in terra Comitis subverterentur oppida: præter munitiora castra: quæ ei sub proprio dominio ad ejusdem pacis tutelam retineri placerent. Post hæc venit Alifam: ut videret eam: qua visa, de ipsius amœnitate loci, lympharumque circumcurrentium magna abundantia fertur valde sibi complacuisse. Quarum videlicet Lympharum tanta erat obsecundationis facilitas, ut quandocumque prius vellet, rivum ex eis productum, in hortum suum ubicumque esset, posset transducere: ejusque ad irrigandum holera, pro velle suo famularetur.

Post hæc coacto in unum exercitu, quem secus fluenta Vulturni reliquerat, Neapolim, qua hostes ejus contra se suscepti rebellabant, obsessurus properat. Erat autem civitas ipsa antiquissima: quam Æneas, cum illuc navigio transvectus applicuisset, primus fertur condidisse: cujus quoque magnitudo prægrandis erat: quæ à parte meridiana non solum murorum altitudine, verum etiam Tyrrheno mari munitur. A cæteris verò partibus, excelsis mœnibus roboratur. Quam ob rem adeò ipsa inexpugnabilis constat, ut nisi famis periculo coartata nullatenus comprehendi queat. Nempe hujusmodi urbis dominus, olim Octaviano Augusto annuente, Virgilius maximus poetarum extitit: in qua etiam ipse volumen suum ingens hexametris composuit versibus.

Igitur cum Rex Rogerius à parte Orientis urbe hac obsessa, ejusdem captionem diu differendam prævidisset, accidit in cor ejus, ut innumeris accitis fossoribus, castrum ingens aggeris circumductione munitissimum super eam firmaret: quatinus ibi incessanter, militaribus excubiis sufficienter expositis, ipso quoque absente Neapolis vicinius indesinenter ab ipsis constringeretur. Cum ergo posita su-

super Neapolim obsidione agger, pro extruendo castro ipso, terram effodiendo surrigeretur, cœpit agger idem, eo quod ex cœmento arido terra egesta labilis esset, huc, illucque submergi: propter quod opus ipsum in vacuum assumptum fuisse videbatur: nec poterat castrum ipsum incœptum, dum agger sic submergeretur, ad effectum pertingere. Quo viso Proceres ad Regem mox venientes submissis vocibus conqueruntur. Incassum inquiunt, ad construendum castrum labor iste assumptus est: quoniam quotidie terram effodiendo, agger circumducitur: qui tamen ad expletionem ejusdem castri non proficit: quoniam quod pro aggeris erectione fodiendo ageritur, dilabi pro sui instabilitate non cessat: quapropter dimisso hoc opere, aliud inveniatur consilium: quo ad urguendam rebellis urbis superbiam congruentior præstetur facultas. Item est & aliud omnino lugendum: quoniam sunt nunnulli ex hac expeditione, qui in luco isto, dierum æstum Canicularium non ferentes, incipiunt jam infirmari: alii verò intolerabili equorum, qui præ multa aquæ inopia siti moriuntur, cadaverum fœtore tabescere. Sed etiam tellus ipsa, qua consistimus, eo quod cæmentum siccum sit, impurum à se prodeuntem calorem. Horum quippe malorum vitia valde veremur: ne forte in tantum procedant, ut totus ab eis exercitus infirmatus, penitus, quod absit, labefactetur. Unde hinc, si tuæ non displicet pietati, cito removendi sumus: ut non morientes, cum salute etiam nostra Neapolim non solum diebus æstivis, verum etiam in hieme, si necesse fuerit, coercere possimus. Quibus Rex auditis, mox eorum misertus, jussit obsidionem removeri: cogitans qualiter alio modo, absque suorum discrimine, hostibus suis resistendum esset: quamobrem magnam ejusdem expeditionis partem dispertiens, per singula oppida, quæ Neapoli viciniora erant, instituit: uti eam, ipso quoque discedente instanter comprimerent: suique rebelles, si quando forte usquam armati progrederentur, vicinius ab ipsis posset restringi.

Quibus ita dispositis perrexit Cuculum: quod dum ipse à Sicilia muram redeundi faceret, à Pisanis, quos secum Princeps duxerat incassum, eo quod Neapolitanis jubente ipso adversaretur, ex parte etiam fuerat subversum. Quod videlicet oppidum, quoniam Neapoli propinquissimum existebat, ad artandum eam quantocyus reædificans, melius etiam quam antea fuerat, opere firmari præcepit: deinde prævidens magis Aversæ restitutione, rebellis Neapolis posse restringi superbiam, perrexit illuc: atque eodem, quo prius fuerat, jussit restaurari situ: atque ad eam inhabitandum, cunctos, qui prius illam inhabitaverant, redire permisit.

Interim autem dum Rege ipso cum suo exercitu præsente, ejusdem civitatis instanter reparatio fieret, Princeps, & Comes, Magisterque militum Sergius intra mœnium Neapolis septa conlusi nesciebant quid agerent: videntes se omnes jam in proximo fore superandos: ni forte undecumque adveniens succursus citius adesset. Nam & victus inopia indesinenter angebantur: nilque quo ad vitam, cum suis sustentarentur, de foris per terram advectum, ad eos intrare minime poterat. Militum verò, qui ad stipendia ipsorum militare videbantur, alii verentes plurimum regiam captionem, urbem quandocumque poterant, latenter exeuntes abscedebant: alii autem possessiones proprias nolentes amittere, ad eas resumendum, qui tamen

men Regis licentiam accipere possent, revertebantur.

Cum ergo prædicti Principes civitatis conclusione ita coercerentur, hoc tandem ab eorum sollertia providetur consilium, ut ocyusPisam dirigentes civium aures missis precibus pulsarent:quatenus eorum miserentes, ingentem per mare venientium belligerorum copiam transmitterent: eisque celerrimum in extremo jam positis opitulationis succursum impenderent. Cum ergo immensa acies ab eis directa cum rationibus equora sulcando Neapolim tendissent, istiusmodi præfirmantur consilio: ut urbem Amalfiam inchoante auroræ ortu subito aggredientes aut prædarentur: aut Regi, si fortuna sinistra non eis impedimentum ferret, eriperent.

Erat autem tunc Amalphia omnibus pœne evacuata, belligeris viris: quorum jam pars jubente Rege, cum liburnis quattuor armatorum refertis copia, per marinas prædaturi aquas recesserant: pars verò in hostem euntes cum Rege aderant: alii autem Pisanorum tunc navigia intuentes, quoniam eos putarunt Salernum aggressuros, cito illuc præeuntes eam tuituri, ibi temanserunt. Venientes itaque ipsi Pisani subito inchoante auroræ luce invaserunt urbem: nulloque resistente eam funditus, impieque depopulantur. Cumque urbe tota depopulata, universa ad classem spolia transportata fuissent, mox scala oppido cæterisque Amalfiæ munitionibus invasis, novissime quoddam munimen, quod dicitur Fracta, oppugnare nituntur.

Dum ergo Rex Rogerius, ut jam factum est, ad reparandum Aversam, bellica constipatus expeditione sedulus intenderet, intimatum est sibi, quod navalis prœliantium manus Pisa adveniens Amalfiam proculdubio invaserat. At ille cognito hoc concitus, ipsam Aversæ restitutionem pro tempore dimittens, castra movit: Amalfiam violenter de manu excussurus. Quid multa? Dum ergo præfatum munimen, sicut jam dictum est, expugnaretur, ecce regius exercitus ex improviso irrumpens,partem ipsorum cæde prosternunt: partem verò captionis violentia subdunt: quorum videlicet numerus inter necatos, & captos, mille quingenti fuisse referuntur. Ex Consulibus autem ipsorum duo capiti sunt: tertius verò percussus interiit: qui autem ad puppes remanserant, vel timore coacti ad eas fuerant reversi, innumeris, quibus onustati fuerant spoliis, fugam arripiendo evaserunt. Liburnarum verò numerum quidam asserunt fuisse quadraginta tres: alii verò plures: captivorum autem multitudinem per diversa Rex dispertiens loca, vinculis mancipandos direxit.

Cæterum piratæ ipsi Neapolim redeuntes cum Pisanis, quos Princeps secum duxerat, relictis ibi ad custodiam nonnullis ipsorum, simulque etiam cum eodem Principe Pisam ingressi sunt: veris tempore in adjutorium Neapolitanorum denuo reversuri. Verum Sergius Magister militum, Comesque Ranulphus cum filio suo Roberto in urbe defensionis ejus causa remanserunt. Ipse autem Robertus in primis adolescentiæ annis miles constitutus, maxime tunc temporis, ut erat adolescens, optimam audaciæ, virtutisque laudem jam consequi incipiebat.

Rex denique in unum rursus collecto immenso exercitu, Neapolitanorum vitiferas arbores, in quantum propius accedere potuit, omnes succisurus regreditur. Succisione itaque eadem circumqua-

que

que perpetrata, Aversam, quã pro tẽpore,ut jam dictũ est, reædifica- tione inconsũmatam dimiserat, consummaturus revertitur. Qui postea videns se imminente jam hieme, non ultra diu secum posse retinere exercitum, sibiq; quantocyus repetendi Siciliam necessarium fore, ejus mox disposita, quæ fienda erat, restitutione, ordinatisq; usquequaque per oppida ad tuitionem pedestribus, ac militaribus excubiis, Beneventum regreditur: figens castra subtus Padulum oppidum: non longe à flumine Caloris: ad quem mox pro parte omnium civium nonnulli ex primoribus Beneventanæ urbis cum Archiepiscopo exeuntes benigno, ac familiari famine ab eo communiti sunt, ut de ejus penitus amoris nil hæsitarent æquitate: diligenter pacis vinculo connecti studerent: ita ut nullum dissensionis civilis adinventorem sine justæ animadversionis censura dimitterent: simulque fidelitatem ipsius, salva Apostolica fidelitate, devotissime contra omnes custodirent. Nam animus ejus in hoc vere perseverabat intentus: ut eos semper diligere, benefacere, atque tueri paratus esset: si tamen in ipsa ejus fidelitate, ut cœperint, pure deinceps perseveraturi essent. Hæc, & his similia illi ab ejus ore audientes, hilariores redditi talia responderunt. Nos inquiunt, domine Rex cuncta, quæ jubes libenter faciemus: tibique toto corde adhærebimus: nec quidquam, quod sit contra fidelitatem tuam, machinabimur: immo eam illibatam indesinenter servantes à tuo obsequio, post dominum Papam nullo deficiemus tempore: tantum amor tuus, tuaque dignatio ne avertatur à nobis. Hæc ubi verba darent, recesserunt. Postera die Rex Rogerius filium suum nomine Ansusum, bonæ indolis puerum, cum favore Optimatum, militumque omnium, Capuani per vexillum sublimavit Principatus honore. Deinde continuo ipso die generum suum nomine Adam Comitali dignitate, qua illustratus fuerat Alexander Comes, cujus superius memoriam egi, magnificavit: virum scilicet juvenilis ætatis decore fulgentem: affabilem: militemque strenuissimum. Habebat autem Rex & alios duos liberos adolescentiores, forma speciosissimos: morumque honestate præclarissimos: nec non ad suspiciendum militiæ cingulum jam utrosque adultos: quorum unum, qui erat primogenitus omnium fratrum, Rogerium nomine jam Ducali honore, alium autem Principatu Barenti provexerat. Erant autem & ei duo filii minimi: qui sub tenera adhuc pueritiæ ætate degentes sic in regia aula manebant.

Rex denique quos familiariores habebat, secum retentis, cæteros omnes illic ad propria remeare permisit. Post hæc motus inde regreditur: visurus quoddam municipium, quod nuncupatur Gardia: nec non arcem quandam, quæ dicitur Draconum: quæ erat in supremo montis valde ardui sita: ut sciret, quali, quantove, utraque præstarent munimis robore. Ad quam tamen arcem antequam accessisset, dum iter ageret, dominum oraturus ad monasterium S.Salvatoris Celesini divertitur: cui cum Abbas Alexander prænominatus, omnisque congregatio fratrum obviam processissent, honorifice, ut decuit, ab eisdem susceptus, Deo laudes concinendo in Ecclesiam usque introducitur. Qui cum genibus positis ante altare orationem consummasset, ad capitulum ipsorum pergens, brevi tunc allocutione Abbatem, omnesque fratres familiariter ibidem excepit. Post hæc filius ejus præfatus Ansusus sanctam eorundem fra-

ter-

ternitatem per manus ipsius Abbatis præsente Rege accepit: quam Rex ipse, ut supra memoratum est, altera vice veniens susceperat.

Deinde Rex cameram expetens, atque refectus, supplicante eodem Abbate montem ipsum monasterio supereminentem, qui per multa annorum curricula amissus fuerat, ei restituendum promisit: necnon argenti tantum, quo calix, duoque turibula fierent: quibus tunc fratres ad servitium Dei præcipuè indigere videbantur, pollicitus est: quibus etiam vicissim dedit, ut ex his promissionibus, Salerni cum esset, requireretur. Itaque indigentia, quam ob causam contigerit, breviter hic referatur. Quippè Cœnobium ipsum Comes Ranulphus, ut cum Rege guerram continuam agere posset, post multas diversarum rerum ejusdem oblationes ita constrinxerat, ut & altare ipsum, universo ejus substracto ornamento, denudare non timuerit. Unde factum est, ut ex hoc & Deum offendisset, & Rogerio, peccato ipso præpediente, prævalere non potuisset. Male itaque usus est consilio: cum putaret, divina surripiendo vasa, contra Rogerium sibi divinitus subveniri.

Rex igitur præfata Guardia, arceque Draconi curiosissimo intuitu perspectis, simulque quantum, vel ubi magis in eisdem roborandum esset præsignans, Cajaciam regreditur: qui castrum ipsius ascendens, totum in circuitu perspicacius considerat: atque ubicumque in eo amplius muniendum esset, prævidens, absque temporis dilatione præmuniri instituit: itemque disposuit, ut cuncti Proceres, qui in vicino positi erant, degentes, cum universis subjectivis suis militibus, qui terrestres erant, Cajaciæ circa castrum domibus suis constructis perpetuas haberent mansiones: videlicet ut castrum ipsum, quod naturali, & humano opere fortissimum cernebatur, cohabitationis etiam militaris numerositate roboraretur: ubi etiam nonnulli tunc de clero Capuanæ civitatis, & de civibus laicis aliqui advenientes cum consilio Regis quendam clericum nomine Guilielmum, virum utique in divinis, & humanis rebus scientia præditum, ad Archiepiscopatus officium elegerunt: nam antecessor ejus in Simoniaca repertus pravitate, depositaria fuerat plexus censura.

Post hæc autem Rege Capuam redeunte primitus eidem electo, deinde ejusdem Regis filio, qui supradictus est, Anfuso clerus, & populus singulas processiones facientes in urbem introduxerunt: ubi scilicet omnes Principatus Capuani proceres convenientes novo Principi submissi, hominio suo fidelitatem juravere: salva tamen sua, filiique ejus Rogerii fidelitate: qui ei in regnum successurus erat. Deinde, ut omnibus injusta patientibus exhiberetur justitia, præfato electo, simulque Magnati cuidam, qui vocabatur Haymon de Argentia, imposuit. Verùm & super universam terram, quæ sub proprio erat dominio, quendam strenuum, cui nomen erat Cancellinus, virum utique in sæcularibus sollertissimum rebus, procuratorem constituit. Militiæ verò, quæ pro defensione terræ Laboris delegata fuerat, quosdam, in quibus magis confidebat, Comites, dum ipse à Sicilia reverteretur, per vices statutas sibi successuros, jam antea, cum esset Aversæ, præposuera.

Ex quibus videlicet vicibus primo accepit agendam præfatus gener Regis Adam. Secundam verò post eum acturus erat Comes Robertus filius Ricardi: tertiam autem post illum Simon Comes S. An-

Angeli Montis Gargani: ficque cæteri per ordinem: qui Simon confobrinus frater regis erat: fcilicet valentiffimus miles: filiufque Henrici Comitis: ejufdem Regis avunculi. Hic quoque Henricus omni tunc probitate decoris, totiufque affabilitatis dulcedine fplendidus, in confilio providus, rebufque bellicis ftrenuiffimus: immenfæ laudis gratia, ex hoc quam maxime efferebatur, quod etiam Regi ipfi, ut Ducalem denique coronam regni confequeretur, confilii prudentia, feu facto, præ omnibus affuiffe fertur.

Cum ergo hæc, & alia ab eo ftatuta fuiffent, motus eft inde: Siciliam quantocyus repetiturus: dumque iter agens Argentium appropinquaffet, vifo eo placuit fibi fubverti: quandoquidem non admodum idoneum pro defenfione fore cernebatur. Poft hæc quoque gradiens, Vallem Caudinam expetit: ejus cupiens qualiter fe haberent oppida, videre: Appadium fcilicet: Montemque Sartium: nam cætera jubente ipfo jam fuerant fubverfa: à qua videlicet Mathildam fororem fuam remotam, in Siciliam, faniori ufus confilio, elongaverat: ne quando forte vir ejus quolibet modo eam feducens, per ejus confenfum aditum inveniret: quo contrarium fibi in futurum ingerere poffet.

Igitur prædictis oppidis prævifis, ordinatifque, quæ ibidem videbantur ordinanda, ad Caftrum, quod dicitur Coteum prævifurus feftinat: quod cum prævifum amplius præmuniri juffiffet, Cipparunum etiam oppidum prævidendum properat: qui & ipfum quomodo, qualiterve fortius muniendum effet, inftituens, Salernum tandem pervenit.

Verum præfatus Alexander Abbas audiens Regem Salernum advenifle, promiffionis ejus non immemor, mifit continuo Priorem Cœnobii fui Stephanum nomine, aliumque fratrem cum eo: qui ei quæ promiferat, ad mentem revocarent. At ille mox advenientibus eis lætanti animo, tantum argenti, quo calix, duoque turibularia fierent, dedit: fcriptoque Cancellino ejus Vicedomino direxit: quatenus montem præfatum Celefino Abbati, quod juris monafterii effet, affignaret. Cancellinus ergo cum mandatum ipfius accepiffet, illico montem ipfum, ficut per litteras mandaverat, per Minanum Vicecomitem eidem Abbati affignari fecit: de cujus quoque affignatione Abbas ipfe, ejufdemque congregatio gavifi funt gaudio magno valde: gratias agentes Deo, qui ipfum eundem montem, per tot tempora amiffum, monafterio per Rogerium recuperari fecit. Unde mox prænominatus Abbas ad Miffam matutinalem pro falute, & vita ipfius, filiorumque ejus follemnem orationem in conventu quotidie fieri inftituit. Quoniam itaque bona femper funt recolenda, idcircò hanc ipfam Regis beneficentiam confcribi dignum duximus: ut aut ipfe Rex reminifcens ad melius peragendum provocetur: aut alius ejus exemplo, ad fimile quid exercendum excitetur. Rex itaque poftea mare ingreffus Siciliam, cum immenfa expeditione, veris tempore ad expugnandum rurfus Neapolim reverfurus repetit. Tertius in hoc loco finiatur libellus: ut paullulum mente refoti, vires dicendi, ad inchoandum quartum refumamus.

Explicit Liber Tertius.

INCIPIT LIBER QUARTUS.



Oſt diſceſſum Regis in Siciliam, ſecundum vices, ſicut jam dictum eſt, quæ ab eo conſtitutæ fuerant, præmemoratus Comes Adam ad regendum Averſam, militiam primus ingreditur: qui dum ſe in eadem viriliter, optimeque ageret, magnam de ſe, in militari ſtrenuitate famam tunc divulgavit. Nam ſæpiſſima diſcurſione, ejuſdem urbis exteriora ita circumquaque militando coercuit, ut non jam ad portam ejus uſque vereretur accedere: verum civitas ipſa tanta panis inopia jam angebatur, ut vix duo valde puſilli panes de milio Rothomagenſi nummo mercarentur. Porrò milites, quibus Adam ipſe præerat, circiter millie erant: ex quibus ad arcendum Neapolim, alii in oppido, quod dicitur Suma, alii Acerris, nonnulli in munitione Cuculi, quam plures Averſæ excubare jubentur.

Neapoli verò tam præ timore Regis, quam pro cibi penuria, militum poſt non pauco numero abſcedente, vix trecenti remanſerant: qui interdiu, & ſi pro paucitate ſui aperte reſiſtere non poterant, per noctis tamen ſilentium exeuntes, ignorantibus illis incendia, prædaſque agebant. Cum ergo hujuſcemodi infeſtationibus & illi prœliando alternarentur, Comes Adam appropinquante vicis ſuæ termino, ad ſua repedavit: cui ſucceſſit Comes Robertus filius Ricardi: ſcilicet fideliſſimus Regis: virque bellicoſiſſimus: qui pro ſumma, quam erga eundem Regem habuit, fidei ſinceritate, tanto ab eo donatus eſt munere: ut Bojanenſis Comitatus ſit magnificatus honore. Habebat namque Rex hanc laude dignam conſuetudinem: ut quemcumque penes ſe potiori, atque ſinceriori fide præditum cerneret, non ſolum ampliori circa ſe dilectione haberetur, verum etiam ejuſdem gratia non fruſtraretur. Infidum verò ſi quemlibet ſemel reperiret, ei pro hujuſcemodi nota, ad ipſius amoris dulcedinem pertingere, aut vix, aut numquam poſſibile erat.

Sed quoniam ſe in hoc loco occaſio præbuit, ejus boni mores qui, & quales in eo exſtiterint ſignificare, ad laudem, & memoriam ipſius prætereundum non eſt. Erat quippe amator juſtitiæ: atque defenſor: ultorque malorum ſeveriſſimus. Mendacium autem loquentem per omnia ita exoſum habebat, ut ſi quis, cum verum dicturus eſſet, falſum protuliſſet, ei ultra ad credendum animus ejus aut vix, aut numquam flecteretur. Eccleſiarum quoque, ſeu monaſteriorum munificus; atque protector erat. Otio, vel vacationi vix umquam ſubdebatur: in tantum, ut ſi quando à cæteris utilioribus occupationibus ſibi vacare contigeret, aut publicis exactionibus invigilaret: aut datorum, ſive daudorum, ſeu eorum, quæ accipienda erant, reminiſci, vel quæ recenſenda erant, recenſere ſatageret: quatenus melius de ſuo tribuendum ærario, vel ubi adeundum eſſet, ſub chirographorum ratiociniis ſemper habebatur: & ut amplius dicam: nullum quid ſibi erat, quod non ſub ſcripti ratione ſervaretur: aut erogaretur: nil tamen cuiquam per inanem largitatem tribuebat: unde in nullo umquam egere poterat: qui tanta ſollertia, tantaque cautelæ diligentia ſua curabat: verens in illud, quod vulgo dicitur, in-

incidere: qui non vivit ad numerum, victurus erit ad dedecus.

Stipendia verò militaria, vel quidquid ex conventione seu promissione dandum esset, incunctanter persolvebat. Nunquam verò quod daturus, vel dandum non esset, polliceri volebat. In faciendis non præceps existebat: sed priusquam eorum quid incoharetur, semper providentiæ oculo præmuniri studebat. Neminem quoque ex præjudicio puniri, vel sua auferri quærebat. Cui verò aliquid pro merito bonum, vel malum promitteret, seu comminaretur, firmum, ratumque erat. Sed & hoc in eo erat valde mirabile, quia cum in hostem positus esset, ita provide bellica acta disponebat, ut semper, & ubique sine sanguinis effusione superans, exercitus etiam sui vitaret discrimen. Erat autem & in loquella velox, prudentia pollens, consilii gravitate præditus, sermone luculentus: atque repentinis responsionibus semper sapienter respondere paratus. Sed quia familiaritas solet parere contemptum, ita ipse publice, & privatim in familiaritate, vel affabilitate, seu jucunditate habebatur modestus, ut numquam etiam desisteret timeri. In tantum enim profuit metus ipsius, ut de cunctis, Deo cooperante, regni sui finibus, omni penitus eliminata iniquitate, non nisi quæ justitiæ, & pacis erant, sectarentur: ita ut illud Psalmistæ in eo videretur compleri: justitia, & pax osculatæ sunt.

Quoniam ergo egregios Regis mores differentes paullo longius evagati sumus, nunc ad narrationis ordinem stylus revertatur. Robertus itaque præmemoratus Comes, cum recedente Adam, militiæ Regis apud Aversam regimen suscepisset, ita omni militaris virtutis, & strenuitatis instantia Neapolitanos constringebat fines, ut numquam per eos, ad malum inferendum hostibus exire daretur: nisi forte in nocte: cum videri non possent. Sergius verò Magister militum, ex quo Rex in Siciliam discessit, Pisam navigio transvectus abiit: si forte inde sibi, cæterisque suis excusionis opem collaturus esset: cum Rex ipse Neapolim obsessurus rediret. Ipse autem Rex Natalis Dominici subsequentis die advenientе, duos liberos suos ad militiam promovit: Rogerium scilicet Ducem: & Tancredum Barensem Principem: ad quorum videlicet laudem, & honorem quadraginta equites cum eisdem ipsis militari cingulo decoravit. At Robertus Comes, qui totiens jam supradictus est, completis in forte vicis suæ apud Aversam, duobus mensibus, Novembri scilicet, & Decembri ad sua revertitur: cui successit Simon Comes S. Angeli: cujus superius memoria habita est: vir scilicet, ut jam dictum est, potens in armis: sollertisque ingenii.

ALLOQUIUM AD REGEM ROGERIUM.


CCE Domine mi Rex Rogeri libellum istum nemini potius destinandum putavimus, quam tibi ipsi: ad cujus quoque gloriam, & honorem editus constat. Quodquidem idcirco fieri volumus, quatenus gesta famosissimæ victoriæ tuæ sæpissime relegens, memor sis Domini Salvatoris tui Regis æterni: eique placere studeas: cujus beneficii munere te triumphasse, regnumque obtinuisse non dubitamus. Cujus etiam propter hoc gratias agere non cesses: atque cum Psalmista decantes dicens: Non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Tanto namque perseverantius, firmiusque te regnaturum, non ambigimus: quanto ab ipso & triumphi gratiam, & regni decorem te accepisse cognoveris: quantoque etiam ejus imperiis, mente te ipsum subdideris. Præterea tuam precamur magnificentiam, ut labor noster, quem huic, pro honore tuo, impendimus opusculo, hujusmodi muneris recompensatione sublevetur: quatinus, videlicet nobis in Dei servitio jugiter existentibus, sustentationem, quietem, pacem, seu libertatem continuo præstes; quibus amplius, liberius, securiusque divinum exequentes famulatum, pro tua, tuorumque filiorum capessenda salute, attentius, devotiusque orare debeamus. Nam si Virgilius maximus poetarum, apud Octavianum Imperatorem tantum promeruit, ut pro duobus, quos ad laudem sui ediderat, versibus, Neapolis civitatis, simulque provinciæ Calabriæ dominatus caducam ab eo receperit retributionem: multo melius credimus nos apud te, his recompensari, quæ ad divinum peragendum obsequium poscimus: non tantum quidem pro opusculo hoc, quantum etiam pro mercede animæ tuæ: nec non & pro Domino Salvatore nostro: in cujus quoque nomine, hic congregati sumus: & per quem tu ipse huc usque salvus factus præsens consecutus es regnum. Oramus præterea ipsum Salvatorem nostrum, ut illud in te modo regnante efficiatur operis, per quod & præsens, & futurum promerearis possidere regnum; quorum alterum, idest futurum, sine dubio quandoque adipisceris, si bene, recteque administraveris istud. Quid enim profuit Sauli Israeliticum divina voluntate possedisse regnum, cum postea contemptis ejus imperiis, utrumque amiserit regnum? Aut quid etiam profuit Romanis Imperatoribus, Octaviano scilicet Augusto, Domitiano, & Maximino, cæterisque, universo imperasse Mundo: cum modo in inferno sepulti in æternum crucientur? Ut igitur generalia caveri valeant tormenta, de regni honore, quo nunc inlustratus es, Deum ipsum magnificare, ipsique servire, eidemque placere studeas, qui dedit. Nam sicut condecet, ut quis tibi servitutis debitum solvat, ex iis, quæ à te tenere videtur: ita & oportet, ut & tu domino Deo pro iis, quæ tibi contulit, immo commisit, placitum ei exhibeas famulatum. Quod si forsitan quæretur, quæ sint ea, quibus bene, & recte præsens administrari debeat regnum, Domino concedente breviter aperiemus. Regnum igitur bene, recteque administrare est, cum utrumque tempus & belli, & pacis recte gubernatur: dum & per legum tramites rerum iniquitates expellas, atque armis, victis hostibus sis triumphator. Memento itaque te idcirco Regis nomine censeri, ut om-

omnes sub ditione tua positi, & justitiæ censura, & pacis vinculo regantur. Ut ergo hujusmodi pacis, atque justitiæ bonum in regno tuo perpetuari valeat, multum prodest, si tu solus munitiores, & inexpugnabiles urbes, ac fortiora, & inexpugnabilia oppida proprio subderis dominio. Revocetur itaque ad mentem tuam laudabilis Constantinopolitani imperatoris prudentia: qui pro conservatione ejusdem pacis, atque justitiæ, validioribus terris sibi retentis, cæteris verò, quæ sub eo sunt planiores, immo debiliores terras ad sibi subdendum, & obsequendum dimittit. Dum itaque ad ipsum simili cautione providendum studueris: eris, sicut dicit Salomon, tamquam leo fortissimus bestiarum: qui ad nullius pavebit occursum: siquidem innocentium dormieris securus: quiesces in die antevigilans: ipsas etiam vigilias sine trepidatione pertransies. Hujusmodi ergo saluberrimum consilium omnia te desiderio amplectetur: & cave ne unquam ipsius oblitus prætereas: quoniam scio illud Deo omnino esse placitum: & ab ejus voluntate non discrepare. Præterea votis omnibus suademus Serenitati tuæ, ut memor condicionis tuæ, in mente habeas Dominum conditorem tuum: ipsumque Regem tuum fore cognoscas: qui est Rex Regum omnium: Dominus dominantium: in cujus etiam manu omnes fines terræ, & corda Regum constituit: cujus solius est disponere tempora: regna distribuere: eaque auferre quando voluerit:unde solus ipse est colendus: metuendus: & adorandus: à quo nimirum præveniente nos ejus gratia, cum non essemus: habemus esse, vivere, & intelligere: atque moveri. Unde dicit Apostolus: quid enim habes, quod non accepisti? aut quid gloriaris tamquam non acceperis? Cave ergo, ne quando in corde tuo cogitatio subrepens persuadeat tibi: aliquid sine eo posse haberi: ipse enim, qui dedit corpus, & animam, te nil operante, nec etiam sciente, ipse quippe dedit & cætera quæcumque habes: etiam si quid in eis visus es operari. Unde in Evangelio discipulis suis Veritas dicit: Sine me nihil potestis facere. Si ergo discipuli Petrus, & Paulus, Andreas, cæterique Apostoli sine ipso nil potuisse facere credendi sunt: quanto magis omnes nos, qui ad comparationem illorum pœne nihil sumus? Multi quippe Deo volente, aut permittente pro suo velle, in hoc sæculo prosperati sunt: qui postmodum evanescentes in cogitationibus suis, hoc ipsum non Deo, sed sibi imputantes altius corruerunt. Ex quibus exstitit unus Nabucodonosor Rex Babylonis: qui dum ambularet in aula regia, subito elevatum est cor ejus valde dicens: nonne hæc est Babylon magna? quam ædificavi in domum regni: in robore fortitudinis; & in gloria decoris mei? His itaque verbis satis manifestum est, illum nimis contra Deum superbisse: cum Babylonem non in ejus robore, atque fortitudine, sed in sua ædificatam fuisse virtute asseruit. Unde merito statim ipse in amentiam versus, de regno suo ejectus est. Atque per septem annos cum bestiis agri, ad instar ipsarum permansit degens. Postea verò Deo volentes ad sensum suum reversus, se seque per superbiam errasse cognoscens, tandem honori prædicto restituitur: atque Regem Cœli laudavit: glorificavit: atque magnificavit: quia omnia opera ejus vera: & viæ ejus judicia: & omnes ambulantes in superbia potest humiliare. Ut possit igitur superbiæ lapsus præcaveri, omnem gloriam, & honorem, regnum, vir-

virtutem, divitias, sapientiam, prudentiam, & cætera omnia ab ipso te accepisse non dubites: & ut brevius totum comprehendam, nullus omnino Angelus in Cœlo, neque homo in terra exstitit, qui sine ejus datione non solum aliquid, sed nec ipsum esse aliquando, habere potuerit. Ipse namque solus Deus à se habet, quidquid habet: quia à se, & non ab alio est. Veniat denique ad memoriam David Sanctus Rex: ejusque imitator fieri studeas: qui dum Israeliticum regnum sine ulla contradictione possideret, in cunctis se tamen despicit: suisque in oculis humilem esse confitetur: dum coram arca Domini saltando diceret: Ludam: & vilior fiam: plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis. Constat itaque, quia dum Rex David se primum conspicit per humilitatem, à Deo quippe magnus æstimatur: atque in regno, quo exaltatus fuerat, magis meruit confirmari. Sic etiam Constantinus Impera tor, dum post baptismatis perceptionem, per universum Imperaret Orbem, tantæ subjectionis erga Deum exstitit, ut ejus non desereret imperium: & idcirco cum David de Regno, ad Regnum, & Imperio, ad Imperium cœleste meruit transferri: ad quod videlicet regnum, & imperium suo tempore, & tu transferaris cum eisdem regnaturus præsta nte Domino nostro Jesu Christo: qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Opus Alexandri Abbatis.

FALCONIS
BENEVENTANI
CHRONICON.

DE FALCONE BENEVENTANO,

ET EJUS CHRONICA BREVIS NOTITIA.



ALCO Notarius, &, ut ipse de se tradit anno 1133. Scriba Sacri Palatii, tandemque in Patria sua Judex, Chronicon scripsit, quod nunc principio, & fine mutilum habemus. Chronologus iste Beneventanus inter Historicos mediæ ætatis (ut asserit Peregrinius in Castigationibus ad eumdem) facilè Princeps, quamvis Nortmannis parum favens, cum fuerit aliarum partium Scriptor, tamen propter diligentem gestorum, locorumque enarrationem iterum damus, post Caracciolum, qui illum anno 1643. Neapoli typis Scorrigianis publicum fecit; adjunctis insimul, ad nostram Scriptorum Collectionem magis illustrandam, castigationibus doctissimi Peregrinii, primum impressis Neapoli apud Savium anno salutis 1644. in libro secundo historiæ Principum Longobardorum.

D.P



FALCONIS
BENEVENTANI
CHRONICON.

apud Urbem Romanam eum ab honore privabat, quin etiam animos Beneventanorum sæpissimè incitabat, ne præter licentiam Domini Papæ Archiepiscopatui consentirent. Tandem Concives hujuscemodi deliramenta aspicientes, nec mora, fere centum nobilium, & bonorum hominum Romam miserunt, Dominum Papam precantes, ut Pastorem Electum corroborare dignaretur. Illi autem abeuntes, coram omnibus, videlicet in Sacrosancta Synodo, quam constituerat, eum indefinenter postulavere, quod minimè obtinere valuerunt. Videntes autem hoc, qui missi fuerant, indeque reversi corda aliorum movebant dicentes, Patres, Avos, Proavos nostros tantam injuriam passos nunquam fuisse. Sed quid plura? Qui ex parte Risonis videbantur, arma, & belli apparatus super campanili imposuerunt; audierant enim, quòd Petrus ipse Portuensis Episcopus conjurationem fecisset, ut thesauros Ecclesiæ, & ejus bona virtute vellet diripere. Tunc Episcopus ipse in coclerio arma imponi aspiciens, tristis factus, suos vocari præcepit fideles, quatenus consulerent, quid super hoc tanto, talique negotio fieri debuisset. Interim bellum inchoatum est, eò quòd pars Episcopi in campanili ascendens Palatium Dacomarii, in quo Episcopus ille morabatur, fortiter expugnabat; & Episcopi auxiliarii de Turre Dacomarii pugnantes invicem crudeliter præliati sunt; duo quidem juvenes in ipso conflictu animas reddidere. Postremò nocte adveniente, videns se Episcopus ipse circumventum, medio noctis silentio Monasterium S. Sophiæ cum quibusdam ascendit, ibique tempore non multo commoratus est. Præterea Cives metu coacti timentes, ne Episcopus ille eos apud Dominum Papam affligeret, eum coegerunt, quo adusque eis fidem Sacramento præberet, quod facturum promisit, oravitque Dominum Papam, ut Rectorem mitteret, qui Rossemanum Monachum Rectorem iteratò constituit.

Anno 1103. XII. Indictionis.

Anno 1104. XIII. Indictionis.

Anno 1105. XIV. Indictionis, mense Januario, & Februario nix magna fuit, & fluminum inundatio, & Stella Cometes ad Occasum apparuit: triduo enim post venit Papa Beneventum.

Sequenti anno obiit Henricus Theutonicorum Rex.

Anno 1107. mense Septembri I. Indict. obiit præfatus Roffridus Beneventanus Archiepiscopus, qui sedit triginta annis, & uno, mensibus duobus, diebus viginti.

In

In hoc anno, ipso mense Septembris obiit Abbas Madelmus, & hoc mense Septembris electus est Bernardus Abbas in festivitate S. Angeli.

Anno 1108. II. Indictionis sterilitas vini, mortalitasque animalium, & Papa Paschalis venit Beneventum, qui mense Novembris ordinavit Landulphum Aachiepiscopum.

Anno 1109. III. Indictionis obiit Formatus. Pascha accidit VII. Kalendas Majas, & secundo die intrante mensis Novembris combustus est thesaurus S. Mariæ.

Anno 1110. IV. Indictionis Henricus Rex venit Romam, qui fraude, & dolo Papam Paschalem cepit, & Cardinales mense Februario. Eodem mense Dux Rogerius obiit, & Boamundus germanus suus.

Anno 1111. V. Indictionis.

Anno 1112. VI. Indictionis mense Martio Papa Paschalis faciens Romæ Synodum fregit pactum, quod fecerat cum Henrico Rege. Hoc anno inceptum est ædificium, vel ædificari Oratorium Sancti Bartholomæi Apostoli. . . . . .

His & aliis ita decursis cernentes Beneventani se variis prædarum doloribus affligi, consilio habito, Landulphum Archiepiscopum, & Joannem Judicem ad præfatum Apostolicum delegaverunt, quatenus Cives illos tanta oppressos calamitate ad portum salutis erigere dignaretur; præcipuè cum plerique Beneventanorum Civitatem intrinsecis conspirationibus sæpè turbavissent; scilicet quod alii Landulphum Burrellum, alii Ansonem Civitatis Rectorem sine Domini Papæ voluntate constituere satagebant. Apostolicus autem hæc audiens, nec mora, secundo die intrante mensis Decembris advenit Beneventum, qui mense Februario Synodum constituit. Synodo autem facta, cum in Sacro Beneventano Palatio assisteret, prędictamque conspirationem factam pro parte illius Landulphi Burrelli deprehendens, Concives vocari jussit, à quibus, quid agendum esset super hoc tanto, & tali negotio, subtiliter sciscitatus est, quomodo, ut diximus, conjuratio illa ad traditionem Civitatis, & detrimentum fore videbatur: & quòd quidam Civium pro ipsius Landulphi auxilio turres Portæ summæ noctu cepissent; indeque munitionum ipsarum custodum ejicientes una tantùm nocte eas virtute tenuerunt. Tandem, Deo opitulante, & Beneventanorum complurium fidelium solatio, quorum mens erat sanior, turres ipsæ vendicatæ sunt, & B. Petro restitutæ. At cives ipsi tale Domino Papæ dedere responsum, ut, quos suspectos haberet, vocaret, & ab eis pleniter justitiam sumeret. Quid plura? Curia ordinata, vocantur malorum fautores, vocantur suspecti; tandem legitimè sententia extensa, quosdam captos vidimus, quosdam ejectos, & domos quorumdam fisco deditas, quorumdam destructas. Istis taliter actis

Anno videlicet 113. supra millesimum, & XIV. anno Pontificatus supradicti Domini Papæ mense Martio VI. Indictionis Dominus ipse Apostolicus Civitatem Beneventanam variis prædarum persecutionibus ex omni parte oppressam aspiciens, & Civium bona à Normandis undique vicinantibus quotidie distrahi, & confundi cognoscens, consilio habito, Landulphum de Græca militem præstantem, solertem Comestabulum Beneventanorum instituit, quatenus,

Deo adjuvante, & ipsius prudentia Civitas à prædarum solita confusione, quæ sæpissimè imminebat, & à conspirationum seditione contra Dominum Papam crebro erecta, secura in progenie, & progenies consisteret: cognoverat enim eum prudentem, & animosum, sagacisque ingenii virum, cujus auxilio, & solertia nedum Beneventanorum populus sibi ad regendum commissus, verùm etiam pleraque Langobardorum habitatio à Normandorum servitute affligentium eripi, & liberari confidebat; erat quippe Landulphus ipse bellicosi spiritus, & minorum injurias non patiens, inimicis omnibus quotidie minabatur. Nam si quis inimicorum illi injuriam, vel prædam inferret, mori prius velle desiderabat, quam impunitus aliquo modo inimicus recederet. Quid plura? Landulphus ipse Comestabulus, ex omni parte, virtute, & scientia redimitus colla nulli minantium flectere dignabatur. Cumque sicut prædictum est, Landulphus ille, Comestabiliæ honorem à supradicto Domino Papa Paschali acciperet, videns Castellum, quod quidam Robertus, qui Sclavus cognominabatur in monte Sableta construxerat, vir omnis malitiæ, & nequitiæ studio repletus, anxiando cum eo loquutus est, ut castellum illud destrueretur. Ob Beneventanorum enim guerram, & inimicitiam Civitatis, Castellum illud Robertus ipse construxerat mirabile, valdeque laboriosum. Ex cujus Castri residentibus multa Cives opprobria, damnorumque copiam perpessi fuerant, ita quidem, quòd quidam concivium pro ipsius Castelli ædificio prædia, & possessiones, quas circa eundem montem habuerunt, perdidere. Castello itaq; mirabiliter constructo, illic residentes cum ipsius Roberti servientibus quandoque Beneventanos capiebant; quandoque, quod crudelius est, peregrinis vitam cum eorum bonis auferebant. Prædictus igitur Apostolicus hæc Romæ audiens Robertum illum excommunicavit, donec Castellum illud Civitati contrarium delevisset, quod facere ipse Robertus contempsit. Quid plura? Landulphus ipse de Græca Comestubulus ordinatus, cum prædicto Roberto pactum incipiens, ipse quod cum prædicto Papa facere noluerat, Castellum illud destruxit, & funditus delevit, duobus videlicet equis optimis, & ducentis solidis datis. Deinde Landulphus ipse Comestabulus pactum cum Comite Jordano Sacramento affirmans, quotidie virtutibus, & laudis præconio attollebatur.

Robertus itaque Princeps, & Robertus, & Jordanus Comites Castellum illud sic destructum, & Landulphum illum Comestabulum de die in diem virtute, & divitiis repleri aspicientes, invidiæ zelo ex odio Longobardorum perculsi, putantes se illius prudentia exhæredari, cum omnibus Normandis ex omni parte vicinantibus conjuravere, affirmantes se guerram Beneventi facturos, & prædam, donec Landulphus ipse Beneventanorum Comestabulus videretur. Sacramento ipso taliter confirmato innumeris cum militibus, & peditibus super Beneventum venerunt, duodecimo die intrante mensis Augusti, & in monte, qui Guardia dicitur, die una tantùm, ac nocte castrametati sunt, credentes & illum ejicere, & Civitatem omnino depopulari, sed die ipso, quo applicuerunt, bellum inchoantes & superati sunt, & quidam eorum capti. Nocte autem insecuta, timore cœlesti, & Beneventanorum terribiliter commoti, more latronum per devia fugientes, existimabant se nocte ipsa à Beneventanis

nis capi, & turpiter teneri. Ita quidem ut ficut ex ore eorum complurium narrantium auditum eft, fi Comeftabulus ipfe cum Beneventanorum, & militum caterva Ecclefiam S. Angeli ad crucem tranfcenderet, vel vocis alicujus fonitus audiretur, & hoftes, & hoftium apparatus ftipendia Beneventanorum in manibus proculdubio traderentur.

Illis autem Normandis fic abeuntibus, Landulphus ipfe de Græca Comeftabulus, inimicorum non ferens impugnationes, vicem reddens pro acceptis, haud mora, militum ferè centum, & octuaginta numero armatorum collecto, & civium circiter quatuor millia multitudine congregata, Caftellum, quod Terrarubea dicitur, adivit, quod igne, ferroque terratenus proftravit: Ipfiufque Caftri incendio Robertus quidam de Sicilia dictus, combuftus obiit; ficque innumerabilem animalium, & aliarum rerum fubftantiam Beneventum magno cum gaudio perduxere. Non poft multum verò temporis iterum collecta Equitum, & Concivium cohorte, Landulphus ipfe Caftellum Apicem infilivit, cujus Caftri, & molendina deftruxit, & prædam animalium fecum gaudens afportavit.

His omnibus ita perfectis, guerra Normandorum quorum mentionem fecimus durius incepta eft; in qua Landulphus innumeram auri, & argenti copiam, & equorum diftribuit. Interea dum Comeftabulus ipfe cum militum caterva prope pontem Serretellæ pro inimicorum infidiis cuftodiffet, en adfunt equites Roberti Comitis ferè quinquaginta, qui & pro dolo Civitatis inter fruteta morabantur. Quid dicam? infidiis ex utraque parte propalatis, conflictus inter eos habitus eft. Tandem Dei mifericordia fuperveniente, pars inimicorum terga vertens, in fugam converfa eft, adeò quòd de eorum equitibus duodecim captivos Comeftabulus ipfe cum armis omnibus eorum duxit. Præterea ficut diximus, guerra ex utraque parte fortiter inchoata, fæpiffime hinc, & inde deprædatum eft. Contigit autem die quadam, Rao, qui erat Dominus Caftelli Ceppalunis, cum Landulpho Burrello, & aliis ferè centum quinquaginta militibus, & peditum multitudine ad frangendam, ut ita dicam, arcaturiam ivit. Cumque Comeftabulus fic frangentes eos flumen Sabbati vidiffet, tantam non ferens audaciam, in medium campi ad Ecclefiam Sanctorum feptem Fratrum, ftipatus militum collegio exiit; ubi ad invicem decertatum eft; fed peccatis fupervenientibus pars Comeftabuli ab infidiis inimicorum decepta, per planitiem illam perfecuta corruit; ita quòd duodecim milites Civitatis nobiles cum omni armorum apparatu, retenti funt.

Iftis omnibus, & aliis fic decurfis, inimici omnes, qui pro guerra conjuraverant, videntes Comeftabulum ipfum colla eis non flectentem, eis potius minari, & Beneventanos eum, & ejus præcepta jugiter fectari, cœperunt Civitatem plus folito diftringere, præcipientes, ut omnes, quas poffent, vineæ circum aftantes inciderentur. Quod & factum eft: infuper pauperes, aliofque Viros, quos invenirent, caperent: fententia quorum divulgata, plerique hominum capti funt.

Anno 1114. menfe Martio VII. Indictionis, dum vineæ fic incidebantur, & capiebantur homines, Beneventanorum quidam, invidiæ gladio compulfi miferunt ud prædictum Papam Landulphum

Ar-

Archiepiſcopum, & Rachiſium Sancti Modeſti Abbatem, ut ei neceſſitatem ex omni parte, quam paticbantur, intimarent. Ipſi autem abeuntes, quam viderant afflictionem Domino Papæ patefecerunt, eum lacrymando precates, ut gregi commiſſo ſicut paſtor bonus ſubvenire dignaretur. Neceſſitate autem Domino Papæ oſtenſa, eis præcepit, ut pacem Civitati, prout melius potuiſſent, facerent, & pauperibus ſubvenirent, ne Petrus Apoſtolus Civitatem acquiſitam occaſione perderet; quicquid autem de pacis conſilio inveniſſent, ipſi remitterent. Archiepiſcopus verò Roma reverſus aliter quàm acceperat, faciens, miſit Landulpho Comeſtabulo dicens, ut condolens neceſſitati pauperum Comeſtabiliam deponeret, quoad uſque Dominus Papa Beneventum veniret. Poſtea verò aut pretio, ſervitiiſque, ſeu civium precibus Papam ipſum precarentur, eumque honori priſtino redderent: dummodo Normandi pacem facere nolint, Sacramento, ut dictum eſt, eorum interveniente. Landulphus autem Comeſtabulus hoc audiens, in ſacro Beneventano Palatio coram B. Petri fidelibus reſpondens ait, ſe nunquam Comeſtabiliam dimiſſurum, niſi manu ad manum captus eſſet, & per vim retentus. Inſuper videre vellet, quam Normandi pacem Beneventanis facere voluiſſent, & Domino Papæ pacem ipſam deſcriptam delegaret, quicquid autem de pace præciperet, vel de Comeſtabilia, ponenda ipſe Dominus Papa coram omnibus faceret ſe executurum. Qualiter autem in ſacro Beneventano Palatio Comeſtabulus ipſe affuerit, retexam: cum ſicut prælatum eſt, Archiepiſcopus Roma reverſus fuiſſet, cum quo & Petrus Portuenſis Epiſcopus, & Romualdus Diaconus, Sanctæ Romanæ Sedis Cardinales ab ipſo Papa miſſi pro pace invenienda fuiſſent, abſque mora, in ipſo eorum adventu, eiſque nondum hoſpitatis, populus ſerina mente commotus Palatii Dacomarii, in quo Comeſtabulus habitabat, aſcendens vociferabatur, dicens, quòd pacem deſideratam, niſi cito feceritis, omnino gladiis acceptis per plateas moriremur: inſuper minas, & opprobria Comeſtabulo inferebant, dicentes, eos pro unius hominis Comeſtabilia guerram paſſuros non eſſe, & ſic turpiter vitam finire. Alia quidem die ſurgente, pars Archiepiſcopi arma, & belli apparatus ſuper Campanili impoſuit, quatenus Landulphum armis, & lapidibus debellatum ejicerent. Seditionem itaque populi Portuenſis Epiſcopus deprehendens cum eodem Comeſtabulo, & fidelibus B. Petri curiam Principis advenit, ibique in conſpectu omnium taliter allocutus eſt: Afflictionem, & famis penuriam, quam diu pro fidelitate B. Petri paſſi eſtis, & patimini, Dominus noſter Papa, & à quibuſdam audivit, & ab Archiepiſcopo deprehendit; unde ſciatis eum toto mentis affectu contriſtari, & ſuper audita mirabiliter dolere. Iccirco nos, & Archiepiſcopum veſtrum delegavit, quatenus, Deo adjuvante, pacem conſequi valeatis. Propterea fidelitatem veſtram monemus orando, ne ſuperbia, aut furore moveamini, dum nos cum aliis ſapientibus viris, pacis conſilium vobis neceſſarium invenire poſſimus; tam enim grave, & laborioſum negotium nemo præcipiti animo agere poterit. Ideò nemo armis ſuperveniat, quatenus, ſi Deo placuerit, pacem omni furore depoſito invenire mereamur. Hæc, & alia hujuſmodi eo loquente, vox populi ad ſidera tollitur dicentis: Orationes iſtas, quas funditis, nos ullo modo audire non poſſumus, niſi

pa-

pacem citissimè nobis dederitis. Tunc alio die adveniente, populus dilationes, & inducias, quas ponebant, non ferens, domum Persici Judicis aggreditur, quam ex toto destruxisset, sed quorumdam amicorum auxilio evasit. Portuensis igitur Episcopus seditionem populi placare non valens, aurora alterius diei surgente recessit, Comestabulo præcipiens, ut Palatium Principis ascenderet, & sic populi sævientis rumorem evaderet: qui jussui ejus favens, taliter sacrum Palatium habitavit. Sed redeamus ad causam.

Archiepiscopus autem dicta Comestabuli audiens pacis firmamentū ordinatim describens, sicut postulaverat, ei mandavit. Audita namque serie scripturæ pacem continentis, ait Comestabulus, en pacis firmamentum optimum est; nunc Domino nostro mittatur, & sicut imperaverit, assequamur. Interea Archiepiscopus ipse, & Vir quidam nomine Fulco, in Episcopio sæpe complures Civium convocans dicebat: Nos Domino Papæ vestram patefecimus necessitatem, à quo & accepimus, ut finem cum Normandis faceremus; idcirco superfluum videtur pacem descriptam ad eum remitti. Civium verò quidam aliarum inimicitiarum odio repleti, animos aliorum incitantes palam exclamabant, se pro illius Comestabilia guerram passuros non esse. Consilio habito conjuraverunt intra Episcopium, quod Landulphum illum de Greca Comestabulum esse non consentient, exin, & dum Dominus Papa cum consilio Normandorum illum honori non reddidisset. Sacramento taliter eo invento, Archiepiscopus prædicto Comestabulo Episcopum Abellinensem, & quosdam Presbyterorum misit, ut honorem dimitteret, sicut dictum est, qui & similiter respondit. Deinde alia die Sabbati XIV. die intrante mensis Martii Comestabulus cum suorum caterva armatus in medium plateæ exivit dicens; quòd videre vellem eos, qui me de Palatio, & honore ejicere minantur. Laudabilius quidem est sic animam reddere, quàm ita turpiter, aut auri pondere promisso obstrictum, honorem acceptum dimittere. Audito igitur Archiepiscopus belli apparatu, & campana Palatii tristiter sonante, suos jussit vocari fautores, ut cum Normandis, quam posuerant pacem firmarent; si autem Comestabulus ipse resistere vellet, paratos eos haberet. Interim pars Archiepiscopi domum cujusdam fidelis Comestabuli aggreditur, quia eis non consentiebat; quod Comestabulus audiens, ut domum aggressam defenderet properavit, sicque eo viso bellum inceptum est civile, intantum quod alii per campanilia, alii per tecta domorum, atque alii per plateas pugnarent. Postremò pars Archiepiscopi, fortuna conversa, victoriam capiens, Comestabulum illum cum suis usque ad Palatium Principis secuta est, quosdam autem ex utraque parte vidimus vulneratos. Comestabulus itaque se in Palatio recipiens parumper ibi moratus est, donec Archiepiscopus ei fidem dare deberet in persona videlicet sua, & suorum sequentium. Cives interea protelationem hanc non ferentes, & quod sitibundo pectore pacem quærebant optatam, ei lapidibus minabantur, ut si citò de Palatio non descenderet, eum vi caperent, & membratim illum perimissent. Ipse autem Landulphus se circumventum aspiciens, se Archiepiscopo, & Civibus reddidit: insuper jurejurando firmavit, quòd Comestabiliam, & Rectoraticum, aut aliquam Baliam publicam non acciperet, nisi bona voluntate Archiepiscopi, &

Rof-

Roffredi Archipresbyteri, & Arechisii Archidiaconi, & Roffridi Foligaderisii, & Roffridi à Porta aurea, & Gervasii, & Vitalis filii Joannis Galli, & quòd malum meritum Archiepiscopo, & omnibus Beneventanis non redderet, & si aliquis reddere vellet, disturbaret sine fraude, & malo ingenio. Quo facto, & à militibus, qui eum sequuti sunt, hujusmodi fides accepta est, & sic unusquisque ad propria remeavit, & Landulphus ille de Greca domum posita Comestabilia secessit, videlicet eodem mense Martio, quo ordinatus est, descendit, unius solummodò anni spatio in honore perseverans. Alia autem die surgente Dominica, postquam hæc peracta sunt, Comes adveniens Robertus, cum militum, & peditum multitudine in capite Pontis majoris Sacramento ipse, & Rao Dominus Cepphalonis, & Ugo de Castellopotonis pacem promissam cunctis vitæ eorum diebus, confirmaverunt. Idipsum etiam Jordanus Comes, & Robertus Sclavus, & Girardus de la Marra juraverunt. Cumque sicut supra relatum est Archiepiscopus in persona Comestabuli, & aliorum videlicet militum, peditumque, velut ipse postulaverat securitatis verba dedisset, domum honore posito adiit, ipso namque Archiepiscopo, & Beneventanis videbatur, quod pacem diu desideratam lucrarentur. Deinde Comestabulus securitate accepta domi residens existimabat nihil aliud proculdubio agere, quàm erga suam animam securiter impendere; erat enim, ut fati sumus, graviter vulneratus. Amici igitur ejus, & B. Petri fideles, quorum mens super illius contumelias, injuriasque fideliter contristabatur, die, noctuque, licet non in propatulo eum solabantur; hortantes, ne animus ejus circa accepta tristis foret, cum hæc quæ viderant, quæque facta super eo fuerant pro Beati Petri fidelitate perpessus fuisset. Archiepiscopus autem, ejusque fautores hæc audientes, suspicione quadam repleti, sperantes Landulphum consilium pro Comestabilia reintegranda accipere, ei sæpe, sæpiusque miserunt, ut Civitatem exiret, & amicorum consortia desereret, dum Dominus Papa eum, qualiter præmissum est, honori solito reddidisset. Tunc Comestabulus verba ferentibus, aliisque Concivibus palam exclamabat, quòd super hujusmodi verbis miramur omnino, cum ab omni Beneventanorum cœtu coactus Comestabiliam dimiserim, & promissam ab Archiepiscopo securitatem circa nos versari quoquomodo non viderim. Tandem Comestabulus populi sævientis videns pertinaciam, magis, magisque inflammari, consilio habito die Dominica in Ramis palmarum, aurora scilicet surgente, Montemfuscum paucis cum militibus expetivit. Deinde Archipræsulis conjuratio nondum perfidiæ inchoatæ fidem tribuens, Joannem, & Persicum Judices, aliosque Nobilium, & bonorum hominum Sacramento perstrinxit, quo Comestabulus ipse juraverat, aliosque Civium timore omni remoto, putant eos inimicitiarum merita eis retribuere allegavit. Cumque istiusmodi facti, ultra quàm credi potest, nefandi, prædicti Apostolici aures fama tetigisset, tactus dolore intrinsecus super dilecti filii sui Comestabuli expulsione, lacrymis, sicut audivimus, manantibus, spiritu infremuit, qui confestim Archipræsulem Landulphum ab omni, quod acceperat à Sede Romana officio coram omnibus deposuit, similiterque omnes suos sequaces anathematis vinculo, donec satisfecerint, alligavit. Sed si Lectoris charitati asperum non vide-
bi-

bitur, quid post illatam excommunicationem actum Beneventi, sit non prætereundum exarabo. Deum enim testor, nihil aliud posuisse, præter quod viderim, & quod audiverim scripsisse.

Tali igitur anathematis sententia in B. Petri adversarios longè, latèque divulgata, delegavit præfatus Apostolicus Beneventum Anastasium . . . . & Albanensem Episcopum Cardinales Romanæ Sedis idoneos, cupiens, quid Beneventanus populus in animo haberet cognoscere. Cardinalibus autem ipsis hospitatis, triduo post cætus omnis Beneventanorum in sacro Beneventano Palatio convenit, ibique omnia qualiter Beneventi acciderant negotia, & guerræ origo surrexerat coram Cardinalibus illis radicitus recitatum est. Quibus auditis Anastasius in verba prorumpens inquit. Ad videnda, Domini, & fratres, Romæ quæ audierat Dominus Papa noster negotia, & investiganda nos præcepto, sciatis esse delegatos. Unde prout melius, Deo annuente, poterimus, circa pacis, & utilitatis vestræ proficuum nos die, noctuque consilium, & auxilium præbebimus. Istis, & his similibus taliter prolatis, unusquisque ad propria remeavit. Diebus autem non multis elapsis, vir ille, cujus mentionem fecimus nomine Fulco, ex hujus sæculi ergastulo, anathematis vinculo irretitus, heu miser, migravit. His taliter actis, Cardinalis ipse Romam tetendit: cumque Cardinalis ipse Anastasius Romam peteret; Dominus Papa Paschalis, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus congregatis, mense Octobri post primum ejus regressum adveniente, Ceperani Concilium constituit, ad cujus Sacri Conventus frequentiam Guilielmus Dux, & Robertus Princeps, mille fere Equitum numero congregato perrexere. Landulphus verò de Græca Comestabulus literis Domini Papæ specialibus ad idem Sacrum Concilium accersitus honorificè commeavit. Qui à Domino Papa officiosissimè susceptus est: hic namque fraudem devitans Normandorum navigio quodam securiter transfretavit. Jordanus autem Comes, timens multorum suorum pondere delictorum oneratus, ad tale, tantumque Concilium pergere, Legatos suos direxit. Archiepiscopus verò Landulphus suffraganeis suis convocatis, innumeraque auri, & argenti copia congregata, cum Comite Roberto ad conventum illum tetendit. Talibus igitur, & tantis Patribus, Proceribusque congregatis in medio conventus ipsius, die videlicet Sabbati Ducatum Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ Duci præfato Apostolicus concessit. Concilio itaque mirabiliter ordinato, Apostolicus ipse coram omnibus super Landulpho Archipresule lacrymabiliter, & quod Comestabulum suum expulisset Landulphum, & quòd literis suis vocatus ad eum irecontempsisset, condolens conquerebatur. Ipse verò Archipresul nolens, immo timens conventum illum sine loci, & officii, restitutione ingredi, apud Insulam Ceperani proximam hospitatus est. At ubi Apostolicum conquerentem ipse comperiit, quosdam Romanorum, & Præfectum etiam vocari jussit, ut videlicet, utcumque potuissent, misericordiam à Domino Papa pro eo impetrarent: quin etiam dicebat Archiepiscopus se Domino Papæ ex omnibus illatis querimoniis satisfacturum, dummodò ei locum Concilii, & Officium restitueret. Hoc Apostolicus audito, consilio habito, & locum, & officium ei reintegravit; cumque taliter restitutus fuisset, absque mora, Conventum illum, die videlicet Lunæ cum Comite

Roberto adivit. Quid plura? eum reintegratum per Diacenum quendam ad faciendam justitiam in præsentiarum Apostolicus vocari præcepit. Qui continuò surgens voce lacrymabili coram omnibus respondens inquit: Primitus gratias ago Deo, & B. Petro, & tibi Domino nostro Papæ Paschali de restitutione loci, & officii: nunc autem Domine Pater vestram imploro Paternitatem, ut misericordiam super me, quem Sanctitas vestra apud Beneventanam Sedem plantavit, habeatis. Apostolicus autem hoc audiens; Unde vis, inquit, ut misericordiam super vobis habeamus? & Archipræsul: Domine, quia audivi, vos erga me indignatos esse, quod cum me literis vestris accersiri jussistis, curiam vestram non adveni. Et Apostolicus; Quare, inquit, ut ipse asseris, vocatus curiam non advenisti? Ad hæc Archiepiscopus, Domine, inquit, Pater, timore coactus vestræ indignationis, & quorundam minantium, non adveni vocatus, & quod Legatos meos Episcopos quidem non accepisti, & alium quendam, quem prius direxeram, adversarii nostri verberibus afflixere. Ad hæc Apostolicus, Legatos tuos, quos dicis Episcopos, iccirco non exaudivi, quia justitiæ faciendæ verba non dixerant, immo mercedis causa pro vobis, venerant. Legatum autem alium, quem verberatum profiteris, nec vidi, neque ejus fama ullo modo ad nos pervenit. Cumque Archiepiscopus ipse ex omni parte detentum se veris aspexisset responsionibus, aliam adinvenit excusationem, dicens: Domine Pater terminum competentem mihi veniendi non tribuisti, unde, venire nec potui, nec, ut dixi, metu compulsus ausus fui, & Apostolicus: Sed quia literas nostras contempsisti, asseris te nunc non pro contemptu, motu autem ad nos non venisse. Competentem enim terminum veniendi proculdubio largitus fui, ab Idibus scilicet Aprilis, & sex mensium spatio interposito. Unde literas vocationis in in medio legi præcepit: Verumtamen isti nostri deliberent, & quam dicis excusationem canonicam fuisse, discernant. Et præcepit quibusdam Cardinalibus quidem, & Archiepiscopis Romanæ Sedis Judicibus, ut in partem semoti super hujusmodi excusationem Archipræsulis sententiam extenderenr. At ipsi in partem euntes sententiam illam diu ventilantes, taliter in conspectu omnium regressi Judices ipsi protulerunt. Domine Archiepiscope Beneventane, quoniam non pro contemptu, sed metu asseris vocatus ad Curiam, te non venisse, dicimus & judicamus hanc Canonicam non esse excusationem; judicio etenim talium, tantorumque Patrum extenso, capitula Sanctorum Patrum Prædicatorum coram omnibus exhiberi, & legi Apostolicus præcepit; confirmata scilicet in Conventibus, & super contemptoribus ordinata. His ita perfectis, super tanto, & tali negotio à Cardinalibus, & Episcopis diù ventilatum est. Sed quid plura? Diaconus eum iteratò ad justitiam vocavit faciendam, qui continuò surgens: Unde, inquit, & de quo accusor? Et Apostolicus: Quia suscepisti Regalia B. Petri extra nostram voluntatem, & claves tenuisti portarum, & Palatium invasisti, & Landulphum expulisti, & galeam sumpsisti, & clypeum, & Falconem illum ad Sacramentum impulisti. Hoc ipse Archiepiscopus audito respondit. Verè Regalia B. Petri non alia de causa accepi, nisi vestra pro fidelitate. Nam cum Reneventi aderas, Civitatem mihi commendasti. Portarum verò claves non ego susceperam, hunc sanè, qui eas retinet, fidelem tuum omnino confitemur. Clypeum profectò non accepi, galeam quidem

quidem tuli capitis pro munitione,ne aliquo lapide opprimerer. Normandos, ut dixistis, non introduxi. Longobardos verò sexdecim pro auxilio populi Civitatem ingredi feci. Sacramentum Fulconis jussu meo factum fuisse, & populi jusjurandum denego. His omnibus Apostolicus auditis, Cardinalibus iterum, & præfatis Judicibus præcepit, ut super omnibus istis, & super contemptu sententiam exprimerent. Cumque Archiepiscopus ipse hujusmodi præceptum, ut ita dicam, terribile audisset, Guillelmum Ducem supram memoratum, & Robertum Principem, & Petrum filium Leonis, nec non & Episcopos exorabat dicens: Domini Proceres, & Episcopi Confratres, Dominum nostrum Papam Paschalem, precor, orate, ne me in conspectu omnium taliter confundat, & dedecoratum dimittat; si verò ejus clementiæ placuerit, exilium petam, vel mare transfretabo. Tunc Proceres ipsi euntes pedibus Domini Papæ advoluti, sicut Archiepiscopus rogaverat, deprecati sunt, quod minimè obtinere valuerunt. At ipsi Judices ex præcepto euntes, licet dolendo, & protelando reversi tale super Landulpho dedere judicium. Judicibus enim ipsis, ut dixi, moram facientibus super sententia, præcepit Apostolicus adjurando, ut per fidem, quam B. Petro, & ei deberent, quod canonicum esset dicendum, dicerent. At Episcopus Portuensis primus omnium licet ægrè, & tantæ sententiæ dolore turbatus ait. Quoniam regalia B. Petri suscepisti, & claves Portarum tenuisti, & Palatium invasisti, & Landulphum expulisti, & Curiam venire vocatus contempsisti, judicamus super vos depositionis sententiam,quia contra B. Petrum, & Dominum nostrum Papam fecisti. Idipsum Capuanus Archiepiscopus, & Gregorius Cardinalis affirmavere. Volentibus autem aliis Judicibus eandem confirmare sententiam, Landulphus ipse è medio Conventus illius timore coactus, & sententiæ talis gladio perculsus surrexit. O qualem, si interesses Lector, fletum videres, & Landulphi illius pallidum aspiceres vultum: cum ex ore tantorum Judicum, qui decoratus Beneventana sede, & præ aliis gloriosus ubique fuerat, deponebatur. Quid dicam? subsellio ejus levato, metuendum illud Concilium, ut mente captus, dereliquit.

Hoc anno Ecclesia B. Mariæ de Episcopio ampliata est per consilium Landulphi de Græca. Hoc anno Landulphus Beneventanus Archiepiscopus captus est, & Landulphus de Græca, qui expulsus fuit de Civitate Beneventana, reversus est, accepta Comestabilia.

His omnibus, & aliis ita peractis, Apostolicus ipse IX. Kalendas Septembris Trojam tetendit, ibique Concilium statuit, & firmavit, ad cujus sacri Conventus præsentiam ferè omnes Apuliæ Proceres, Archiepiscopi, & Episcopi convenerunt. Conventu itaque sanctè ordinato, inter cætera, quæ ibi composita sunt, treuga Dei statuta est, adeò quod Comes Jordanus, & Comes de Lauritello, & alii Barones Apuliæ Sacramento in præsentiarum firmaverunt treugam Dei ex tunc, & spatio annorum trium fore tenendam, & custodiendam; sicque confirmato Concilio, & piè finito Papa Beneventum tertio die intrante mensis Septembris reversus est. Deinde Apostolicus ipse Civitatis negotia, quæ imminebant, dijudicans, Romam reversus est septimo Kal. Octobris. Qui tunc Monasterium Sancti Vincentii dedicavit.

Anno 1116. ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, & XVII. anno Pontificatus Domini Paschalis II. Summi Pontificis, & universalis Papæ mense Martio IX. Indictionis, Dominus noster prædictus Apostolicus Romæ Synodum statuit. Et hoc anno Præfectus Urbis Romæ mense quidem Martio obiit, post cujus mortem civile bellum terribiliter ortum est, eò quod Romani audierant, quòd Petrus filius Leonis, Apostolici consilio filium suum Præfectum ordinare vellet. Unde Romanorum populus Præfecti defuncti filium ad Præfecturæ honorem erexerunt. Quo ordinato ad prædictum Papam Paschalem miserunt, suppliciter postulantes, quatenus eorum ordinationi assensum ipse præberet, & corroboraret, Apostolicus autem nullo modo eis assensum tribuit. Romani itaque hæc agnoscentes conjuratione facta, mirabilia domorum ædificia, & turres complures radicitus prostraverunt; eorum quidem, qui cum Petro Leonis ad id faciendum conjurabant. Unde factum est, ut Ptolemeus Præfecti Avunculus, & alii Barones Apostolici castra invaderent, & tenerent. Contigit autem die quadam, quod Præfectus ipse militum fere quinquaginta collegio stipatus ad explorandum milites, quos Apostolicus miserat, extra Urbem perrexisset. Comestabulus autem Apostolicus hoc deprehendens, ex improviso eos aggreditur, prostravit, & Præfectum comprehendit. Ptolemeus igitur memorati nepotis captionem audiens absque mora, militibus sumptis, Papæ præfatum Comestabulum invadens, nepotem, qui captivus ferebatur, absolvit, & secum gaudens ad propria perduxit. Dum hæc, & alia Romæ agerentur, præfatus Apostolicus Urbem exivit, qui apud Castrum quoddam, Setium nomine, commoratus est. Viderat siquidem seditionem illam magis, ac magis inflammari, & Petrum Leonis de die in diem acriter expugnari. Diebus autem non multis elapsis, Apostolicus ipse seditionem illam placari, & minui aspiciens, consilio accepto, militibus collectis, Romam ingressus est, deinde Palatium Lateranense ingreditur, ibique Missarum solemnia decantavit. Cùm autem ipse Urbem ingressus fuisset, Romanorum cœtus, qui ei rebellis exiterat, ferè ad ejus imperium, & voluntatem conversus est; sicque Apostolicus ipse tranquillitate inventa Romam securus habitavit. His taliter actis, prædictus Apostolicus Landulphum, quem deposuerat, undecimo die intrante mensis Augusti redintegravit, ad Archiepiscopatum.

Anno 1117. Dominicæ Incarnationis, & XVIII. Pontificatus Domini Paschalis, mense Aprili ipse Papa Synodum Beneventi celebravit.

Hoc anno Riso Barensis Archiepiscopus ab Argyro cive Barensi trucidatus est in via Canusina.

Hoc anno Paschalis Papa obiit undecimo Kalendas Februarii, & Gelasius Papa eligitur.

Anno 1118. ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, & anno primo Pontificatus Domini Gelasii II. Summi Pontificis, & universalis Papæ, mense Martio, XI. Indictionis: Factum est, cum præfatus Pontifex Gelasius ad Pontificale solium fere totius Populi Romani unanimi voto, & concordia eligeretur, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus circa Romanam sedem morantibus, Missos Apuliæ quoque partibus delegavit, ut ad ejus Consecrationis diem conve-

ve-

venirent. Erat quippe, ut retulimus, cum electus fuit, Diaconus; & Cancellarius; qui quidem non nisi in Canonico jejunii tempore constituto consecrari poterat. Legatione itaque accepta Episcopus Trojanæ, Archiepiscopus Sipontinæ Civitatis, & alii complures ad ipsius consecrationis solemnitatem properaverunt. Sed priusquam memoratus electus Gelasius consecrationis acciperet dignitatem, Rex præfatus Henricus, instructis insidiis, noctis silentio Romam ingreditur mensis Martii secundo die ingrediente. Apostolicus itaque Regis ipsius ingressum sic latenter deprehendens, reminiscens, qualiter Rex ipse Dominum Papam Paschalem ejus prædecessorem, & Cardinales fraude, & dolo cepisset, absque mora, Cardinalibus convocatis, fluvium Tyberis ingressus est; deinde prosperis ventis mare sulcantes pervenerunt Calenum. Rex autem Apostolici egressum cognoscens, ei apud Calenum delegavit, quatenus Urbem reverteretur, quoniam ad ejus consecrationem libentissimè interesse, & corroborare desideraret. Pontifex autem Gelasius nequitiam ejus, & perfidiæ telum longè, latèque cognoscens. Miramur, inquit, super talis, tantique viri legationibus, cum ad nos venturum se die Resurrectionis nuper transmiserit. Nunc verò nocturno tempore, & ante conditum tempus comperimus eum adventasse. Ego verò, Deo annuente, Consecrationis accipiam firmitatem. Dehinc me, ubicumque voluerit, paratum ad propositum negotiationis inveniet. Quo audito, qui missi fuerant, ad Regem reversi sunt festinanter, atque omnia, quæ à prædicto Pontifice audierant, Regi renunciaverunt. Deinde electus ille Gelasius die constituto à Cardinalibus, qui cum eo exierant, canonicè, & ordinatè consecratus est apud Calenum mense Martio superius memorato. Rex autem Pontificis ipsius responsum audiens, pestifero invento consilio, Archiepiscopum quendam Hispanum in Pontificem, & ut ita dicam, invasorem Ecclesiæ constituit, & consecravit. O nefas, & terribile periculum, Rex ille, qui Romanæ sedis, & totius Catholicæ Ecclesiæ defensor, & adjutor fieri deberet, novam hæresim, & dira mortis genera per universum Orbem induxit. Romanorum igitur complures, quorum mens erga Ecclesiæ Romanæ fidelitatem fixa manebat, visa hujusmodi hæresi, & cognita, ajebat. Heu miseri, cum nos ex longo nostrorum Patrum vetusto ritu sine alicujus Regis adventu, & licentia, Pastorem eligebamus, consecrabamus, quem volebamus, nunc autem sine Regis permissu jam amplius alium neque eligere, neque consecrare ausi erimus. Deinde præfatus, & alii Romanorum Nobiles, Gelasio canonicè ordinato, apud Calenum, legaverunt dicentes: Vestræ notescat Paternitati Pater, & Domine, nos, & nostros amicos consecrationi illius excommunicati Viri in Pontificem scelestum constituti, nullatenus consilii, & auxilii manus dedisse. Et sciatis, quoniam, Deo opitulante, Regis illius, viri iniquissimi machinationes, & consilia in proximo delebuntur, & vos, Deo propitio, erroris, & malignitatis destructor ad sedem propriam, & locum cum lætitia, & honore revertemini. His taliter actis: prædictus Landulphus de Græca olim Beneventanus Comestabulus, literas suas apud memoratum Gelasium notificando, rectorem Stephanum Beneventanum, ex quo ipse depositus fuerat, justitiam egentibus non fecisse, insuper etiam domos suas, & possessiones à Beneventanis dirutas nuntiavit.

Hoc

Hoc anno prædictus Papa Gelasius Gallias ivit secundo die mensis Septembris intrante, & Pisas applicuit: cumque sicut relatum est, Pontifex Gelasius apud Civitatem Pisanam ivisset, & Archiepiscopum Civitatis consecrasset, inito consilio, navem ingressus est; deinde, divina gubernante clementia, ventis secundis, ultramontanas partes transfretavit. Continuò Archiepiscopi omnes, & Episcopi, Proceresque alii gaudio eum ineffabili, & honore immenso susceperunt. Taliter igitur Gelasius acceptus, cum prædicto Anglorum Rege confabulatus est. Dehinc Apostolicus ipse stabilivit, ut in sequenti mense Martio Synodum cum Patribus Franciæ, Theutonicisque celebraret, ibique de Sacerdotii, & Regni discidio, longè latèque, habito, Spiritu Sancto mediante, loquerentur. Quantas autem divitias, & munera argenti, & auri partibus in illis Apostolicus ille lucratus est, si sigillatim describere vellem, prius me tempus deséreret, quàm copia recitandi. Sed antequam terminus statutus Synodum celebrandi advenisset, apud Monasterium S. Petri, quod vocatur Clunia, ubi diligenter morabatur, ægritudinis mole detentus est. Confestim se infirmitatis validæ dissolutione teneri persentiens Palestrinum acciri jussit Episcopum, & imponere illi tanti honoris culmen Romanæ Sedis satagebat. Prævidebat enim, se, ut fragilitatis est, corpore dissolvi. Audiens itaque Episcopus ipse hujusmodi verba Pontificem proferentem; abiit, inquit, omnino absit, ut tanti honoris, ponderisque cacumen indignus ego, & infelix suscipiam: præcipuè cum auxilio Dei, & secularium virtute divitiarum, Romana sedes temporibus nostris, sub persecutionis flagello dedita, defendi oporteat, & muniri. Si verò meis acquiescere velitis consiliis, Viennensem Archiepiscopum, Virum utique Religiosum, prudentisque animi, & sæcularibus ornatum virtutibus, ad tale, tantumque patrocinium eligamus. Dei namque consilio, & B. Petri meritis, & Viri hujus solatio Romanam sedem sub tantæ persecutionis periculo diutissimè oppressam, credimus ad serenitatem, triumphumque sublevari. Quid multa? & Gelasio Pontifici infirmanti, & cæteris Cardinalibus, aliisque omnibus Episcopi sermo complacuit; nec mora, Archiepiscopum illum, accersiri jubent, ut dicta factis compleant, & perseverent. Quia verò vocatus viribus totis renuit, seseque tanti officii culmine indignum clamitabat, tamen cælesti clementia ordinante; ad Pontificalem Infulam, Gelasio ægrotante, & volente, promovetur. Die verò altera adveniente Gelasius Pontifex, IV. videlicet Kalendas Februarii, apud prædictum Monasterium feliciter ex hujus mundi ergastulo migravit ad Dominum.

Protinus, consilio invento, Cardinales, qui illic aderant Petro Portuensi Episcopo, quem Pontifex Gelasius Romę Vicarium dimiserat, & ipsius Gelasii obitum, & qualiter Archiepiscopum illum in Pontificem Callistum elegerant, studiosè delegaverunt. Portuensis autem Episcopus literis acceptis super ipsius Apostolici morte lacrymis manantibus valde contristatus est. Illicò Cardinales cum eo manentes, pluresque Romanorum fidelium convocans, Capitolium ascendit, ibique litteras missas ostendit, & legi pręcepit. Quibus lectis, una voce, & concordia Dominum laudavere Omnipotentem; quòd eis virum prudentem, & ornatum moribus in Pontificem largi-

gitus est. De obitu verò Apostolici Gelasii valde turbati sunt. His ita gestis, consilii studio invento, præfatus Episcopus Landulpho Beneventano Antistiti, & Ugoni Cardinali Beneventum regenti, Clero, & populo Beneventano Gelasii mortem, & Callisti electionem ordinatim mittere curavit. Continuò Landulphus Antistes, Cives, Presbyterosque omnes, & Episcopii clericos ad sacrum fecit vocari Palatium, ut eis ordinem rei annunciaret, quibus accitis, literas illas legi jussit, & exponi; nec mora, prædicti Callisti electionem unanimiter laudantes commendaverunt. Deinde Te Deum laudamus canendo proruperunt; sicque Archiepiscopus ipse, & Ugo Cardinalis, Clericorumque turba copiosa, & civium multitudo à prædicto sacro Palatio ad Episcopium canendo descenderunt. Posteà verò eminentiori loco Antistes ille ascendens, Cives exhortatus est, ut fidelitatis manum erga Romanam Sedem perpetuò conservarent. Quo facto ad propria remearunt.

Anno 1119. & anno Primo Pontificatus Domini Callisti secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ, mense Martio, XII. Indictionis, eodem mense Martio prædictus Beneventanus Archiepiscopus videns Civitatem variis prædarum afflictionibus ex omni parte confundi, & devastari, suæque Parochiæ Ecclesias à raptoribus vexari quotidie, Synodum decimo die intrante mensis ejusdem Martii celebravit. Ad cujus sacri Conventus præsentiam Tusculanus affuit Episcopus, & Ugo supranominatus Cardinalis, & Cardinalis alius, & Beneventanæ Sedis suffraganei circiter viginti, Monasteriorum Abbates sex affuere. Inter cætera verò, quæ in ipso Conventu statuta sunt, omnes male facientes Beneventi, & disturbantes Mercatores ad Civitatem venientes, & redeuntes, sub anathematis vinculo alligavit. Conventu itaque piè, & ordinatè finito, unusquisque ad propria repedavit.

De guerra autem Jordanis Comitis supra memorati (si vestræ placuerit charitati) & Comitis Rainulphi aliquid succinctè narrabo. Cumque jam, ut dictum est, Montismilitis Castrum, & Montisaperti, destructum fuisset, præfatus Robertus de Montefusco, Castellum aliud, quod Tufum vocatur, sæpissimè aggressus est, qui verò, ut Dominum Castri, & habitatores terroribus variis commoverent, bellorum machinationibus assiduis acriter expugnavit. Deinde mortis inaudito nuntio, consilio invento, rusticorum sata, & vineas, sylvasque igni, ferroque depopulatus est. Sata quidem rusticorum noviter aspersa, quod nunquam à sæculo auditum est, rastris, & aratris iterato volui, & devastari præcepit. Dominus autem Castri Rao nomine, nec bellorum turbinibus, neque tali mortifera confusione turbatus, Castrum illud viriliter, & animosè tenuit Jordanis Comitis ad fidelitatem. Præterea Jordanis Comitis patruus jam nominatus Robertus, quotidie adversus eum seditionum conventicula, & minarum jacula, ut erat viperei cordis, operabatur; sæpissimè namque cum Comite Rainulpho, & Roberto de Montefusco de ipsius Jordanis Comitis infestationibus, & damnorum periculis confabulabatur. Tandem cordis sui silentia, quæ jugiter meditabatur aperiens, Castellum, quod Templanum vocatur, à Comite Jordano expetiit, ut sic fidelis, & amicus ejus diebus omnibus ipse permaneret. Agebat autem, quod cuidam filio suo naturali, quem diligebat, Castrum illud

illud Sacramento Comes ille firmaret. Comes autem hæc audiens, mentis afflictione, ultra quàm credi potest, perculsus, valde super his mirabatur. Continuò suos omnes vocari fecit Barones, & super hoc tanto, & tali negotio studiosè ab illis consilium perquisivit. Illi verò Comitis necessitates, quæ supererant, & Roberti illius mentis perfidiam cognoscentes, & aliter erga Comitis fidelitatem converti non posse aspicientes, ut petitionibus ejus usquequaque faveret, consilium tribuerunt. Ventilato itaque, & firmato Concilio in præsentia Landulphi Archiepiscopi, & Ugonis Cardinalis, aliorumque Beneventanorum, & Procerum, qui ad tale, tantumque spectaculum convenerant, petitiones cunctas illius adimplevit. Deinde Sacramento mediante, Comitis Jordani, fidelis, & canonicus effectus est. His taliter actis, centum milites pro ejus servitio obtinuit. Continuò vicem reddens pro acceptis, segetes omnes militum Montisfusci depopulatus est. Contigit autem, dum die quadam Landulphus de Græca Montisfusci Comestabulus, super Castrum jam dictum, nomine Tufum, militum caterva stipatus tenderet, Comes Jordanus occultè invigilans eos aggreditur, prosternit, & duodecim milites illorum comprehendit, armis omnibus eorum acceptis, inter quos miles nomine Eternus, & Brianus captivi perducti sunt. Audiens autem Rainulphns Comes fidelium suorum stragem immensam, & à Comite Jordano ita superari non patiens, militum ferè quadringentorum copiam, & peditum multitudinem congregavit. Quibus congregatis multotiens minabatur se terram Comitis Jordani ingressurum, & Castrum aliquod ejus igni, ferroque consumare. Tandem militum, peditumque manu illa assumpta Jordani Comitis Terram ingressus est: nam sicut ipse sæpius dixerat, non ausus est Castellum illius aggredi, neque belli sonitum præparare; sed ut nominis sui gloria levaretur, & Comitem Jordanum terreret, continua Castelli, quod Pesclum nominatur, intravit, sicque nullo conatu si suorum parato ad propria reversus est. Comes autem Jordanus, ut providi, & sapientis erat ingenii, Rainulphi Comitis agnoscens protervIam, & hujusmodi audaciam non ex prudentum thesauris procedere, trecentorum militum caterva stipatus circa ejus confinia districtè morabatur. Agebat quidem Comitem illum non sic stultè sectari, sed munitiones suas, si oporteret, viriliter contueri.

Hoc anno XV. die intrante mensis Maii, Beneventanus Archiepiscopus Landulphus supra memoratus consilio satutis juvento corpora Sanctorum Martiani, Dori, Potiti, & Prosperi, Felicis, Cervoli, atque Stephani, quæ prisco ex tempore non honestæ tumbæ, qua jacuerant, coram omnibus propalavit. Corporibus namque illis taliter foras, eductis, ex ossibus eorum duo in conspectu omnium Civium Antistes præsatus poni magna cum reverentia, ut crederent, præcepit. Fama igitur per Civitatem ventilata, concursus magnus factus est Virorum, ac mulierum, & cursu præcipiti, oblationibus ossa illa lacrymando osculabantur; quæ verò ossa Sanctorum indignus ego osculatus sum. Biduo autem postquam corpora illa Sanctorum foras educta sunt, præditus Antistes Presbyteros omnes Civitatis ad Episcopium vocari præcepit, quatenus de tantorum Sanctorum laudibus agendis colloquerentur. Continuò, consilio assumpto dedit in mandatis, ut primum Presbyteri Portæ Summæ ad

Epi-

Episcopium jubilando, cereis, & lampadibus descenderent; & coram Sanctorum ossibus laudes Deo, & eis decantarent. Secundò quidem Presbyteri Portæ aureæ; Tertiò autem Portæ Ruffinæ; Quartò Forenses; Quintò Civitatis novæ; Postremò verò Civitatis totius Presbyteri, & Viri, quatenus unà in honore Dei, & Sanctorum illorum aggregati, Omnipotentis Dei misericordiam invocarent, ut eorum intercessionibus, delictorum veniam consequerentur. Presbyteri autem Pastoris jussa audientes, sicut imperaverat, executi sunt, & laudibus innumeris ordinatim ad Sanctorum corpora descendebant. Virorum autem, & mulierum, & pauperum turbam canentium, quæ præcedebat, & sequebatur, cereis in altum positis, & accensis, Lector, si cerneres, de tanto gaudio ultra humanum modum exultares, & ex cordis profundo lacrymas rivo irriguo produceres: processionem enim insolitam cerneres, & quod à multis annorum spaciis inauditum est, & Beneventana Civitas ob Sanctorum honorem, amoremque modò operata est. Regem quidem testor cælorum, quod si lingua triplicatos ederet sonos, & vox incessabili plectro promeretur, tanti gaudii pondus, & tantarum laudum densitatem nullo modo exarare valerem. Quis unquam Civium tempore isto viventium, sic prorsus Civitatem lætari, poterit recordari? Credo verò sub B. Apostoli Bartholomæi Patroni Civitatis adventum, ita prorsus gaudio magno Civitatem impletam fuisse. Nam, ut Beneventanorum memoria per duas generationes allevaretur, Abbates omnes Ecclesiarum studio magno lignorum machinationes mirabili constructas artificio composuerunt. Civitatis autem novæ Presbyteri, ut studiosiores præ omnibus viderentur, lignorum machinam quandam circumquaque cereis, lampadibusque immensis obductam, ad Sanctorum corpora perduxere. Infra eam verò juvenes cum tympanis, cum cytharis tinnientibus vidimus insultantes. Campanas namque, & tintinnabula multa intra struem illam videbamus. Sacerdotes denique in albis vestiti, cum vexillis, & multo cereorum Comitatu coram Sanctorum ossibus decantabant: Novissimè autem Archisius Archidiaconus talem, tantamque per singulas Civitatis partes, partiumque angulos lætitiam insolitam fieri aspiciens, consilio accepto, mirabilem quandam lignorum structuram pro Ecclesiæ Sancti Laurentii honore, quam regebat, & totius Civitatis, præcepit componi; illic artifices multo, Lector, si adesses, conspiceres, ibi studii manus operantes videres, sub quorum verò industria ad naviculæ instar facta est. Quam demum peracta, super illam magni ponderis campanam, & multa alia metallorum genera vociferantia, & cereos multos accensos imponi præcepit. Hominem etiam lyrizantem, & tubas stridentes ad astra, ibi associavit; & circa illam cornua crepitantia, tympana mirabiliter percussa, cytharę, variique generis modulationes tripudiabant. O qualem, Lector, aspiceres exultationem, quale gaudium per totius Civitatis partes cerneres, si interesses, quod revera putares, crederesque potius aliam vitam, aliamque speciem cordis, oculi, & corporis imitari. Talibus igitur, & tantis modulationibus patratis, ut Archidiaconi gloria attolleretur, boves ad illam structuram injunxit, & junctis bobus usque ad S. Andreę Ecclesiam perduxere. Deinde pro densitate ędificiorum, quę super plateas inerat, usque ad Episcopium Boves illam trahere nequive-

 runt.

runt. Continuò ad manus virorum multorum machina ipsa sic ponderata ad Sanctorum corpora perducta est; & ea perducta, Archidiaconus Ipse cum Clericorum comitatu in albis vestito coram ossibus Sanctorum vigilias cantaverunt; quibus finitis unusquisque ad propria reversi sumus. In crastinum autem prædictus Antistes, die videlicet decimo stante mensis Maii, cum Episcopo Frequentino, & de Monte Marano, & Arianensi corpora Sanctorum collocavit; inter quos corpus associavit Beati Joannis XXI. Beneventani Archiepiscopi, qui triginta, & tres annos, sicut titulus testabatur, in Episcopatu advixit. Item corpus Stephani Levitæ, & corpus alterius Sancti, cujus nomen ignorabatur. Corpus quidem ipsius Joannis Episcopi, & Stephani Levitæ, & alterius Sancti ante prædictorum inventionem Sanctorum Martiani, & ejus sociorum inventum est; juxta Altare, in quo ipsi requiescebant. Ad quorum verò venerabilem dedicationem Archipræsul ipse quartam partem peccatorum omnibus, qui ad Sanctorum visitationem convenerant, condonavit; donavit id quoque omnibus aliis, qui usque ad octavum diem Apostolorum Petri, & Pauli venturum, ad dedicationem hanc convenerint; Item sub excommunicationis vinculis posuit contra omnes male facientes illis, qui ad tantorum Sanctorum convenissent dedicationem.

Hoc anno Landulphus Beneventanus Archiepiscopus obiit quarta die intrante mensis Augusti; & Roffridus electus est, qui erat tunc Archipresbyter.

Hoc anno septimo die stante mensis Februarii, Alferius Judex à Porta aurea obiit.

Anno 1120. Dominicæ Incarnationis, & secundo anno Pontificatus Domini Callisti secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ mense Martio XIII. Indictionis. Hoc anno mense Majo tertio die ante festivitatem Sancti Eustachii magna fluminisCaloris venit inundatio, quam nemo viventium tempore ipso potuerit recordari. Per idem tempus Comes Rainulphus, cujus mentionem fecimus congregata militum, peditumque caterva innumera, unà cum Roberto de Montefusco, super prædictum Castellum, quod Tufum vocatum est, commeavit: continuò Montem quendam munitum valde conscendunt; in quo Castelli munitiones mirabiliter construentes, vallo & aggere illud circumeunt, & lignorum machinis circumquaque componunt, & eo taliter munito, Tufum illud sæpissimè, acriterque expugnabant. Rao autem Castri Dominus viriliter obviabat. Comes igitur Jordanus audiens Rainulphum Comitem super Tufum illud, Castelli munitiones construxisse, & oris omnibus belli apparatus fecisse, absque mora, collecta equitum, peditumque manu copiosa, ad Castellum, quod Montisfalconis dicitur, haud longe à Rainulphi Comitis tentoriis tetendit. Deinde Cardinalem Ugonem Beneventum Regentem, & Stephanum Rectorem, Roffridumque electum accersiri præcepit;& eis advocatis ad Comitem Rainulphum illos destinavit, addens in mandatis, quòd libenter à Comite Rainulpho justitiam sumeret, & ipse ei justitiam conferret. Comes hæc audiens pollicitus est & accipere justitiam, & libenter sectari. Quid plura? Tufum illud dimittunt, & ad pontem S. Valentini magna Procerum caterva glomerante congregantur. Confestim coram omnibus,

nibus, data fide, & accepta, treunam à septimo die stante mensis Maii, & usque ad Kalendas Septempris firmiter confirmaverunt; in qua etiam treuna Civitatem Beneventanam statuere.

Hoc anno quinto die stante mensis Maii Capuani constituerunt Principem Richardum filium Roberti Principis Dominum eorum, eò quòd Princeps ipse genitor ejus infirmabatur, & eo constituto, Capuanus Archiepiscopus, convocatis Episcopis, aliisque viris prudentibus, & Roffrido Beneventano Electo, die Ascensionis Domini, quinto die ipsius Maii stante, Principem illum consecravit. Octavo autem die post ejusdem filii sui consecrationem, Princeps ipse Genitor suus ex hoc sæculo decessit: Filius autem Principis illius, postquam consecratus est, decem dies advixit, quo defuncto, Jordanum prædicti Roberti Principis fratrem constituerunt in Principatus honorem.

Hoc anno supramemoratus Papa Callistus ab ultramontanis partibus reversus est, & nono die intrante mensis Junii Romam ingreditur. Unde factum est, ut Petrus Portuensis Episcopus, tunc Vicarius cum aliis Cardinalibus Romæ manentibus, aliisque Clericorum turmis, & viris utriusque sexus obviam Pontifici illi properavit. Gaudium igitur populi Romani, & lætitiam, si lector aspiceres, diceres, admirans, præ gaudio, tanto sub honore, & triumpho Pontificem quempiam Urbem ingressum non fuisse. Audiens itaque Ugo Cardinalis, qui tunc Beneventanam Civitatem regebat, Apostolici adventum, Romam festinus tetendit, & cum illo cives complures adierunt. Eodem anno, nono die intrante mensis Julii, Rao nomine Dominus Ceppaloni mortuus est.

Hoc anno Bernardus Abbas Monasterii Sanctæ Sophiæ tertio Kalendas Augusti migravit ad Dominum. Post obitum verò ipsius Abbatis quædam Monachorum pars ultimo die stante mensis Julii Monachum quendam Ademarium nomine, Abbatis Madelmi nepotem, in Abbatem elegerunt, ad cujus electionem Joannes Venerabilis Decanus, Joannes Grammaticus vir per cuncta laudabilis, Rao Sacerdos, & Monachus, aliique Monachorum sapientum non consenserunt. Unde factum est, quod discordia ineffabilis inter eos habita est. Hoc anno Dominus noster Papa Callistus, accepto consilio, Beneventum advenit, & octavo die intrante mensis Augusti Civitatem ingressus est. Audiens itaque Beneventanus populus ipsius adventum longè, latèque optatum, extra Civitatem duorum millium spatio gaudio magno repletus egrediebatur. Tandem Apostolicus ipse à Clericis, & Monachorum turba, & à Presbyteris, Civibusque omnibus, gloria, & gaudio magno suscipitur. Præterea Amalphitani omnes, plateas cunctas vestibus sericis, pallisque, & ornamentis pretiosis in adventu illius ornaverunt; infra ornamenta verò, thuribula aurea, & argentea cum odoribus, & cinnamomo posuerunt. Pedes verò Apostolici, & habenas equi Cives quatuor à Ponte leproso, usque ad Portam S. Laurentii ducebant: deinde quatuor alii usque ad Episcopium, ab Episcopio autem quatuor Judices Joannes, Persicus, ∴ ∴ ∴ ∴ & Landulphus usque ad sacrum Beneventanum Palatium detulerunt. In Comitatu Apostolici, Lector, si adesses, & tympana percussa, cymbala tinnientia, & lyras sonantes aspiceres, revera affirmares Apostolicum alium tali

ſub triumpho, & gaudio ingreſſum non fuiſſe Civitatem. Diebus autem non multis decurſis, complures Civium, qui amici Landulphi, quondam Comeſtabuli, extiterant. Apoſtolicum precatur, quatenus ei copiam habitandi tribueret in Civitate. Comeſtabulus verò per triennium Montemfuſcum habitaverat. Apoſtolicus igitur fidelium ſuorum precibus favens, ſicut poſtulaverant, licentiam impendit. Continuò obviam exeuntes cum Jordano Comite, qui pro eo venerant, Landulphum illum Civitatem introduxere. Audiens autem Calliſtus Pontifex diſcordiam illam, quæ inter Fratres Monaſterii Sanctæ Sophiæ, pro electione facta ſupradicti Ademarii regnabat, Monaſterium advenit, & congregatis Fratribus, ſatis, abundèque ſuper electione tali locutus eſt. Tandem cognita rei veritate, & quia electio illa canonica, & regularis non eſſet, à Petro Portuenſi Epiſcopo, cæteriſque Cardinalibus, qui illuc convenerant, irrita, & fracta judicata eſt. Confeſtim id à Pontifice Calliſto confirmatur. Quid multa? licentiam fratribus dedit, ut, quem vellent, Abbatem eligerent. Quo facto ad Palatium Apoſtolicus reverſus eſt. In craſtinum autem quartodecimo die intrante menſis Auguſti, tota Fratrum collectio locum Capituli ſolitum ingreditur, ibique Spiritu Sancto mediante, de facienda electione pleniter tractavit. Interea prædictus Joannes venerabilis Decanus perſonam fratris ad tantum ferendum pondus idoneam elegit, & Fratribus in unum congregatis eam patefecit. Denique unumquemque interrogavit, ſi perſona complaceret. At ipſi una voce, una concordia dignam fore, dignam, clamavere. Fratres verò ipſi numero fere quinquaginta convenerant, & clamantibus illis perſonam illam Joannis quidem Grammatici, virum prudentem, ornatum moribus comprehenderunt, & eum invitum, & renuentem, jubilando, cathedram ſuperſedere fecerunt. Ipſe autem indignum & infelicem ſe coram nobis omnibus clamitabat. Deinde facta eſt actio venerabilis ſacra, & monachus virgam in manu ejus Paſtoralem poſuit, & eum ad locum Abbatis in Capitulo ſtatuerunt. Continuò Decanus primùm, poſtea fratres omnes pedibus ejus, ut moris eſt, advolvuntur, & unicuique pacis oſculum ipſe donavit. Electo autem eo, nuncium Calliſto Pontifici dirigit Congregatio, ſignificans Joannem Grammaticum electum fuiſſe. Audiens igitur Apoſtolicus, quòd regulariter electio illa fieret, complacuit ei, & confirmavit. Diebus autem non multis excurſis, prædictus Pontifex Calliſtus Monaſterium Sanctæ Sophiæ advenit, & inter Miſſarum ſolemnia XIV. Kalend. Septembris præfatum Joannem Grammaticum, quem Congregatio Monaſterii elegerat in Abbatem, conſecravit. Die verò ipſius conſecrationis Dedicatio Altaris B. Mercurii celebratur in Sancta Sophia. Diebus autem non multis elapſis, prius ad prædicti Roffridi electionem Pontifex Calliſtus inducias poſuit, ut ad conſtitutum tempus jejunii menſis quidem Septembris conſecraretur. Cumque ad id ventum eſt, magno cum honore, & diligentia eum in Sacro Beneventano Palatio Presbyterum ſtatuit. In craſtinum autem die Dominico, coram Epiſcopis decem numero, ſedis Beneventanæ ſuffraganeis, illum ad Pontificalem Inſulam ſublimavit; inter quos Venerabilis Joannes Monaſterii Sanctæ Sophiæ Abbas affuit; die verò conſecrationis ipſius feſtivitas Sancti Januarii celebratur.

Hoc

Hoc anno biduo post consecrationem prædicti Archiepiscopi Roffridi, Callistus Pontifex, consilio accepto, deposuit Stephanum, qui tunc Rector fuerat, & ordinavit Rectorem Rossemannum Diaconum filium Rossemanni Monachi.

Anno 1121. Dominicæ Incarnationis, & tertio anno Pontificatus Domini Callisti Secundi, Summi Pontificis; & universalis Papæ, mense Martio IV. Indictionis. Hoc anno Domina Labinia Abbatissa Monasterii S.Mariæ à Porta summa, infirmitate valida detenta est. Videns itaque se ad mortis transitum tendere, consilio accepto, cunctas ancillas Dei sorores suas vocari præcepit, quibus vocatis, ita eas alloquitur: Credo vestram non latere prudentiam, Sorores charissimæ, quantum erga Monasterium istud, & vestram charitatem laborum perpessa sum. Unde, Deo favente, & vestris orationibus succedentibus, status Monasterii hujus enituit, & ad perfectionis culmen attinxit. Nunc autem, sicut conspicitis, validæ infirmitatis periculo teneor, & certa sum ab hoc corpore citò dissolvi: familiaritatem igitur vestram suppliciter postulo, quatenus petitionibus meis faveatis; præsertim cum, Deo teste, nihil præter Monasterii proficuum à vobis petiero. Prævidi enim corde post meum discessum discordiam electionis oriundam, & Monasterii causas ad detrimentum pervenire. Unde si vestræ placuerit charitati, vivente me, dissidium hoc auferatur, & personam, quam dixero, Abbatissam statuamus. Quid plura? Bethleem filiam Girardi Comitis de Græcis patefecit. Audita itaque persona eis complacuit, & studium electionis laudaverunt. His actis, prædicta Domina Labinia Abbatissa migravit ad Dominum. Continuò Roffridum Beneventanum Archiepiscopum, & Rachisium S. Modesti Abbatem accersiri jubent, ut factum illud firmarent, & statuerent; qui verò petitionibus earum faventes factum illud firmaverunt. Diebus autem non multis elapsis, Archiepiscopus ipse Monasterium advenit, & Abbatissam illam secundùm ordinem regulæ nobis, & multis aliis viris consecravit aspicientibus, ad cujus sacrationem Joannem venerabilis Abbas Monasterii S. Sophiæ, & prædictus Rachisius Abbas Sancti Modesti convenerunt quarto die intrante mensis Aprilis.

Hoc anno XVIII. Kalend. Junii Robertus de Montefusco à Rogerio filio Troisii, & fratribus suis apud Beneventum gladiis, heu miser, laceratus est; quem si, Lector, aspiceres capite horribiliter cæso membrisque ejus divisis, & per partes diffusis, miseratione motus lacrymarum fontem super eo produceres, & de tali, tantoque homicidio mirareris. Prædictus autem Joannes Monasterii S. Sophiæ Abbas venerabilis cum quibusdam fratribus ad cadaver illud properavit, & eo viso mirabiliter horruit, mirabiliusque lacrymatus est. Nec mora, illum taliter cruentatum ad Monasterium perduci præcepit, quem juxta ritum Christianorum occisorum sepelierunt. Confestim Comes Jordanus Montemfuscum properavit, & pactis intervenientibus, suæ castellum illud obtinuit potestati.

Eodem anno supradictus Pontifex Callistus, exercitu congregato, super Civitatem nomine Sutrim tetendit. Gregorius autem ille, quem prædictus Rex in Pontificem statuerat, Civitatem ipsam obtinebat. Quid longius moror? viribus sumptis, Civitatem illam comprehenderunt, & Gregorium illum, turpissimè, ultra quàm cre-

credi poteſt, iniuriis afflictum ligaverunt. Deinde illum ſuper Camelo imponentes, Romam taliter captivum, & veſtibus propriis exutum perduxere IX. Kalend. Majas. Pontifex igitur Calliſtus Deo, & Petro Apoſtolo gratias agens, gaudio magno repletus, Urbem triumphans ingreſſus eſt: deinde conſilio invento, ad Monaſterium S. Trinitatis, quod Cavæ dicitur, illum delegavit.

His ita peractis prædictus Pontifex Calliſtus, conſilio invento, Salernum ivit, quinto die intrante menſis Septembris, ut pacis firmamentum cum Duce Guillelmo, & Rogerio Comite confirmaret.

Hoc anno IV. Kalend. Septembris Archiepiſcopus Salernitanus nomine Alfanus defunctus eſt. Quo defuncto, Calliſtus ſupramemoratus Pontifex Romualdum Diaconum Cardinalem Archiepiſcopum Salerni conſecravit menſe Septembris mediante.

Hoc anno Robertus Sclavus obiit decimo die ſtante menſis Decembris, & Rachiſius Abbas Sancti Modeſti, ad cujus obitum Joannes Venerabilis Abbas Manaſterii S. Sophiæ cum quibuſdam Fratribus properavit. Continuò cadaver ejus ex more paratum ad Monaſterium ſepeliendum perduxit: deinde peractis exequiis in tumba quadam marmorea poſitum eſt.

Aliud quoque ſi placuerit explicabo; ſeptima namque die Kalendarum Martiarum Agnes Abbatiſſa Monaſterii S. Petri Apoſtoli, quod ſitum eſt intra Civitatem Beneventanam, in ſacro Beneventano Palatio, aſcendit, & ſuper Bethleem Abbatiſſam Monaſterii Sanctæ Mariæ, quod eſt conſtructum ad Portam Summam conqueſta eſt, videlicet, quòd contra voluntatem ſuam Abbatiſſa effecta eſſet de prædicto Monaſterio Sanctæ Mariæ, affirmans quidem Monaſterium illud ſuæ ditioni poſitum, & Monaſterio Beati Petri ſubditum eſſe. Apoſtolicus autem hoc audiens, prædictam Bethleem vocari præcepit, ut juſtitiam ex hoc conſequeretur. Continuò adveniens querimonias audivit, & per Advocatos ſuos reſpondit, ſe dictis illius fidem dare non debere, niſi rationibus ſcriptis, quæ dixerat, probaret. Tunc Apoſtolicus, quia valde infirmabatur, & curiam in conſpectu ſuo ſervare non poterat, Dionyſio Tuſculano Epiſcopo, & Chryſogono Cancellario, Roberto Parienſi, & aliis Cardinalibus præcepit, ut ſuper hoc negotio Judices exiſterent, & diſcordiam utriuſque Monaſterii, rationibus cognitis, ſedarent; quod & factum eſt. His ita decurſis præfata Agnes Abbatiſſa per Advocatum ſuum oſtendit privilegium quoddam, per quod Leproand olim Dux Civitatis Beneventanæ conceſſit, & tradidit prædictam Eccleſiam Sanctæ Mariæ cum omnibus ſuis pertinentiis ſub jure, & dominio prædicti Monaſterii S. Petri Apoſtoli. Oſtendit item privilegia, quibus Pandulphus Princeps, & ejus ſucceſſores confirmaverant eandem Eccleſiam S. Mariæ ſub poteſtate jam dicti Monaſterii B. Petri. Iterum protulit alia privilegia, & munimina ipſius, Monaſterio pertinentia. Ad hæc jam dicta Bethleem Abbatiſſa Monaſterii S. Mariæ per Advocatum ſuum produxit in medium chartas, & inſtrumenta ejuſdem Monaſterio pertinentia, in quibus continebatur, à quinquaginta annis jam præteritis, & uſque ad præſens Abbatiſſam continuatim in Monaſterio S. Mariæ præfuiſſe; ex quibus prior fuerat Labinia nomine; ſecunda Sicelgarda; & aliæ, quarum nomina in earum inſtrumentis legebantur. Nos autem memoriæ ducimus ex mo-

moderno tempore Abbatissam Labiniam eidem Monasterio secundam præfuisse. Similiter in ipsis muniminibus legebatur, Præpositas ipsi Monasterio per se causas, & negotia, & præfuisse, & egisse. Ostensis itaque ab utraque parte privilegiis, & munitionibus illis, & lectis, prædicti Cardinales Judices dati in partem euntes, super auditis querimoniis sententiam protulerunt: Ventilata igitur sententia ex communi consulto Domino Papæ Callisto eam intimavere, ut ipse, quam invenerant, sententiam confirmaret. Callistus autem Pontifex absque mora, dicta eorum, & confirmavit, & fidem attribuit; & sententia talis fuit, videlicet, ut prædictum Monasterium S. Mariæ à modo, & perpetuò propriam habeat Abbatissam, à Romano quidem Pontifice consecrandam, ita ut Sororum congregatio apud idem Monasterium S. Mariæ degentium potestatem habeat eligendi Abbatissam, qualem voluerit, salvo tamen censu, quem pars ipsius Monasterii persolvat annualiter ad prædictum Monasterium S. Petri, quatuor oblatas scilicet, & duos cereos in Nativitate Domini, in Resurrectione totidem, in Assumptione B. Mariæ totidem. Super etiam sententiam ipsam Apostolicus ipse scribi præcepit, & à cunctis præfatis Cardinalibus constitutis super hoc Judicibus, testari mandavit. In quo verò libello judicii ipse Pontifex manu propria se subscripsit. Confirmata itaque, & sic roborata tali sententia, prędictæ Bethleem venerabili Abbatissæ illam delegavit talibus, & tantis ornatam Cardinalium testimoniis, quatenus amodo, & perpetuis temporibus pars Monasterii ipsius quieta permaneat, & sine aliqua, à parte B. Petri, perturbatione, molestiave consistat. Præterea privilegio signato, confirmavit idem Monasterium S. Mariæ cum omnibus possessionibus ei pertinentibus quatenus omni tempore inviolatum permaneat, & sine cujuslibet contrarietate vigorem obtineat.

Anno 1122. Dominicæ incarnationis, & quarto anno Pontificatus prędicti Domini Callisti Secundi Summi Pontificis, & universalis Papę mense Martio XV. Indictionis. Hoc anno Dux Guillelmus filius Rogerii Ducis ad Rogerium Comitem filium Rogerii Comitis Siculorum descendit, conquerens de Jordano Comite Arianensi, ut ei auxilii manum, & virtutis militum, & divitiarum ei largiretur, quatenus ejus auxilio de Jordano Comite ultionem perciperet. Cumque Dux ipse ad Comitem illum applicuisset, precibus multis, lacrymisque taliter exorsus est. Ad vestram Comes egregie descendi potentiam, tum pro consanguinitatis vigore, tum pro divitiarum tuarum magnitudine de Jordano Comite querimoniam facturus, & suppliciter postulans, ut vestro vallatus auxilio super illo ulciscar. Nam cum die quadam ego Civitatem Nuscum intrarem, en Comes ille Jordanus militum suorum caterva stipatus ante Portam ipsius Civitatis advenit, & contumelias multas, & convicia mihi inferens minatus est, quia mantellum tuum ego curtabo. Deinde Civitatem ipsam Nuscum circumquaque perlustrans omnino depredatus est. Ego verò quia prævalere in eum non poteram, invitus sustinui, & diem rogavi ultionis. Et his actis, Comes ille horis omnibus multis, variisque afflictionibus nos dehonestabat. Quid multa? Medietatem suam Palermitanæ Civitatis, & Messanæ, & totius Calabriæ Dux ille eidem Comiti concessit, ut ei super his omnibus auxilium largiretur. Continuò sexcentos milites, & quingentas uncias auri ei largitus

gitus est. Nec mora: Dux ille adveniens terram Comitis Jordani aggrediens die S. Joannis Baptistæ Castrum Rosetum, & alia multa ei abstulit. Inde procedens in festivitate Sanctorum Joannis, & Pauli Castellum Montis Jovis insiliens, igne, ferroque illud consummavit; & quinquaginta milites ibi comprehendens, arma eorum, & spolia secum gaudens deportavit. Et inde procedens Castellum Apicis, ubi Comes illi morabatur, obsedit. Ad Ducis namque auxilium Crescentius Cardinalis tunc Rector Reneventanus cum Beneventanoru cœtu festinavit. Quid multis? Comitem illum, & Castrum Apicis suæ obtinuit potestati. Comes itaque Jordanus, Ducis pedibus, sicut ipsi vidimus, qui aderamus, prostratus, misericordiam ei postulavit. Dux autem precibus multis coactus præcipuè Comitis Rainulphi, qui aderat, liberum eum, & ubi vellet abire permisit: qui verò Comes Montemfuscum properavit: & his actis Civitatem Ariani, & totius sui Comitatus confinia, ejus submisit potestati. Cumque Comes ille Jordanus Montemfuscum ascendisset, dies quindecim ibi moratus est. Continuò Landulphus de Græca ejus adversarius conspiratione firmata eum de Montefusco ejecit, qui taliter ejectus castrum Morconis adivit, ibique per annum habitavit; quibus ita patratis Dux ipse Montem Corvinum Salerni proximum obsedit. Fulco itaque Dominus Castri illius, quia resistere non poterat, Castellum illud Ducis submisit potestati. Eodem tempore Richardus filius Guarini de Formari à villanis suis est trucidatus. Audiens autem Dux prænominatus taliter Richardum illum trucidatum esse congregato exercitu Montem Vicum festinavit, & inauditam de homicidis illis accepit ultionem, & Castellum illud igne, ferroque consummavit; & duos Presbyteros, qui ad mortem illius consenserant, laqueo suspendit. His, aliisque negotiis ita decursis, Dux ille milites, quos à Comite Rogerio acceperat, ei remisit; cumque sicut prædiximus, Jordanus Comes exhæredatus fuisset, consilio Ugonis Infantis, & Raonis de Boscone, & Raonis de Fraineta invento, Castellum Paludis comprehendit. Audiens autem Dux prænominatus Castellum illud captum fuisse, exercitu aggregato Castrum illud obsedit mensibus tribus. Tandem Dux ille videns, quia sic cito capi non poterat, Principem Jordanum Capuanorum rogavit, ut ei auxilium præberet, & pro auxilio offerendo Castellum Apicis, & Acernum ei largitur. Continuò Princeps ipse congregato exercitu super Apicis Castrum advenit, & ex hac parte in planitie castrametatus est. Præterea Dux ipse Beneventanis mandavit, ut neque sibi, neque Comiti Jordano auxilium præstarent, & daret eis, & concederet totas fidantias, & pensiones, quæ à Castello Fenuculo, & usque ad Castellum Montisfusculi exibant de hæreditatibus Beneventanorum; quod Beneventanis complacuit, & sic pactis firmatis juratum est ab utraque parte. Cumque Comes ille Jordanus taliter se coactum aspiciens, in manus prædicti Principis se, & Castellum Paludis summisit: & ipse cum suis prædictis consociis inde exeuntes ad propria reversi sunt, Comes verò Jordanus Castrum Morconis ingressus est; & sic pace firmata Princeps ipse Capuam revertens, temporibus multis Castrum Apicis, & Acernum obtinuit. Deinde Dux ille super Castrum Morcone milites, & peditum catervas opposuit, cogitans & Comitem, & Castellum illud suæ obtinere ditioni, quod

fa-

facere minimè potuit. Deinde Dux præfatus Salernum adivit, & de multis, variisque sudoribus, quos perpessus fuerat, requiem adeptus est: sicque usque ad diem obitus sui Terra sui Ducatus à bellorum turbinibus siluit, & quievit. Et ipso anno, duodecimo die intrante mensis Augusti copia piscium in Caloris flumine apparuit, ita quòd mulieres, & viri manibus tantùm, sine retibus, capiebant.

Anno 1123. Dominicæ Incarnationis, & quinto anno Pontificatus Domini Calisti Secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ, mense Martio, primæ Indictionis, supradictus Calistus Pontifex consilio salutis accepto, ultramontanos omnes ferè Episcopos, & Archiepiscopos, & Abbates, & totius, ut ita dicam, Italiæ Ecclesiarum Pastores accersiri præcepit, quatenus, Sancta Synodali consabulatione firmata, pactum cum Imperatore Henrico positum perpetuò confirmaret. Ad cujus sacri Conventus præsentiam Roffridus Beneventanus Antistes honestè properavit. Ordinato itaque Concilio tali, & tanto, Apostolicus ipse Sacramenti privilegium, quod prædictus Imperator constituerat pacis, in conspectu omnium, qui convenerant adduci, & legi præcepit. Continuò ab omnibus confirmatum est, & commendatum. Inter cætera verò, quæ ibi statuta sunt, treugam Dei tenendam posuerunt. Item vinculis anathematis alligavit Apostolicus ipse, si quis Beneventanam Civitatem ex B. Petri potestate auferre tentaret; & multa alia, quæ huic opusculo affigere longum visum nobis est: excogitans quidem me fastidia addere, si libello tali universa componerem. Aliàs verò scripta omnia, & notata invenietis. Audivimus autem, & quod revera est comperimus, tale, tantumque pacis firmamentum infra Romanam Urbem temporibus prædicti Apostolici advenisse, quod nemo Civium, vel alienigena arma, sicut consueverat, ferre ausus est: & Concilio celebrato, Beneventum venit prædictus Apostolicus Calistus, & quædam negotia Beneventanorum tractavit.

Eodem anno Landulphus de Græca supranominatus, XII. Kalendas Decembris obiit, & ad Ecclesiam suam S. Maximi sepultus est. Cumque prædictus Pontifex Callistus Beneventum venisset, vocari fecit præfatum Roffridum Archiepiscopum, ut audiret quorumdam Civium accusationes, quæ ei inferebantur. Accusatus enim fuerat, quòd simoniacè Archiepiscopatus honorem accepisset. Tunc Præsul ipse, vocatis quibusdam suffraganeis suis, & Presbyteris Civitatis sacrum ascendit Palatium, & accusatoribus auditis, inducias postulavit, & acceptis induciis respondit: Paratus sum Pater Sanctissime, juxta canonica instituta ab his purgari accusationibus, & vestram sequi jussionem. Tandem juravit ipse primùm, cum duobus Episcopis, & tribus Presbyteris, simoniacè non fuisse ingressum.

Anno 1124. Dominicæ Incarnationis, & VI. anno Pontificatus Domini Calisti Papæ. Hoc anno præfatus Roffridus Beneventanus Antistes, consilio accepto, corpus Sanctissimi Patris nostri Barbati Beneventani Præsulis ex Altaris tumba, qua per multa annorum curricula quieverat, abstraxit: Altare verò illud non honestè, prout decebat, habebatur; præcipuè quia structura novi Episcopii ad locum ipsius Altaris producebatur: idcirco inde amoveri juxta fabricæ sententiam oportebat. Archiepiscopus itaque prænominatus Episcopos duos suos suffraganeos vocari præcepit, quatenus eorum consilio,

 & au-

& auxilio talis, tantusque copiosus thesaurus inveniretur. Continuò quibusdam Civibus advocatis, & Clero, medio noctis silentio, Archipræsul Roffridus Ecclesiam ingrediens ad Altare superius nominatim adivit, & coram omnibus, Episcoporum solatio, illud confregit; & Altare fracto Sanctorum reliquiæ, quorum nomina nesciuntur, inventæ sunt; quibus eductis in altum fodi præcipitur, ut diu desideratum pignus præfati corporis videretur. Nec mora, lapis quidam pretiosus invenitur, ex omni parte acriter, miroque laboris opere conclusus, quem vectes ferrei sustentabant: & eo invento, lætitia eos invasit immensa, qui ad tellendum lapidem viribus omnibus conabantur: sed quia fortiter ob duritiem operis tenebatur lapis ille, assensu omnium frustatim confringitur. Quo sublevato, divina gratia favente, Beatissimi Barbati corpus inventum est. Præfatus itaque Archiepiscopus, primus omnium locum ingreditur, & ossa, cineremque advolvens, gaudio magno, laudibusque sonantibus, ad medium propalavit. O quale gaudium, Lector, aspiceres, alacritatem, cum longè margaritas optatas temporibus nostris invenimus. Ossa autem collecta ad Altare S. Sebastiani Clericis cantantibus Hymnos, producuntur. Mane autem facto, tota Civitas catervatim prorupit, & Deum omnium conditorem laudabant, qui eis tale, tantumque B. corpus Barbati, largiri dignatus est. De ossibus namque ipsius vidimus quædam, & osculati sumus. Quibus ita peractis, præcepit Archiepiscopus, ut primùm Presbyteri Portæ Summæ, & clerici simul cum laicis ad Episcopium descenderent, & coram sacratissimo Barbati corpore vigilias celebrarent. Confestim ex jussu Archipræsulis Sacerdotes conveniunt, & cereis, lampadibusque accensis,simulque magno laicorum comitatu utriusque sexus, & ætatis, jubilando descendimus; sicque unaquæque Civitatis Porta diebus singulis usque ad octavum diem peregit. Die itaque octavo adveniente pridie Kalend. Junii sub Altari lapideo corpus B. Barbati præfatus Archiepiscopus duobus secum Episcopis adhibitis, locavit; eo taliter locato, Altare in honore B. Barbati dedicavit; ad cujus dedicationis solemnitatem turba multa Civitatis convenit, quatenus delictis eorum Deus Omnipotens indulgeret. Archieiscopus itaque jam fatus loco eminentiori ascendens, ut videri, & audiri ab omnibus posset, peccatorum partem, divina favente clementia, condonavit. Donavit item aliis omnibis, qui usque ad octavum diem festivitatis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli ad dedicationem illam devotè concurrunt. De miraculis autem, quæ ob prædicti Patris nostri Barbati merita honoremque Jesus Christus humani generis amator, nobis omnibus aspicientibus ostendere dignatus est, licet sermone inculto, Paternitati vestræ explicabo. Cum enim sicut supra scriptum est, B. corpus venerabile in conspectu omnium ad Altare S. Sebastiani per dies octo teneretur, vir quidam, Joannes Sutor vocabulo, Episcopium ingreditur, & ante Sanctissimi Barbati corpus terratenus lacrymis rigantibus prosternitur, qui continuò à Clero, populoque astante, qua de causa defleret, interrogatur, & ille cuncta, quæ reciderant, à vestigio patefecit. Dum ego noctis silentio in statu quiescerem, meo corpori somno debito soporatus, en adest ante oculos vir quidam canitie venerandus, vestimentis indutus dealbatis, qui verò paulatim accedens stratui meo appropinquavit:

vit: Et quare, inquit, cum cæteris ad vigilias canendas coram officiis præterito die non advenisti meis? Et ego, Pater, quoniam dolore gravi, uti constat, brachium meum cum dextera tenebatur; sex etenim mensium spatio miser ego tali languore perturbor, addidique: Dicito mihi, quo nomine Pater vocaris? & ille, Barbatus, ait, Beneventanæ quondam Civitatis Episcopus. Subjunxit item: Brachium, & manum ipsam cito mihi ostendas. Tandem ego, quia dolore torquebar, non citissimè manum extendi; extensam tamen tetigit eam, & ita cursu rapido dolor ille dilabitur, ac si nunquam manum cum brachio dolor ipse tenuisset. Protinus mane facto surrexi, & sanitatem citò exortam mirabar. Adveni itaque gratias, & laudes Creatori omnium Deo, & Barbato Sanctissimo Præsuli, cujus meritis evasi, redditurus. His ita actis, atque narratis, tintinnabula omnia Episcopii pulsari jubentur, ut Civitatis populus ad audiendum, videndumque tale, tantumque miraculum convenirent. Prorupit continuò tota fere Civitas, & Medicorum omnium Medicum gloriosiorem benedicendo laudavimus: manum illius cum brachio curatam scriptor ego palpavi: vicini namque illius testabantur, quod tempore longo eum infirmari cognovissent. Quo viso ad propria, lætitia referti, reversi sumus. Aliud quoque miraculum, quod Redemptor generis humani Christus Jesus diebus ipsis operatus est, ad præfati Patris nostri Barbati gloriam enarrabo. Rusticus quidam de Castello Montisfusci habitator, tantique Viri famam Sanctitatis audiens, Beneventum venit, qui per longa annorum curricula nervis cruris, pedisque arefactis claudicaverat; tenebatur quidem jugiter dolore terribili, & quasi pede ad clunes ligato miser ille omnibus horis cruciabatur. Continuò ante Basilicam Sancti Barbati prosternitur, Redemptorem omnium Deum efflagitans, quatenus ei pristinam restitueret sanitatem: & eo taliter orante, soporis gravitate arripitur, & ceu semivivus noctis unius spatio ibi moratus est. Noctis igitur ipsius silentio, en adest vir quidam ætate senili productus, canitie veneranda locupletatus, qui sicut ex ejus lingua audivimus, eum taliter expergefactus est: Surge, ait, festinus, & propera Altare nomini meo consecratum exquirens, ibique favente Salvatoris clementia, sanitatis gaudia longè, lateque optatæ consequeris. Et ille: Quis est, inquit, qui mihi tanti thesauri pondus promittis? Barbatus, ait, Beneventanæ Civitatis Episcopus. Confestim claudus ille audaciam sumens loquendi, Non possum, ait, infelix ego sic pergere; videsne qualiter pede siccato cruciatus hic ego permaneo? tuæ tamque sanctitatis famam persentiens cursu rapido asello supersedens adveni, ut tuis intercessionibus salutis optatæ lætitiam adipiscar. Nec mora; Pater ille Barbatus manum extendens, pedem aridum, & tibiam tangit, inquiens; Festina celeriter, & sanitate accepta ante Altare te prosternito. His auditis surrexit sanus qui fuerat claudus, & alta voce Deum laudat, per quem sibi dona salutis talia donantur, per quem sibi gaudia dantur. Et mane facto Ecclesiam ingreditur Deo, & Patri Barbato gratiarum actiones redditurus. Narrat itaque, qui claudus fuerat, è vestigio cuncta, quæ sibi acciderant, populo advenienti, & qualiter longo ex tempore claudicaverat nervis contractis. Fatebatur etiam præfatum Episcopum Barbatum sibi apparuisse, & ejus interventu sanitatem accepisse deside-

ratam. Fragor interea tanti miraculi Civitatis partes, partiumque angulos invadit, & catervatim ad videndum hominem Cives properaverunt. Quo viso factorem omnium laudantes ad propria remeavimus. Diebus autem non multis elapsis, mulier quædam manus aridas, nervosque obductos ferens ad beneficia Præsulis Barbati accucurrit, quæ coram Altaris præsentia accubuit, & lacrymis manantibus Salvatoris misericordiam invocabat. Lacrymas autem ejus Omnipotens Dominus ex alto aspiciens, & confessoris sui Barbati gloriam ostendere volens, qualis, quantique apud eum triumphi consistit, coram omnibus, qui convenerant, manus sic arefactas cœpit mulier illa ad cælum erigere; deinde voce clara prorupit sanitatis auxilium in manibus, & nervis circumflexis sensisse, digitos revera curvatos aperuit, & compages digitorum omnium gratia divina favente solutæ sunt. Ad hæc populus ferè totus festinat, & cęlorum Regem, Patremque nostrum Barbatum benedicendo magnificavimus.

Hoc anno tanta fuit fertilitas vini, quod nobis, & multis aliis videntibus, centum saumæ pro triginta denariis vendebantur. Eodem anno supramemoratus Papa Callistus, duodecimo die stante mensis Decembris, migravit ad Dominum, post cujus obitum Cardinales omnes Ostiensem Episcopum nomine Lambertum in Pontificem Honorium elegerunt; qui verò Callistus annis quinque, & mensibus novem Pontificatus Cathedram gubernavit. Continuò Honorius ipse Pontifex ordinatus, Petrum Presbyterum Cardinalem Rectorem apud Beneventum delegavit.

Anno 1125. Dominicæ Incarnationis, & primo anno Domini Honorii mense Martio tertiæ Indictionis: hoc anno undecima nocte mensis Octobris adveniente, novum, terribileque Beneventi advenit prodigium: & ut audivimus etiam per Civitates alias, & Oppida Civitati Beneventanæ contigua. Nocte siquidem illa, nobis omnibus sopori debito incumbentibus, terremotus subitò factus est inauditus, ita quòd universi nos exterriti mortem expectabamus. Continuò Civitatis populus expergefactus lacrymis, singultibusque exæstuans, ad Episcopium festinavit, alii quidem Civium ad Monasterium Sanctæ Sophiæ, Deum precaturi Salvatorem omnium, festinavimus. Terremotus verò sic terribiliter accidit, quòd Turres, Palatia, & universa Civitatis ædificia concussa tremebant; terra quoque, & saxa à tanti tremoris formidine in duas partes scissa sunt: muri quoque Civitatis ruentes domos quorumdam terratenus prostraverunt. Regem verò testamur æternum, terram sub pedibus cerneres labefactari. Quid dicam? terremotu tanto stupefacti, & præ timore insolito arescentes ad ima descendere cogitabamus: sicque usque ad Solis ortum, locis Sanctorum gemitibus, lacrymisque adhærentes, fletibus multis precabamur Dominum corporum, & animarum salubrem medicum, ut pietatis viscera nobis indignis largiretur. Tertiò, ut ferebant, & quartò terremotum illum accidisse nocte illa affirmabant. Die verò insecuta circa meridiem, en adest iterato terremotus concutiens, quod, si Lector adesses, oculata fide universa Civitatis ædificia tremere, & palpitare videres. Præfatus igitur Pontifex Honorius, qui tunc apud Sacrum Palatium Beneventanum morabatur, tanti terremotus concussionem nocte illa persentiens, Cameram egreditur, & S. Joannis Basilicam properavit. Continuò terratenus prosternitur, & co-

& coram Altari Salvatoris Dei misericordiam lacrymis irrigantibus invocavit. Mira res, & omnibus inaudita viventibus, quæ nusquam temporibus istis, & à quibus recordari potuerit, sic evidenter accidisset. Nocte siquidem semel terremotus concussionem advenisse complures memoriæ ducimus, & firmamus. Nunc verò die, noctuque sæpissimè ad quindecim usque dies terremotus tempestas perduravit: ex cujus terremotus formidine Cives stupefacti ad Episcopium, & ad Ecclesiam S. Leonis Papæ cum Litaniis, & magno lacrymarum singultu viri, & mulieres, parvuli quoque clamantes ad Dominum festinarunt. Quin etiam præfatus Pontifex Honorius Cardinalibus vocatis nudis pedibus magnas super hoc ad Deum lacrymas preces effudit.

Anno 1126. Dominicæ Incarnationis mense Martio IV. Indictionis, hoc anno Imperator Henricus obiit.

Anno 1127. Dominicæ Incarnationis, Hoc anno Dux prænominatus Guillelmus, septimo Kalendas Augusti mortuus est. Continuò uxor ejus crines suos, quos pulchros, & suaves nutrierat, coram omnibus, qui aderant totondit, & lacrymis manantibus, vocibusque ad astra levatis super Ducis defuncti pectus projecit. Nec mora, totius Civitatis Salernitanæ partes obitus Ducis fama perculsit; & si catervatim cursu præcipiti populus omnis ad Palatium properavit, cupiens Ducis illius defuncti cadaver aspicere, & eo viso humilitatis ejus, & pietatis reminiscentes, crinibus, genisque evulsis, Patrem eorum, & Dominum mirabiliter invocabant. Confestim Archiepiscopus Civitatis, Clero accito ad deferendum corpus adivit, & eo in feretro gloriosè imposito, quatuor ejus, quos dilexerat, equos, ante feretrum usque ad Episcopium Sancti Matthæi duxerunt, similiter quatuor aurea vexilla coram eo imposuerunt. Lector itaque si adesses, utriusque sexus populum deflentem espiceres, & miratus affirmares Ducem aliquem, vel Imperatorem tali sub mœstitia nunquam sepultum fuisse. Exequiis igitur ex more celebratis, in tumba pretiosè parata Ducem illum sepelierunt. Cumque Ducis illius mortem fama per totius Apuliæ partes ventilaret, Comes prænominatus Jordanus, quia à Duce illo exhæredatus fuerat, auxilio militum arrepto, Montemfuscum ascendit, die videlicet sepulturæ præfati Ducis, & quia ibi complures amicos habuerat, Comes ille Montemfuscum obtinuit. Deinde totus sui Comitatus comprehendit Civitates, & Oppida, & sic in integrum lucratur, quod perdiderat. Diebus præterea quindecim evolutis Robertus filius Richardi Comitem præfatum precatur, ut in ejus subveniret auxilio, quatenus Civitatem Florentinum capere potuisset. Comes itaque Jordanus, ut erat ardentis animi, absque mora militibus sumptis, festinavit. Continuò tubis sonantibus, Civitas illa ex omni parte aggreditur, & Comes ille ad portam quandam insiliens ingredi satagebat; Custodes autem turris tantam aspicientes audaciam cœperunt lapidibus, gladiisque obsistere. Tandem divino judicio superveniente, Comes ille sub lapidum densitate oppressus vitam, & totius sui Comitatus amplitudinem, quam acquisierat morte infelici amisit. Cumque Rogerius Comes Siculorum, mortem Ducis Guillelmi agnovit, navigiis septem paratis (in armis siquidem, & omnibus necessariis, Salernum advenit) & diebus ibi decem commoratus est, nolens revera de na-

vi

vi descendere, sed nocte, dieque in navigio persistens, cives vocari fecit Salernitanos, & Archiepiscopum eorum Romualdum, & eis juxta littus omnibus convenientibus taliter Comes ille Rogerius exorsus est. Domini, & fratres, sicut vestra novit sagacitas, Robertus Guiscardus Dux olim bonæ memoriæ Patruus meus, Civitatem hanc, quam modò vestra tenet prudentia, in vigore animi, & prudentia multa expugnans acquisivit; deinde post ejus discessum Rogerius Dux ejus filius, consobrinus noster, pacificè tenuit cum vestra prosperitate, inde Dux Guillelmus hæres ejus, & filus usque in præsentiarum viriliter dominatus est. Nunc verò judicio Dei advenlente Dux ipse Guillelmus sine filio mortuus est. Ego itaque, qui ex ejus progenie productus sum, si vestræ placuerit Nobilitati, vestram imploro Civilitatem, quatenus consilium habeatis, & me præter quemlibet alium diligentes, Dominium nostrum, & amoris vinculum consequamini. Nam, Domino auxiliante, & vita Comite, ad melioris status vigorem pervenietis, & divitias, quas sub tempore pristino habuistis. Quid multa? Cives illi, consilio communicato, Civitatem Salerni ejus sub fidelitate commiserunt. Sacramentis civium omnium diligenter firmatis pollicentes suam nusquam deserere dilectionem. Juravit statim Comes ille Rogerius, quòd sine judicio, & sine culpa eos non capiat, neque capi permittat, neque extra dies duos in expeditione illos perducat, & Castellum Turris majoris de illorum potestate non auferat, & si quis abstulerit ejus auxilio sub eorum potestate restituat. Et his actis Civitatem ingreditur, & ibi honestè commoratur. Audiens autem Beneventanus populus Comitem illum Salernitanam habuisse Civitatem, quosdam Civitatis sapientes ei miserunt, dilectionis vinculum, & obsequia pollicendo. At Comes ille gratis, & retributionis manera remisit Beneventanis, vita Comite, redditurum. His, & aliis ita decursis, universum Ducatum Amalphitanorum circumquaque Comes ille suæ subjugavit potestati; & inde procedens Trojanam Civitatem, & Melphitanam, & totius ferè Apuliæ partes obtinuit. Landulphum quoque de Montemarano, & Landulphum de Sancto Barbato, & Raonem de Fraineta, & Ugonem Infantem, cum omnibus eorum pertinentiis ad suam redegit ditionem. Quibus peractis victor, & exultans Siciliam repedavit. Continuò consilio habito, ad Ducatus arripiendum honorem animum impulit elatum, & præcepit omnibus in terra sua manentibus, ut Ducem Rogerium eum vocitarent, quod & factum est. Misit præterea Domino Papæ Honorio munera multa auri, & argenti, pollicitando insuper etiam Civitatem Trojanam, & Montemfuscum, ut Ducatus ei vexillum, & nomen largiretur; quod nunquam tempore illo prædictus Papa Honorius ei concedere dignatus est. Unde discordia multa, & sanguinis effusio orta est. Qualiter autem sibi prædictus Pontifex Honorius, & quando Ducatum concessit, in subsequentibus, vita comite, describam. Audiens autem prædictus Rogerius Siculorum Comes, præfatum Pontificem Honorium petitionibus suis circumflecti non posse, præfato Raoni de Fraineta, & Ugoni Infanti, omnibusque circa Beneventanam Civitatem fautoribus suis præcepit, quatenus quot possent captivos, perducerent Beneventanorum, & afflictionibus multis Civitatem infestarent. Qui verè magis

gis quàm fuerat eis injunctum, executi sunt; præcipuè Rao de Fraineta, qui valdè Civitatem ex antiquo oderat. Guillelmus igitur, qui tunc Beneventanorum præerat Rector, ferociam, & infestationem præfati persentiens Raonis de Fraineta, consilio habito, die quidem festivitatis S. Martini totius Civitatis partes submovit, ut armis acceptis super Raonem illum festinaret, qui libentissimè perrexerunt, ut ultionem acciperent de acceptis. At prædictus Rao quinquaginta fere milites, & pedites multos secum occultaverat. Unde ex improviso insiliens multos Beneventanorum in fugam conversos comprehendit, & eos turpiter in flumine Sabbati, & extra invenit. Sicque ad castrum Ceppaluni secum perduxit captivos; & eis taliter alligatis bona illorum argenti, & auri pro redemptione accepit. His taliter omnibus superius narratis evolutis, prædictus Pontifex Honorius nihil utilitatis, & virtutis erga Civitatem Beneventanam agere deprehendens, consilio salutis accepto III. Kalend. Januarias Capuanam Civitatem adivit. Continuò prædictus Robertus Princeps officiosissimè illum excipiens ad Palatium Episcopii Capuani gaudio magno eum castrametari præcepit. Nec mora: Præfatus Pontifex Honorius Archiepiscopos, & Abbates accersiri præcepit, quatenus ad Principis unctionem convenirent, qui euntes die statuto exultatione ingenti ad Capuanam Ecclesiam convenere. Archiepiscopus itaque Capuanus juxta Prædecessorum suorum privilegium, præsente tanto, ac tali Pontifice Honorio cum turba virorum Religiosorum, quæ convenerat, & Episcoporum conventu, prædictum Robertum in principatus honorem inunxit, & confirmavit. O quantus exultationis, & gaudii affuit affectus, cœlorum Regem testamur viventem, neminem Principum vetustorum tali jubilatione, & jucunditate nobilitatum fuisse. Audivimus profectò sicut ex eorum, qui interfuere, comperimus testimonio, quinque millia virorum ad tanti Principis unctionem convenisse. Pontifex autem Honorius tantam Episcoporum, & proborum virorum multitudinem aspiciens, Principe illo sacrato, eminentiori ascendens loco, taliter exorsus est: Domini, & charissimi fratres, sicut vestra cognovit charitas, diu est, quo Romanam Sedem relinquens, apud Civitatem Beneventanam, quæ specialis Romanæ attinet Sedi, pacificus venerim, & omnibus abjectis tempestatibus, circa convicaneos nostros hospitatus sum. Biduo autem post nostri adventus præsentiam Rogerius Comes B. Petri adversarius, circa Civitatem Beneventanam milites fere quadringentos ob Civitatis ruinam, & nostri dedecus inauditum induxit, qui verè horis omnibus Civium bona deprædati sunt, & eorum possessiones assiduè incisioni posuerunt. Nos autem universas illorum sustinentes afflictiones, ut ab illorum desisterent pertinacia, excogitavimus: insuper etiam prædictus Comes Rogerius cum Ugone Infante, & Raone de Ceppaluni pro Civitatis detrimento gravissimè confœderatus est, existimans nos timori ejus succumbere, & nefandis ejus petitionibus operam dare. Ugo itaque & Rao conjuratione tali alligata, quotidie confinia Civitatis igne, ferroque consumere cœperunt. Nos autem omnia, quæ ingerebantur, aspicientes, solam Dei Omnipotentis misericordiam præstolantes, cœlestis Regis auxilium, & Beati Petri invocabamus. Deinde ne Civitas prorsus turbaretur Beneventana, talibus commota afflictionibus, militum amicorum

de-

depopoſci juvamen; ſicque prout potuimus, obſiſtere cœpimus eorum pertinaciæ. Cumque pro quibuſdam imminentibus negotiis Civitatem Trojanam adiſſemus, præfatus Rao de Ceppaluni Beneventanos Cives, qui ob vindicandas, quas paſſi fuerant, contumelias, die feſtivitatis B.Martini circa ejuſdem Raonis confinia exierant; ira divina, & furore cælitus adveniente, ducentos fere captivos tenuit, & in ima carceris, denudatis corporibus, alligavit. Deinde quoſdam captivorum Civium Ugoni Infanti viro nefandæ memoriæ, & tyranno horribili, ut cruciatibus, & ſuppliciis afficerentur donavit. Qui Ugo dentibus eorum radicitus evulſis, & membratim dilaceratis, pretio eorum accepto, diſtraxit. Eos verò, quos Rao ipſe detinuit, periculo famis, & frigori jugiter affligere non deſiſtit. Quid multà, univerſa, quæ excogitari poſſunt, convicia Beneventanis captioni poſitis inferuntur. Præterea die, noctuque minantur, ut Comitem illum Rogerium anathemati deditum ſuper Civitatem inducant Beneventanam, & de B. Petri virtute eductam, ſuæ obtineant ditioni, & poteſtati. Inſuper vobis omnibus, qui Civitatum dominia, & Caſtrorum vigores tenetis, terroribus multis, variiſque tempeſtatibus minitatur, quatenus unicuique veſtrum munitiones, & in quibus confiditis arces auferat, & ſecundùm ejus velle vitam veſtram diſponat, & prout vult, & quomodo vult, de Civibus peregrinos faciat, & de viris locupletatis pauperes ſtatuat, & egenos. Nos itaque mentis ſuæ iniquitatem & excogitationes quibuſdam ſignorum conjecturis, per eos, qui hactenus perpeſſi ſunt, cognoſcentes, longè, latæque vitavimus, & pollicitationes ſuas tanquàm virus mortiferum fugientes, nullo modo parvimus, neque, ut ita dicam, auribus percipere dignati ſumus. Auri quippe & divitiarum ò quantas pollicitus eſt cumulationes, dumtaxat, ſi ei Ducatus honorem largiri vellemus, divitiarum ſanè illarum multimodas evitans promiſſiones, tum pro Romanæ Sedis honeſtate, quam conſervare certavi, tum pro veſtri exilii, quod horis omnibus terrore expavi, Deum omnium factorem ſæculorum, qui renes ſcrutatur, & corda, dejeci, & dedignatus ſum. Pro veſtra credatis confuſione, & expulſione divitias tantas promiſerat; excogitans ad ejus libitum me uſquequaque devoluere, & conſenſum veſtræ largiri exuiationi. Ego verò dilectionis veſtræ vinculum amplexatus, mori prius vobiſcum elegerim, quam ejus pollicitationibus nefandis adhærere. Vitam igitur, mortiſque aſperitatem Kariſſimi Confratres, & filii in veſtra tenetis electione, & voluntate, dummodò pugnare velitis, & vigorem honeſtatis tueri adinvicem exæſtuatis: prudentiam veſtram certiſſimam expertus ſum, nihilque reſtat, niſi ut omni deſidia abjecta, & cordis torpore depoſito, Romanæ Sedis dignitatem, quæ pro vobis omnibus aſſiduè intervenit, defendatis, & vobis ipſis, quem tenetis vigorem, & filiis veſtris conſervare conemini. Subvenite itaque Viri fortiſſimi, & bellatores perſpicui, & dum tempus proſperitatis ſuccedit, viribus cunctis juſtitiæ, quam amplectimur, ſeveritatem ad arduam ſublevemus. Deus enim, qui juſtitiæ via eſt, & lux veritatis, & B. Petri Apoſtoli interventio nos quotidie liberabit, & auxilium à ſancto ejus ſolio pietate aſſueta largietur. Hæc, & multa his ſimilia Pontifice Honorio lacrymis irrigantibus prædicante, vox militum, populique omnis, qui convenerat, efficitur, & una con-

cor-

cordia clamavere se, suaque omnia pro B. Petri fidelitate, & sua traditurus. Novissimè Robertus noviter Princeps statutus coram omnibus taliter pollicetur. En Pater venerabilis, & personam, quam aspicis, & totius Principatus mei, quem tradidisti, virtutem tuæ committo ditioni, & ad tuum imperium omnia subjacebunt. Idipsum Rainulphus Comes, & multi alii Proceres, & Episcopi, qui convenerant, pollicentur. O quales, Lector, promissiones, si adesses, aspiceres, & quæ ex eorum promissis oriebantur lacrymationes, quas si universas enarrare voluissem, fastidium auditoribus oriretur. Audiens autem Apostolicus Honorius multitudinem illam ad ejus exorationes consentaneam dedisse concordiam, Salvatori omnium Deo, & Beatis Apostolis Petro, & Paulo gratias egit, qui in se sperantibus subvenit, & quotidianum præbet auxilium. Continuo ex auctoritate Divina, & Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Apostolorum meritis talem eis impendit retributionem; eorum videlicet, qui delictorum suorum pœnitentiam sumpserint, si in expeditione illa morientur, peccata universa remisit; illorum autem, qui ibi mortui non fuerint, & confessi sunt, medietatem donavit. Audiens itaque præfatus Princeps, & Comes Rainulphus tanti beneficii gratiam ab Honorio Pontifice prolatam, alacritate ingenti locupletati, cum universis, qui convenerant ad eorum propria secesserunt. Nec mora: totius sui Principatus orbem, & Comitatus præconibus tonantibus feriunt, ut unusquisque ad Pontificis paretus solatium. Populus autem universus eorum imperio consensit. Accesserunt interea prædictus Princeps, & Comes Rainulphus ad Pontificis præsentiam, & ei salutis consilium inventum intimavere, prius videlicet Ugonem Infantem à Comite illo conveniri oporteret, quoniam quidem datis inter se, & acceptis securitatibus alligati videbantur Apostolicus autem dictis illorum & assensum præbuit, & eorum fidem commendavit. Confestim quosdam suorum Procerum Comes ille accipiens ad Ugonem conveniendum, ut justitiam ei sequatur, delegavit, addens in mandatis, ut obsides, & fidejussores acciperet; quatenus securitate omni adhibita, Curiam Comitis ad justitiam faciendam veniret. Quid multa? neque obsides voluit, nec Curiam Comitis adivit. Comes igitur protinus omnia Pontifici Honorio patefecit, deinde præfatus Princeps, & Comes, sicut polliciti sunt, militum copiosam manum, & peditum innumeram multitudinem arripiens super Castellum ipsius Ugonis Infantis, nomine Lapillosa commeavit. Audiens Guillelmus tunc Rector Beneventanus castellum illud sic obsessum fuisse, Civitatis totius partes voce præconis intonuit, quatenus armis eductis ad expeditionem illam properarent. Populus itaque paratus ad necessaria expeditionis citissimè festinavit. Triduo autem post præfatus Rector sumptis secum fere duobus millibus hominum super castellum illud tetendit. Cumque sic acriter castrum illud obsessum fuisset, sylva, quæ ob ipsius Castri tuitionem longo ex tempore surrexerat, celeriter incisa, & in ignem est conversa. Deinde Beneventanus populus unanimiter aggregatus castri illius aggreditur munitionem, & eo aggresso, viriliter expugnatum est, capi quidem, & comburi potuisset, dummodo Comitis Rainulphi auxilium subveniret; sed quia Comes ille, prout poterat, auxiliari noluit, Beneventanus populus ad sua castra fatigatus revertitur,

Altera autem die adveniente Beneventanus aspiciens populus Comitis auxilium, & Principis non ita viriliter adesse, prout polliciti sunt Apostolico, pavore, tædioque correpti super talibus dilationibus mirabantur. Mane autem facto prædictus Princeps tentorium suum, & apparatum ejus amoveri præcepit. Deinde Comes Rainulphus pro tempore nivali, & periculoso instanti, manere excusabat in tanta expeditione, sicque unà cum Principe discessit. Rector igitur illorum deprehendens excusationes, ut populus omnis ad Civitatem reverteretur, præcepit. Nec mora, jussa sumentes, cursu rapido repedaverunt; obsidio autem illa IV. Kalend. Februarii facta est. Præfatus itaque Pontifex, qui apud Montemsarculum morabatur, castrum illud sic dimissum fuisse deprehendens, & pollicitationes Principis, & Comitis non circa eum prospere commorari, dolore inaudito turbatus ultra quàm credi potest condoluit infremendo. Continuò iter arripiens Romanos fines adivit. Princeps itaque, & Comes dolosas suas machinationes circa Pontificem excusabant Honorium. Apostolicus autem universa, quæ facta fuerant, & audita, cordis secreto conservans, torvo, ut ita dicam lumine eos aspectans, sicut mente conceperat, festinavit. Quibus ita peractis Gualterio Tarentino præcepit Archiepiscopo, ut Beneventum veniens Civitatis negotia studiosè curaret, & ejus consilio Civitatem tueretur. Insuper etiam Rectori præfato mandavit, ut solidos de regalibus acceptos Archiepiscopo illi committeret, de quibus milites Civitatis armarentur, & auxilium secundùm vires præberetur. Rector itaque solidos illos militibus largiri distulit, dum usque literis propriis mandatum accepisset, & imperio accepto equitibus solidos illos largitus est.

Anno 1128. Dominicæ Incarnationis, & IV. anno Pontificatus Domini Honorii Papæ mense Martio VI. Indictionis. Hoc anno Papa Honorius venit Beneventum cum ducentis militibus Romanorum, & invenit Robertum Principem Capuanum, & Comitem Rainulphum cum exercitu magno, & Civium Beneventanorum multitudine super Castellum turris Palatii, & illud valde expugnantes, & obsidentes, quod Castellum erat Ugonis Infantis. Ugo enim ipse contra prædictum Principem, & Comitem Rainulphum instabat, & castro illo sic obsesso, & mirabiliter expugnato, Dominus, qui illud observabat, quia illud defendere non valebat, in potestate Principis, & Comitis tradidit. Quibus ita peractis, prædictus Apostolicus Honorius audiens Comitem Rogerium Siculorum contra ejus voluntatem quotidie insistere, & Apuliæ partes detinere, Robertum Principem nomine, & Comitem submovit, ut exercitu congregato super Comitem illum Rogerium festinent: Quid multa? simul cum Principe, & Comite illo Apuliam descendit prædictus Apostolicus, & Grimoaldum Barensem, & Tancredum vocari præcepit, ut omnes unanimiter adversus Comitem Siculorum insistant, quod & factum est. Comes itaque Rogerius sentiens Apostolicum cum exercitu valido militum, & peditum, & Baronibus illis adversus se venientem in montana secessit, devitans Apostolici virtutem, ne aliquo modo aliquid ei sinistrum contingeret, & sic per quadraginta dies Apostolicus ille ardenti Sole mensis Julii fatigatus Comitem illum obsedit. Interea prædictus Princeps, quia delicati corporis erat, & laborem sustinere non poterat, cœpit à fidelitate Apostolici declinare, exco-

gi-

gitans qualiter castra ejus dimitteret, & ad propria repedaret, & tentatoria sua amoveri fecit, & iter arripere conabatur. Apostolicus itaque Principis fraudem, & aliorum Baronum deprehendens, pactis intervenientibus, Ducatum prædicto Comiti Rogerio per Cancellarium Americum, & Cencium Frajapanem sedaturum promisit, & ut Comes ille circa Beneventum veniret, ibique Ducatus honorem ei firmaret. Et his actis, Beneventum Apostolicus ille revertitur, & Come ille exercitu suo aggregato Beneventum venit, & in Monte Sancti Felicis castrametatus est. Inde pactis inter se compositis, & promissionibus adimplendis, prædictus Apostolicus in octavo die Assumptionis Sanctæ Mariæ Ducatus honorem Comiti illi in conspectu fere viginti millium hominum largitus est, ad Pontem scilicet Majorem juxta fluminis ripam post Solis occasum; multis enim negotiis intervenientibus dies ille totus disputando inter se consumptus est. Et quia Comes ille Civitatem Beneventi introire dubitabat, ideò prædictus Apostolicus foris, ut dictum est, ad prædictum Pontem exivit, & Ducatus ei tribuit honorem, & Ducatu accepto Dux ille Sacramento juravit non esse in facto, vel consensu, ut B. Petrus, & Dominus Papa Honorius, ejusque successores Catholici Civitatem Beneventanam perdant, & Principatum Capuanum non capiat, vel permitat ad capiendum. Et his omnibus actis Salernum revertitur, & Siciliam repedavit. Diebus autem non multis elapsis prædictus Pontifex Honorius consilio accepto Romam reversus est. Sed priusquam Urbem Romam ingrederetur, pars quædam Beneventanorum secundo die stante mensis Septembris, Guillelmum tunc Beneventanum Rectorem in sacro Palatio Beneventano gladiis eductis occidit. Videlicet miser ille Rector furorem partis illius fugere tentans post Altare S. Joannis de Capella Palatii fugit, & ibi se occultans infra pedes Joannis Presbyteri, qui Missam tunc celebrabat, se abscondit, sed evadere non potuit. Ibi verò cultris percussus est, & foris eductus de Palatio illo projicitur, & pedibus ejus funem ligaverunt, sicque per Civitatis plateam usque ad Carnariam Sancti Laurentii, heu miser, lapidibus obrutus productus est. Et eo defuncto, populus Civitatis furore arreptus, domum Potonis Spitametæ, & Joannis, & Guislitii Judicum, & Transonis, & Laurentii, & Lodoici Medici destruxerunt. Ipsi verò, & Dauferius Judex, populi caventes superbiam ad Montemfuscum fugiunt. Continuò Communitate intra se ordinata, populus fere totus juravit, ut ex tunc, & septem annis completis, & quadraginta diebus non esset habitator Civitatis prædictus Poto Spitameta cum aliis supradictis, qui Civitatem exierunt.

Eodem anno Joannes Abbas S. Sophiæ octavo die stante mensis Novembris mortuus est, & Franco, qui tunc erat Mansionarius electus est. Audiens autem prædictus Pontifex mortem Rectoris illius sic contigisse, dolore turbatus valde Civitati Beneventanæ minatur ultionem pro tali facinore infectari. Continuò consilio accepto miserunt ad prædictum Pontificem Legatos, qui dicerent mortem Rectoris per stultos, & viros iniquos advenisse, rogantes, ut Rectorem idoneum mitteret, & pacem donaret Beneventanis. Pontifex autem consilio accepto Dominum Girardum Cardinalem Rectorem nobis mandavit.

Anno 1129. Dominicæ Incarnationis. Hoc anno prædictus Pa-

pa Honorius Beneventum venit, & mense Augusto prædictum Franconem Abbatem Monasterii Sanctæ Sophiæ consecravit, & precatur Beneventanos, qui communitatem fecerant, ut prædictum Potonem Spitametam cum jam dictis Civibus, quos de Civitate ejecerant, in Civitatem revocarent Beneventum, quod obtinere non potuit. Unde Apostolicus valde iratus de Benevento exivit, & ad Vicum quendam, qui dicitur Leocabante, secessit, & rogavit prædictum Ducem Rogerium, qui ibi morabatur, ut in mense Majo venturo cum exercitu veniret, & de Civibus Beneventanis ultionem acciperet, quod Dux ille Sacramento juravit taliter factutum. Inde Apostolicus ille ad Castrum Ceppaluni adivit, & Civitatem prædari fecit, & sic valde iratus Romam repedavit. Et hoc anno corpora Sanctorum Januarii, Festi, & Desiderii Roffridus tunc Archipræsul foras produxit de Altari, in quo antiquo tempore jacuerant, & revera non honestè, sicut decebat loco illo manebant. Unde in Basilicam, quam Gualterius Tarentinus Archiepiscopus, pro Sanctorum illorum dilectione construi fecerat, magno cum honore, & lætitia, prædictorum Sanctorum ossa collocata sunt, nobis videntibus, & de illorum ossibus osculantibus.

Eodem anno Dominus Papa Honorius medio mense Februario viam universæ carnis ingressus est ad Dominum: Et Dominus Innocentius electus est, post quem Innocentium die ipso ad horam tertiam Petrus Portuensis Episcopus Petrum filium Petri Leonis elegit pro Anacleto. Deinde Innocentii illius electionem damnantes Anacleti Pontificis electionem confirmabant: cumque Leo FrangensPanem, qui partem Innocentii sequebatur, electionem Anacleti audivisset, cœpit Romanos Cives fideles suos, & amicos exhortari, ut ejus faverent auxilio. Inde Leo germanus præfati Anacleti Ærario aperto, totum fere populum Romanum rogavit, ut juxta vires fratris electionem tueretur, quod & factum est. Sicque ab utraque parte graviter civile bellum sævissimum inceptum est.

Anno Dominicæ Incarnationis 1130. mense Martio VIII. Indictionis. Cùm prædictus Anacletus electus fuisset, Beneventanis mandavit, qualiter ipse electus fuisset, & ut Beneventani sibi facerent fidelitatem. Præfatus igitur Innocentius consecratus Pontifex videns Populi Romani divisiones, & civilia bella quotidie oriri, consilio habito, ultra montes perrexit ad Regem quidem Francorum, & ad alios Romanæ Sedis fideles, qui honestè, & diligenti cura ab eis susceptus est. Continuò apud Rhemensem Civitatem Synodum celebravit; ad cujus conventus præsentiam Archiepiscopi, & Episcopi fere centum (sicut accepimus) & quinquaginta, convenere. Ibi Anacletum illum, & ejus fautores vinculis excommunicationis alligavit.

Eodem anno prædictus Roffridus Beneventanus Archiepiscopus mortuus est, & Landulphus filius Roffridi de Garderisio electus est in Archiepiscopum.

Eodem anno prædictus Anacletus venit Beneventum; deinde Abellinum Civitatem ivit, & cum prædicto Duce Rogerio stabilivit, ut eum Regem coronaret Siciliæ. Et his statutis, Anacletus ille Beneventum revertitur, & Dux ipse Salernum, deinde Siciliam remeavit. Anno igitur ipso prædictus Anacletus Cardinalem suum, Comitem nomine, ad Ducem illum direxit, quem die Nativitatis Domi-

ni

ni in Civitate Palermitana in Regem coronavit. Princeps verò Robertus Capuanus coronam in capite ejus posuit, cui non dignam retributionem impendit. Et eodem anno ipse Anacletus consecravit Romæ prædictum Landulphum Archiepiscopum. Et his omnibus actis, idem Rex Rogerius, exercitu congregato, comprehendit Amalphiam; cumque prædictus Anacletus, ut supra cum Duce Rogerio apud Civitatem locutus esset Abellinum, Beneventum revertitur, & consilio accepto vocari fecit prædictum Joannem, & Dauferium, & Benedictum Judices, & Lodoicum Medicum, & Potonem Spitametam, & accipiens ab eis ducentos solidos reduxit illos in Civitatem, & omnes illorum possessiones concessit eis, deinde cum illis, & aliis suis fautoribus tractavit, quomodo commitatem frangeret, quæ infra Civitatem conjuraverat à tempore mortis prænominati Guilielmi Rectoris. Sæpissimè etenim relatum fuerat, quòd ob ejus infestationem, & Civitatis detrimentum Communitas illa fuisset ordinata, maximè à tempore prædicti Papæ Honorii, quatenus idem Papa eis, qui Rectorem illum interfecerant, nocere non posset. Item sibi narratum fuerat, quomodo idem Pontifex Honorius Beneventum venisset post mortem prædicti Rectoris, & cum Civibus fatis, satisque fuisset locutus, ut Judices illos, qui ab illius morte Rectoris exulaverant, in Civitatem permitterent introire, & ad domos eorum, quamvis destructas remeare, quod obtinere non potuit. Unde, ut prædiximus, idem Pontifex Honorius valde iratus de Beneventana Civitate exivit, & cum Duce Rogerio de Civitatis tractavit desolatione. His, & aliis multis prædicto Anacleto de Communitate illa sic ordinata relatis, continuò consilio prædictorum Judicum, & aliorum ejus fautorum communicato, Anacletus ipse Robertum Capuanum Principem, qui tunc sibi favebat, vocari præcepit, ut virtute militum copiosa stipatus ad eum festinaret, qui nunciis acceptis, sicut mandaverat, acceleravit. Confestim fractionem Communitatis faciendam cum eo disponens, precatur eum, ut super hoc viriliter auxilietur. Quid multis? die constituto in octavis quidem Epiphaniæ, & præfato Principe cum suis insistente, vocatur Rolpoto de Sancto Eustasio, qui præcipuus super illa videbatur communitate ferventior, & Beneventus de Joanne de Rocca, & Roffridus de Anselmo, & Dauferius Barbæ majoris, aliique ejusdem Rolpotonis sequaces, qui acciti in Palatio Dacomarii, ubi tunc Anacletus ipse consilio celebrato morabatur, conveniunt, ut, quid Anacletus peteret, audirent. Ex adverso denique Crescentius tunc Rector fere quadringentos suos vocaverat fautores armatos, ut eos vocatos sine audientia caperet. Continuò Anacleti fautores sic armati, & Principis vigorem habentes insurgunt, armisque eductis Rolpotonem illum, & cunctos, qui cum illo venerant, turpiter comprehendentes in Palatio illo Dacomarii vinctos tenuerunt, deinde per plateas eorum amicos inventos comprehenderunt. Joannem verò quendam, ut ita dicam, Jocularium, ultra quam credi potest, lapidibus, gladiisque diversis trucidant, qui sic trucidatus, & vulneribus multis afflictus de eorum manibus semivivus evasit, qui plures postea advixit annos. Cumque præfatus Rolpoto cum sequacibus suis taliter captus fuisset, statuit prædictus Anacletus, ut Persicum, & Roffridum Judices caperet, qui actibus illorum consenserant, & quorum consilio longo
sic

sic tempore Communitas illa regnaverat. Prædictus autem Persicus, & Roffridus Judices hujusmodi consilia per amicos sentientes, Civitatem silentio exeuntes manus Anacleti, & inimicorum evaserunt; sicque per dimidium fere annum exulaverunt. Audiens itaque prædictus Anacletus sic Persicum, & Roffridum diffugientes mirabiliter contristatus est, & mirabatur, quomodo ejus consilium esset patefactum. Excogitaverat enim, ut si Judices illi capti fuissent, in Siciliam illos captivos, Beneventum nunquam reversuros transmitteret. Et his actis à compluribus prædicti Rolpotonis amicis Anacletus ille rogatur, ut Rolpotonem illum à vinculis solvat, qui orationibus eorum favens à vinculis eum absolvit, qui Sacramento firmavit jam amplius Communitatem illam, vel aliam nunquam tenendam. Alios verò ejus sequaces Sacramentis ligatos de Civitate projecit, ut sine ipsius Anacleti voluntate, vel sui Rectoris non ingrediantur Civitatem. Quibus omnibus ita peractis, prædictus Anacletus die Kalendarum Martiarum Salernum ivit, deinde consilio accepto Romam redeundi disposuit. Cumque de captione prædicti Anacleti Rolpoto ille evaderet, cępit mirabiliter, mirabiliusque multas, variasque in pectore moliri machinationes, qualiter contra Anacletum, & ejus fautores, qui se turpiter comprehenderant, & quorum institutione hortum suum vendiderat sexaginta Romanatos, quos prædicto dederat Anacleto; ajebat quidem Rolpoto ille, morti se prius velle succumbere, quàm captivitatem suam, & amicorum suorum impunitam dimittere. Cœpit itaque nova quotidie experiri consilia, & contra suo adversarios torvo semper vultu, & animo excogitare.

Anno 1131. Dominicæ Incarnationis mense Martio: Diebus non multis evolutis prædictus Beneventus cum sequacibus suis, octavo die intrante mensis Maii, armis acceptis, Beneventum ingrediuntur, & domum ipsius Dauferii Basaforte ascendunt, ibique audaci animo permanserunt. Miserunt itaque amicis suis, ut ipsis in plateam propalatis unanimiter subveniant, & de adversariis suis accipiant ultionem, quorum consilio de Civitate expulsi fuerant: nec mora, prædictus Beneventus, & ejus sequaces cœperunt viriliter gladiis, lapidibusque debellare. Audiens igitur prædictus Crescentius Rector sic eos audacter Civitatem fuisse ingressos, turbatus animo, & valde admirans campanam Palatii pulsari præcepit, quatenus omnes sui fautores cursu rapido ad eos ejiciendos festinent. Quid plura? armis eductis ad domum Dauferii Basaforte descendunt, & viriliter defendere conantur, ne sic Civitas ab eorum invasione turbetur. Beneventus autem, & socii ejus amicorum suorum auxilium non adesse aspiciens domum illam Dauferii ascendunt, & per domos alias diffugientes, & plateas, de Civitate exeunt, & de manibus persequentium incolumes evaserunt, & eis sic fugientibus domum prædicti Dauferii, & aliorum, qui eis consenserant, prostraverunt. Ab illo autem die discordia multa, & inaudita inter Concives orta est. Persicus interea, & Roffridus Judices, timore inimicorum coacti Civitatem Beneventanam ingredi non audebant, tandem cognoscentes prædictum Anacletum Capuanam Civitatem applicuisse, ut Romam reverteretur, habito consilio Civitatem ipsam Capuanam audacter ingrediuntur. Inde Robertum Principem tunc Anacleti fidelem suppliciter precantur, ut ejus intercessione amorem Anacleti invenire me-

mereantur, & licentiam ad possessiones suas remeandi. Robertus itaque Princeps absque mora, Anacletum adiit, & eum præ dilectione eorum invenienda pulsavit. Quid multis? petitionibus Principis Anacletus favens, literis datis, licentiam redeundi, & securè habitandi in Civitate eis largitur; Ii verò redeuntes ad Portam Sancti Laurentii pervenerunt, disponentes ad propria, fronte libera, sicut ab Anacleto acceperant, reverti. Sed turba inimicorum copiosa simul cum prædicto Crescentio insurgens, crudeliter, ne introirent, minatur. Ipsi verò proterviam eorum, & minarum copiam sentientes, salutis consilium arripiunt, & ad prædictum sunt reversi Anacletum, qui adhuc Capuæ morabatur. Continuò pedibus ejus prostrati, omnia, quæ dicta, quæque facta super se fuerant, è vestigio retulerunt. Anacletus igitur super hoc iratus, cœpit contra Beneventanos mirabiliter minari. Tandem ex consulto Principis eos ad Civitatem remisit, dans eis Cardinalem suum, ut eo viso, & audito fidem darent, eosque pacificè ad propria eorum reverti permitterent. Venerunt itaque cum prædicto Cardinali, quo audito, omnique deposito furore cum Civibus Cives ipsi permanserunt. Interea præfatus Rolpoto amicorum suorum fretus auxilio die, noctuque nova semper consilia, & conventicula super præfato Crescentio, & ejus conspiratoribus palam quandoque, privatim aliquando adinveniebat. Tractabat quidem Rolpoto de Crescentio, & ejus consentaneis ultionis pœnam accipere, reminiscens doloris, & captivitatis, simulque horti sui venditionis, & qualiter sexaginta Romanatos per eos perdidisset. Prædictus autem Crescentius Rolpotonis illius, & ejus amicorum murmur, & minarum terrores deprehendens de Palatio Curiæ descendit, & apud Monasterium Sanctæ Sophiæ permansit: relatum siquidem ei fuerat, quòd sicut prędictus Guilielmus Rector, ita & ipse in Palatio trucidari disponebatur, qui quidem ferociam talem, & mortis asperitatem devitans, quasi securus infra ipsius Monasterii claustra manebat. Amici igitur ipsius Crescentii, & pręfati Judices ad eum animosè conveniunt, & eum hortantur, & Curię statum simul cum eis obtineat. Ipse verò Crescentius hortationibus eorum, & monitis nullo voluit modo favere. Nam per amicos revera suos sępe ei referebatur, quòd si Palatium reverteretur, membratim eum dividerent morte inopinata; unde, ut prędiximus, Crescentius ipse minas illorum, & terrores devitans, infra idem Monasterium usque ad festivitatem Sancti Angeli, quę III. Kalend. Octobr. colitur, moratus est. Cernens pręterea prędictus Crescentius Rector Rolpotonem illum, & ejus auxiliarios die, noctuque minarum terrores, & convicia super se exercere, & evidenter super eum velle insurgere, cœpit cum fautoribus suis studiosè tractare, qualiter tanti veneni mortiferi flammas posset extinguere. Prędictus interea Rolpoto horis omnibus minabatur, quòd si Crescentius ipse sexaginta Romanatos, quos Anacletus ei abstulerat, ei non reddidisset, remota omni caligine, de corpore ejus inauditam sumeret ultionem. Advocans igitur prędictus Crescentius suos omnes fautores, cœpit cum eis agere, quid super hoc esset faciendum. Pars quippe ejus amicorum diligenter, & dolo remoto, Crescentium illum hortatur, & monet, ut illos sexaginta Romanatos de Curię regalibus prædicto redderet Rolpotoni, quatenus vel sic à tanta ruina, & timoris tempestate securè pos-

possent permanere. Ad hæc Crescentius ipse coram eis ajebat se Romanatos ipsos ei reddere dobitare, præcipuè cum Anacletus ille in scriniis suis pecuniam illam detulisset. Unde timens asserebat, quòd si pecuniam illam sine Anacleti consilio redderet, proculdubio ejus incurreret furorem. Dum hæc, & alia Beneventi geruntur, Crescentius ipse legatum suum ad Anacletum direxit, notificans omnia, quæ ei acciderant, & qualiter pro pecunia Rolpotoni ablata, ipse cum amicis suis mortem quotidie expectaret. Insuper, quod pro ipsius Rolpotonis timore de palatio descendisset, & infra Sanctæ Sophiæ Cœnobium permansisset: nunc verò & de pecuniæ illius redditione, & de cæteris, quæ ad vos misimus, quid sit agendum, nobis remittatis. Prædictus itaque Anacletus hujusmodi sinistrum accipiens legatum, dolore cordis turbatus, vocari fecit quosdam suorum amicorum, & cum eis, quid facto opus esset, tractavit. Quædam verò pars ejus amicorum, ut redderetur pecunia, pro qua Rector ejus, & Civitas turbata trepidabat, confirmavit. Sed Anacletus, ut erat viperei cordis, dejecit consilium, & Crescentio delegavit, pecuniam illam non reddere. Vita enim Comite, ipse Beneventum veniret, & tempestatis hujus turbinem ad portum perdu ceret salutis. Reversus igitur ab Anacleto Legatus literas hæc omnia continentes præfato dedit Crescentio, qui magis, magisque confisus literarum continentias adimplevit. Audiens autem præfatus Rolpoto Anacletum sic præcipientem, & Crescentium reddere dubitantem, cœpit ferventius inflammari, & cum Roberto Principe Capuanorum, & Rainulpho Comite meditari, qualiter de Crescentio Rectore, & ejus amicis, qui causa perditionis ejus fuerant, ulciscatur, quod postea rei probavit eventus. His, & aliis conflictationibus inter se habitis, & pro multis antiquis inimicitiarum generibus, quæ ad memoriam ducebantur concordia illa ad fructum tranquillitatis perduci non potuit. Præfatus igitur Princeps, & Comes Rainulphus Rolpotonis illius dulcia audientes colloquia, & aureas, argenteasque pollicitationes, sacramentis communibus juraverunt, cum res, & tempus expostularet, sibi adinvicem subvenirent. Sed ne tempus tarditatis me apprehendat describendi, ad ea, quæ necessaria imminent, & opportuna videntur, succinctè festinemus. In subsequenti igitur tractatu, vita comite, describemus, qualiter prædictus Crescentius cum prædictis Judicibus, aliisque eorum amicis, & alii fere quadringenti tali inventa occasione de Civitate fuerunt exulati. Plura etenim veritate munita, & quæ ipse viderim omni remota dubietate si singillatim describere vellem, & tempus deficeret, & ego, licet incultus, sub tanti laboris sudore defessus succumberem. Nihil etenim lectoribus, & audientibus proderit mendacia proferre, & vanitate repleta, cum tot, ut prædixi, vera habeantur, quæ, Domino favente, ad posteritatis memoriam ducere curamus.

Anno igitur 1132. Dominicæ Incarnationis, mense Martio VIIII. Indictionis, Luna splendorem ortus sui derelinquens in sanguinis colorem conversa est, quam nos aspicientes prodigium fore credidimus. Hoc anno prædictus Anacletus venit Salernum. Eodem anno præfatus Rex Rogerius videns Tancredum de Conversano virum utique prudentem, & animosum, rebellem sibi, & resistentem, consilio habito exercitum congregavit, & super Castrum Brindisii

ejus-

ejusdem Tancredi festinavit, & illud terra, marique obsedit, sicque mirabiliter expugnatum suæ illud obtinuit potestati, & his actis super Civitatem Barensem exercitu convocato festinavit. Nec mora; Civitatem illam diversis cœpit expugnare machinationibus, per quindecim verò dies Civitas illa obsessa, & expugnata est. Tandem Civium Barensium traditione manifestata Civitas ipsa ad Regis potestatem tradita est, & Civitate ipsa sic comprehensa, Grimoaldus Princeps vir valde mirabilis, & bellicosi spiritus à quibusdam concivibus captus est, & ad Regis potestatem perductus, quem Rex ipse confestim captivum cum uxore sua, & filiis ad Siciliam mandavit, sicque totam Apuliam suæ subegit potestati. His ita peractis minabatur Rex ipse Principem Robertum, & Rainulphum Comitem exhæredare. Eodem anno Rex præfatus deprehendens Comitem ipsum Rainulphum convicia multa, & afflictiones Mathildi uxori suæ inferre ejusdem Regis sorori, quam ultra, quàm credi potest, diligebat, consilio habito, ipsam suam sororem vocari mandavit, quam honestè accipiens eam dulcibus colloquiis consolatur, & eam in Siciliam mandavit. Hoc anno Rex ipse prædictum Principem, & Comitem Rainulphum cum ducentis militibus ad auxilium prædicti Anacleti Romam delegavit, & eis euntibus, sicut prædixi, uxorem jam dicti Comitis, & filium, & Civitatem Abellinum ei abstulit; cum autem Princeps, & Comes Roma reverterentur, turbati animo, & dolore immenso percussi mirabantur, qualiter Rex ipse ejus uxorem abstulisset, præcipuè tamen Comes Rainulphus, cujus uxor charissima, & filius sic ablata fuisset, palam quandoque, aliquando privatim lacrymis conquerebatur manantibus, injustè conjugem, & filium perdidisse. Inde per se ipsos, & amicos eorum prędictum Anacletum rogaverunt, ut à Rege Rogerio impetraret reddi filium, & uxorem. Anacletus igitur Regem per nuncios precatur, ut uxorem Comiti redderet, & filium, quod obtinere non potuit. Unde Comes ille dolore accensus, ultionis tempora rogabat. Quid multa? cum prędicto Principe, & Magistro militum Neapolitanorum, & aliis amicis alligatus, cum duobus millibus Equitum, & pedestrium multitudine propalatus exivit. Exivit quidem ịętanti animo, & intrepidus, & morti primum succumbere desiderabat, quàm exhæredatus ab illo aliena peteret, & incognitas partes adiret. Famam verò Barensis Civitatis, & Grimoaldi Principis, & Tancredi, quos olim dilexerat, ante oculos ferens, & qualiter eos afflixerat malis, mori gladio orabat, & ense deficere, quàm tali, tantaque Regis potestate colla ligare. Nec mora, Princeps ille, & Comes, ut fati sumus cum duobus millibus Equitum, & peditum armatorum magnitudine innumera pugnaturus, & defensurus à Regis proposito in planitiem Montis fardi castrametati sunt. Cœlorum quidem Regem suppliciter precantur, ut cęlesti accincti auxilio minas Regis, & timorem evadere possint. Quotidie Comes ille suos lacrymando orat, & monet, quatenus solius Dei fiduciam habentes, timorem abjiciant, & terrorem deponant; gloriosius quidem toto mundo narrabitur nos in justitia confidentes, & propria tueri & mori primum in ore gladii, quam pati alienas manus nobis viventibus nostra invadere, & de civibus delicatis peregrinos efficere. Vox itaque omnium una efficitur, & ad illorum petitiones vertuntur; sicque die, noctuque invigilantes cœ-

lestem victoriam invocabant. Cumque ut supradiximus, Rex Rogerius Civitatem Barensem suæ subjugasset potestati, & Tancredum de Conversano à totius Apuliæ finibus expulisset, exercitu viriliter, acriusque congregato, circa Beneventanos fines advenit. Continuò in planitiem Pontis Sancti Valentini Civitati proximam, Rex ipse tertiodecimo die mensis Julii intrante castrametatus est. Deinde consilio accepto Legatos Roberto Principi Capuano,& Comiti Rainulpho mandavit, ut justitiam sibi ex multis, variisque querimoniis consequatur. Princeps autem nunciis auditis in conspectu omnium suorum taliter respondit. Sciat revera Rex vester, quem dicitis; quoniam nullo modo ei justitiam faciemus, donec Comiti Rainulpho uxorem, & filium restaurabit; super etiam Civitatem Abellinum, & Castrum, quod sibi abstulit, in ejus potestate largietur. Et legatis illis revertentibus Princeps ille universos suos milites tria millia fere numero, & quadraginta millia peditum armatorum, quos rogaverat congregari, mandavit, quatenus ad tale, tantumque negotium viribus totis parati invigilarent, & taliter oratio incœpta discreta, & diligenti cura alloquitur. Certissimum Domini, & fratres agnovimus vos pro libertate vestra augenda, domos, uxores filiosque vestros, & universa bona dimisisse, & armis solummodò vestris acceptis,solam Dei Salvatoris misericordiam invocantes in medium convenisse. Audistis etenim, & nos veritate perfecta accepimus, qualiter erga Civitatem Barensem gesserit, & quomodo talem, tantumque Grimoaldum Principem ab honoris gloria turpiter afflictum exulaverit catenatum. Tancredum verò, & ejus probitatem quid memorem? vos ipsi audistis, qualiter ei Civitates omnes, & oppida dolo invento eripuit, & transmarinas partes eum destinavit. Giffredum quoque Comitem ad qualem afflictionem Civitatum suarum perduxerit, credimus vestram non latere probitatem: omnes namque potentes viros, & illorum divitias gutture aperto desiderat, & ne ei resistant, terratenus sternit, & in pulverem gloriam illorum sine aliqua manu pietatis inducit. Heu nefas, & morte dignissimum, sic omnium nostrum gloriam sitibundo pectore velle consumere, & gladio evaginato sine misericordiæ sonte nos omnes ad mortis periculum destinare. Succurrite itaque viri fortissimi, & vobis, inquam, ipsis subvenite, ut dum tempus auxilii, & consilii nobis superest à tanti viri faucibus, & potestate effrænata liberari valeamus. Sola namque Salutaris Dei fiducia in omni nostra manet dispositione, & in vestris armis, quæ accepistis, omniumque bonorum amissione vestrorum consolatio vestra inflammetur. Consolandum quippe est, ut spes in victoria habeatur. Nos pro augenda libertate sanguinem volumus fundere, & in alienas manus nullo modo pervenire. Timorem itaque mortis abjiciamus hujusmodi, & justitiam defendentes unanimiter moriamur, ut toto orbe terrarum fama nostræ virtutis inveniatur. Rex cælorum Dominus, fratres, justitiam nostram inspiciat, & qui Machabæorum orationes clamantium exaudivit, nostras dignetur accipere afflictiones. Quid enim prodest, dilectissimi, turpiter in mundo isto manere, & afflictionibus subjacere, cum post multas miserias, & pericula, quæ nobis succedunt mors ex improviso horribilis accidit, & calamitatibus nostris, divitiisque finem, terminumque imponit. Gloriosius igitur erit pro justitia, quam speramus deficere, quàm

gen-

gentis nostræ mala videre, & periculosè exultati diem claudere extremum. Notum præterea vestræ significamus fraternitati, ut pro securitate nobis adinvicem data obsides filiorum nostrorum, & consanguineorum ponamus, ponendum quippe est, & lætanti animo faciendum, ut unusquisque nostrum securus, & timore deposito alter alteri fidem attribuat, & vigoris alacritatem. Hæc, & his similia Principe illo orante, unusquisque militum, & peditum, divina instigante clementia, petitionibus Principis consentaneam dedere concordiam, & sic singillatim filios suos unusquisque Baronum in Principis potestate obsidis loco largitus est. Legati itaque Regis à Principe reversi, è vestigio cuncta eis injuncta narraverunt. Quibus auditis Rex, consilio iterato accepto, nuncios alios eidem Principi legavit, ita continentes: Miramur valde super his, quæ Princeps nobis destinavit; præcipuè cum ejus suasionibus, & legatis ego in partibus istis modò advenerim, pollicens se nobis justitiam de querimoniis nostris facturum. Præstolamur itaque ejus promissiones, & die constituto in crastinum monemus illum ad justitiam nobis sequendam, deinde, vita comite, quid super his opus sit, faciendum tractabimus. Princeps verò eadem Regi remisit, quæ, & primum mandaverat. Rex autem Rogerius dicta Principis, & Comitis audiens dolore multo accensus, & quia quod mente conceperat, aliter fieri cognoscit, satis, satisque turbatus est. At Princeps continuò Crescentium Cardinalem, Beneventanum Rectorem, & Landulphum Beneventanum Archiepiscopum vocari mandavit, quatenus cum quibusdam sapientibus Civibus Beneventanis ad Regem ipsum festinarent, & nuncio accepto, assumptis secum Beneventanis Judicibus, & triginta aliis probis viris, ad Regem festinaverunt. Rex itaque diligenter eos, & honestè accepit, deinde cunctis longè, latèque confabulatus est, ut ejus amore, & Anacleti fidelitate secum alligati, & Sacramenti confœderati guerram adversus Principem Capuanum, & Comitem Rainulphum facerent. Promittebat ideò pacem Civitati Beneventanæ daturum, & Beneventanorum hæreditates à Normandorum servitute, & tributis liberare. Quid multa? Cardinalis exaudiens simul cum Archiepiscopo, & Civibus Beneventum reversi sunt. Nec mora; Beneventanorum non modicam partem congregari præcepit, quatenus super his, quæ à Rege acceperant, consiliarentur; pars autem populi præcepto Cardinalis favens Curiam Sacri Palatii ascendit, deinde ordinem rei exponens, & quid Civitati pollicetur nominatus Rex, è vestigio aperiens, consilium ab eis perscrutatus est. Exposuit etiam, quoniam sine Sacramentorum firmatione istud negotium agere noluisset. Quid longius moror? petitio Regis audita cursu rapido quibusdam complacuit Beneventanorum. Continuò in ipso sacro Palatio Cives illi, qui convenerant, Judices primùm Joannes, Persicus, Dauferius, Benedictus, Roffridus juraverunt, non esse in facto, consilio, vel consensu, ut Rex ille vitam, vel corporis membra perdat, aut capiatur, & vivam, & continuam guerram Principi nominato, & Comiti faciant, & alia quæ in Capitulari facto legebantur, salva tamen fidelitate Petri Apostoli. Quibus ita peractis Cardinalis de Palatio descendit, & per Civitatem, quot inveniri studuit, Sacramento eodem alligavit. Cumque taliter à Beneventanis juratum esset, fama terribilis Civitatem Beneventanam per-

percussit, & linguis solutis vociferabantur alii, quibus Sacramentum illud displicebat, quod Cardinalis, Crescentius simul cum Archiepiscopo Landulpho, & Judicibus nominatis, & Beneventanis quibusdam Civitatem Beneventanam Regi Rogerio dare voluisset, & in ejus potestate largiri. Affirmabant quoque uncias auri à Rege innumeras accepisse. Factum est autem, cum taliter fama hujusmodi per Civitatem ventilaretur, en subitò armis acceptis maxima Civitatis turba in plateas exivit, & furore arrepto super Cardinalem Crescentium, insurgens in fugam illum perduxit. Cardinalis autem timore coactus Civitatem fugiendo deservit, & ad Regem festinanter acceleravit. Nunciavit itaque omnia, quæ Beneventi acciderant, & qualiter in eum lapidibus, armisque acceptis insurrexisset turba Civitatis, Landulphus autem Archiepiscopus sic Cardinalem fugientem aspiciens Palatium Episcopii ascendit, & ibi timore coactus morabatur. Quibus ita peractis populus in unum catervatus, armis eductis, palam vociferabatur, quòd Sacramenta Regi Rogerio noviter facta non observentur. Nolumus quidem sic Regi alligari, & Sacramentis astricti in expeditionibus suis cum Siculis, & Calabridibus, Apulisque Sole ardenti, & sudore fatigati anhelare. In deliciis quidem positi, & periculis exercitalibus nunquam assueti cum tali, tantoque Rege consortia minimè habemus. His ita præmissis memoratus Princeps, & Comes Rainulphus, nunciis acceptis, Beneventanis miserunt pacis verba, & securitatis dilectionem. Notum sit vobis, quoniam Princeps, & Comes, & Rao de Fraineta, & Ugo Infans Sacramentis intervenientibus dimittet in perpetuum Beneventanis omnes fidantias, & tributa, quæ nobis solvere solebatis; dum tamen neque Regi Rogerio, neque nobis auxiliamen tribuatis. Revera vestrum auxilium tempore isto accipere nolumus Civitati providentes, ne tali occasione Civitas Beneventana contrarietatem incurrat; volumus tamen securi trāsire, & timore deposito securiores manere. Quid multa? licet Cardinali Crescentio, Beneventano Rectori, pactum illud displicuisset, tamen Beneventanis animo libenti satis, satisque complacuit. Princeps itaque, & Comes Rainulphus militibus accitis ad Pōtem majorem venerunt, & coram Landulpho Beneventano Antistite, & turba multa Beneventanorum, sicut in superiori tractavimus, simul & Rao de Fraineta, & Ugo Infans juraverunt. Juraverunt quoque B. Petro fidelitatem, & in scripto sigillato ordinem convenientiæ, & Sacramentorum firmitatem adnotari jusserunt, per omnes Civitatis portas scriptum signatum de convenientia illa ad posteritatis memoriam diligenti cura positum est. Cumque talium Sacramentorum, & convenientiæ cum Principe firmiter factæ Rogerii Regis aures fama tetigisset, ultra quam credi potest, admirans obstupuit, & dolore cordis perculsus ajebat; quomodo Civitas Beneventana, cujus auxilium habere putabat, erga Principis, & Comitis Rainulphi dilectionem adhæsisset, revera, sicut à multis comperimus, non alia de causa Regem illum circa Beneventanos fines venisse, nisi ut Beneventanorum auxilio, & virtute Principem invaderet, & eum in fugam duceret desolatum. Unde à mentis proposito decidens, cogitationibus variis frangebatur assiduè, & quod mente conceperat, ad effectum non posse perducere, oculata fide cernebat. Quid igitur dicebat, ab exteris, Siculisque partibus huc adveni, cum in his, quæ excogitaverim for-

fortuna volatili,animo defeci?Et tali fractus angustia exercitum suum in partes divisit, & quasi ad bellandum ducturus acies diversas exercitus, & manus armatorum instruxit. Ipse verò Rex, ut erat providi animi, & cordis meticulosi, & ne ab inimicorum cognosceretur instantia, quasi bellandi, & resistendi adinvenit securitatem. Nocte etenim insecuta cubiculariis suis, & sapientioribus consiliis ejus patefecit excessum, & qualiter inde amovere desiderat, significavit. Continuò clamari voce præconis jussit, ut vexillo ejus viso universus exercitus, qua parte duceretur, consequatur. Præconis itaque voce audita, timorem Regis sentientes, prout poterant, parantur ad proficiscendum. Nec mora, cohortibus militaribus, & peditum turmis divisis fugiendo potius, quàm resistendo, castra inde amovere. Deum quidem testor æternum, qui cordium occulta cognoscit; remotio illa Regis in fugam nocturnam, timoremque ascribi potest, & memorari, Et Regem illum, cujus potentia cælum hactenus verberabat, nocturnis umbris insilire per devia, & cursu celeri festinare. Mane autem facto circa Salernitanos fines applicuit,ibique fatigatus, & aliquantisper deposito cordis timore circa fluenta Montis Atrupaldi quievit. Octo verò dies in planitiem Pontis Sancti Valentini Rex ille moratus est, & illo taliter ibi morante multa frumentorum confusio, & ruina mobilium à suis peracta est. Cumque taliter Rex locum illum fugiendo dimisisset, ad exercitum Principis auditum est. Confestim Rao de Fraineta caterva militum accita post eum viriliter, & animosè insequitur: insequitur eum dentibus frendens, & ultionem de eo sitibundo pectore anhelabat: Novissimè quosdam Saracenorum Regis, qui eum sequebantur Rao ipse aggreditur, & eos capiens captivos secum perduxit; uni verò eorum caput abscidi præcepit, quod nomine gloriæ ad Principem delegavit. Princeps autem caput illud Capuam, ut fama laudis ejus attolleretur, mandavit.Rex autem Saracenorum suorum stragem, & captivitatem audiens, satis, abundèque condoluit: minabatur insuper dolore commotus, ut tempore ultionis accepto, vicem redderet pro acceptis. Inde castra amovens ad Castrum Nuceriam valdè munitum, quod præfati Roberti Principis erat, exercitu congregato festinavit. Continuò tubis sonantibus,& tentoriis paratis Castellum illud Nuceriam prope muros, & turres obsedit, & eo acriter circumquaque vallato Rex ipse Rogerius præcepit pontem ligneum frangi, qui super Flumen Sarnum positus antiquitus erat, ubi Scafati cognominatur, & fractum illum omnino de loco illo tolli, & amoveri. Dubitabat revera ne Princeps, & Comes Rainulphus hostium multimoda manu audita obsidionis fama super eum irruentes se se affligerent. Securus itaque Rex ipse Castellum illud Nucerium obsidebat, & ex omni parte expugnatum credebat suæ obtinere voluntati. Princeps igitur Robertus, & Comes Nuceriam taliter obsessam sentientes mente confusi mirabiliter dolent, & suos omnes convocantes cursu rapido ad liberandum concurrunt, Nucerium Castrum, quod obsessum audierant, festinant; cito citissimè victorem Dominum invocantes, & gladio mori desiderant priusquàm à tanto capiantur invasore; & eis sic sitienter currentibus ad præfati Fluminis Sarni oram castrametati sunt. Continuò legatos explorandi destinant inquirentes, utrum obsidio Castelli, sicut audierant, vera haberetur, & veritate inventa, tractare inter

se

ſe cœperunt, quomodo obſidionem Caſtri illius virili animo liberarent. Noviſſimè invento conſilio, pontem ordinari, & firmari fecerunt ſuper prædictum fluvium Sarnum, & vigore accepto contra Regis acies ad liberandam obſidionem expediti accelerarent. Deinde, ponte illo ſuperpoſito, Princeps ille, & Comes, milites cunctos armatos, & peditum ſuorum copioſam multitudinem tranſire die Dominico, qui aderat, mandavit, quinto videlicet die, poſtquam Caſtrum illud obſeſſum fuerat, & eis transflumen euntibus abſque mora, Princeps ipſe ſalutifero uſus conſilio milites ſuos mille rogatos in duas diviſit cohortes. At Comes Rainulphus, ut erat ſapientis animi, & ad quem doloris magnitudo, & uxoris amiſſa dulcedo ſpectabat, ſimiliter equites ſuos mille numero, & quingentos in quinque diviſit catervas; ducentos verò, & quinquaginta milites ad defendendum Nuceriam tranſmiſerant, qui viriliter contra Regem pugnabant. Cumque, ut dictum eſt, ad præliandum taliter Princeps, & Comes parati inſtarent, ſubitò ad Regis aures fama eorum pervenit. Quid multa? Præconis voce pulſatur, quatenus omnis exercitus ad prælium armaretur. Confeſtim armis acceptis armati coram Rege apparuere; illicò Rex ipſe, ut audivimus, octo acies militum ſuorum, & peditum pugnaturus diviſit: quibus ita diviſis ad invicem applicuerunt. Quantas lacrymas ab utraque parte armatorum, Lector, ſi adeſſes, aſpiceres, victorem Deum invocantes, ut juſtitiam ex alto inſpiciat, & ſanguinem innocentem liberaret. En ſubitò prima Regis acies contra Principis cohortem inſilivit, qui juxta eorum potentiam defendendo pugnaverunt, & ſic ad invicem aliquantulum dimicatum eſt. Quibus ita præliantibus, timor terribilis pedites Principis, & Comitis ex improviſo invadit, & uſque ad flumen nominatum terga vertentes fugierunt: multi verò per pontem tranſeuntes evaſere; alii namque mille, ſicut nobis nunciatum eſt, pontem illum deſiderantes in aquam fluvii ingrediuntur, evadere cogitantes animas ſuas in gurgite illo amiſerunt, armis eorum bibulis aquis immerſis. Qualis igitur ſtridor, luctuſque morientium accidit? quem ſi ex toto ſcribere voluiſſem, prius me tempus deſereret, quàm copia recitandi. Sed redeamus ad cauſam. Secunda itaque Principis manus ſtragem tantam militum, peditumque perſentiens, viribus, animiſque acceptis ad Principis intravit auxilium. Regis quoque acies ad Regis juvamen ex adverſo poſitæ incurrerunt; ſicque ſpatio interpoſito acriter, duriterque decretaverunt. Reverà, ſicut ex ore narrantium, qui interfuerunt, audivimus, ſic inſtanti animo pars Regis præliabatur, quòd Principis acies, fuga jam inchoata, deficiebat ab armis; ſed divina providentia gubernante, in cujus diſpoſitione non fallitur, juſtitiæ partem, ſicut noſtræ fragilitati apparuit, ex alto proſpexit. Comes enim Rainulphus, qui ex adverſo poſitus erat, eventum pugnæ jam fallentis aſpiciens, equis concitatis quingentorum militum caterva ſtipatus, Regem animosè invadit, vigorem illico, & conſtantiam Principi pugnanti attribuit, & clamoribus ad aſtra levatis expugnabant. Deinde ſecunda Comitis acies accurrit, & Regem atrociter pugnantem aliquantiſper impulit. Quid longius morer? tertia ejuſdem Comitis manus ardenti animo agitata, fatigatos ſuos agnoſcens, ex adverſo exiens, ſicut Leonis triduana fames dentibus exaſperata pervolat, & in medio præliantium intravit, &

ſic,

sic, Domino auxiliante, in fugam, & stragem Rex ille conversus est. En clamor populi pugnantis ad sidera tollitur, Regem fugientem significans, suosque adhortans, ut sequantur, quatenus victoria cælitus concessa de tali, tantoque viro ulciscatur. Rex autem volens militibus suis animositatem, constantiamque reparare, ne tali infortunio campum dimittant, cœpit hasta accepta obsistere, & suis fugientibus nomen suum manifestare: nihil tamen manifestatio nominis profuit, nihilque fugientibus auxilii accidit, cum jam talis, tantaque victoria ab excelso Salvatoris sollo Principi, & Comiti orta est. Rex igitur sic suos, ultra quàm credi potest, fugientes aspiciens, hastam projicit, de sola fuga, & vita custodienda cogitabat, & equo mirabili, quem supersedebat, concitato, ut auditum est, quatuor secum militibus adjunctis fugiendo, & mirabiliter lugendo evasit. Sicque tanta districtus angustia, & mentis calamitate circumquaque satiatus, Salernitanam Civitatem ad Solis occasum introivit. Cives autem Salernitani sic eum fugientem sentientes, Regem illum suscepere. At Comes Rainulphus milites armatos accipiens prope Civitatem ipsam Regem illum fugientem insequitur. Revertitur Comes intrepidus; audierat enim Regem Salernum intravisse, & eo revertente simul cum Principe, Barones Regis viginti fere numero, & septingentos milites præter multos alios, quos nominare silentio dedimus, comprehendit: alios verò in fugam conversos occisioni expositos crudeliter fore audivimus. Quid plura? totus Regis exercitus militum, peditumque in fugam, occisionem, captivitatem perductus est; auri verò copiam, & argenti ineffabilem multitudinem, & vasorum aureorum abundantiam, & vestimentorum infinitas varietates, & equorum congregationes, & Loricarum densitatem, cunctorumque mobilium, quæ in victoria illa capta sunt, Regem regum testamur æternum, & si universa, & singillatim describere vellem, prius in scribendo deficerem, quàm universa exararem. Quid plura? universa illa mobilium gloriosa magnitudo ad potestatem Principis, & Comitis pervenit. Lætatur itaque Princeps, & Comes de tali triumpho cælitus concesso. Quibus omnibus ita peractis, fragor victoriæ, & Regis fugientis calamitas Apuliæ partes, & Siciliæ, & totius Italiæ intonuit, & super inauditis occisionibus, & Regis terroribus valdè mirabatur. Nemo quidem tempore isto viventium, recordatur talem tantamque præliorum stragem infra Christianos accidisse. Cum autem victoriæ fama Beneventanam Civitatem tetigisset, en subitò Civitatis populus gaudio magno repletus ad Episcopium, & Monasterium S. Sophiæ jubilando convenit; ibique gratias Deo, & Petro Apostolo, lacrymis manantibus, egit; deinde cereorum magnorum frequentia, & luminarium lignorum accepta cum clericis, & Presbyteris catervatim ad B. Bartholomæi Apostoli Basilicam, & Monasterium Sanctæ Sophiæ vigilias, & laudes persolventes lætabantur. Lætabantur quidem gaudio ineffabili totius Civitatis populus, ac sic omnis illa victoria à Beneventanis facta fuisset. Dies verò, quo bellum illud factum est, in vigiliis B. Jacobi Apostoli habebatur, octavo videlicet Kalend. Augusti.

Hoc anno duodecimo die intrante mensis Augusti obiit Landulphus Beneventanus Archiepiscopus. His ita gestis, prædictus Rex Rogerius consilio communicato in Apuliam descendit, & apud Civita-

tatem Melphitanam diebus non multis moratus est. Continuò quosdam ex Baronibus suis vocari mandavit, quos valde præcipiendo admonuit, quatenus in ejus permanerent fidelitate, & dilectione. Mandavit etiam, ut juxta eorum vires à Tancredi de Conversano consortio caveant; oderat enim eum Rex ipse Rogerius odio mortifero, & sicut præmisimus, à totius Apuliæ finibus eum depellere conatus est. Quibus peractis Salernum repedavit, ibique Procerum suorum frequentia magnificatus de inimicitiis Principis Capuani, & Comitis Rainulphi satis, abundèque tractabat. Consiliabatur quotidie, qualiter eos vincere posset; quoniam quidem, sicut prædiximus, ab eis victum, & in fugam conversum eorum virtute longè, latèque audivimus. Diebus præterea non multis evolutis, Rex præfatus Rogerius consilio Cardinalis Crescentii tunc Beneventani Rectoris, & aliorum Beneventanorum, sicut audivimus, Civitatem Beneventanam depredatus est; viros quidem, & mulieres, & animalium multitudinem captivos apud Montemfuscum perduxit. O qualem, Lector, si adesses, luctum Beneventanorum audires, & miratus lugeres; quoniam quidem Civitas securitate à Rege accepta, jugiter ad possessiones eorum, & vineas, quia vindemiarum tempus inerat sine timoris aliqua dubietate exibat. Die itaque ipso, cum talis deprædationis crudelitas acta est, Civitatis fere totus populus armis eductis apud Monasterium Sanctæ Sophiæ, ubi prædictus Cardinalis morabatur, furore accepto properavit. Confestim eum ad præfatum Regem licet invitum transmittunt, quatenus Cives à vinculis Regis absolvat, & prædam Beneventanorum innumeram reducat: ajebat siquidem, quoniam ejus consilio, & fautorum suorum talis, tantaque depredatio facta est. Cardinalis igitur absque mora, ad Regem festinavit. Jurabat Cardinalis ille Saramentorum verbis coram omnibus consilio suo prædam ipsam factam non fuisse. Cardinalis itaque ad Regem veniens nullo modo impetrare potuit, ut multitudo illa deprędationis, & Civium captivorum redderetur. His ita decursis jussit præfatus Rex, ut horis omnibus circa Beneventanam Civitatem milites sui insilirent, & quos Cives invenire possent, captivos ligarent. Ipse autem Rex, navigio parato, octavo die mensis Decembris intiante, mare ingrediens ad Siciliæ partes transfretavit, sed antequam Rex ipse ad navigandum pararetur, Bernardum de Fraineta, qui Dominus erat de Castello Balba, suasit nunciis interjectis, ut castrum illud ejus traderet poteftati, quod & factum est. Accepit itaque ab eo, sicut audivimus, centum uncias auri: ipse verò Bernardus ad Salernitanam Civitatem secessit. Mandavit continuò Rex ille centum fere viros armatos ad castellum illud muniendum. Rao igitur de Fraineta, qui erat Dominus præfati Bernardi, à quo Castrum illud tenuerat dolore cordis perculsus, Castelli illius perditionem deprehendens, Beneventum venit, & diligenter eos precatur, quatenus ei subveniant, & celeri cursu festinent. Deinde Principem Robertum Capuanum, & Comitem Rainulphum adivit, eosque hortatur, ut ad ejus auxilium veniant. Princeps illicò, & Comes præfati simul cum Beneventanis ad obsidendum Castrum illud totis viribus festinaverunt, ibique lignorum machinis ad turrem illam destruendam citissimè utuntur, custodes autem, qui turrem illam observabant, nihil omnino eorum, quæ inferebantur, metuebant; milites verò Regis,

& pe-

& pedites in conspectu Principis, & Beneventanorum Castrum illud securi intrabant, arma quoque & cuncta eis necessaria coram omnibus deferebant. Princeps itaque talem, tantamque eorum constantiam, & animorum alacritatem aspiciens castra sua inde amovit, & Civitatem Capuanam ingressus est: Comes autem Rainulphus, & Rao de Fraineta dolore cordis turbati similiter cum Beneventanorum cœtu, qui aderat, ad propria reversi sunt: machinas quidem lignorum, quas Rao de Fraineta ad obsidionem illam duci fecerat, timore interveniente, dimisere. Confestim viri de turre illa exeuntes machinas illas coram omnibus capiunt, & lætanti animo eas introducunt: sicque Castellum illud dimissum est, & sub Regis potestate magis, magisque alligatur.

Per idem tempus pars quædam Beneventanæ Civitatis, consilio habito, Dominum Girardum Cardinalem Presbyterum, qui cum Domino Papa Innocentio aderat, in Civitatem Beneventi introduxerunt; firmabat enim pars ipsa Civitatis partem Innocentii Papæ tenendam fore, Anacleti verò electionem contra Canones fore, & iniquam. Statuit itaque præfatum Cardinalem Rectorem Beneventanorum ad Romanæ Ecclesiæ, & ejusdem Domini Papæ fidelitatem mense Novembri mediante. Alio autem die post ejus adventum in sacro Beneventano Palatio coram Beneventanorum cœtu, qui convenerat, tradidit Comestabiliæ honorem, & potestatem Rolpotoni de Sancto Eustasio, qui verò taliter ordinatus cœpit simul cum Cardinali illo curiæ statum regere, & justitiæ vigorem unicuique dispartiri. Milites denique, & servientes rogavit, ut Civitati subveniant, & contra Regis milites Civitatis inimicos insurgant, sicque de guerra Civitatis studiosus apparuit. Comestabulus autem Montisfusci à Rege ibi ordinatus, ut Beneventanæ Civitati timorem inducerer, præcepit vineas omnes, & possessiones Beneventanorum igne, ferroque devastari, quod & factum est. Præfatus igitur Rolpoto Beneventanus Comestabulus, tantam aspiciens contra Civitatem adversitatem, assiduè insurgere, vicem reddens pro acceptis absque mora, Civitatis partes præconis voce commovit, ut armis eductis, unusquisque ad Ecclesiam Sancti Martiani conveniat. Qui verò præceptis ejus faventes, simul cum Rainulpho Comite, qui cum trecentis advenerat militibus, super Castellum Farnitum, quod erat Raonis Pinelliæ, ultimo die stante mensis Januarii adivit. Quid multa? tota rusticorum habitatio igne, ferroque consumitur, deinde tota eadem manus habitantium utriusque sexus, & ætatis in timorem, fugamque conversa bona sua dimisit, sicque à Civibus viri multi, & mulieres, parvulique dispoliati sunt, & deprædati; mobilia verò illorum innumera, & animalia in oppido illo inventa sunt. Dominus autem Castri illius captivus perducitur: & his actis ad propria Beneventani ipso die vertuntur. Alia autem die insurgente, simul cum præfato Comitem Civium multitudo ad Castellum, quod Plescum nominatur, properavit. Robertus itaque de la Marra, cujus Castellum illud erat, viros armatos centum ferè intromisit. Præfatus autem Rolpoto Comestabulus constantiam illorum aspiciens ad Civitatem Beneventanam repedavit, & sic Castellum illud à Beneventanis dimittitur, deinde securiter, & illæsum permansit. His ita peractis Rogerius Comes Jordani Comitis filius, qui in captione Comi-

 tis

tis Rainulphi tenebatur, ex quo prædictus Rex Rogerius sicut in superiori tractatu dictum est, in fugam conversus fuit, consilio amicorum suorum accepto, Sacramento firmavit, ut Principis Capuani, & ipsius Comitis Rainulphi, & Civitatis Beneventanæ fidelitatem teneat, & contra jam dictum Regem jugiter adversetur: idipsum Robertus de la Marra, & Bartholomæus de Petrapolicina, aliique milites juraverunt.

Anno 1133. Dominicæ Incarnationis, his ita peractis Tancredus de Conversano, vir valde bellicosus, & prudentis animi simul cum Comite Rainulpho, & aliis Baronibus Apuliæ consilio salutis accepto, mille ferè milites, & peditum multitudinem copiosam rogavit, & Civitatem Venusiam supersedit. Populus itaque Civitatis libertatem optatam expectans gratuita voluntate sub Tancredi de Conversano fidelitate colla submisit, deinde alias Civitates Apuliæ suæ obtinuit potestati.

Dum hæc, & alia in Apuliæ finibus geruntur, Innocentius Papa simul cum Lothario Imperatore Romam pervenerunt. Audivimus reverà duo millia militum secum duxisse. Apostolicus itaque honestè susceptus, Palatium Lateranense ingreditur, ibique gaudio magno, & honoris copia supersedit. Imperator autem circa Monasterium S. Pauli cum exercitu suo viriliter castrametatur. Misit namque, sicut audivimus ad Anacletum, ut consilio Religiosorum virorum communicato adesset, & Spiritu Sancto mediante tanti erroris, & homicidii magnitudini finem poneret, quod Anacletus ille, sicut accepimus, facere contempsit. Audiens itaque Robertus Princeps Capuanus, & Rainulphus Comes Apostolici Innocentii, & Imperatoris Lotharii adventum longè, latèque optatum, trecentum ferè militum caterva stipati, simul cum Domino Gerardo Cardinale, qui tunc Beneventanus Rector præfuerat, & Civibus quibusdam sapientibus Beneventanis, Romam festinarunt. Qui verò euntes, ordinem omnem afflictionis, quam Civitas Beneventana dudum perpessa est, è vestigio intimavere, lacrymis orantes, ut Civitatem Beneventanam à Comite Rogerio Siculorum jugiter oppressam liberarent, & eam libertati redderent longè, latèque desideratæ. Cumque prædictus Girardus Cardinalis Rector præesset Civitati, consilio cum prædicto Rolpotone Comestabulo accepto, & aliis Civitatis sapientibus, Falconem Notarium, scribam sacri Palatii, istius opusculi factorem, sicut in principio legitur, Judicem Civitatis ordinavit, & eo ordinato, sicut prædiximus, Romam repedavit. Continuò Cardinalis ille simul cum Civibus Beneventanis, qui cum ipso Inerant, Civitatis negotia, & pericula multa, quæ patiebamur, intimavit prædicto Domino Papæ. Inter cætera verò annuntiant ei qualiter consilio Comestabuli, & Civium, Cardinalis ille Falconem Scribam sacri Palatii Judicem statuisset. Quid multa? Apostolicus ille petitionibus eorum favens confirmavit, & privilegio signatato misit Civitati Beneventanę per Gregorium Beneventanum electum, qui Romam ierat, se Falconem prætatum Judicem confirmasse Beneventanum.

Eodem anno, triginta & duo Beneventani Cives, qui apud Civitatem Salernum captivi tenebantur, Domino auxiliante de vinculis liberati sunt: dies verò eorum liberationis Sancti Eustachii Mar-

ty-

tyris colebatur. Princeps itaque, & Comes Romam euntes, non sicut voluerunt ab Imperatore consecuti sunt. Et eis illic morantibus, en ex improviso prædictus Rex Rogerius Siculorum, exercitu Saracenorum congregato Pharum transivit; deinde in Apuliam cursu rapido acceleravit, & continuò Civitatem Venusiam, quam Tancredus comprehenderat, & alias Civitates virtute comprehendens, igne, ferroque consumavit: viros quoque & mulieres, parvulosque earum variis mortis generibus necavit, quosdam verò eorum comburi fecit Regem testamur æternum, tanta crudelitate in Cristianos illos exarsit, quod vix aut nunquam à sæculo est auditum. Continuò Principi, & Comiti Romæ morantibus est nuntiatum, & citissimè redeant, & tanto Tyranno resistentes, Apuliam totam, & eorum bona à gutture tanti Prædonis defendant. Itaque nuntio accepto celeriter redeunt, & præconis voce tonante, Principatum totum Capuanum, & Civitatem Beneventanam exagitant, ut armis eductis contra perfidiam illius, & tyrannidem viriliter resistant; quod factum est, & preparatum. Comes itaque Rainulphus mille fere milites accipiens circa Trojanos fines accelercuit; misit continuò legatos suos ad Trojanam Civitatem, ut Sacramenta, quæ Comiti, & Principi Cives Trojani promiserant, adimplerent. Trojanus verò populus timore prædicti Regis coactus, & verbis Regis dolosè pacificis fidem attribuens, Comitis voluntati favere penitus recusavit. Insuper etiam Episcopus Civitatis populum omnem suaserat, ut Regis fidelitatem non dimitterent. Comes autem hæc audiens quadraginta dierum spatio illic commorans apud Beneventum repedavit. Dum hæc, & alia geruntur, Rex præfatus Civitatem nomine Materam obsedit, quam acriter expugnans proditione populi comprehendit; ibique Giffredum filium Giffredi Comitis Dominum Civitatis alligavit. Quibus ita peractis Civitatem aliam nomine Ansam suæ obtinuit potestati. Reverà thesaurum auri, & argenti Alexandri Comitis invenit. Quid multa? omnes Civitates ejusdem Alexandri Comitis, & oppida suæ submisit ditioni. Alexander itaque Comes, sicut naufragus, apud prædictum Comitem Rainulphum, heu miser, mortuus est. Deinde Civitatem Tranum, & totam Apuliam igne, ferroque Rex ipse trucidavit. Quid dicam? quod nunquam à sæculo est auditum, Rex ipse in Christianos operatus est. Deinde amoto exercitu, Rex ipse Rogerius humano nondum sanguine satiatus, montem Pilosum, ubi Tancredus de Conversano, & Rogerius de Pleuto viri bellicosi, & strenui aderant, obsedit; quindecim verò dies ibi moratus est. Tancredus itaque, & prædictus Rogerius viriliter, & animosè Regi Rogerio, & ejus exercitui obsistebant. Rex autem Rogerius constantiam eorum aspiciens, machinas lignorum, & belli apparatus super Montem Pilosum fieri mandavit. Rusticorum itaque manus Montis Pilosi, ferocitatem Regis, & præliorum terrores persentiens, pugnare contra eum nolebant: clamabant etiam se minime defendere posse. Quid longius? tubis sonantibus, & prelii apparatu circa muros inchoato, Montem Pilosum circumquaque vocibus ad astra levatis expugnat, Tancredus autem de Conversano, & prædictus Rogerius aggressionem ipsam aspiciens equos ascendunt, & cum militibus eorum secundum vires obsistunt. Novissimè autem judicio divino superveniente, & eorum infortunio horribili, Civitas ipsa Montis Pilo-

si capta est. Tancredus quidem, & miser ipse Rogerius armis projectis, per latebras, & loca Civitatis abscondita latuerunt. Inveniuntur tamen à persequentibus, & coram Rege Rogerio perducuntur, O quantus dolor, & lacrimarum horror insolitus! quod si lector adesses, dolore turbatus expavesceres. Continuò Rogerium ipsum laqueo suspendi præcepit. Præcepit etiam ut Tancredus ipse, manu sua furem laquei traheret: heu nefas, & dictu terribile. Tancredus ipse invitus Regis voluntati obtemperavit. Mirabatur omnis exercitus, & facta Regis horrebat, cælorum Regem deposcens, ut tanto Tyranno, & crudeli viro resistere dignaretur. Quo facto, Tancredum de Conversano virum mirabilem custodiri mandavit. Et sicut audivimus apud Siciliam captivus perducitur. Nec mora, Civitatem ipsam Montis Pilosi, & Monasteria, viros, & mulieres, omnes habitatores cum parvulis eorum in ore ignis, & gladii trucidavit. Inde exercitu amoto, rursu rapido super Trojanam Civitatem advenit. Cives autem, quia verbis ejus indolo pacificis crediderant securiter eum expectavere. Episcopus itaque Guilielmus nomine, Civitatis Clerum omnem Civitatis, & Monachos, & Cives convocans, in albis vestitus, cum laudibus, & processionibus coram Rege obujavit, cogitans animi ferocitatem sedare, corpora, ut audivimus, Sanctorum ad ejus gloriam ante eum preduxit. Rex autem ipse furibundus Civitatem ingressus, & securitatis datæ oblitus processionem ipsam, & gloriam aspicien, catholicæ fidei immemor, & Christianæ Religionis expugnator, oculis ardentibus processionem illam destruxit: Nolo, inquit, nolo hujusmodi gloriam, sed vita Comite, omnes destruam, & omnes exulabo. Clerus autem, & populus, qui obviam exiverant, in fugam convertuntur, &, sicut potuit, quisque absconditur. Continuò Cives multos Trojanorum comprehencit, & mulieres, & eorum infantes vinculis destinavit. Judicem quoque Rubertum nomine, & quatuor alios viros sapientes laqueo suspendi præcepit. Multi verò Trojanorum cum uxoribus, & filiis substantiam omnem relinquentes, ad Beneventum fugierunt. Domos insuper Trojanorum, & eorum bona igne, ferroque consummari præcepit. O quantus luctus mulierum, & Infantum per totam Civitatem Trojanam surrexit, quòd si centenas voces lingua exprimeret, prius deficerem scribendo, quàm omnia singillatim enarrarem. Diebus autem non multis evolutis, exercitu congregato Rex præfatus apud Melphitanam Civitatem festinavit, quam, sicut audivimus viriliter comprehendens suæ submisit potestati. Hoc anno præfatus Robertus Princeps videns ferocitatem Rogerii Regis, & Apuliam totam in confusionem, & mortis periculum pervenire, timens etiam, ne Rex ipse Principatum suum invaderet, consilio accepto, apud Pisanam Civitatem, navigiis paratis festinavit, qui quidem honorificè susceptus interrogatur, qua de causa tanti laboris sudorem subiret. Princeps itaque Regis Rogerii ferocitatem, & minas ejus, & terrores illatos è vestigio exponens precatur suppliciter, ut Civitas Pisana auxilii manum, & consilii ei largiretur, pactis eorum interveniencibus, sicut in inferiori tractatu continebitur. Octavo quidem Kalend. Julii Princeps ipse mare ingressus est, & Pisas transfretavit; qualiter autem cùm Pisanis egerit, nondum plenissimè ad nostram perventum est notitiam. Sed redeamus ad causam.

Cùm

Cùm præfatus Rex Rogerius Trojanam, & Melphitanam Civitatem depopulatus est, ficut accepimus, exercitus sui magnitudinem per partes dividens apud Barensem Civitatem repedavit. Hæc inter præfatus Comes Rainulphus Principatum totum Capuanum submovit, & totius terræ suæ auxilium, & Rolpotonem Beneventanum Comestabulum, & Beneventanæ Civitatis partes, partiumque angulos, ut omnes armis eductis Regi tyranno resistant, qui unanimiter, & mente devota Comitis Rainulphi voluntati famulantur. Clamabant quidem prius morti velle succumbere, quàm sub nefandi Regis imperio colla submittere. Quid longius moror? mille numeratos equites, & viriliter armatos, & peditum fere viginti millia Comes ipse congregavit. Comestabulus autem Rolpoto præconis voce Civitatem Beneventanam exagitans innumerabilem Civium multitudinem secum gaudens eduxit, & eis in unum convenientibus, dum Rex ipse taliter Apuliam consummaret, consilio virtutis arrepto super Castrum, quod la Pelosa vocatur, festinavere. Castrum illud Ugonis Infantis fuerat, qui perjurio facto Comitem Rainulphum dimiserat, & Regi Rogerio adhæsit. At Castrum illud obsessum per quatriduum acriter expugnatum est; machinas continuo lignorum ad muros destruendos Comes ipse ordinari præcepit, aquam verò fluminis, quod prope aderat, & fontes ibi contiguos die, noctuque custodiri, ne à rusticis hauriretur, viriliter præfatus Comes, & Comestabulus mandavere. Milites itaque Castellum illud servantes terrorem machinarum, & domos rusticorum à lapidibus dirutas aspicientes, & sitis periculum imminentis sentientes, ne igne, ferroque caperentur, exterriti Castrum illud reddiderunt ad præfati Comitis potestatem. Deinde Sacramentis intervenientibus, sub fidelitate Comitis alligantur. Inde consilio accepto, prædictus Comestabulus cum Beneventanis Civitatem Beneventanam gaudens ingreditur. At Comes, his omnibus congregatis, licentiam redeundi ad propria largitur, Sacramento firmantes, ut, cum necessitas incumberet, omnes armis eductis convenirent; & sic ad propria unusquisque repedavit.

Eodem anno Crescentius Cardinalis, de quo superius mentionem fecimus, cum præfato Rege Rogerio consiliatur, ut vineæ omnes Beneventanorum, & possessiones inciderentur, excogitans terrorem Beneventanæ Civitati inducere, & sic Civitatē sub nefandi Regis imperio subjugare. Rex itaque hujusmodi nefando consilio cōmunicato præcepit, ut vineę omnes Beneventanorū, & hereditates igne, ferroq; consummarentur. Nec mora; pars quædam vinearū, & possessionū inciditur, pars quædā combusta est. Lector quidē, si adesses, turbatus expavesceres de tanta vinearum incisione, & combustione possessionū. Vindemias dimisimus, famis quidem penuriam, & sitis, mortisque genera sustinentes ore vociferabamur aperto, prius pelago, & morti terribili colla submittere, quam ejus imperio famulari. Quis unquam mortalium tanti Regis nefandi furorem audiens, ejus dominium subire non pertimescat? Regem verò testamur æternum, Judicemque communem, Neronem crudelissimum Imperatorem Paganorū in Christianos stragem talem non legimus exercuisse. Cumque sicut prædiximus, præfatus Rex Rogerius Civitates Apuliæ, & oppida, viros, & mulieres eorum crudeli manu depopulatus est, consilio accepto,

Sa-

Salernum venit, ipsque congregari mandavit Proceres quosdam juxta Salernitanam Civitatem commorantes, & eis accitis tractavit cum eis, qualiter Cives Salernitanos, & Amalphitanos, sicut Apuliæ, feroci manu perderet. Sed quia congruum sibi tempus non videbatur, quod corde conceperat, imperfectum dimisit, excogitans tempore opportuno adimplere. Deinde navigio parato, mare ingrediens Siciliam transfretavit XII. Kalend. Novembris. Audivimus præterea viginti, & tria navigia auro, & argento onerata, & mobilium, quę de Civitatibus Apuliæ expoliaverat, in profundo maris se submersisse, in quibus navigiis multi viri, & mulieres ex omnibus Civitatibus Apuliæ, & infantes ligati exules ducebantur, patriam, parentesque suos nunquam visuri; qui in eodem naufragio suffocati sunt? O quantus luctus, & dolor horribilis universos fines Apuliæ invasit, cælorum tamen Regem collaudantes, quòd de variis mortis generibus, & exilii periculo, eos liberavit, & momento uno de mundi hujus voragine eos eduxit.

Dum hæc, & alia, quæ scripta sunt, juxta Apuliam geruntur, prænominatus Pontifex Innocentius, & Robertus Capuanus Princeps, salutis accepto consilio, mense Septembri mediante, navem ingrediuntur, & ventis secundis Pisas transfretavere; nam sicut accepimus exercitus navium, & armatorum virorum, & Imperatoris Lotharii virtutem quærentes cordi proposuere, ut Domino favente Civitatem Beneventanam multis, variisque calamitatibus oppressam à gutture nefandi Regis Rogerii eripiant. Iverat enim præfatus Princeps Robertus ad Civitatem Pisanam, & cum Consulibus, & sapientibus viris Civitatis satis, abundèque tractavit, ut auxilium navalis exercitus ei largirentur. Qui tamen sine populo Januensi hoc promittere noluerunt. Tandem definito consilio, Sacramentis intervenientibus, pactum stabilivere, ut circa mensem Martium futurum cum centum navigiis paratis armatorum super nefandum Regem Rogerium festinent. Audivimus quoque Ducem Venetiarum ad ejus auxilium manum dedisse; ideoque Princeps ipse Romam revertitur, & omnia quæcumque cum Pisano, & Januensi populo tractavit, Domino Papæ Innocentio è vestigio patefecit, sicque cum eodem Pontifice ad pactum illud firmandum Pisas festinavere. Cumque sicut prælatum est, Rex Rogerius Siciliam peteret, præfatus Crescentius nomine tantùm Cardinalis, aspiciens, quòd sub ipsius Regis potestate, sicut tractaverat, Beneventanam Civitatem non posset submittere, valde cœpit ipse cum aliis Beneventanis de Civitate projectis contristari. Deinde multis, variisque insidiis, & conspirationibus cœpit quosdam eorum muneribus, quosdam pollicitationibus, sacramentis intervenientibus, alligare. Alligavit reverà, ut Comestabulum Rolpotonem occiderent, & ejus sequaces, quot invenire possent, & sic armis eductis Civitatis plateas invaderent, pacem nomine doloso clamitando. Quibus Sacramento taliter alligatis, alios Beneventanos sanioris sensus, & prudentiores præfatus Crescentius decipiendo, mandavit, ut præfatis fautoribus suis manum consilii, & auxilii largirentur, quibusdam verò pecuniam transmisit, quibusdam honoris dignitatem pollicebatur. Nam sicut accepimus, præfatum Comestabulum die sollemnitatis omnium Sanctorum trucidare disposuere. Sed humani generis Salvator, qui reprobat

bat consilia gentium, cujus consilium manet in æternum, dispositiones eorum subvertit. Deinde præfatus Crescentius per totum mensem Novembris cum prædictis fautoribus suis de invasione Civitatis, & destructione subtiliter, & studiosissimè tractare non desinit. Quid multa? pestifero invento consilio die festivitatis Sancti Andreæ Apostoli statuerunt, ut ipse Crescentius, congregatis fere ducentis militibus, & peditum multitudine copiosa, ad incidendas vineas Beneventanorum, quæ sunt in loco, ubi dicitur Rosetum, venirent. Incisionem illam cum Cives Beneventani vidissent, ad defendendas vineas suas exire pugnaturi deberent, cum quibus exeuntibus prædictum Comestabulum Rolpotonem aggredi, & in fugam convertere disposuerunt, ita quidem, ut simulata fide, & fraude mortifera, primùm ipsi terga vertentes quosdam suorum militum, & peditum captivos in manus dimitterent Beneventanorum. Qua de re præfatus Comestabulus cum Civibus eos prosequi, & invadere protinus deberet, & eis ita persequentibus, quidam Beneventanorum præfati Crescentii fautores, & homicidio Civitatis alligati, portam Sancti Laurentii clauderent, & porta illa viriliter clausa nominatus Comestabulus cum Beneventanis, qui secum exierant, Civitatem ingredi non possent, & sic præfatus Crescentius cum militibus Regis Beneventanos insequerentur usque ad prædictam portam S. Laurentii, ad quam eum capere destinaverunt, & quot Civium invenire potuissent; sicque omnes particulatim trucidarent. Disposuerunt etiam, ut centum milites ad Ecclesiam S. Angeli ad Crucem, quæ est infra confinia portæ Summæ, latitarent, qui stragem illam, & captivitatem sentientes, Portam Summam virtute intrarent, deinde viros, & mulieres, & parvulos, & omnia Civitatis bona in ore ignis, & gladii confunderent, & ita Civitatem in potestate Regis, & dominio submitterent. Sed Salvator Omnipotens, qui castigat, & salvat, qui ducit ad inferos, & reducit, & post lacrimationem, & fletum exultationem inducit, mortifera eorum consilia, & nefandas dispositiones reprobavit. Ipse, inquam, qui reprobat consilia gentium, cujus consilium manet in æternum, reprobavit reverà, & subvertit malignorum machinationes, & longè aliter, quàm ipse Crescentius cum hostibus tractaverat, peractum est. O dolor, & dictu terribile, sub colorato nomine Romanæ Sedis Beneventanam Civitatem, quæ in vigore libertatis, & in B Petri fidelitate longè, latèque permanserat, sub prædicti Regis Rogerii crudelitate, execrandæ, ut ita dicam, memoriæ submittere disponebant. Regem quidem testamur æternum, quoniam per Civitatis Beneventanæ libertatem viriliter custoditam, & merita Apostolorum Petri, & Pauli, & Bartholomæi, & aliorum Sanctorum, miseram Apuliam à nefando illo Rege captivatam, & usque in Romanos fines Provincias de manu ejusdem Regis, & desiderio ereptam fore, & ad gloriam perductam sine dubio sperabamus. Sperandum quippe erat, & ante oculos jugiter habendum, quoniam quidem Innocentius Pontifex cum Roberto Capuano Principe sudore multo, & periculo arrepto, pro nobis omnibus redimendis laborabant, sicut in superiori tract. præmisimus; modò verò apud hostes Civitatis disponebatur, nos omnes in mortem, & depredationem, & dispersionem subjicere. Sed redeamus ad causam.

Præfati igitur Crescentii fautores, velocitate accepta, Beneventa-

tanorum sanguinem sitientes adventum inimicorum Civitatis, qui secum conjuraverant, sicut superius dictum est, non expectavere. Continuò in prædicta festivitate S. Andreæ Apostoli, armis acceptis, in plateas exierunt. Quid dicam? mente confusi, fideles B. Petri percutientes, pacem se velle clamabant. Roffridum quidem Judicem, & Abbatem Paroaldum gladiis percusserunt. Mira res; Quid defuncto, vel ad mortem percussis pax talis proficeret? pacem verò firmari, & consolidari, armis depositis, vidimus, & audivimus, & eis in plateas exeuntibus existimabant, ut tota ferè Civitas dictis eorum, & factis obtemperarent. Comestabulus autem Rolpoto tunc in Civitate non aderat; iverat enim Comitem Rainulphum alloquuturus. Confestim, spiritu fidelitatis accepto, populus omnis Beneventanus insurgens, armis celeriter assumptis, Civitatem Beneventanam animosè, & studiosè obtinuimus. Quid plura? nefando illos viros Crescentii fautores comprehendimus. Comestabulus autem prope Civitatem Beneventanam adveniens, & eam turbatam, & in tali ruina positam audiens, confisus in Beati Petri fidelitate, Civitatem ingreditur, mori prius velle desiderans, quàm sic inopinatè Civitatem destructam videret. Armis itaque acceptis viriliter, & animosè cum quibusdam militibus Beneventanis secum venientibus per plateam Civitatis ascendit, & ad Portam Summam acceleravit, invenit reverà Portam ipsam firmiter clausam, & à fidelibus honestè custoditam. Milites interea Montisfusci cum Benventanis, qui projecti de Civitate fuerant, foris Portam Summam venerunt, ut Civitatem intrarent, & desideria cordis perficerent, sicut inter se tractaverant. At ubi portam ipsam clausam aspiciunt, paulisper ibi morati sunt, fideles autem B. Petri turrim Portæ Summæ ascendentes milites illos lapidibus projectis ejiciunt, & eam fideliter defendunt. Nec mora, milites illi terga vertentes cursu præcipiti ad suos revertuntur. Confestim Comestabulus ipse Portam Summam aperiri præcipiens cum militibus armatis eos mirabiliter insequitur, qui sanè rimore coacti ad Montemfuscum repedaverunt: in quorum persecutione Vir quidam, nomine Joannes Benedicti, qui Beneventanus erat, quique cum præfato Crescentio exierat, captus est. Præfatus autem Comestabulus ad Civitatem reversus cum B. Petri fidelibus Curiam animosè gubernavit. Quid multa? prędictum Joannem Benedicti laqueo suspendi pręcepit; deinde cęteros alios proditores, quos comprehenderamus, suspendi jussit. Joannem quidem de Lepore, virum nefandę memorię, pręfati Crescentii fautorem capite verso in foveam mergi pręcepit, & pedibus in altum levatis; heu miser, vitam inaudita morte finivit. His, & aliis ita decursis, Beneventana Civitas à turbine tanto, & tempestate quievit. Quosdam pręterea Beneventanos, qui in suspitione illa tenebantur, pręsatus comprehendit Comestabulus, & vinculis alligari mandavit per Comitis Rainulphi municipia.

Anno Dominicę Incarnationis 1134. mense Martio XII. Indictionis. Hoc anno pręfatus Princeps Robertus cum duobus Consulibus Pisanorum Alzopardo videlicet, & Cane, Viris sapientibus, & cum aliis ferè mille Pisanis ad Principatum suum Capuanum revertitur IV. Kalend. Martii. Qui diligenter à Magistro militum Neapolis, & Rainulpho Comite susceptus, omnia, quę cum Pisanis,

& Ja-

& Januenſibus firmaverat coram Papa Innocentio prædicto, patefecit, & qualiter tria millia librarum argenti Piſanis in auxilium ſuum venientibus, Sacramento mediante, dare deberet: Prædictus autem Magiſter militum, & Comes Rainulphus hæc audientes, gaudio magno gavifi ſunt, fatiſque omnibus à Principe recitatis fidem attribuerunt. Nec mora, per Eccleſias Neapolitanæ Civitatis, & Capuanæ diſcurſum eſt, & pecuniam illam argenti curſu celeri congregavere. Quid plura? theſaurum ipſum argenti ad Piſanos tranſmiſerunt, rogantes, ut cum feſtinatione ad eorum auxilium ſubvenirent. In quorum Comitatu Gregorium Beneventanum electum cum quibuſdam Sacerdotibus ſuis mandaverunt, quatenus afflictionem Beneventanæ Civitatis Domino Papæ, qui illic aderat, & Piſanis intimaret. Quibus ita peractis, Rex Rogerius memoratus, navigiis galearum fere ſexaginta paratis Salernum pervenit. Continuò galeas illas ad Civitatem Neapolim debellandam mandavit, & eis applicantibus uſque ad portum Neapolis, expugnatum eſt. Cives Neapolitani, armis acceptis, viriliter galeas illas pepulerunt, deinde Caſtella Neapolitanorum ibi contigua depredati ſunt, ſicque ad Regem remeaverunt. His, & aliis ita decurſis, præfatus Rex Rogerius, congregato exercitu Siculorum, & Apulorum, Abellinum Civitatem advenit. Inde amoto exercitu, aurora ſurgente, Caſtellum quoddam nomine Prata, quod erat Guillelmi de Abinalia, inſilivit. Caſtrum quidem ipſum putans fore ſecurum, & à tanto exercitu imparatum fuerat. Quid dicam? momento uno captum eſt, & in ore ignis, & gladii conſummatum: Ibi milites mortuos, vulneratos, & captivos audivimus. Eadem die Caſtrum illud Alta cauda, & Gracta, & Submonte ad Ranem de Fraineta pertinentia, comprehendit. Dum hæc, & alia crudeli manu agerentur, Beneventanam Civitatem, totumque Capuanum Principatum timor invaſit. Rogabamus itaque Salvatorem omnium, ut nobis omnibus ſolita pietate ſubveniret. Quantas autem lacrymas, & voces in altum levatas Beneventanorum, Neapolitanorum, & Capuanorum, omniumque circumquaque habitantium, Lector ſi adeſſes, mirareris, & crinibus ſolutis miſericordem Dominum invocabamus, & Caſtris illis ita comprehenſis Rex ipſe Rogerius revertens Caſtra Roberti Principis comprehendit, Palmam quidem & Sarnum. Audiens autem talem, tantamque ſtragem, & invaſionem Comes prædictus Rainulphus, & Robertus Princeps, & Magiſter militum, mirabiliter, mirabiliuſque inſiliunt, & præconis voce, tubiſque ſonantibus Civitates ſuas, & oppida, & vicos ſubmoverunt, ut unuſquiſque armipotens omnibus eorum armis eductis inſurgeret, & tali tantoque Tyranno obviaret; Quid longius morer? Cœlorum Regem teſtamur, milites omnes, Proceres, Sacerdotes, Clerici, juvenes, & ſenes occurrerunt, & mirabili, & potentiſſimo exercitu congregato, gaudio magno feſtinant vocibus apertis dicentes. Melius eſt mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & Sanctorum: & eis ita congregatis apud Caſtellum Marilianum, exercitus ipſe caſtrametatus eſt. Ad auxilium verò eorum Rolpoto Beneventanorum Comeſtabulus quadraginta equites, & mille fere Beneventanos tranſmiſit. Cumque præfatus Rex taliter Comitem Rainulphum, & Principem paratos perſenſiſſet, ſuper Caſtrum Nucerium feſtinavit, putans illud momento, ſi-

cut & cætera comprehendi, & circa flumen nomine Sarnum milites, & fagittarios posuit, ne Comes cum fuis ad eum transiret. Interea Castrum illud Nucerium acerrimè ab exercitu Regis expugnatum est. Rogerius autem de Surrento à Principe ibi ordinatus, cum centum quinquaginta militibus, & fagittariis multis, & armatis viris fidelibus, nihil eorum, quæ inferebantur, trepidabat, & quotidiè, & animosè castrum illud tuebatur. Quid multis? proditione quorumdam Regis amicorum, Castrum illud Nucerium in potestate ipsius Regis datum est; deinde Castrum Sarni, & Lauri, & universa oppida Rex ipse suæ obtinuit potestati. Cumque Castrum illud Lauri sic comprehensum esset, prædictus Princeps, & Comes Rainulphus, & & Magister militum mirabiliter turbati sunt. Congregant itaque mille ferè equites, & multitudinem peditum copiosam, ut Castrum illud Lauri de Regis potestate evellant, sed Proceres Principis, & Comitis Rainulphi, pecunia Regis accepta, auxilium eis, sicut juraverant, inferre distulerunt. Unde Princeps ipse dolore commotus, Neapolim properans Pisas transfretavit. Præfatus autem Comes Rainulphus Baronum suorum nequitiam comprehendens, & quia tanto Regi obsistere non poterat, Sacramento interveniente sub Regis potestate colla submisit. Audiens autem Rolpoto Beneventanus Comestabulus Comitem illum Rainulphum ad Regis imperium pervenisse, animo costernatus die Kalendarum Julii de Civitate Beneventana exiens Neapolim ingressus est, quem Comestabulum mille, & eo amplius Beneventanorum secuti sunt. Triduò autem post Comestabulus ipse Rolpoto timore perculsus navigio parato, ne in manus Regis traderetur, cum quibusdam fidelibus suis, & duobus filiis Pisas festinavit, & eis navigantibus, judicio Dei superveniente, navis illa confringitur, & sic ipse cum uno filio suo, & duobus fidelibus suis, inter procellas maris mortui sunt. Alter verò filius evasit, Rex autem Comite illo accepto, Capuam, & Aversam, & totum Principatum comprehendens Salernum adivit, & ibi non multis diebus commorans, victorque effectus Siciliam repedavit. Pontifex autem sub Anacleti nomine coloratus, cursu rapido Beneventum venit, & Civitatem illam ipsius Regis virtute suæ obtinuit voluntati, & domos quorundam Beneventanorum destrui præcepit. Princeps præterea Capuæ à Papa Innocentio, qui Pisis aderat, honorificè suscipitur, & ibi usque ad mensem Martium permansit.

Anno 1135. Dominicæ Incarnationis, & sexto anno Pontificatus Domini Innocentii mense Martio Indictionis XII. Hoc anno Princeps ipse septimo die stante mensis Aprilis cum viginti navigiis Neapolim venit, & comprehendit Aversam, & Cucculum, quibus comprehensis Neapolim Princeps ipse revertitur, & ibi immoratus est cum Pisanis ipsis. Eodem anno præfatus Comes Rainulphus venit Neapolim cum quadringentis militibus, & Civitates suas, & oppida dimisit. His inta peractis præfatus Rex medio mense Junio venit Salernum, & exercitum congregavit, & super Aversam pernexit, & eam igne, ferroque est depopulatus, & bona eorum diripuit. Cumque Rex ipse stragem illam fecisset, super Neapolim venit, & diebus novem eam obsedit, sed populus Civitatis, & Princeps nihil ex hoc trepidabant. Rex autem Civitatem illam capere non posse aspiciens, eam dimisit, & Aversam perrexit, & eam reædificari præcepit.

cepit. His ita decursis præfatus populus Pisanorum cum aliis viginti naviglis, quæ supervenerunt, Civitatem Amalphitanam pergunt, & eam comprehendunt, & ejus universa bona diripiunt, sicque divitiis multis locupletati Pisas redeunt simul cum Principe. Rex autem, Pisanorum exercitum reverti comprehendens, iterum Neapolim obsedit, cumque die quodam in festivitate Nativitatis Sanctæ Mariæ, Rex ipse navale bellum cum Neapolitanis incipere vellet, en subitò tempestas affuit, & omnes naves illas divisit; ita quod in profundum mergi putarent, & sic ad portum Puteolanum revertuntur. Tunc Rex videns neque mari, neque terra, contra Civitatem agere, navigia illa reverti præcepit, & ipse Salernum repedavit, deinde Siciliam ingressus est. Cumque Robertus Princeps Pisas reverteretur, consilio Domini Papæ Innocentii simul cum Domino Girardo Cardinali, & Riccardo Comitis Rainulphi germano ad gloriosum Lotharium Imperatorem festinavit, qui honorificè ab ipso Imperatore suscipiuntur, & ei qualiter Principatum suum perdidisset, lacrymis multis intimavit. Precatur etiam, ut pro amore Domini Papæ sibi succurreret, & quòd injustè perdiderat, redintegraret. Imperator itaque muneribus multis ei datis, promisit se ipso anno venturum ad Romanæ Sedis libertatem, & ejusdem Principis restitutionem, & sic Princeps ipse reversus Domino Papæ Innocentio cuncta narravit. Ipso anno Magister militum Pisas perrexit, ut auxilium ab Apostolico Innocentio, & Pisanis inveniret, qui à Pisanis diligenter susceptus est, & promiserunt libentissimè ei auxilium inferre, sed quorumdam inimicorum consilio auxilium illud promissum destructum est. Unde Magister ipse militum vehementer turbatus Neapolim revertitur, & Civitatem suam viriliter tenuit.

Anno 1136. Dominicæ Incarnationis, & septimo anno Papæ Innocentii, dum hæc, & multa alia agerentur, præfatus Imperator Apostolico Innocentio mandavit, ut eum præstolaretur, quia, Domino favente, sicut promiserat, in festivitate S. Jacobi venire despondebat. Pontifex autem spirituali gaudio gavisus Magistro militum destinavit omnia, quæ Imperator ei mandaverat, deinde Princeps ipse audiens Civitatem Neapolim famis periculo urgeri cum quinque navigiis ad eadem Civitatem venit, & Imperatoris adventum firmiter propalavit, & cursu celeri Pisas revertitur. Continuò ad Imperatorem festinans invenit eum montes descendisse, & super Civitatem Cremonam castra sua posuisse. Illicò pedibus ejus advolvitur lacrymis rogans, ut sibi exhæredato subveniret. Intereà ad tantam famis asperitatem Civitas pervenit Neapolitana, quod infantes multi, pueri, adolescentes, juvenes, senes etiam utriusque sexus per Civitatis plateas, & domos spiritum exhalabant. Sed Magister militum, & ejus fideles, qui libertati invigilabant Civitatis, quique antiquorum suorum sequebantur honestatem, mori prius famis morte malebant, quam sub nefandi Regis potestate colla submittere. Hæc inter præfatus Imperator literas suas signatas propriis legatis suis Magistro militum, & Civibus suis destinavit consolationis verba describens, ut fidelitatis propositum teneat, quia, favente Domino, in proximo ad ejus liberationem festinaret. Legati verò illi coram omnibus juraverunt Imperatorem illum ad Civitatem Spoletum dimisisse. Diebus autem non multis excursis, en adest Legatus

alius ipsius Imperatoris literas ferens, consolationis similiter verba continentes, qui eum dimisisse apud fluvium Piscariam affirmavit. Item in subsequentibus diebus alias transmisit Imperator literas continentes se in proximo venturum in Apuliam,& Italiam à tanta perditione redempturum. Archiepiscopus præterea Marinus Civitatis Neapolitanæ, & Philippus de Acerra Civis Neapolitanus vir prudentis ingenii, & Rainulphus Comes, qui obviam Imperatori dudum exierant, similiter literas suas consolationis Magistro militum delegavit. Literis itaque talibus acceptis, & tali suspensi Neapolitani promissione, licet fame coacti, Imperatoris tamen illius expectabant adventum.

Anno 1137. & anno octavo Pontificatus Domini Innocentii mense Martio XV. Indictionis præfatus Apostolicus Innocentius, qui tunc Pisis morabatur, consilio communicato de Civitate Pisana exivit, & apud Civitatem Bitervum advenit, præfatum Imperatorem alloquuturus. Imperator igitur Henricum generum suum cum tribus millibus equitum ad Pontificem destinavit Innocentium, addens se facturum, ut Romanos fines teneat, & Principi Roberto Principatum suum restituat. Ipse verò Marcasadire dispofuit. Apostolicus autem continuò Romanos fines advenit, & Civitatem Albanum, & Provinciam totam Campaniæ suæ obtinuit fidelitati, Romam quidem ingredi noluit, ne in Romanorum negotiis impediretur. Præfatus autem Imperator flumen Piscariæ adveniens, Pascha Domini ibi celebravit. Inde flumen illud transiens, Civitatem Termulensem, & illius Provinciæ Comites obtinuit, & inde amoto exercitu, Apuliam ingreditur, & Civitatem Sipontum, & Montem Sancti Angeli octavo die intrante mensis Maii comprehendit. Tantus itaque timor totam invasit Apuliam, quòd universus populus usque ad Civitatem Barum, ad ejus Imperium alligatus est. Et his actis Apostolicus ipse ad Civitatem Sancti Germani pervenit, quam suæ submisit ditioni. Inde Capuam veniens Roberto Principi eam restituit, & his actis Beneventum venit prædictus Apostolicus decimo Kalend. Junii, & retro montem Sancti Felicis propè Beneventum cum Henrico Duce prædicti Imperatoris genero castrametatus est. Continuò Dominum Girardum Cardinalem virum prudentem, & discretum propè Civitatem misit Beneventanam, ut cum Beneventanis loqueretur, utrum cum eo pacis firmamentum ponere vellent. Venerunt itaque ad eum quidam de Civibus Beneventanis, & cum illis satis, abundèque de Civitatis concordia tractaverunt, & his actis ad Dominum Apostolicum omnia, quæ dicta sunt, exposuit prædictus Girardus Cardinalis. Alio autem die adveniente prædictus Apostolicus, consilio arrepto, castra inde amovit die videlicet Sabbati, & ex hac parte prædicti Montis Sancti Felicis transivit cum exercitu prædicti Ducis Henrici, & in planitie Sancti Petri Apostoli juxta flumen Sabbati, viriliter, & animosè astra opponi præcepit. Beneventanus autem populus horum, quæ fiebant, nihil agnoscere poterat. Cumque taliter in prædicta planitie Sancti Petri castra Apostolici, & Ducis illius ponerent, fama talis, tantique facti Civitatem percussit Beneventanam; & Rossemannus, qui tunc præerat Romanæ Sedis adversarius Cives ferè universos submovit, ut contra Apostolicum venientem insurgerent, & ad eorum posse resisterent. Nec mo-

mora, prædictus Girardus Cardinalis vocari fecit Landulphum Judicem Beneventanum, & Lodoicum Medicum, & Malfridum de Grimaldo Abbate, ut de pacis fœdere loquerentur, & Civitatem Domino Papæ Innocentio redderent, Exierunt itaque viri illi vocati, & petitionibus Apostolici faventes Civitatem revertuntur. Præterea ad horam ferè nonam quidam Beneventanorum exeuntes cum Teutonicis pugnare cœperunt, putantes eis timorem inducere, ut eos in fugam sectari. Dux verò illorum nominatus Henricus, audiens Beneventanos ita super se insilire, armari suos omnes occultè præcepit, & catervatim eos à castris exire disponens præcepit, ut Beneventanos sic stultè, & furiosè exeuntes, insidiis positis, præoccuparent. Quid multis? en ex improviso Leonum more frendentes Teutonici insiliunt, & Beneventanos illos, qui contra eos pugnabant, usque ad Pontem majorem in fugam convertunt. In fuga verò illorum quadraginta fermè capti sunt, & quidam illorum trucidati, inter quos Petrus de Populo vocatus, capite abscisso, heu miser, exhalavit. Alter verò, Priscianus nomine, Civitatis Notarius, ibi mortuus est vulneribus multis afflictus. Decem verò vulneratorum, qui de captione evaserunt post dies quadraginta mortui sunt intra Civitatem. Cùmque taliter Cives Beneventani capti, trucidati, & morti dedit essent, timor continuò Civitatem invadit Beneventi, & luctus, quòd, si lector adesses, mori cum eis putares, & afflictione multa deficere. Nocte itaque insecuta, Cives qui capti fuerant, vinculis districti sunt, & alligati. Manè autem facto, die quidem Dominico, ad Dominum Papam veniunt quidam de Civibus Beneventanis viri sapientes, & discreti, qui omnia, quæ Apostolicus exquisierat, assecuti sunt, continuò captivos Cives Beneventanos, quos Teutonici comprehenderant Dominus Apostolicus absolvi jussit, & ad propria reverti. Et sic Sacramentis firmatis fidelitatem Domino Papæ complures Civium, qui apud ipsum Pontificem exierant, juraverunt. Cùmque taliter Sacramenta illa perficerentur, vir quidam Taquintus nomine, Civis Beneventanus, quique per triennium exulaverat, ultionem reddere de acceptis excogitans, Teutonicos omnes submovit, ut Civitatem ingredientes, quot possent, caperent, & bona eorum auferrent; qui cursu rapido armis acceptis insiliunt, & usque Portam Ruffini festinaverunt, sed quia Portam illam hi, qui intrinsecus erant, firmiter clauserunt, Civitatem ingredi non potuere. Fama itaque tantæ invasionis cum ad aures Pontificis Innocentii pervenit, prædictum Ducem Henricum vocari mandavit, ut exercitum illum compesceret, & à tali mortifero aggressione illum prohibeat. Confestim Dux ille pervolat, & totum illum exercitum ad Castra reverti mandavit; sicque Civitas ab eorum invasione evasit. Jaquintus verò ille per clavicam, quæ Sancti Renati vocatur, ingrediens, cum quibusdam consociis suis ad sacrum Palatium Curiæ festinans perrexit, & Crescentium Cardinalem Pontificis Innocentii adversarium, qui tunc ibi occultabatur comprehendit. Nec mora, per plateam illum ducentes ad Dominum Papam captivum illum transmiserunt; deinde in eadem platea, Bernardum, qui Comes Palatii vocabatur, ejusdem Pontificis contrarium Jaquintus ille invenit, quem audacia assumpta capere conatus est, quatenus eum in captionem prædicto Apostolico delegaret; qui Bernardus videns se sic turpi-

piter capi, quibusdam sociis suis secum equitantibus exclamavit, ut quantocyus succurrant, & eum à tanta captione eripiant, qui statim ensibus evaginatis Jaquintum illum feriunt, & plagis crudeli manu impositis terratenus illum de equo prosternunt, & sic Bernardus ille à captione illa liberatur. Invadit igitur Civitatem illam timor mirabilis, & bonis suis oblitis, Cives attoniti ruinam inauditam, & deprædationem metuebant. Præfatus autem Jaquintus ita crudeliter vulneratus ad manus quorumdam ad sororis domum perducitur, & sic novem dies sine sensu, & memoria advivens mortuus est. Dominus autem Apostolicus sic illum vulneratum, & mortuum, suaque sponte taliter fuisse perductum audiens, ut erat sapientis animi, & pacifici cordis, nullam cum Beneventanis, qui eum interfecerant, excitavit quæstionem. Rossemannus autem, qui tunc contra voluntatem ipsius Apostolici Episcopus fuerat, & qui Civitatem violento nomine tenuerat, noctis silentio timore coactus fugiit. Quibus omnibus ita peractis, ita prædictus Falco Judex, & Roffridus Judex, & Falco Abbatis Falconis, & Saductus, & Pando, & Potofridus, & Adonibezet, qui per triennium exules fueramus, cum aliis Beneventanis similiter exulibus, licentia prædicti Pontificis ad propria reversi sumus. Cæteris quidem Regis magnalia laudantes, qui post tribulationem, & fletum exultationem inducit. Præfatus autem Apostolicus supranominatum Girardum Cardinalem ad Civitatem mandavit, ut à Civibus universis fidelitatem acciperet, quod & factum est.

His omnibus ita evolutis, Pontifex Innocentius Sacramentis fidelitatis acceptis, consilio habito, iter arripuit VIII. Kalend Junii, ut ad Imperatorem nominatum festinaret; veniens autem ante Portam Summam, populum Civitatis, qui eum ibi præstolabatur, Pontifex ipse taliter allocutus est: Gratias vobis agimus, fratres, & Domini, quia corde hilari, & voluntate sincera fidelitatem nobis peregistis; rogo itaque fraternitatem vestram, & probitatem, ut pacem teneatis, & constantiam justitiæ inter vos; Civitatem verò intrare modò non possumus pro multis, variisque negotiis, quæ cum Domino Imperatore definienda decrevi. Sed his, divina clementia definitis, ad vos reverteremur, & de Civitatis utilitate tractabimus; nunc verò prædictum fratrem nostrum Cardinalem Girardum vobiscum morari permittimus, qui erga vestras utilitates assiduè invigilabit, & pacem inter vos continebit. Hæc, & his similia Pontifex ipse ubi allocutus esset, iter cœptum arripiens ad prædictum Imperatorem tetendit Lotharium, quem super Civitatem Barensem eam acriter obsidentem invenit. Cardinalis igitur nominatus Girardus jussu prædicti Apostolici in Beneventana Civitate moratus est, & confestim sacrum Beneventanum Palatium ascendens, Civitatis utilitates, data pace circumquaque, operabatur. Inter cæteras ejus dispositiones præcipuè pacem tenendam viribus totis, ore, & corde prædicabat. Prius verò quàm Apostolicus de Civitate discederet, Octavianum Subdiaconum, virum prudentem, & sapientis animi, Rectorem Beneventi ordinavit, qui simul cum Domino Girardo statum Civitatis, & pacis firmamentum studiosè regebat. Cumque Pontifex ipse apud Imperatorem pervenisset cum præfato Duce Henrico, honore mirabili, & gaudio ab Imperatore suscipitur. Deinde Barensis populus

Ca-

Castellum Civitatis, quod pro eorum afflictione Rex Rogerius fabricari jusserat, valde terribile, & munitum expugnaverunt, sicque per quadraginta dies illud obsidentes cum Teutonicorum auxilio, virtute multa Castellum illud comprehenderunt, & terratenus prostraverunt. Custodes autem Castelli, quia jam amplius illud defendere non poterant, capti, & trucidati, & in mare præcipitati sunt. Sicque de tali, tantaque victoria tota Italia, & Calabria, Siciliaque intonuit, & Regi cælorum gratias agens de tanti Tyranni gutture eripi gaudebat. Inde maritima omnis usque ad Tarentum, & Calabriam ad Imperatoris fidelitatem alligari satagebat. Cumque Castellum illud Barense taliter comprehensum est, super Civitatem Melfium Apostolicus, & Imperator venerunt, & eam viriliter obsidentes, diebus non multis elapsis, comprehenderunt, & suæ obtinuerunt fidelitati. Hæc inter Pisanorum exercitus, sicut juraverat, centum navigiis armatis ad Civitatem pervenit Neapolitanam. Nec mora; jussu prædicti Imperatoris super Civitatem Amalphitanam festinat, excogitans igne, ferroque eam depopulari. Cives autem Amalphitani, consilio salutis invento, pecunia multa data ad Imperatoris, & Pisanorum permansit fidelitatem; Inde super Rebellum, & Scalam properantes eas invadunt, & universa eorum bona diripientes, in ore ignis, & gladii eas consumunt. Viros quoque, & mulieres cum cum eorum parvulis captivos perducunt, sicque super tali vindicta gavisi, ultra quàm credi potest, insultant. Interim præfatus Imperator, & Apostolicus Civitatem dimisit Melfium, & Civitatis Potentiæ fines descendit: ibique juxta fluenta de lacu Pesele per dies fere triginta moratur. Inde universa Apuliæ oppida, & Civitates ad suum Imperium alligavit. Et his actis mandavit Imperator, ut Pisanorum exercitus Salernum obsideat; præcepit quoque Roberto Principi, & Magistro militum Neapolitanorum, ut viribus totis, & armis simul cum Pisanis eandem Salernitanam obsiderent Civitatem; quod & factum est XV. Kalend. Augusti. Quin etiam Rainulphum Comitem, quem affectione multa secum detinebat, mille Teutonicorum viris ei datis, super Civitatem ipsam Salernum destinavit: quibus ita convenientibus prope muros obsederunt. In Civitate illa reverà quadringenti milites aderant, qui Civitati invigilantes, Pisanos, & Principem, suosque omnes quotidie expugnabant. Quadam itaque die, sicut accepimus, certatum ad invicem validissimè est inter eos, & de militibus illis Rogerii Siculorum captivi ducti sunt, & alligati Consules præterea Pisanorum, Civitatis constantiam aspicientes, quia talis, tantaque caterva militum interérat, consilio communicato, lignorum machinam mirabiliter, mirabiliusque excelsam, & ultra quàm credi potest, terribilem construi, summaque cum festinatione levari mandaverunt. Unde factum est, quòd populus Civitatis mortis periculo oppressus mortem expectabat. Audiens autem Imperator Civitatis Salernitanæ constantiam, & quia igne, ferroque Pisani eam obsidebant, consilio invento, simul cum Domino Apostolico ad eandem Civitatem celeriter festinavit. Sequenti igitur die sapientes Civitatis ad ipsum Imperatorem venere, & pactis intervenientibus, Civitatem ipsam suo Imperio submiserunt. Quidam verò militum illorum, securitate accepta, licentiam exeundi impetrarunt, quidam verò & prædicti Rogerii Proceres ad turrem majorem, quæ super Civita-

vita-

vitatem erat, confugerunt. Sicque Civitas ipsa in gaudium conversa, sub tali, tantoque Imperio exultabat. Audiens autem populus Pisanorum Civitatem Salerni sine eorum consilio, & voluntate ab Imperatore captam fuisse mirabiliter contristati sunt, & furore arrepto machinam lignorum factam combusserunt, & paratis navigiis Pisas regredi disponebant, sed Apostolici Innocentii precibus, & promissionibus coacti ad Imperatoris voluntatem reversi sunt. Sicque Castrum illud Turris majoris pro eorum discordia dimissum est. His ita peractis præfatus Imperator, & Apostolicus Castra inde amoventes, Abellinum venerunt; deinc Beneventum, & juxta fluvium Caloris ex hac parte Ubiani, ad Ecclesiam Sancti Stephani castrametati sunt, secundo die stante mensis Augusti. Cum autem Abellinum venisset Apostolicus ipse Innocentius Ducem ad defensionem Apuliæ ordinare nomine suo satagebat. Imperator verò nomine suo, contra voluntatem Apostolici ordinare volebat. Unde factum est, ut per triginta fere dies ad invicem discordatum sit, sed sapientum consilio communicato, discordia talis destructa est. Quid multa? divina favente clementia, & ipso Imperatore favente, omnibusque suis, Apostolicus nomine suo ad B. Petri fidelitatem Comitem Rainulphum virum utique prudentem, & discretum in Ducem elegit, & eo electo vexillum ad honorem Ducatus Apostolicus, & Imperator in conspectu omnium ei tradiderunt, & confirmaverunt. Unde nemo tempore isto viventium recordari poterit, tali lætitia, & honore Ducem aliquem fuisse electum. Cumque taliter in prædicto loco castrametati sunt, triduò post, die videlicet Kalendarum Septembris Imperatrix nomine Florida, militibus ferè centum assumptis ad Ecclesiam Beati Bartholomæi Apostoli venit Portam auream ingrediens, & Missarum solemnia ibi audiens, pallium quoddam super Altare Beati Bartholomæi, & libram unam argenti obtulit. Præ gaudio verò Beneventanus populus utriusque sexus, quia per innumera annorum curricula Imperatricem, sive Imperatorem non vidimus, cursu præcipiti ad ipsam intuendam Imperatricem ex omni parte Civitatis festinavimus, & gratias Deo agentes exultavimus, quia, quod Patres, Avi, Proavi videre non potuerunt, temporibus nostris vidimus. Ea autem Basilicam ipsam B. Bartholomæi egrediens per mediam plateam Civitatis ascendit, & per Portam Summam exiens ad exercitum suum remeavit. Triduò autem post Imperatricis adventum præfatus Apostolicus Beneventanam Civitatem intravit, & à Clero, & populo universo honorificè susceptus est. Altera autem die adveniente in sacro Beneventano Palatio sedens in conspectu Cleri, & populi Beneventani clamavit, ut si quis contra personam, sive electionem Gregorii Beneventani electi canonicè, & rationabiliter opponere vellet, libera fronte opponeret: sed clementia divina opitulante, & quia electus ipse vitam suam religiosè custodierat, nemo Civium contra ejus electionem objecit. Apostolicus itaque hoc aspiciens gratias Deo egit, & ipse de persona, & vita electi testificatus est honestè, & religiosè, & eidem electo præcepit, ut de peccatis suis confiteatur, & die Dominico adveniente, Spiritu Sancto cooperante consecrationem acciperet. Quid multis? die adveniente Dominico Apostolicus ipse Ecclesiam Episcopii descendit, quinto die videlicet intrante mensis Septembris Electum ipsum consecravit, ad

cujus

cujus consecrationem Patriarcha interfuit Aquilejæ, & complures alii Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates Teutonicorum viri Religiosi. Lector, si interesses, reverà miratus diceres Archiepiscopum quemlibet Beneventanum tanto honore, & reverentia consecratum nunquam fuisse, & eo consecrato Apostolicus ipse Palatium revertitur. His ita peractis Judices, & sapientes Civitatis eundem Dominum Papam præcantur, quatenus apud Imperatorem intercederet, ut de antiqua afflictione, quam Civitas longè, latèque perpessa est, Imperator ipse Beneventanos liberaret; videlicet de vinearum fidantiis, & angariis, terratico, & de omnibus redditionibus, quas Normandis reddere soliti sunt, quoniam quidem nos, & Patres nostri, Avi, & Proavi Deum oravimus, ut Imperatoris adventum partibus istis largiri dignaretur, per cujus adventum libertatis vigorem, & securitatis consequeremur. Nunc verò Pater sanctissime, & quia voluntas, & potestas concessa est bene nobis faciendi, lacrymis omnium oramus, ut de tanto periculo tributorum Civitatem B. Petri eripias. Apostolicus itaque pietate divina correptus super Civitatis longa afflictione condolens Patriarcham Aquilejæ, aliosque Cardinales, & Girardum specialiter Cardinalem suum Presbyterum, virum valdè venerabilem, & discretum ad Imperatorem direxit, qui foras in præfato loco castrametatus erat, expostulans, ut Comiti Rogerio de Ariano præciperet, ejusque Baronibus, ut fidantias, & omnes redditus, quos de hæreditatibus Beneventanorum habere solitus erat, quietus dimitteret. Imperator itaque precibus Apostolici acceptis, absque mora, vocari fecit præfatum Comitem, ut cum Baronibus suis veniret, & Sacramento interveniente, petitionibus Apostolici obtemperaret. Comes itaque adveniens coram Imperatore confessus est, se hoc juravisse, & confirmavisse tempore Comestabuli Rolpotonis, qui pro Civitate hcc petierat. Deinque Barones, quos secum duxit, jurare coegit, sicut Apostolicus exigebat. In primis Alferius Draco, & Robertus de la Marra, & Bartholomæus de Petrapulcina, & Tadeus de la Greca, & Girardus de Lanzulinu, & Sarolus de lo Tuso, & sic juraverunt. Juro, & promitto, quod ab hac hora in antea non quæram, nec quæri permittam de cunctis hæreditatibus Beneventanorum fidantias, angarias terraticum, olivas, vinum, salutes, nec ulla dationem, scilicet de vineis, terris aspris, sylvis, castaneetis, & Ecclesiis, & liberam facultatem tribuo in hæreditatibus Beneventanorum venandi, aucupandi, & in eis, & de eis quodcumque voluerint faciendi, & per hoc mercatum Civitati non disturbabo, nec disturbari consentiam. Hæc omnia attendam bona fide sine fraude. Taliter eis jurantibus, præcepit Imperator, ut alios suos Barones Montisfusculi vocaret ad idem Sacramentum faciendum. Quibus actis, præfatus Girardus Cardinalis cum sapientibus Civitatis omnia hæc Domino Papæ retulerunt. Hoc Sacramentum factum est sexto die intrante mensis Septembris. Altera autem die idem Girardus Cardinalis cum Judicibus ad Imperatorem tetendit, ut ab ipso Comite, & suis Baronibus Sacramentum hujusmodi acciperet. Comes verò Rogerius Sacramentum illud facere noluit, confitens se tempore præterito illud fecisse, suos verò Barones de Montefusco jurare præcepit; videlicet Raonem de lo Tufo, Accardum, Gemundum, Eternum, Onfridum, cæterosque, qui circa Beneventum fidantias accipiebant,

& his taliter actis Salvatori Deo, & Innocentio Papæ gratias egimus, cujus virtute, & gratia tantam consecuti sumus libertatem. Quibus ita peractis præfatus Imperator de prædicto loco castra amovens, viam Romam redeundi arripuit, qui ante Portam Summam cum toto suo exercitu transivit, & prædictus Apostolicus cum illo festinavit nono die intrante mensis Septembris. Tunc ipse Imperator castrametatus est, ubi tres Sancti nominatur; deinde Capuam petens, Romam transierunt. Quid multa? Imperii sui altitudinem, & Palatia Imperator ille repedavit. Apostolicus autem Innocentius Palatium Lateranense audivit. Audiens itaque nominatus Rex Rogerius Imperatorem illum viam redeundi arripuisse, exercitu convocato Salernum venit; continuò super Nuceriam veniens, illud suæ obtinuit potestati, deinde castra amovens totam Terram Rainulphi Comitis obtinuit; inde procedens Capuam furore multo, & tempestate comprehendit, & eam igne, ferroque depopulatur; universa siquidem Civitatis illius spolia, & divitias partim igne, partimque virtute consumi præcepit; Ecclesias quidem, & earum ornamenta diripuit, mulieres quoque, & sanctimoniales in opprobrium conversæ sunt, & his taliter evolutis Abellinum, & usque ad confinia Beneventi obtinuit. Confestim Magister militum Sergius Civitatis Neapolitanæ ad suam convertitur fidelitatem; deinde Judices Beneventanæ Civitatis cum aliis Civibus Regem ipsum adeuntes ad Anacleti fidelitatem,& ipsius Regis amorem Civitatem submittunt Beneventanam, Innocentii Papæ fidelitatem parvipendentes, & his actis convocato exercitu Civitatem Beneventanam applicuit, & ante Portam Summam medio mense Octobris transiens ad Montem Sarchum festinavit, quod suæ obtinuit potestati. Et inde procedens super Civitatem Comitis Riccardi cursu volucri properavit, quam Comes ille dimittens ad Ducem confugit Rainulphum; sicque Civitatem illam suæ voluntati alligavit. Inde Montem Corvinum capiens in ore ignis, & gladii illud consumi præcepit, & spolia ejus diripuit. Dux igitur Rainulphus memoratus audiens Regem illum ob ejus confusionem Apuliam fuisse ingressum, & ejus desolationem quotidie tractare, Barensem populum,& Tranensem, Trojanum, & Melphiensem, & mille quingentos milites congregavit, affirmans prius morti velle succumbere, quàm vitam ducere infelicem, & taliter Dux ille paratus prope Regis exercitum adivit. Interea Abbas de Claravalle vir valde mirabilis, & discretus, qui ad Regem illum venerat pro tanti dissidii infestatione sedanda,inter Regem illum, & Ducem pacis fœdera alligare conatur: sed pro multis, variisque negotiis, quæ inter eos quærebantur, apud Salvatoris Dei potentiam nondum complacuit concordia alligari. Quid plura? Rex ipse exercitum suum divisit, & ad bellandum illum viriliter stabilivit, similiter & Dux ille suos omnes sapienter ordinavit. Primùm quidem Regis acies ordinata aggreditur, & inter Ducis armatos intravit. Illicò acies illa Regis prosternitur. Rex autem, qui cum aliis aciebus suis armatis inerat, Dei adveniente judicio, timore perculsus ipse primum terga vertentes in fugam conversus est; sicque universa Regis congregatio cursu præcipiti confugit, dimissis omnibus divitiarum suarum apparatibus, & tentoriis, auri, argentique magnitudine infinita, quorum numerare copia non est hu-

humanæ scientiæ. Quid multa? Dux ille victor effectus de Regis exercitu comprehendit, & occidit, omnemque illam magnitudinem, divitiasque tam ipse, quàm populus Barensis, & Tranensis, cæterique quos rogaverat ad propria locupletati detulerunt. Tria millia, sicut audivimus, hominum in bello mortua sunt. Ibi Sergius Magister militum Neapolitanæ Civitatis mortuus est; ibi Eternus de Montefusco, & Girardus de Luzulino, & Sarolus de lo Tuso, & complures, quorum nomina pro difficultate numerandi silentio tegimus. Secundo verò die stante mensis Octobris bellum hoc actum est. Rex itaque nominatus taliter cum sequacibus suis aufugiens noctis tempore, altera quidem die ad Castrum Paludis pervenit, deinde Salernum festinavit, diebus autem non multis evolutis, Rossemannus Beneventanus Antistes, consilio accepto cum Judicibus Civitatis, & sapientibus quibusdam ad Regem ipsum consolandum, & servitia Civitatis offerenda festinavit. Præcatur insuper, ut libertatem possessionum Beneventanorum, quam supradictus Imperator concesserat, populo Beneventano ipse largiretur. Rex igitur, precibus eorum acceptis, pro totius Civitatis amore inveniendo, privilegio facto, & signato, omnes fidantias, & exactiones, quas soliti fuimus persolvere, condonavit, & privilegiis pagina accepta gaudio ineffabili Civitatem sunt regressi Beneventanam; privilegii pagina ita est continens.

In nomine Domini Dei Salvatoris æterni Jesu Christi; Dominicæ Incarnationis anno 1137. *mense Novembri primæ Indictionis: Ego Rogerius Dei gratia Siciliæ Italiæ Rex, Christianorum adiutor, & clypeus, Rogerii primi Comitis filius: Regalis Excellentiæ nostræ provocamur liberalitate fidelibus nostris tanquam de nobis bene promeritis beneficia ampliori manu debere impendere, ut non solùm fideliores inveniantur, sed ut cæteri spe retributionis adiuti in nostro servitio promptiores habeantur. Eapropter Venerabilis Beneventane Rossemannæ Archiepiscope, qui semper in omnibus fidelis extitisti, petitionibus tuis, & Bernardi Beneventani Comestabuli, & Beneventanorum Judicum, aliorumque plurimorum Civium clementius annuentes, quia vos semper nostros fideles experti sumus, pro amore Summi Regis, per quem subsistimus, & regnamus, & amore, & fidelitate vestra, quam in nobis habetis, & in antea habituri estis, dimittimus, & condonamus vobis ea omnia, quæ nos, & prædecessores nostri Normandi circa Beneventanam Civitatem habuerunt, fidantias subscriptas, videlicet denariorum, redditus, salutes, angarias, terraticum, herbaticum, carnaticum, Kalendaticum, vinum, olivas, relevum, postremò omnes alias exactiones tam Ecclesiarum, quam Civium, & omnia prædicta, & possessiones liberas facimus, & quietas undecumque aliquid accipere soliti sumus; ut quamdiu in nostra permanseritis fidelitate, & nostrorum heredum, liberi, & quieti vos, & vestri hæredes ab omnibus supradictis maneatis, & in vestris prædiis venandi, piscandi, aucupandi liberam facultatem habeatis, & ut firmiter hoc tenere valeatis privilegium istud sigillo aureo nostro signari fecimus: Siqua verò persona, quod absit, magna, humilisve hujus nostræ concessionis paginam in aliquo violare præsumpserit, viginti libras auri purissimi in misericordia nostra Palatio nostro componat, præsensque privilegium robur pristinum obtineat.*

At hujus concessionis judicium per manus Henrici nostri Notarii scribi præcepimus, & bulla aurea insigniri. Anno Regni nostri septimo.

Cumque privilegium hoc coram Beneventanorum cœtu lectum esset, Deo Salvatori omnium, præfatoque Regi, & jam dicto Antistiti gratias egimus, quia quod Avi, & Patres nostri videre non potuerunt, libertatis, & securitatis donum nobis dignatus est misericordia sua Jesus Christus largiri, & meritis nostris offerre. Quid multa? ex tanto nobis concesso beneficio, & firmato, cives universi, servitia, & honores præfato Regi polliciti sunt, & sine offensione ad ejus præceptum famulari. Dux præterea Rainulphus supra memoratus audiens Regem illum sic devictum, & animo consternatum cum paucis Salernitanam Civitatem fuisse ingressum, consilio habito, mille fere equites, & Apulorum peditum multitudinem congregavit; nec mora, Trojam dimittens captivatam totam suæ alligavit potestati, & inde procedens super Comitis Rogerii de Ariano Comitatum advenit, qui continuò Alferium Draco, & Robertum de la Marra, & Robertum de Petramajori, & Robertum de Potofranco, aliosque Barones ipsius Comitis suæ subjugavit ditioni. Postremò eundem Comitem Rogerium ad suam coegit voluntatem. Quibus ita peractis Dux ipse prope Castellum Paludis suorum virtute stipatus castrametatur, die quidem Kalendarum Decembris. Mirabatur interea populus Beneventanus de Ducis illius Rainulphi continentia, & in prędicti Regis amore, & fidelitate, & Anacleti servitio die, noctuque simul cum Domino Rossemanno Antistite invigilabat.

Aliud quoque non tegendum silentio fraternitati vestræ explicabo. Cum præfatus Abbas de Claravalle vir valde mirabilis, & discretus de fœdere pacis, & Ecclesiæ unitate cum nominato Rege confabularetur, assiduè Rex ipse cum Abbate illo stabilivit, ut tres Cardinales ex parte Innocentii Papæ, qui ejus interfuissent electioni ad Regem ipsum venirent, & tres ex parte Anacleti, & ordinem electionis utriusque Regi ipsi insinuarent, deinde Rex ipse ordine audito utriusque partis sanctiorem, & justiorem eligeret electionem, & sic Spiritu Sancto favente, ad pacis perveniret cum totius sui Regni magnitudine firmamentum, quantum in sui arbitrio, & scientia contineret. Cognoverat enim, firmiterque crediderat, totius mundi Christicolas parti favere Innocentii, & ejus Pontificatum venerari; ipse verò solus cum Regni sui latitudine discordabat. Continuò ad Innocentium Papam, & Anacletum delegatum est, & cursu rapido Regis positio destinatur. Placuit itaque eis, & consilio eorum firmato ex parte Innocentii Americus Cancellarius, & Girardus Cardinalis vir valdè venerabilis simul cum prædicto Abbate de Claravalle Salernum super hujusmodi electione ventilanda advenerunt. Ex parte verò Anacleti Matthæus Cancellarius, & Petrus Pisanus Cardinalis, & Cardinalis alius nomine Gregorius similiter acceleravere. Quibus ita congregatis Rex ille, ut erat sagacis animi, providique consilii prius partem Innocentii quatriduò usque ad occasum mirabiliter, & ultra quàm credi potest, examinavit; sequenter autem Anacleti partem quatriduo similiter perscrutatus est. Studiosè igitur, & diligenter partibus utriusque electionis auditis, Rex ipse Clerum omnem, & populum Civitatis Salernitanæ congregari mandavit, & Episco-

sco-

ſcopos, & Abbates Monaſteriorum, qui convenerant, & coram eis taliter exorſus eſt: Domini, & fratres credimus veſtram non latere prudentiam, qua de re Cardinales iſtos partes utriuſque fecerim convocari; putavi etenim, quantum noſtræ attinet virtuti, tali, & tanto negotio finem imponere, & juſtitiæ ſemitam evidenter ſectari, ſed quia multis quæſtionibus, variiſque reſponſionibus animus noſter impeditur, ſolus ego ſuper hoc tanto negotio finem impendere nequeo: unde ſi Dominis iſtis Cardinalibus videtur, ordinem utriuſque ſcribant electionis, & ab utraque parte unus mecum in Siciliam deſcendat Cardinalis, ubi favente Domino Nativitatis Jeſu Chriſti Salvatoris feſtivitatem celebraturi ſumus, ibique ſapientes Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque inveniemus prudentis animi viros, quorum conſilio Anacleti partem uſque modo ſectatus ſum: tunc enim ipſorum, aliorumque ſapientum conſilio ſuper hoc negotio, divina inſpirante clementia, certiſſimum finem, quantum meæ attinet poteſtati, imponemus. Cardinalis ad hæc Girardus reſpondit: Sciatis reverà, quoniam ex parte noſtra ordinem partis noſtræ nos omnes ſcribemus: audiſtis enim ex ore noſtro ſeriem electionis, audiſtis omnia, quæcumque circa nos geſta ſunt: Cardinalem quidem mittemus Guidonem de Caſtello, ſapientem utique virum, & diſcretum, qui vobiſcum, ſicut petitis ad Siciliam veniat, deinde ſicut ſapientiæ veſtræ placuerit, perficiatis, Spiritus Sanctus paraclitus cor veſtrum illuminet, & corde recto ad Eccleſiam, & veritatis lumen perducat. Et his actis unuſquiſque ad propria remeavit. Altera die adveniente prædictus Girardus Cardinalis cum ſuis reverſus eſt:ſolus autem Guido præfatus Cardinalis remanſit cum Rege profecturus, ſicut ſtatutum eſt. Ex parte verò Anacleti ſimiliter Cardinalis alius deſtinatur. Quibus patratis navigio parato Rex ipſe ad Siciliam transfretavit. Dux præterea Rainulphus jam nominatus præfatum Caſtellum Paludis viriliter obſedit, quod præliis multis, & machinationibus quotidie expugnabat. Videns autem Dux ipſe Caſtellum illud capere non poſſe, conſilio habito, Caſtellum illud dimiſit, & in finibus Aliſanis ſeceſſit; qui continuò Civitatem illam, & munitionem Caſtelli comprehendit, & ſuæ obtinuit poteſtati.

Hoc anno Anacletus, qui ſub nomine Pontificatus advixit, ſeptimo die ſtante menſis Januarii mortuus eſt, qui ſedit annis ſeptem, & menſibus undecim, & diebus vigintiduobus. Innocentius itaque Pontifex continuò viribus ſumptis, & amicorum virtute accepta contra inimicos viriliter inſilivit. Roffemannus igitur Epiſcopus totius Civitatis tintinnabula Beneventanæ pulſare præcepit, mortem ipſius Anacleti ſignificando.

Hoc anno prædictus Imperator cum ad Imperium ſuum revertebatur, mortuus eſt in partibus Tuſciæ, & eo defuncto Corradus ad Imperium unanimi voto ſublimatus eſt.

Anno 1138. & nono anno Pontificatus Domini Innocentii Secundi Summi Pontificis menſe Martio primæ Indictionis. Cum prædictus Anacletus mortuus eſſet, Cardinales ſui, conſilio accepto à fratribus ipſius Anacleti, ad Regem miſerunt Rogerium ipſius Anacleti mortem ſignificantes, ut ſi ei placeret, Papam conſtituerent. Rex itaque ut Domini Papæ Innocentii partem impediret, voluntati eorum aſſenſit, & Papam eligendi poteſtatem dedit; qui Romam rever-

reversi fautoribus eorum congregatis, medio mense Martio, Gregorium Cardinalem Papam sibi, & invasorem constituerunt, Victoremque eum vocaverunt. Sed Dei misericordia auxiliante, hæresis illa, & invasio pauco tempore regnavit. Diebus autem non multis evolutis, fratres prædicti Anacleti, tantam cognoscentes turbationem, in se reversi, Domino favente, cum prædicto Domino Innocentio Papa pacis firmamentum composuerunt, & Ipsi, & omnes ejus adversarii ad ejus fidelitatem conversi sunt, & sceleratus ille, qui sub Victoris nomine apparuit, vestem, & Mitram deposuit, & ad voluntatem Pontificis Innocentii pervenit. Sicque gaudio magno, & gloria exultationis tota Romana Civitas exultavit, & Pontifex ipse Innocentius ad unitatem Ecclesiæ, & concordiam, auxiliante Domino, perducitur. Diebus autem non multis evolutis prædictus Apostolicus consilio accepto Albanum venit disponens, exercitu congregato ad Ducem Rainulphum venire, sed infirmitate percussus venire non potuit. Interea Rex Rogerius congregato exercitu in finibus venit Apuliæ, cogitans Civitates sibi ab Imperatore ablatas suæ submittere potestati. Dux igitur Rainulphus Regis illius sentiens adventum, totius Apuliæ partes submovit, ut contra ejus rabiem unanimiter insistant. Nec mora, cursu rapido ad Ducem festinant nominatum, & sic contra Regis illius ferociam mensibus fere duobus resistunt. Hæc inter, sicut nobis est relatum, prædictus Rex Dominum Papam Innocentium in Patrem, & Dominum accepit, & Civitati Beneventanæ, & per totius Regni sui partes mandavit eum Patrem, & Dominum accepisse. Nos autem literis ejus acceptis Dominum illum, & Patrem vocavimus; quibus peractis Rao de Fraineta Beneventanæ Civitati, & Regi Rogerio rebellis apparuit, & vineas Beneventanorum incidi mandavit. Cives itaque consilio accepto Raonis illius infestationes Regi nominato mandaverunt, ut citissimè eos ab illius adversitatibus eripiat. Rex illicò, congregato exercitu, iter arripuit, & in ipsius sui adventus virtute Montemmaranum, & Castella alia comprehendit, & igne comburit. Inde super Ceppalunum adveniens simul cum Beneventanis illud obsedit, & die ipsa villam rusticorum comprehendit, & eorum bona deprædata sunt, & domos omnes eorum destructæ. Sequenti verò die turres, & munitiones Castelli in potestate Regis datæ sunt. Rao etenim de Fraineta timore Regis coactus Castellum illud triduò ante exierat cum uxore, & ad Ducem festinavit Rainulphum simul cum Raone de lo Tufo, & Orrico de Sarno, qui similiter faciem Regis fugientes Castella sua dimiserunt. Cives continuò Beneventani Regem precantur suppliciter, ut Castellum illud Ceppaluni Civitati contrarium, ad destruendum largiatur. Quid multa? Rex ipse petitionibus populi favens permisit ad diruendum. Nec mora, catervatim Beneventanus populus festinat ad destruendum, & sic radicitus universa ædificia Castelli evulsa sunt, & Civitas tota super illius gaudebat destructione. Nam si universas crudelitates, & pericula, quæ ab illius Castelli Dominis passi sumus, describere vellem, nec lingua dicere, neque stylo pronunciare possem. Unde Deum laudantes Regi gratias egimus, qui nobis illud ad destruendum concessit. Et his actis præfatus Rex Capuanos fines adivit, & Castellum, quod Calvum dicitur, comprehendit. Dux præterea Rainulphus exercitu congregato horis omnibus

nibus invigilabat, ut Regem illum virtute insiliat, & accipiat ultionem. Rex verò, ut erat sapientis consilii per montana quæque, & loca ardua castrametatur, & sic Ducis vitabat prudentiam, & virtutem, unde Dux ille vehementer condolens mente, & corpore fremebat, quia cordis dolorem ostendere non poterat. Novissimè apud Alifas moratur, existimans Regem illum Alifis venire. Rex verò, ut diximus, Ducis constantiam fugiens à Castello Calvo revertitur, & in finibus Sanctæ Agathes tentoria sua poni præcepit, Beneventum venire disponens; & inde amoto exercitu castrametatus est prope Beneventum, ubi dicitur Plancella, & ibi mansit duobus diebus. Tunc accepto consilio inde recessit, & districto exercitu flumen transivit Caloris, & Castra posuit super Pontem Valentinum, mansitque ibi duobus diebus. Dux autem nominatus Rainulphus, ut erat prudentis animi, in finibus morabatur Petræmajoris, pertractans, ut Castellum Apicis, quod Rex minabatur obsidere, virtute, & animosè illud liberaret. Rex itaque nominatus Beneventanos precatur, ut in ejus auxilio unanimiter festinarent, Rossemannus igitur, qui tunc Præsul aderat, amore Regis coactus Cives universos rogavit, & in ejus mandavit auxilio. Audiens autem Rex ipse Castellum Apicis à militibus, & viris prudentibus armatum fore, consilio accepto, castra amovit, & Petræpolicinæ Castellum aggredi præcepit, & igne, ferroque illud depopulatur; & inde procedens Castella alia comprehendit, & comburi mandavit. Pontem Landulphi, Farnitum, Campugattari, & Guardiam, & Civitatem comprehendit Allipham, & igne consumpsit, universam quidem substantiam Civium, & Ecclesiarum ornatus, galiotæ Regis, & turba innumera prædonum, quæ eum sequebatur, comprehendit, rapuit, dispoliavit, & unusquisque, prout potuit, dispartitur. Lector itaque, si adesses, super tali, tantaque Civitatis strage, & confusione turbatus deficeres, & firmares à Græcorum tempore, & Paganorum tantam in Christianos ruinam, & combustionem non accidisse. Cumque taliter Civitatem illam Alipham consumasset, exercitu inde amoto, in finibus festinavit Benafri, Civitates illas suæ submittere potestati. Continuò jussu crudelitatis à Rege illo injuncto, Civitatem illam Benafrum aggredi, & expugnari mandavit. Cives autem, prout poterant, & se, & Civitatem defendebant. Rex itaque eorum constantiam aspiciens, crudeli manu jussionis minatur, ut Civitatem illam insiliant. Continuò peccatis imminentibus Civitas illa valde munita, & divitiis plena capitur, & Civium omnium bona, & divitiarum magnitudines ab hostibus capiuntur, & divisæ per partes ad nihilum sunt conversæ. Viri itaque, & mulieres, parvulique eorum per montana fugiunt, omnibus eorum, bonis in manibus rapientium, & prædonum dimissis, sicque Civitas illa, & turrium ejus munitiones in potestate Regis subacta est. Et tali crudelitate audita Præsentiarum Castellum, & Roccaromana ad Regis voluntatem convertitur, & alia Castella circumquaque contigua. Quibus actis Rex inde revertens Beneventum venit, & ad Paludis Castellum castrametatur duodecimo die mensis Septembris intrante. Dux interea Rainulphus, qui tanto Regi resistere non poterat, dolore cordis concussus circa Aliphanos fines morabatur. Inde procedens Rex ipse ad Civitatem Melphium ivit, putans eam suæ submittere potestati, quod obtinere non potuit, & inde re-

reversus super Castellum Toccum adivit. Continuò machinas lignorum fieri mandavit, virtute quarum turres Castelli illius, & munitiones destruerentur; sicque pars quædam turrium diruta est. Dux interea Rainulphus circa eum quotidie invigilabat, ne Rex ille terras Rogerii Comitis de Ariano invaderet. Populus autem Castelli, virtutem Regis, & furorem aspiciens sub ejus potestate, & ditione colla submisit, & Castellum illud in ejus dominatione subactum est tertio Kalend. Octobris, octo quidem dies Castellum illum Toccum obsedit. Quibus ita peractis, Rex ipse castra inde amovit, & tempore valde pluviali Beneventum venit, & ipse intra Ecclesiam S. Petri Apostoli prope Civitatem sitam castrametatur. Totus quidem ejus exercitus infra Civitatem hospitatus est Beneventi, ibique mansit diebus tribus: tempus enim terribile pluviarum, & valde periculosum inerat, & pro inveniendis ad exercitum necessariis, nullo modo adire valebant; unde, sicut diximus infra Civitatem Beneventi ad resociliandum exercitum commorati sunt. Rex interea nominatus Civitatem intravit Beneventanam quarto die intrante mensis Octobris, & Ecclesias, & Civitatis Palatia, & Curiam Apostolici studiosè perquisivit, & exercitu resocillato Castra à Civitate amovit, & prope Castellum S. Severi castrametatus est. Inde procedens Castellum Morcone suæ obtinuit potestati, & his actis Castellum Sancti Georgii, & Petremajoris comprehendit. Comes igitur Rogerius de Ariano hæc audiens Apicis Castellum dimisit, & villanis omnibus, ut Regi obedirent, licentiam largitur, & ipse Civitatem intravit Arianum; ibique confidens Ducis Rainulphi auxilium adinvenit; qua de re nullo modo ad Regis voluntatem pervenire voluit. Continuò Rex ipse Castellum Apicis suæ alligavit fidelitati, & Rex ipse ad Castellum Tamarum diebus quatuor moratus est. Præfatus autem Dux exercitu congregato prope Civitatem Arianum venit custodiens, ne Rex ipse quoquo modo eam invaderet, & sic Rex ipse, & Dux adinvicem laborabant. Et his decursis prædictus Rex à Tamaro illo Castello discedens circa Melphitanos fines festinavit; & inde procedens Castellum S. Agathes valde munitum suæ obtinuit potestati, & alia Castella ibi contigua. Dux interea nominatus Civitatem regebat Melphium, ne Rex ille quoquo modo ingenio eam invaderet: præfatus autem Rex cognoscens Ducem Rainulphum jugiter contra se,& suos obsistere, & Apuliæ Civitates tueri, consilio communicato, Castella, quæ comprehenderat, militibus, & viris armatis muniri, & observari mandavit, & ipse Rex Salernum adivit, disponens ad Siciliam reverti, quam longo tempore dimiserat. At Dux nominatus Barum descendit, & marinos fines visitavit, populum omnem hortando, ut tempore opportuno, viribus sumptis, & armis, contra Regem obsistant, qui unanimiter, & corde devoto paratos fore clamitabant.

Anno 1139. Dominicæ Incarnationis, & decimo anno Pontificatus Domini Innocentii Secundi Summi Pontificis, & universalis Papæ mense Martio secundæ Indictionis, hoc anno præfatus Apostolicus Innocentius, octavo die intrante mensis Aprilis, Romæ Synodum celebravit. Ad cujus sacri Conventus præsentiam Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates innumeri convenerunt: ibique inter cætera, quæ, Spiritu Sancto mediante, statuta sunt, vinculis excommunicationis alligavit Regem Rogerium prædictus Apostolicus Innocentius

in

in præsentia omnium Catholicorum virorum, qui convenerant, & ejus omnes sequaces. Hoc anno Rainulphus Dux, de quo in superiori tractatu mentionem fecimus, ardentissimo febris Sinoche, calore correptus, ultimo die stante mensis Aprilis ex hoc mundo decessit apud Civitatem Trojanam, quem Ducem Guillelmus venerabilis ipsius Civitatis Episcopus eum universo Clero, & populo diligenter, & honestè, lacrymisque manantibus sepulturæ infra Episcopium tradiderunt. O quantus luctus omnium, & virginum, & viduarum, puerorum, & senum utriusque sexus, & militum, Civitatem illam invasit, quem si radicitus describere tentarem, nec dies sufficerent, nec copia describendi. Barensis itaque populus, & Tranensis, Melphiensis, Canusinus, & omnes, qui sub ejus dominio, & protectione confidebant, consolatione oblita, crinibus evulsis, pectoribus laniatis, & genis, ultra humanum modum lugebant. Lugebant enim Ducem piissimum, & Patrem universorum, qui totius sui Ducatus habenas dulcedine, & humanitatis suavitate, furore omni deposito disponebat. Quid multa? de mortis illius compassione inimicorum etiam acerbitas, & de ejus prudentia condolens, lacrymansque compatiebatur: sicque tota ferè Italia de ejus probitate, & præliis, horis omnibus recitabat. Audiens autem prænominatus Rex Rogerius Ducem Rainulphum, virum bellicosum, & magnanimum ex hoc mundo obiisse, vanitatis, & elationis spiritu accensus ultra humanum modum gavisus est. Gavisus utique, & morte communi oblitus exæstuat, animoque concipiens, ut exercitu congregato Apuliæ fines insiliat, eamque suæ submittat ditioni, & fidelitati. Quid multa septem navigiis armatorum paratis, & auri, argentique magnitudine ditatis, die septimo stante mensis Maii, Salernum transfretavit. Continuò Clerus omnis, & populus Salernitanus Laudibus multis, Hymnisque sonantibus Regem illum suscepit. Nec mora, Rex ipse literas omnibus suis circumquaque manentibus direxit, ut armis eductis ad eum conveniant. Literis itaque ejus acceptis ad imperium ejus obtemperaverunt; deinde Rex ipse exercitu congregato Beneventum venit, & sic contra inimicos expugnandos festinavit.

Hoc anno IV. Kalend. Junii, mons ille, qui prope Civitatem Neapolim esse videbatur, ignem validum, & flammas visibiles projecit, per dies octo, ita ut Civitates ei contiguæ, & Castra mortem expectabant, ex cujus incendio pulvis niger, & horribilis exivit, & usque Salernum, & Beneventum, & Capuam, & Neapolim pulvis ille à facie venti pervolavit; ignis verò ille per dies octo visus est, de quo pulvere Cives multi Beneventanorum, & ego istius operis descriptor collegimus, per dies verò triginta pulvis ille super terram visus est. Cumque, ut supra dictum est, Rex Rogerius exercitum congregasset, super Comitis Civitatem festinus adivit, & Civitatem illam acerrimè expugnans suæ eam alligavit ditioni. Comes autem fugam petens Trojam ingressus est. Deinde Rex ille Civitates, & Castra Capitanatæ suæ obtinuit potestati. Dux præterea filius præfati Regis Civitates cunctas Apuliæ, & maritimas ad suum convertit Imperium, pacem omnibus, & securitatem affirmans. Barum quidem Civitatem valdè munitam obtinere non potuit; quadringentos enim milites Princeps Civitatis secum detinebat, præter Cives quinquaginta millia habitantium. Dux itaque nominatus Civitatem illam Ba-

rum cognoſcens, capere non poſſe, exercitu ſuo convocato ad Patrem Regem Rogerium, qui in Trojanis morabatur confinibus pervenit, & eis in unum convenientibus, ſtudiosè tractare cæperunt, qualiter Civitatem Trojanam ſuæ ſubmittant poteſtati. Quatuor quidem millibus interjectis à Civitate Trojana Comes Rogerius Ariani cum ſeptingentis militibus de morte deſperatis morabantur. Cives reverà Trojani cum extraneis, qui ad eos confugerant præ timore nominati Regis Civitatem illam tuebantur. Rex itaque Civitatem illam ſic à tantorum virorum virtute munitam perſentiens ad Caſtellum Bacharezza ibi vicinum ducentos milites dimiſit pro Civitatis illius infeſtatione, & ipſe cum Duce nominato filio ſuo, ſimulque eorum exercitu advocato ſuper Civitatem Arianum Comitis Rogerii venit. Continuò Rex ipſe Civitatem illam obſedit, & lignorum machinas ad expugnandum eam fieri mandavit. Cives autem, & milites, qui cum eis erant, nihil ex his, quæ ingerebantur, metuebant; ducentos enim milites, & viginti fere millia armatorum in Civitatem introduxerunt. Rex itaque ſic eam paratam, & munitam aſpiciens caſtra amoveri præcepit, & furore commotus vineas, olivas, & arbores, & ſata eorum, quæ inveniri poterant, incidi mandavit, & devaſtari, & ſic Civitatem illam dimittens biduò per confinia illius moratus eſt.

Eodem tempore præfatus Apoſtolicus Innocentius prædictum Ducem Rainulphum objiſſe audiens, ſatis, ſatiſque condoluit, & conſilio communicato Urbem Romam exivit, mille Equitum caterva ſtipatus, & peditum multitudine copioſa, deinde ad Civitatem Sancti Germani pervenit. Cumque præfatus Rex Apoſtolicum illum Urbe egreſſum perſenſit, Legatos ſuos prædicto Apoſtolico de pace mandavit, & voluntatem Apoſtolici, & petitionem pollicetur perficere. Apoſtolicus autem Legatos Regis honeſtè accipiens, Cardinales duos ad Regem ipſum tranſmiſit, pacis, & dilectionis firmamentum deſcribens, & ut ad Civitatem Sancti Germani Rex ipſe feſtinaret. Quid multa? Cardinales illos Rex ille diligenter, & honeſtè accipiens, Civitatem Trojanam, quam obſidebat dimiſit, & curſu rapido ad prædictum Apoſtolicum cum Duce filio ſuo, & exercitibus ſuis feſtinat; continuò per Legatos ſuos ab utraque parte de pacis fœdere interlocuti ſunt. Apoſtolicus itaque Principatum Capuanum à Rege petebat, quem iniuſtè Principi Roberto abſtulerat. Rex verò nullo modo Principatum illum reddere voluit, & ſic per dies octo diſceptatio talis inter eos habita eſt; & his actis præfatus Rex ſuo omni exercitu coacervato ad terras, quæ filiorum Burelli vocantur, acceleravit, de quibus terris partem quandam caſtrorum ſuæ ſubmiſit poteſtati. Apoſtolicus autem, & qui cum eo erant, Regem illum in partes illas receſſiſſe cognoſcentes, Caſtrum quoddam nomine Galluzzum aggredi præcepit, & devaſtari. Nec mora, præfato Regi nunciatum eſt, qualiter jam dictus Apoſtolicus Caſtellum illud eſſet aggreſſus. Quid multa? curſu rapidiſſimo Rex ille ad terram Sancti Germani, ubi Apoſtolicus ipſe morabatur, pervenit. En ſubitò de Regis adventu fama terribilis pervolat, & continuò caſtra Regis confixa ſunt. Apoſtolicus itaque, & Princeps Robertus Capuanus, & Romanorum militia Regis adventum ſentiens caſtra eorum omnia amoveri jubent, ut in ſecuriori parte manerent. Dux autem Regis

filius,

filius, mille fere equites accipiens sic Apostolicum discedentem deprehendens insidiis constitutis super Apostolici milites insilivit, qui potentiam, & insidias sentientes terga vertentes fugam petunt & secundum vires per loca illa diversa aufugiunt. Præfatus verò Princeps, & Riccardus de Sapacanina, & Romanorum multitudo evasit, multi verò militum, & peditum in flumine mortui sunt, multos in captione Regis fore audivimus. Apostolicus autem Innocentius post suos omnes quasi securus incedebat. En ex improviso militum caterva eum aggreditur: heu dolor, & illum comprehendunt, omnique suo thesauro, & ornatu diviso, ducunt illum ante Regis aspectum, & sic contumeliis ditatum, captivum illum in tentorio, quod Rex illi transmisit, intromittunt: & consequenter Apostolici Cancellarium Aimericum, & Cardinales captivos perducunt. Decimo autem die stante mensis Julii, Pontifex ipse Innocentius captus est. O quantus luctus, & mœroris abundantia mentes fidelium, & Civitates Apostolici invasit, quod si radicitus describere vellem, nec dies, nec tempus sufficerent. Quid multa? Continuò Rex ille per legatos suos Pontifici Innocentio, quem captivum tenebat, suppliciter, & ultra quàm credi potest, mandavit humiliter, ut pacis, concordiæ manum componat. Apostolicus itaque se destitutum virtute, & armis, & desolatum aspiciens, precibus Regis, & petitionibus assensit, & capitularibus, & privilegiis ab utraque parte firmatis. Rex ipse, & Dux filius ejus, & Princeps septimodecimo die stante mensis Julii ante ipsius Apostolici præsentiam veniunt, & pedibus ejus advoluti misericordiam petunt, & ad Pontificis imperium usquequaque flectuntur. Continuò per Evangelia firmaverunt B. Petro, & Innocentio Papæ, ejusque successoribus canonicè intrantibus fidelitatem deferre, cæteraque, quæ conscripta sunt. Regi verò Rogerio statim Siciliæ Regnum per vexillum donavit ejus Duci filio Ducatum Apuliæ, Principi alteri filio ejus Principatum Capuanum largitus est. Die verò illa, in qua prædictus Apostolicus pacem cum Rege firmavit, B. Jacobi Apostoli festivitas celebratur; VII. Kalendas Augusti. Et his actis, Missæ solemnia celebravit Apostolicus ipse, ubi satis, abundèque de pacis continentia tractavit. Lætitia igitur, & gaudii abundantia universos inhausit, & cęlorum Regem magnificantes super pacis firmatæ, & concordiæ dextra lætati sunt. Beneventanus itaque populus pacem audiens firmatam, & Regem voluntati Apostolici alligatum, tanto gaudio, & exultatione triumphat, quòd si ex toto describerem, deficerem in tempore, & locutione. Apostolicus igitur, pace firmata cum nominato Rege, Beneventum ingressus est die Kalendarum Augusti, quem Beneventanus populus honore multo, & devotione cordis suscipiens, quasi B. Petrum in carne aspiciens, lætatus valde gaudebat. Rex autem foris Civitatem Beneventi castrametatus est, quia Rex usque ad Portam Sancti Laurentii cum Domino Apostolico comitatur. Die verò ipsa ad Vesperam Rex ipse Civitatem ingreditur, & Curiam Domini Papæ ascendens, cum eo aliquantum moratur, deinde ad Episcopium pergit, & B. Mariæ Basilicam & Bartholomæi Apostoli ingrediens pro salute sua oravit. Intravit quoque Monasterium S. Sophiæ, & ante Altare S. Mercurii se prostravit. Inde procedens claustra Monasterii, & Dormitorium, & Refectorium perambulavit, & Monachorum orationibus se commen-

mendans, Civitatem exivit per Portam Summam, & ad castra gaudens remeavit. Rossemannus autem, qui contra voluntatem Apostolici quotidie pugnabat, Archiepiscopus à Petro Leonis consecratus, de Benevento expulsus est, & miser ipse cum Domino Rege festinavit. Et his actis Castellum, quod Rossemannus ille ad Portam Summam fabricari jussit, Dominus Papa destruxit: & in his diebus Cives Neapolitani venerunt Beneventum, & Civitatem Neapolim ad fidelitatem Domini Regis tradentes Ducem filium ejus duxerunt, & ejus fidelitati colla submittunt. Præfatus præterea Rex, exercitu amoto, Trojam adivit, & Civitatem ipsam suæ submisit potestati; Episcopus autem Trojanæ Civitatis Guillelmus nomine, & populus Civitatis Legatos præfato delegaverunt Regi, ut Civitatem ingrediatur, & inter suos fideles, & amicos honestè maneat, & securè. Rex verò, Legatis acceptis, Non Civitatem, inquit, ingrediar, donec traditor ille, Raynulphus scilicet, inter vos manserit. Continuò, qui missi fuerant, Civitatem regressi Regis intentionem omnibus patefaciunt, & licet dolore commoti Cives ex tanta Regis responsione, quatuor tamen militibus præceperunt, ut sepulchro fracto cadaver Ducis Rainulphi extraheretur, & extra Civitatem educerent, ut furore Regis sedato, ad eos pacificè ingrediatur. Jusserunt etiam inimici Ducis præfati cuidam militi nomine Gallicano, qui Ducis illius fidelissimus fuerat, ut ipse Gallicanus ob injuriam Ducis defuncti, & ejusdem Gallicani dolorem, tumulum frangeret, & Ducis ossa pelli, & fœtori adhuc circumplexa manu sua extraheret; qui Gallicanus timore coactus, & ne tanti Regis furorem incurrat, (heu dolor) quasi mente hilari cum aliis, Ducis ossa involuta, ut diximus, eduxit. Continuò in collo Ducis defuncti funem ligari fecerunt, qui ejus inimici extiterant, & usque ad Castellum Civitatis per plateas traxerunt, deinde reversi usque ad Carbonarium foris Civitatem, ubi stagnum luteum, putridumque inerat, Ducis ipsius suffocaverunt cadaver; heu nefas, & dictu mirabile, totam protinus Civitatem, timor, & luctus invadit, quòd unusquisque mortem optabat, & amicorum Ducis ipsius, & inimicorum (Regem quidem testor æternum, Judicemque sæculorum) tale tantumque factum horribile in generationibus præteritis, & inter Paganorum sectam nunquam legimus accidisse. Hæc siquidem crudelitatis potentia quid Regi illi profuit? quæ victoria, vel majestatis gloria ei successit? sed ut mentis suæ furorem pacare desiderans, quod non potuit exercere in viventem, operatus est in defunctum. Reverà dum Dux prædictus vixerat, licet cum paucis adesset, ipse tamen Rex nullo modo circa Ducis ipsius aciem, & si eum decem millibus armatorum instaret, propinquare audebat. Unde ei visum fuit, mentis suæ rabiem aliquantisper fore mitigatam. Sed redeamus ad causam. Dux itaque Regis illius filius factum hujusmodi audiens ad Patrem accessit audacter, & facti illius ordinem redarguit, & precatur Patrem, ut sepulturæ Dux ille dehonestatus traderetur. Rex igitur Ducis filii favens orationi sepulturæ illum tradi mandavit; & his actis Civitatis populus, ut ingrederetur ad eos, expectabat, sicut promiserat. Qui nec sic voluit. Civitatem Trojam introire, sed castra inde amovens Civitatem Barensem adivit, quam terra, marique obsedit. Cumque prædictus Apostolicus Civitatem introisset Beneventanam omnem

nem ordinationem à Petro Leonis factam deposuit,& à Rossemanno: die verò Assumptionis S. Mariæ, & in passione B. Bartholomæi Episcopium descendit, & Missarum solemnia honestè celebravit; & his actis, prædictus Apostolicus à Romanis sæpe vocatus, secundo die stante mensis Septembris, iter arripuit, &, Domino favente, Romam repedavit.

Hoc anno Gregorius Beneventanus Antistes à Domino Papa Innocentio consecratus Benventum intravit secundo die intrante mensis Septembris, & Dominus Papa Guidonem Diaconum Cardinalem Rectorem Beneventi ordinavit. Audiens autem Populus Romanus Domini Papæ Innocentii adventum catervatim obviam exivit, & illum gaudio magno, & honore suscepit, deinde eum hortabatur, ut pacem, quam cum Rege Rogerio posuerat, consilio eorum confringeret. Apostolicus autem nullo modo petitionibus eorum consentire voluit; dicebat quidem sic Domino placuisse, quòd per ejus captionem pax hujusmodi facta fuisset. Cumque ut supra dictum est, præfatus Rex Civitatem obsedisset Barensem, Innocentius Papa, cum intra Civitatem esset Beneventanam, Episcopum Ostiensem virum valde venerabilem ad Civitatem Barensem delegavit, populum Civitatis monendo, ut ad Regis fidelitatem colla submittant, & ejus voluntati famulentur. Populus autem Barensis, ut erat superbi animi, & elationi suppositus, Episcopum illum, ut Civitatem ingrederetur nullatenus est passus, dictis quoque ejus nullo credere pertentavit. Quid multa? Episcopus ille revertens, Barensis populi ferociam, & elationem Domino intimabat Apostolico; inde, ut dictum est, Dominus Papa Romam reversus est. Rex igitur Rogerius populi illius Barensis aspiciens superbiam, consilio habito, machinas lignorum, & turres triginta fere ordinari præcepit, ut Civitatis muros, & munitiones prosternat; quibus peractis prope Civitatis murum machinas illas appropinquari virtute multa mandavit, & continuò turres, & muri Civitatis prostrati frangebantur; palatia etiam Civitatis, quæ prope Civitatis murum intrinsecus erant fracta, ruebant; sicque duorum mensium spatio Augusti videlicet, & Septembris ruinam illam, & timorem passi sunt, famis etiam asperitatem, & sitis sustinentes, panem unum sex romesinis emebant, carnem, ut audivimus, equorum comedebant. Novissimè autem tum pro fame, tum pro populi seditione, quæ inter eos orta erat, quosdam civium cum Rogerio de Surrento, Princeps Civitatis, Jaquinus nomine, ad præfatum Regem mandavit, addens in mandatis, quia Civitatem animo libenti ei redderet, dummodò securi circa eum, pace accepta, consistant; & Rex captivos Civitatis, quos habebat, eis reddat, similiter homines Regis, quos Civitas habebat, dimittat. Nec mora, pactio talis, & ordinatio & Regi placuit, & Civitati, sicque Civitatis populus, pace accepta, acquievit, &, Sacramentis datis, pax constituta apparuit. His ita peractis, en adest miles quidam, cui præfatus Civitatis Princeps oculum evelli præcepit, pedibus Regis prostratus oravit, ut justitiam sibi de Principe Barensi faciat, qui lumen oculorum sibi evulsit. Rex itaque continuò furore accensus, & ultra quàm credi potest, admirans cursu rapido vocari fecit Judices Trojanorum, Tranensium, & Barensium, ut de pacto judicarent, quod Rex cum Civitate Barensi posuerat, videlicet, ut ex utraque captivi, sani, & incolumes redderentur. Quid plu-

plura? à Judicibus Barensibus judicatum est, ut Princeps ille Jaquintus Civitatis, qui ei oculum jussit evelli, & ejus Consiliarii in potestate essent Regis. Confestim Princeps ille, & Consiliarii ejus Gualferius quidam, & Abiut, cæterique eorum consocii ante Regem confessi sunt, jussu, & consilio eorum lumen oculorum militi prædicto evelli fecisse. Nec mora; Principem illum, & prædictos viros, aliosque decem laqueo fecit suspendi præfatus Rex, & decem alios oculis, & membris truncari, civesque alios prudentes ligari, & vinculis teneri, eorumque bona auferri, sicque de Civitate illa Barensi inauditam fecit ultionem. Timor itaque, & tremor tantus Civitatem illam invasit, quod nemo virorum, & mulierum per plateas, & vicos incedere palam audebat. Lacrymis quidem, & suspiriis Salvatoris misericordiam invocabant, ut eorum afflictioni subvenire dignaretur. His ita gestis, consilio accepto, Rex ipse exercitum dividens Salernum adivit quinto die stante mensis Octobris, ibique de negotiis suis, & actibus tractavit. Octo retrò diebus intrantibus mensis Octobris Civitas illa Barensis sic afflicta, & exagitata est. Cumque Salernum Rex ipse advenisset, inimicis suis terras omnes eorum abstulit, & Sacramento eos perstrinxit, ut ultra montes festinarent: quod & factum est. Comitem verò Rogerium de Ariano ejus adversarium simul cum uxore sua navigio parato in partes Siciliæ captivum mandavit, sicque vindictam perficiens super inimicis, quinto die intrante mensis Novembris navigio armato Panormum transfretavit.

Hoc anno XI. Kalend. Februarii primo pullorum cantu terremotus magnus factus est, ita quòd domos corruere putabamus: cumque, ut prædiximus Papa Innocentius Civitatem Beneventanam recuperaret, Guidonem Diaconum Romanæ Sedis virum valde discretum, & moribus ornatum Rectorem Civitatis Beneventanæ ordinavit. Qui Rector usque ad Kalendas Martii in Civitate permansit. Deinde Apostolicus alium misit Rectorem Joannem nomine, consanguineum suum, Subdiaconum, & Guido ille Romam repedavit.

Anno 1140. & undecimo anno Pontificatus prædicti Domini Innocentii mense Martio tertiæ Indictionis. Hoc anno prædictus Rex Rogerius Amphusum filium suum Principem Capuanorum magno cum exercitu militum, & peditum trans Civitatem Piscariam mitit, ut Provinciam illam suæ subjugaret potestati; qui verò Princeps exercitu illo accepto sicut Rex pater ejus jusserat, labore multo peregit, & Piscariam transiens castella copiosa ibi contigua, & vicos comprehendit, & spolia illorum prædatus est, & quædam eorum igne consumpsit. Diebus autem non multis interjectis præfatus Rex Rogerium Ducem filium suum mille cum militibus, & peditum manu copiosa in auxilium præfati Principis delegavit. Dux itaque cum Principe fratre suo simul alligati Provinciam illam prope Romanos fines adjacentem timore multo ad eorum Imperium submiserunt, unde prædictus Apostolicus Innocentius turbatus, consilio accepto Romanorum, ad eos per Cardinales direxit, ne aliena invaderent, & Romanis fines non usurparent, qui Apostolico rescribentes responderunt, non aliena petere, sed solùmmodò terras ad Principatum pertinentes velle redintegrare.

Dum hæc, & alia geruntur, nominatus Rex medio mense Julio, navigiis paratis Salernum venit, ut filiorum Ducis, & Principis facta,

cta, quos, ut supra, dixi, cum exercitibus miserat, agnosceret; Insuper cum Domino Apostolico Innocentio alloqui, & simul esse excogitabat. Continuò Rex ille, consilio habito, Salernum exivit, & ducentis militibus aggregatis prope Civitatem venit Beneventanam, & cum Joanne Subdiacono Romanæ Sedis tunc Beneventano Rectore, & aliis Beneventanis de pace, & Civitatis utilitatibus, & Domini Apostolici fidelitate tenenda satis, abundeque locutus est, & inde procedens Capuam ingressus est, ibique diebus non multis commorans de quibusdam suis negotiis tractavit, deinde apud Sanctum Germanum festinavit. Illicò habito consilio Legatos Duci, & Principi filiis suis mandavit, ut ad eum reverterentur; audierat enim Rex ipse, Apostolicum Innocentium de Provinciæ illius invasione valdè turbatum esse, & contristatum. Dux autem, & Princeps nunciis acceptis ad Patrem eorum reversi sunt, universa verò Oppida, quæ comprehenderant, necessariis omnibus muniverunt. Et his actis Nuncios Rex ipse præfato Apostolico delegavit, suppliciter impetrando, ut si fieri posset cum illo alloqui, & de multis, variisque negotiis terminare desideraret. Apostolicus autem, consilio habito, tum pro temporis tempestate, tum pro aliis negotiis instantibus eum alloqui non posse rescripsit. Rex igitur aggregato exercitu Capuam repedavit, & ibi aliquantisper castrametatus exercitum omnem dimisit, licentiam ad propria remeandi unicuique præbens. Ipse verò Rex quingentis acceptis militibus Piscariam tetendit, quam supra diximus filios suos comprehendisse. Inde procedens totam illam regionem à prædictis filiis ejus obtentam circuivit, & eis omnibus studiosè perscrutatis, Arianum Civitatem advenit, ibique de innumeris suis actibus Curia Procerum, & Episcoporum ordinata tractavit. Inter cætera etenim suarum dispositionum, edictum terribile induxit, totius Italiæ partibus abhorrendum, & morte proximum, & egestati, scilicet, ut nemo in toto ejus Regno viventium Romesinas accipiat, vel in mercatibus distribuat, & mortali consilio accepto monetam suam introduxit, unam verò, cui ducatus nomen imposuit, octo Romesinas valentem, quæ magis, magisque ærea, quam argentea probata tenebatur. Induxit etiam tres follares æreos Romesinam unam appretiatos, de quibus horribilibus monetis totus Italicus populus paupertati, & miseriæ positus est, & oppressus, & de Regis illius actibus mortiferis, mortem ejus, & depositionem Regni optabat. Quibus ita mortalibus edictis, & monetis inductis, Rex ipse militibus suis congregatis Neapolim tetendit. Archiepiscopus itaque Neapolitanus, Marinus nomine, Clerum omnem Civitatis congregari præcepit; simul & Cives, & adventum Regis eis annuncians hortatur, ut honestè, & lætitia multa eum suscipiant. Cives igitur simul cum militibus Civitatis foris Portam Capuanam exierunt in campum, quem Neapolim dicunt, & Regem ipsum honore, & diligentia multa, ultra quàm credi potest, amplexati sunt, & sic usque ad prædictam Portam Capuanam perductus est. Continuò Presbyteri, & Civitatis Clerus ad eandem Portam obviam exivit, & eum Hymnis, & Laudibus ad astra levatis Civitatem introduxerunt. Quatuor illicò viri nobiles habenas equi, & pedes Regis ipsius tenentes, alii quatuor usque ad Episcopium Civitatis Regem illum introduxerunt. Frequentiam verò populi per plateam incedentis, & mulieres viduas, conjugatas, & virgines per fenestras existentes, Lector, si aspiceres, mi-

miratus affirmares, Imperatorem, aut Regem alium, sive Principem tali sub honore, & gaudio nunquam Civitatem Neapolim ingressum fuisse. Quid multa? Rex ipse tali, & tanto honore ditatus ad Episcopium descendit, & in Camera Archiepiscopi hospitatur, die verò altera adveniente, totam intrinsecus Civitatem, & foris Rex ipse equitavit, & palatia, & ædificia circumspexit. Inde navigio parato ad Castellum Sancti Salvatoris Civitati proximum ascendit, & Civibus Neapolitanis ibi vocatis, negotia quædam cum illis de libertate Civitatis, utilitate tractavit. Dominavit insuper unicuique militi quinque modia terræ, & quinque villanos, & promisit eis, vita comite, munera multa, & possessiones largiturum. Interea noctis silentio præfatus Rex totam Civitatem Neapolim extrinsecus metiri fecit, cognoscere volens, quantæ esset circumquaque latitudinis; invenit itaque studiosè metiendo in gyrum passus duo millia tercentum, & sexaginta tres. Et passibus illis ita inventis, dum populus Civitatis aggregatus esset, in ejus conspectu quasi dilectionis affectu, eos interrogare cœpit, utrumque scirent, quot passus Civitas illorum per circuitum habuisset, qui, ultra quàm credi potest admirantes, se nescire profitentur. Rex autem sicut studiosè invenerat, mensuram passuum, quos Civitas eorum tenebat, patefecit. Unde populus omnis Regem ipsum sapientiorem aliis antecessoribus, & studiosiorem prædicabat, & quod nunquam factum fuerat, super Civitatis mensura mirabantur, quomodo Rex ille fieri contractasset. Et his omnibus ita peractis ipse Salernum properavit, & ibi diebus non multis moratus, quarto die intrante mensis Octobris navigio parato mare ingressus est, deinde Panormum festinavit. Dux verò filius ejus in Apuliæ partibus remansit, & Princeps alter ejus filius apud Civitatem Capuanam mansitavit. Cumque ut prædiximus, prædictus Rex Rogerius monetas illas superius dictas introduceret, Domino Joanni Subdiacono Sanctæ Romanæ Sedis Beneventano Rectori, & Civibus Beneventanis delegavit, ut monetas illas infra Civitatem suscipiat, quod prædictus Rector audiens mirabiliter contristatur. Ajebat quidem Rector ipse, quoniam sine Domini Papæ licentia monetas illas recipere non posset, præcipuè cum ad totius Italiæ mortem monetarum illarum introductio spectaret. Tandem communicato consilio Rector præfatus prædicto Pontifici Regis edicta mandavit, ut quid super his negotiis esset agendum mittere dignaretur. Pontifex itaque Innocentius his auditis, ultra quàm credi potest, condoluit, & super Regis Rogerii execrandis actibus mirabatur. Confestim Beneventanis mandavit literas suas ita continentes: *Facta Regis, & monetarum suarum inventiones, & à vobis accepimus, & ab aliis nobis in veritate referentibus; unde mandamus, ut non terreamini; neque jam mentes vestras moveatis, quoniam transitura sunt, & citò possunt emendari. Nos autem circa utilitates vestras quotidie invigilamus.* Literis talibus acceptis, & lectis, gratiarum egimus actiones, & aliquantulum roborati respiravimus; & his actis præfatus Pontifex Innocentius ad Regem transmisit Rogerium significando, qualiter totus populus Italiæ, & extra de introductione monetarum istarum doluisset, & quomodo ad famis afflictionem devenisset. . . . . .

Hactenus Codex Benevent. papyraceus.

F I N I S.

CASTIGATIONES
IN CHRONICON
FALCONIS BENEVENTANI.



Ncultus, & semi quamvis barbarus, qui nunc recensendus mihi superest antiquus Chronologus Falco, nostratium nihilominus Historicorum mediæ ætatis ob fidelem, nec prorsus ineptam diligentiam facile Princeps, munere, ut ipse de se tradit ad an. 1133. & 1137. Notarius, & Scriba sacri Beneventani Palatii, tandemque sua in eadem patria Urbe Judex, Chronicon, quod nunc principio, & fine mutilum habetur, exorsus ab anno mihi quandoque est visus 1077. in quo Beneventanorum Principum Langobardorum deficiente in Landulfo 6. successione, regi ea civitas cœpit a Romano Pontifice per Præfectos, vulgò tunc dictos *Rectores: post cujus Principis obitum* (inquit Anonymus S. Sophiæ Par. 3. Num. 15.) *recta est civitas per Romanam Ecclesiam*; namque in ejus demum devenerat potestatem ex caussa exposita ab Ostiensi lib. 2. cap. 83. mihique ad Anonymum Cassin. ad ann. 1051. cursim delibata. At cur ita putarem, in caussa erat ipsius Falconis acephalus textu; qui ante omnia sermone abrupto præfert, Beneventanos fere centum viros, tum nobiles, tum honesto loco natos, quos *bonos homines* ipse Auctor appellat, Romam adiisse, ac Papam, sed frustra esse deprecatos, ut *Pastorem electum corroborare*, hoc est suo assensu robur ei, & potestatem dare *dignaretur*; quibus verbis de electo aliquo Archiepiscopo à Beneventano Populo, ac juxta Sacros Canones à Summo Pontifice confirmando, sermo ibi fieri videbatur; quod præfato anno 1077. contigisse conjectabar; quoniam in eodem Chronico proximè post dicta, ad annum scilicet 1107. notatur obitus Beneventani Archiepiscopi Roffridi, cui imputantur anni 32. menses 2. dies 20. indeque constare poterat, electionem à Romano Pontifice improbatam præcedere oportuisse præfati Roffridi sublimationem; qua ratione Falco suam describere Historiam ab exordio novi Archiepiscopi, simulque novi Pontificii regiminis convenientissimè suscepisset; quam nunc haberemus ingenti hiatu ad annum usque 1102. fatiscentem. Rem tamen aliter se haberi, postmodum judicavi; nimirum cum advertissem, Petrum Episcopum Portuensem, qui Beneventi tunc præsens, ut idem Auctor perhibet, Beneventanos in seditionem ob passam à Papa repulsam versos, eorumque arma vix effugerat, ad remotiora illa tempora minimè referri posse; quibus Portuensem Episcopatum haud ipse obtinebat, qui ad eam dignitatem longè post evectus fuit à Paschali 2. sed Joannes opinionem itaque abjeci, saniorique consilio sum persuasus, Beneventanos Pastorem quidem, sed seculari, non autem Ecclesiastica potestate præditum, à Papa confirmandum petiisse, quem usitatiori vocabulo appellabant Rectorem; idque à Falcone metipso ibi simul exponi, non dubitavi: quandoquidem Portuensis ille Episcopus non multos post dies in gratiam rediens cum Beneventanis, ex eo undem petitione (verba sunt Falconis) *oravit Dominum Papam, ut Rectorem mitteret, qui Rossemannum Monachum Rectorem iteratò constituit*: nimirum restituit, ut reor, quem Beneventani suscipere recusarant, unde processerat seditio; sicque lis ea omnis, ac jurgium conquievit. Verum enim verò de his cum ita statuam, haud tamen negaverim, Rectorem à Beneventanis electum dignitate Episcopum extitisse: namque ejus fautores demonstrabat Falco, dicens, civile bellum *inchoatum*, eo *quod pars Episcopi in Campanili* (Ecclesiæ Cathedralis) *ascendens, Palatium Dacomarii* (in inferiori urbis loco situm ad occidentem Hybernum, vulgò nunc dictum *la Commare*) *in quo Episcopus ille* (Portuensis) *morabatur, fortiter expugnabat*. Rector itaque ille à Beneventanis expetitus, dignitate Episcopus fuit, idemque nomine appellatus *Riso*, ut idem exponit auctor. *Qui*, inquit, *ex parte Risonis videbantur, arma, & belli apparatus super Campanili imposuerunt* Quo circa Rector à Papa iteratò institutus cum fuerit monachus; observareque etiam in Falcone possimus, ejusdem urbis sæpius demandatam fuisse curam viris Cardinalibus, atque in anno 1120 Rossemannum Diaconum præfati Rossemanni filium ordinatum Rectorem à Callixto 2. nulla jam de Episcopo Risone tunc electo à Beneventano Populo reliqua nobis esse poterit dubitatio. Haud igitur Falco, ut olim opinabar, Beneventanam Historiam, conjunctarum etiam rerum casus complectentem, ab excessu Beneventani Principis Landulfi 6. atque ab anno 1077. sed ex recentioribus est eam initiis auspicatus. Illa autem, nisi mea me iterum destituit conjectura, ea ipsa arbitror, quæ Pontificatus Paschalis 2. primordia etiam fuere,

 præ-

præsentemque Falconis textum uno, aut altero anno vix antecedunt; electus namque fuit Paschalis, Urbani 2. successor, mense Augusti, anno 1099. qui *in anno 1102. Indictione 10* ut perhibet Romualdus Salernit. in Chronico, *simul enim Apuliæ Duce Rogerio obsedit Beneventum maximo cum exercitu: nec destitit, donec eo, qui in eadem civitate principabatur, expulso, cepit ipsam civitatem.* Hos itaque suorum Beneventanorum casus adeò memorandos videri nè poterit Falco prætermisisse, qui eorundem Historiam per annos proximè subsecutos describendam susceperat? quique aliam opportuniorem scriptitandi occasionem nec seligere quidem valuisset? Quod nullo verisimili argumento inficiari cum possimus, consequens quoque est, ut credamus, una cum iis ab eo expositum, quis ille, Romualdo innominatus, fuerit Princeps, atque quo pacto, & anno, Beneventanum obtinuerit Principatum. At Falconis frustrata hæc vota haud prorsus irrita remanebunt; cujus defectus ex præfati auctoris narratione, exque Petri Diaconi dictis suppleri utcumque poterit; qui in Auctario ad Ostiens. lib 4 cap. 19. meminit cujusdam oblationis, quam circa annum 1098. fecerat B Benedicto, ac Monasterio Casinensi *Anso Rector Beneventani Principatus ad fidelitatem Romanæ Ecclesiæ, & nobiles viri fratres sui Dauferius, & Atenulfus, Joannes, & Bernardus, Petrus, & Alfanus, & Luitprandus, filii Domni Dacomarii Beneventani Præsidis.* Hic autem Rector Anso in ipso Diplomate ejusce donationis, seù Præcepto, cujus Antigraphum extat in Registro ejusdem Petri pag. 283. non *Rector*, sed nuncupatur *Princeps*: quo etiam nomine est idem Auctori ibidem dictus pag. 32. à ter. ubi recitatis literis, quas Urbanus 2. Benevento rediens Romam, dedit *Carissimo filio A. Beneventanorum Domino* (sic ibi) *apud Ceperanum 3. Non. Novembris*, eidem præcipiens, ut Monachorum Casinensium jura super possessione Ecclesiæ S. Sophiæ ejusdem urbis sæpius examinata recognosceret, hanc notulam subjecit. *Sequenti anno*, inquit, *Papa defunctus est.* (scilicet in ann. 1099.) *Anzo post biennium perdidit Principatum* (in ann. 1101. quod Romualdus actum dicit anno sequenti) *& negotium istud ea propter mansit infectum.* Ista itaque gesta haud dubiè initio sui Chronici fusius Falco exposuerat; quorum ordinem poterit nunc quisque pro arbitrio, ut verisimilius judicabit, conjectari. Verumtamen de meo hoc unum proferam, videri hunc Ansonem, sive Anzonem, ex Rectore, ut eum nuncupat Petrus Diac. in laudato Auctario, nomen Principis, atque dominium Beneventi, quà dissimulante, quà annuente Papa Urbano 2. usurpasse; qui illum non *Principem*, sed *Beneventanorum Dominum* in præfata epistola appellavit; idque à successore ejus Paschali nullo pacto fuisse toleratum: ex diuturniori enim ejusmodi Rectoratus Magistratu, quem Ansonis quoque pater Dacomarius, vir sanè magni nominis, pridem obtinuerat, proclive ei fuerat receptam longissimo annorum curriculo in ea urbe, subinde civibus acceptissimam, concupiscere, & demum adipisci dignitatem. At Falconis Historiam pari propemodum fallacia, qua rebar eam ductam ab anno 1077. & ab exordio Archiepiscopatus Roffridi, productam ad Guarmundi Beneventani etiam Archiepiscopi initia, & ad annum 1142. in ejusdemque gratiam ab Auctore suo elucubratam, sum quandoque opinatus, quæ quidem nullo congruo fine in anno nunc subsistit 1140. Meaque mihi arridebat conjectura, quòd ex Baronii observatione ad ann. 1113. Falconem crederem, *in eadem Beneventana Ecclesia Clericatus munere functum*; qui eopse in opere ad annum 1124. Ecclesiasticum alloqui videbatur virum, atque in dignitate etiam constitutum, eum honorifico vocabulo Paternitatis compellans, inquit enim. *De miraculis autem, quæ ob prædicti patris nostri Barbati merita, honoremque Jesus Christus humani generis amator, nobis omnibus aspicientibus ostendere dignatus est, licet sermone inculto, Paternitati vestræ explicabo.* Et ad an. 1118. *De guerra*, inquit, *Jordanis Comitis supra memorati, si vestræ placuerit charitati, & Comitis Rainulphi, aliquia sueeinte narrabo* parique ratione ad an 1137. sic habet *Aliud quoque non tegendum silentio fraternitati vestræ explicabo.* Atqui iis sanè titulis, eaque dicendi forma haud decorum aliquem certum virum, sed quemlibet Lectorem modeste, & humaniter compellasse, censendus est: quippe ad an. 1114. id quam clarissime innuit, cum inquit. *Sed si Lectoris charitati asperum non videbitur, quod post illatam excommunicationem actum Beneventi fit, non prætereundum exarabo.* Et hanc itaque malesanam, sicut antecedentem, abjeci opinionem, de quo quid nunc statuam, nil prorsus habeo. Ipse autem Falco cur reputatus à Baronio fuerit clericali militiæ mancipatus, non equidem assequor; quem constat, ex laicali munere Notarii, & Scribæ sacri Beneventani Palatii, ut initio dixi, in Judicem Beneventanum adscitum: namque desitis Principibus, Curia Beneventana adhuc dici perseveravit *Sacrum Palatium*, ut ante annos tercentum Princeps Arichis instituerat; ac pleraque Palatina officia vel re, vel saltem nomine tenus remanserant, ut Comes Palatii: de quo idem luculentus testis est Falco ad an. 1114. & 1137. Cum autem ille se civitatis Judicem in anno 1133. ex consilio Rectoris, & Cardinalis Girardi, Rolpotonis Comestabuli, aliorumque sapientum civium factum, electumque prodit, perque Apostolicum Innocentii 2. Privilegium deinde confirmatum dicit, haud Prætorem definiendis litibus constitutum: sed in Decurionum, sive dicas Senatorum album credas relatum, qui per ea tempora plerisque in locis

Ju-

Judices appellabantur, unde etiamnum nobile Capuæ Forum servat antiquum ab ejusmodi Judicibus acceptum nomen. Et Beneventanorum quidem plurimorum Judicum frequens apud Falconem cum sit mentio, quos sæpe cum sapientibus viris conjungit, sæpe etiam ipsos absolutè vocat sapientes: eorum tamen munus quamvis fortasse circa judicia quoque versabatur, ut Cajetæ olim observatum constat, cæteras nihilominus publicas contemplabat functiones; Pontificemque Callixtum 2. in an. 1120. Beneventani Solemni pompa in suam urbem excipientes, *pedes ejus, & habenas equi cives quatuor à Ponte Leproso usque ad Portam S. Laurentii* (qua ab eo latere urbs aditur) *ducebant: deinde quatuor alii usque ad Episcopium: ab Episcopio autem quatuor Judices Joannes, Persicus*, ... (deficit Judicis nomen, qui tertio descriptus fuerat loco) *& Landulphus usque ad sacrum Beneventanum Palatium detulerunt*. Et in anno pariter 1137. *Judices Beneventanæ Civitatis cum aliis civibus Regem* Rogerium *adeuntes, ad Anacleti fidelitatem, & ipsius Regis amorem civitatem submittunt Beneventanam*. Ad ejusmodi igitur Judicum ordinem, dicendum est, Falconem ex Notario fuisse evectum: pari ferme ratione ac vir nomine Salernus ex medico Judex Salernitanæ urbis legitur apud Hugonem Falcandum institutus, qui nihilominus medendi exercitia non deservit. Et sanè qui regendis civitatibus sua tunc ferebant suffragia, & præcipuum ordinem, ut olim Decuriones in Colonia, Romæ verò Senatores, constituebant, Judicum nomine passim appellabantur; nam Rex Guilielmus 2. una cum matre sua Margarita literas dans *Andreæ Stratigoto, & Judicibus, & universo populo Messanensi*, quas recitat idem Falcandus, universam urbem Messanam compellasse videtur; eodem pacto ac si antiquiori ritu dixisset. *Ordini, & Populo Messanensi*. Eandemque formulam non alia mente pridem usurpavit Pontifex Joannes 8 cum Epistolam scriberet *Omnibus eximiis Judicibus, & universo populo Neapolitano*, quæ inter ejus Decretales notatur num. 67. & simul in epist. 205 Landulfum assereret, *omnium Dei Sacerdotum, & Judicum, seù tatius Capuanæ plebis voto, parique consensu*, fuisse electum ejusdem urbis Episcopum (stat. *seù* hoc loco conjunctivè pro. *&*. acceptione non infrequenti, ut opportuniori occasione exponam) Quorum quidem Judicum ordinem ex solis viris Patritiis constitisse, idem indicat Pontifex epist. 206. de eodem electo Episcopo ad Guaiferium Salerni Principem scribens, ac *Nobilium* appellans *Catervam*, quos in antecedenti *Judices* nuncupaverat. Hi tamen peculiari consuetudine tum Neapoli, tum Cajetæ, tum quoque Pisis: sed dispari nonnihil observatione, non hoc loco aptè exponenda, dicti fuere *Consules*, unde nostro Falconi ad an. 1134. *Alzopardus, & Canis Consules Pisanorum*. Dequa Neapolitania Consulibus aliis relata, sed non huic fini, nec modò succurrit quam bene exposita, obvia sunt exempla, quæ nunc repetere, non est opus. Haud tamen omittam, bis dici Anastasio Bibl. in Hadriano *Judices Cleri*, & *Judices Militiæ*, qui eidem ibi nominantur *Primates Ecclesiæ*, & in Stephano 2. *Optimates Militiæ*: utrumque nimirum Romani universi populi ordinem, hoc est Ecclesiasticum, & Laicalem, Cleri, & Militiæ vocabulis denotans. Quos quidem Optimates ab præfato Hadriano obviam missos credam Carolo Magno Romam adventanti, cum *direxit in ejus occursum*, ut idem loquitur, *universos Judices ad fere triginta millia ab Romana urbe*; cujus itineris spatium ad numerum Judicum retulisse videtur parum lectioni attentus Platina, legendumque judicasse. *tria millia*: qui nec sic devitans immodicum cœtum Judicum, vocatos censuit hoc nomine eos, *qui nequaquam sordidis artibus impliciti essent*, sed acceptione nunquam omnino observata. Deque his ipsis Judicibus, sivè optimatibus Militiæ, idest Laicalis Populi Romani, capio Petrum Diac. in Auctar. ad Ostiens. lib. 4. cap. 37. qui eos ab dignitatibus, muneribusque appellat, *Bajulos, Cereostatarios* (sic ibi legendum, non *Cereostarios*) *Stauroferos, Aquiliferos, Leoniferos, Lupiferos, Candidatos, Defensores, & Stratores*. Ex quibus intelligere erit, Judices non semper ad Judicia referendos esse, nostrumque simul Falconem haud Ecclesiasticorum Judicum consortio fuisse aggregatum, qui non *Cleri*, sed *civitatis* se Judicem affirmat institutum. Sed in his diutiùs jam non moror.

An. 1109. III. Indictionis obiit Formatus. Pascha accidit VII. Kalendas Majas.] Annorum, Indictionumque hi non cohærent numeri; eademque disconvenientia præsens Chronicon laborat ab omnium primo, quo prænotatum habetur anno, ad an. 1112. Castigandas autem esse Indictiones, quæ rectum calculum unitate excedunt, tum ex iis, quæ infra dicam, tum ex die Paschatis hic descripto, palam constat. Namque in anno 1109. verè Pascha celebrari contigit VII Kal. Maii, quod tempora subducentes non latebit.

An. 1110. IV. Indictionis. Henricus Rex venit Romam, qui fraude, & dolo Papam Paschalem cœpit, & Cardinales mense Februario. Eodem mense Dux Rogerius obiit, & Boamundus germanus suus.] Ex recta antecedentium, & subsequentium annorum in præsenti Chronico descipta serie hic plenè est annus 1110. At ei non Indictio quarta, sed tertia: nec quos Falco appingit, competunt eventus, sed anno 1111. In antiquo Vaticano Codice apud Baronium captus notatur Paschalis ab Henrico *Mense Februario, pridie Idus, Anno Dominicæ Incarnationis* 1111. *Indictione* 4. *die Dominica*: cui antiqua monumenta prorsus omnia, & Auctores consentiunt; sibique invicem bene congruunt tempo-

porum hi Characteres. Rogerii etiam Ducis, & Boemundi obitum nec in antecedentem referunt annum Petrus Diac. in Auctar. ad Ostiens. lib. 4. cap. 40. Romualdus Salernitanus, Anonymus Cassinensis à me recensitus, & qui recentissimè mihi innotuit, perque me post has Castigationes lucem primùm aspiciet Ignotus, & antiquus civis Barensis, Chronici Lupi Protosp. ferè Paraphrastes; qui præterea Rogerium mense quidem Februarii, ut hic dicitur; sed Boemundum mense Martii defunctos notat, eique adstipulantur Emortualia Monasterii Cassinensis edita à Caracciolo. Minimè itaque receptam aliis annorum supputationem servasse, censendus est Falco; qui sanè haud annos ab Januario, sed à Martio auspicari deprehenditur; namque singulis ferè præpositis annis mensem statim subjicere solet Martium; & quæ per Januarium, & Februarium, perque initia etiam Martii acciderunt, in eundem constanti tenore conjicit annum, in quem retulerat ea, quæ per menses contigerant anteriores. Sic nimirum ad annum observat 1112. ubi de Paschali Beneventum adveniete mense Decembri, ibique Synodum celebrante in Februario: nec non ad an. 1117. ubi de eodem Pontifice aliam Synodum ibidem babente mense Aprili, diem verò obeunte 11. Kal. Februarii. Et ad an. 1129. ubi de Pontifice Honorio eadem in urbe consecrante Franconem in Abbatem S. Sophiæ mense Augusti, ac decedente in Februario. Et præterea pag 221. 245. 251. 254. 278. 296. 3 9 & 338. annos tum ultra Decembrem producit, tum ut dixi, ad Martium usque extendit etiam inchoatum; qui tamen pag. 190. & 320. diem quartamdecimam, & decimamquintam prædicti mensis & pag. 201. diem secundam novo anno imputat; ita ut annos non ab die, qua *Verbum caro factum est*, vigesimaquinta nimirum Martii; nec à die Nativitatis, vel Circumcisionis se ducere prodat; quos nihilominus ab communi Epocha ducit Nativitatis, ac juxta communem calculum congruas eis assignat Indictiones. quo sanè pacto tertiam, non quartam Indictionem, ut editus Codex depravatè repræsentat, ritè adscripsit anno 1110; eamque pari passu ad Martium produxit anni sequentis; nec de cætero est sincerior alia lectio ibi expetenda.

Ann. 1112. VI. Indictionis Mense Martio. &c.) Rescribe *V. Indictionis* quod exigit temporum ratio superius exposita; & insuper Card Baronius testatur ad ann. 1140. sic haberi in hujus Chronici antiquo exemplari. *Falco Beneventanus*, inquit, *Chronicon suum in hunc usque annum perduxit, cœptum ab anno Redemptoris 1112. quinta Indictione.* At de ejus exordio sic quidem ibi pronuntiat: ad annum tamen 1113. ductum ipsum ait ab anno hoc ipso, perque annos dumtaxat 27. ad annum usque 1140. productum; ita ut antecedentium, quæ suo operi inutilia, & per se tum mutilia, tum nimis jejunia esse cognoverat, nihili fecisse videatur. Cæterum in Falcone è verbis illis. *Hoc anno inceptum est ædificium, vel ædificari.* &c. expungendum est τὸ. *ædificium* quod orationi non quadrat, redundatque; glossula cum sit compendiati verbi. *ædific.* Apostolicus autem, hoc est Romanus Pontifex tunc Paschalis 2. Beneventanum, ut Falco perhibet, cum advenisset initio Mensis Decembris hujus anni 1112. Synodum deinde ibidem celebravit in Februario, scilicet communis sequentis anni 1113. hisque consonat Petrus Diac. in Auct. ad Ostiens. lib. 4. cap. 48. qui præsentem adventum Paschalis in has partes numero facit secundum, priorem statuens in anno 1108. mense Octobri, ut tradit lib. eod. cap. 35. adsertoremque nostrum habet Falconem, dicentem tunc illum mense Novembri ordinasse Landulfum Archiepiscopum Beneventi. Quo circa hoc anno ab eodem Pontifex Beneventum pergente consecratam credam in urbe nuncupata S. Agatha Gotborum, Ecclesiam S. Mennæ, quam construxit *R. Comes*, hoc est Robertus filius Rainulfi, Petro Diac. memoratus præfato lib. 4. cap 25. licet in lapide, operis sanè antiqui, nec imposturæ iudicium præferente, ibi posito, legerim eam actam *anno ab incarn. Dom MCIX. II. Non. Septembr. indict. quarta per manus Dom. Paschalis secundi Pap.* quæ præterea temporum consignatio haud sibi constat; nec Paschalem eo anno, & mense ad nos accessisse, est qui prodat.

Anno videlicet 113. supra millesimum. &c. pag. 182. Landulphum de Græca, militem præstantem, & solertem, Comestabulum Beneventanorum instituit] Baronius hoc loco, & ad an. 1114. ex hoc Auctore appellat. *Landulphum de Græcia.* quod gentis nomen natum suspicor ab dominio oppidi olim *Græcia* nuncupati, in terra Beneventana, ut legitur in Regiæ Siclæ Tabulario; idque variè pronunciatum reor, qui à Falcone videam ad an. 1121. pag. 219. memorari *Gerardum de Græcis*; & ad an. 1137. pag. 31. *Thadanm de la Græca*, nobilea utique viros Beneventanos. Porrò Landulfus honorem Comestabiliæ à Papa Paschali, nescio an dicam adhuc in hoc anno 1113. apud Beneventum commorante, accepisse videtur mense Martii; qui anno sequenti (cum ipso dicam Falcone) *posita Comestabilia domum secessit eodem mense, quo ordinatus est: unius solummodo anni spatio in honore perseverans.* Et verò haud hoc anno Paschalis Beneventi manens literas dedit 15. Kal. Aprilis ad Patriarcham Antiochiæ, à Guilielmo Tyr. relatas lib. 11. cap. 17. sed in an. 1117. ut dicam post; qui alias etiam recitat datas ab eodem Pontifice eadem die ad Regem Hierosolymitanorum, non Beneventi, sed apud Lateranum commorante, manifesta contradictione, aliis non observata.

Ann. eodem Pap. 186. contigit autem die quadam Rao &c. ad frangendam, ut ita dicam, arca-

arcaturiam ivit) Palorum sepem in publicum, privatumvè commodum structam ad arcendam constringendamvè perennis fluminis aquam Falco populari tunc vocabulo, plerisque etiamnum in locis usurpato, appellat. *Arcaturiam*.

Anno 1114. Mense Martio &c. *pag.* 187. *Necessitate autem Romano Papæ ostensa, eis præcepit*, &c.) Baronius legit. *Necessitate enim Domnus Papa eis præcepit*. &c ex Auctoris planè idiotismo, optimoque ejusdem exemplari, quo est usus; à cujus tamen fide videtur alicubi discessisse, aliquantoque concinniùs, & ad Latinam magis normam dictionem composuisse. Singula nunc non prosequar ejusmodi loca, sed ea tantum, quæ peculiarem exigent observationem, eritque mihi satis, indicium fecisse.

An eodem pag. 101. *Roffridi Foligaderisii; & Roffridi à Porta Aurea*) Scribo. *Roffridi Fili Gaiderisii*. qui ad an. 1130. pag. 251. absolutè dicitur. *Roffridus de Gaiderisio*: sic enim ibi legendum est; non autem. *de Garderisio*. quippè apud Langobardos proprium virile nomen fuit *Gaideris*, quod Latino magis ore enunciabant. *Gaiderisus*, & *Gaiderisius*. Atque ex hoc Falconis loco intelligere est, quo pacto parentum nomina in filiorum, & in universæ tandem stirpis cognomina frequentissimè olim transirent: nimirum quoniam ex genitorum nominibus gnati sic, vel sic communi quadam consuetudine denominabantur, ut ab aliis consimili appellatione in gente, vel in vicinia nuncupatis faciliùs discernerentur; quæ semel indita cognomenta firmius eis cum inhærent, gentilitia demum devenere, haud tamen contracta illa vocula *fili* semper expressa, de quo exempla obvia sunt satis. Plurima autem talia gentilitia ex parentum nominibus exorta cognomina facillime ab omnibus nunc cum internoscantur; sunt tamen nonnulla, quæ nisi antiquitatis peritioribus, nec iis omnia quidem, patent; nam propria illa vocabula ab communiori usu cum jam recesserint, vulgus haud ex ipsis, sed vel ex alia, vel ex ignota origine gentilitia processisse putat. Sed redeo ad Falconem; apud quem est hoc loco Roffridus, & ad an. 1119 pag. 212. Alterius cognomine dictus. *A Porta Aurea*, quod genti inditum eadem plane occasione conjicio, qua apud Salernum nobilis quædam stirps à Portæ Rotensis custodis denominata fuit *de Porta*: promiscuè enim Portæ urbium olim à suis custodibus, ut alibi exposui, nomina desumebant; eisque sua aliquando impertiebantur.

An. eodem. pag. 193. *Delegavit præfatus Apostolicus Beneventum Anastasium*....... *& Albanensem Episcopum Cardinales, Romanæ sedis idoneos*. &c.) Duplices Cardinales à Papa Beneventum missos præfert his verbis editus Falconis Codex; qui infra hac eadem pagina unum tantum Anastasium Cardinalem apud Beneventanos loquentem, Beneventoque Romam recedentem facit. & sanè unus, & idem Anastasius Cardinalis simul & Albanensis tunc erat Episcopus, quam lectionem, ac cætera in eandem sententiam concorditer descripta Baronius ex suo exhibet exemplari; & præterea verba illa. *cupiens quod Beneventanus populus in animo haberet cognoscere*. citat in hanc formam. *cupiens quod Benev. popul deberet se recognoscere* & infra. *nos pro certo sciatis*: non. *præcepto*.

An. eodem pag 194. *Ducatus Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ Duci præfato Apostolicus concessit*) Non *Ducatum Apuliæ*, sed *Ducatum Italiæ* legebat Baronii optimus Codex. Pontifex itaque, dices, universam Italiam Duci concessit Guilielmo in Concilio Ceperanensi? Id quidem apertum quia videbatur mendacium, Librarium persuasit, ut expuncto Italiæ nomine, alterum Apuliæ induceret; vel ob id maximè, quod fortassè observasset, Petrum Diac in Auctar. ad Ostiens. lib. 4. cap. 49. pro illa sua stare lectione. *In eodem Concilio*, inquit Petrus, *idem Apostolicus investivit Gulielmum Ducem de Ducatu Apuliæ, & Calabriæ*. At nescius erat ex Græcorum tunc idiotismo, nostratibus etiam Italis ob mutuam cum iis consuetudinem usurpato, communi Italiæ vocabulo à Falcone Apuliam solummodo demonstrari, quam Langobardis, perindeque Italicis Dynastis ipsi subtraxerant. Nec noverat ob id recentem Calabriam, sitam ad mare Interum, tunc comprehensam sub eo vocabulo non fuisse, quoniam ea Græcis amissa nunquam fuerat, nec Italis unquam post Justini Junioris tempora possessa. Hoc autem si ex superius laudatis ad Lupum auctoribus, & ex Lupo metipso non cognoverat, potuisset planè ex non uno Falconis loco quam manifestissimè intelligere; cui frequenter non cuncta duplici mari, & Alpibus circumsepta Italia, sed una tantum Apulia eo nomine est. Dabo ejus in hanc sententiam non ambigua verba de Lothario Imp. demoliente Castellum à Rege Rogerio constructum apud Barim, ejusque defensores vi captos non uno mortis genere perimente. *De tali*, inquit, *tantaque victoria tota Italia, & Calabria, Siciliaque intonuit*. Quæ vocabuli usurpatio adeò obtinuit, ut universa etiam cis Tyberim Italica regio nonnunquam absolutè dicta fuerit *Italia*: ut in antiqua chartula de anno 1091. in Archivo Monasterii Cavensis, quæ de quadam donatione est facta eidem Monasterio à Guaimario de Jesuno Langobardorum Principum Salerni prognato, cum ipse ibi, & filius ejus sacra religionis vota Deo nuncuparent. *Etsi*, inquit præclarus vir ille, *ante nostram consecrationem mihi, & ipsi filio meo mors evenerit, in quocumque loco ab urbe Roma in istis partibus per totam pertinentiam Italiæ, statim*. &c. Atque hinc est, quod Greco Auctori Nicephoro Gregoræ constanti more Carolus Andegavensis, dicitur *Rex Italiæ*, qui, ut olim volgò loquebantur, fuit

Rex Apuliæ. At hæc bis jam constabilita, nec difficili, dubiovè assensu doctis probata amicis viris, quibus cum ea dudum communicavi, supervacaneum certè est longiori sermone commonire. Obiter tamen addam, nostræ huic Italiæ idem propemodum accidisse, cum absolutè Italia est dicta, quod septem universæ Italiæ Provinciis pridem contigisse, norunt eruditiores; quæ absolutum Italiæ nomen sibi vendicarunt, quoniam ex solæ magistratui parebant, Vicario Italiæ nuncupato, cæteræ cum essent Vicario Urbis subjectæ. Sed nec prætercam, nulla fallacia à Falcone esse proditum, confirmasse tunc apud Ceperanum Pontificem Paschalem Duci Guilielmo præter Apuliam, & Calabriam, Siciliam quoque Petro Diac. omissam, quam tunc ejus patruus obtinebat Comes Rogerius; nam Guilielmus, ut noster perhibet ad ann. 1122. *non dum medietatem suam Palermitanæ civitatis, & Messanæ, & totius Calabriæ eidem Comiti concesserat*.

An. eodem. pag 196 Capitula Sanctarum Patrum Prædicatorum omnibus exhiberi, & legi Apostolicus præcepit) Aptius sanè Baronii exemplar. *Capit. Sanct. Patrum prædecessorum*. apud quem reliqua etiam narratio de Beneventano Archiepiscopo Landulfo in Concilio illo deposito, quà ad Falconis mentem, quà in decentiorem conversa sermonem pluribus, sed leviusculis locis, castigatior habetur.

An eadem pag. 197. Exilium petam, vel mare transfretaba.) Conjunctivè legit Baronius, *& mare transfretabo*; rei quidem congrua sententia. At nec disjunctiva hoc erat loco particula illa. *vel*; sicuti nec apud Erchempertum (domestica do exempla, in re non difficili, ut parcam verbis) in Descript. Regum Italiç Num. 5 & in Historia Langob. Num. 1. Nec apud quot quot in antiquis Codicibus descripta habentur Sanctorum virorum gesta, quæ passim hanc præferunt Epigraphen. *Vita, vel obitus.* quod Italicè sonat. *Vita, & morte* Nec tandem apud Concilium Taurinense Canone 5. iis verbis. *Si quis ab ejus*, Felicis, *communione se voluerit sequestrare, in nostræ Sanctæ pacis consortium suscipiatur, juxta literas venerabilis memoriæ Ambrosii. vel Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis dudum latas*. Super quæ inutilis fuit labor Hieronymi Aleandri junioris in Differt. 2. cap 3 de Region Suburb. dicentis. *particulam vel. eo loci declarandi vim obtinere; perinde ac si dictum fuisset* (hanc ille putat plenam verborum Concilii sententiam) *juxta literas Ambrosii, vel ut veriùs dicamus, Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis.* namque planus erit sensus, si juxta aliàs usurpatam ejus significationem conjunctionis vice posita credatur. Sed & disjunctiva illa pariter particula. *seù*: conjunctiva est, tum alibi, tum in Epitome Constitutionum Caroli Mag. Titul. de Metropolit cap. 4. *Ut Episcopi*. sic ibi, *de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant; seù & de viduis infra sua Parochia potestatem habeant corrigendi*. Ad quem locum frustra ēt est Vitus Amerpachius, putans. *seù potuisse omitti; aut positum esse pro imò*. stat enim ibi pro. *item.* Sed hæc per transcursum. Cæterum non longè post superiùs producta Falconis verba, mutilus est ejus textus, sic ex Baronii exemplari instaurandus. *At ipsi Judices ex præcepta euntes, licet dolendo, & protelando reversi sunt, ne tale super Landulfum Archiepiscopum darent judicium. Judicibus tamen ipsis, ut dixi.* &c.

An. eodem. pag. 198. Hoc anno Ecclesia B. Mariæ de Episcopio ampliata est per consilium Landulphi de Græca. Hac anno Landulphus Beneventanus Archiepiscopus captus est. & Landulphus de Græca, qui expulsus fuit de civitate Beneventana, reversus est, accepta Camestabilia. His omnibus, & aliis ita peractis. &c.) in antiquo exemplari fortasse scriptum fuerat. *Ecclesia B. M. de Episcopio.* quod Librario interpretari visum. *B. Mariæ.* at exponendum erat. *B. Maximi*; ut idem Falco ad an. 1123. argumento est, dicens; *eodem anno Landulphum de Græca supranominatum XII Kal. Decembris obiisse, & ad Ecclesiam suam S. Maximi sepultum esse*: ni potius sit ibi *B. Mariæ* nomen restituendum. Diù autem anceps fui, præsens nè integra adnotatio sit Falconi tribuenda; an ab extraneo aliquo adnotatore ad ejus Codicis fuerit oram adpicta, ac demum ab imperito, novitioque Librario in textum inducta; quippè quæ antecedenti, subsequentique haud aptè admodum cohæret sermoni: nec in Falcone apparet, Landulfum Archiepiscopum ante, vel post suam depositionem captum, ut hic asseritur, & in vincula conjectum fuisse; quem Petrus Diac. in Auct. sæpius dicto lib. 4. cap. 49 palam proclamat, Papæ sententiam audire declinantem ex Ceperanensi Concilio ad Cassinense Cœnobium confugisse; & insuper non obscurè indicat, ad suam usque restitutionem ibidem mansisse; cum affirmet, rogatu ejusdem Congregationis Pontificii ordinem, & Papæ gratiam non diù post rursus habuisse; scilicet quando idem Paschalis Roma Beneventum in ann. 1117. proficiscens, ad prædictum in itinere divertit Monasterium. Sed tandem visum est, Petrum Diac. præclari adeò Antistitis carcerem, sivè liberam custodiam verecundè reticuisse, ac dissimulasse; qui de cætero hac ipsa in narratione suis est etiam Monachis blanditus asserens illum in gradum suum restitutum rogatu Congregationis Cassinensis: cum tamen Falco tradat, antequam Paschalis Beneventanum iter arripuisset, ac subinde priusquam Cassinum concessisset, hoc est *in anno 1116. undecimo die intrante Mensis Augusti redintegratum in Archiepiscopatum*, quod Baronius gestum subdubitat in Concilio Lateranensi, celebrato jam dicto anno, mense Martii: quamvis ad annum dein 1117 Petri consentiat dicto. Falconis itaque præmissa ad-

adnotatio omninò spuria non est: omninò, inquam; etenim ut verum fatear, subolet ea mihi nescio quid concisæ orationis, quæ ex alia prolixiori in minorem verborum circuitum præter auctoris morem videtur redacta. & sanè laxiorem ni eam formasset Falco, haud continuò illam usurpasset dicendi formam, ac subjecisset. *His omnibus, & aliis ita peractis*, quæ uberrimam præcessisse narrationem, qui non intelligat, erit nemo.

Anno eodem. pag. 198. *His omnibus, & aliis ita peractis, Apostolicus ipse IX* Kal. *Septembris Trojam tetendit; ibique Concilium statuit, & firmavit.*] *His*, inquit, *omnibus, & aliis ita* (nimirum, *ut exposui*) *peractis* (scilicet tùm *in Concilio Ceperanensi*, celebrato, ut ipsemet Falco adnotarat, mense Octobri, an. 1114 tùm *per menses proximè post Consiliū subsequutos*) *Apostolicus ipse IX Kal. Septembris* (anno videlicet 1115. quem non dum sermone attigerat) *Trojam tetendit.* &c. Est itaque huic præfigendus jam dictus annus 1115; in quem etiam Baronius ex hoc Auctore præsentem conjicit Synodum Trojanam. At Paschalis, ut Petrus Diac. perhibet in laudato non semel Auctario lib. 4 cap. 55. *Mense Majo Romam egrediens, venit ad Monasterium Cassinense, ejusque Abbatem*, tunc Girardum, *secum ducens, Synodum celebraturus Trojam perrexit, indeque regrediens, Ecclesiam S Vincentii juxta ortum Volturni fluminis solemniter dedicavit.* Sic ille. Et Falco insuper post prædicta subdit. *Confirmato autem Concilio, & piè finito, Papa Beneventum tertio die intrante mensis Septembris reversus est. Deinde Romam reversus est septimo Kal. Octobris; qui tunc Monasterium S. Vincentii* (hoc jam à Petro etiam intellexeramus) *dedicavit*. Igitur Paschalis à mense Martio in anno 1115. Roma absens moratus in his est locis per quatuor ferè menses, cum Synodum habuit Trojanam; recitata namque Petri verba de alia Synodo in præfata urbe congregata, quàm de exposita à Falcone, haud sunt intelligenda; quod amborum Auctorum de celebrata tunc a Paschali dedicatione Ecclesiæ S. Vincentii concors assertio manifestè probat. Et præterea, ut in Castigationibus ad Anonymum Cassinen. ad an. 1114. observabam, Petrus dicens, Papam Paschalem sequenti anno postquam Cassinenses Monachi Castellum Suvium recuperarunt, quod cap. 54 accidisse perhibet in an. 1115. (sic enim ejus scriptus Codex, & editio præfert Neapolitana) statuens, inquam, Papam Roma discessisse sequenti anno, hoc est Christi 1116. Trojanum Concilium celebraturum, communem Epocham Christi nati observatam à Falcone anno certè præit; quo fit, ut Falconi de tempore præfati Concilii non adversetur. Qui insuper spontanea confessione coactum illud detegit in ann. 1115. dum cap. 60 & 61. ait Paschalem sociato sibi Abbate Cassinensi Romam reversum (ex Synodo nimirum jam dicta) disposuisse *mediante Quadragesima* alteram ibi Synodum celebrare; ac deinde *loco cessisse* ob turbas à Romanis motas, occasione Præfecti, se invito, instituti; tandemque in ann. 1117 urbem egressum (ad eam enim prius ipse iterum se contulerat, ut fatendum est, idque Falco non tacet) Beneventum recessisse, ut Romam advenientem Regem devitarent Henricum. Paschalis, inquam, præfati Regis occursum si in dicto anno 1117. declinavit, in quem cæteri etiam omnes id conjiciunt Auctores, & præsertim Falco, qui illum mense Aprili Beneventi constitisse affirmat, utique postquam Concilium in Quadragesima antecedentis anni 1116. Romæ habuerat, eam deserverat, eam deserverat, repetiveratque urbem, ac subinde in anteacto ann. 1115 Trojæ, ut prædictum est, præsens fuerat. Quæ autem tunc bis Beneventum pertransiens ibi egerit Paschalis, in Falcone desiderantur.

An. eodem. pag. 199. *Treuga Dei statuta est, adeò quod Comes Jordanus, & Comes de Lauritello, & alii Barones Apuliæ Sacramento in præsentiarum firmaverunt treugam Dei.* &c.] Sic etiam infra ad an. 1123. *Treugam Dei tenendam posuerunt*. hoc est, inducias, sive pacem pepigerunt. Guilielmus Neubr. lib. 5. cap. 3. *Induciis, quas Treugas vocant.* Tyrius lib 1. cap. 13. *Pax, quæ verba vulgari Treuga dicitur*. Ea planè sic dicta; scriptaque est aliis etiam Auctoribus: & insuper *Treuua* nostro Auctori bis ad an. 1120. ubi per Typographi forte errorem modò habet. *Treuua* unde, *Tregua*, Italicè nunc effertur. At in Ivone Carnot. epist. 90. & in Lupo Protosp. ad an. 1089. & 1091. forma magis Latina appellatur. *Trevia*. quem auctorem cum castigarem, subdubitavi, de qua Trevia ille erat capiendus; tunc enim ad memoranda Nortmannorum Procerum bella mentem eum haberem, non adverti sermonem ibi fieri de conciliatis iis Dynastis ob privata odia, causasvè alias civilibus armis mutuò confligentibus: quo morbo immanè quantum *Prælati omnes*: hoc est quicumque præsidendi aliis munus, & dignitatem obtinebant, per Langobardorum tempora, sicut ineditus testatur Anonymus Salernitanus, ubi de Principe Beneventi Sicone: sed & per Nortmannorum ætatem, ut ex præfato Lupo, & Falcone constat, laborarunt! Quibus nil modestiùs se gesserunt inferioris homines conditionis: Alexandrum Telesinum, ut alios prætereAm, vide lib 1. cap. 21.

An. 1116. ab Incarnatione Dom. nostri Jesu Christi, & XVII. anno Pontificatus Domini Paschalis II. &c. *Et hoc anno Præfectus Urbis Romæ mense quidem Martio objit.* &c.) Credam ne Falconem mendacem, an ejus textum luxatum; an potiùs hæc ab ipso ritè ad annum tradi 1116. relata aliis ad annum antecedentem; quæ acta fuisse *anno pacis quinto*, initæ nimirum inter Papam Paschalem, & Regem Henricum mense Aprilis ann. 1111. Petrus

pe-

perhibet Biblioth. apud Baronium, & in an. 16. Pontificatus ejusdem Papæ, qui etiam Falconi reputatur Christi jam dictus 1185?

An. 1117 &c. Mense Aprili ipse Papa Synodum Beneventi celebravit. &c.) Sane haud Trojæ, sed Beneventi manens Paschalis literas dedit hoc anno, tùm ad Episcopos, Regemque Angliæ Henricum, 9. Kal. Aprilis, quas refert ex Malmesburiensi Baronius: tùm ad Patriarcham Antiochiæ 15. Kal. ejusdem Mensis; nam scriptæ hæ fuere, ut res, de qua in iis agitur, manifestat, post alias pridem ad Regem Hierosolymitanorum directas 5. Kal. Julii: aliasque ad præfatum Patriarcham ab eodem Pontifice datas 7. Idus Augusti, quas omnes Guilielmus Tyrius lib. 11. cap.27. recitat, & ad annum refert 1115. sed planè posteriores illæ ad Patriarcham (cur non etiam anteriores, sic nimirum locorum distantia, actæque rei dictante difficultate?) transacto præfato anno transmissæ fuere; quæ ut prædixi, datæ leguntur apud Beneventum 15. Kal. Aprilis, ac subinde in an. 1117. Paschalis enim haud antea in eam urbem rediit post an 1115. Sibique, non mihi, idem Tyrius pugnat, alias his socias Papæ epistolas præferens, eadem die non Beneventi, sed apud Lateranum ad prædictum Patriarcham datas. At de Beneventana superiùs descripta Synodo, quæ in literis etiam memoratur Gelasii 2. ad Galliæ Archiepiscopos, Episcopos &c: relatis à Baronio ex præfato Malmesburiensi: non de antecedenti Trojana capiendus est Petrus Bibl. in vita Paschalis iis verbis. *Dominus Papa*, inquit, *celebrato Concilio, quod in partibus Apuliæ congregaverat, rediens cum Nortmannorum exercitu in Campaniam* (quæ scilicet *Latium* olim fuit appellata) *Pillum. Pullanumque* (Petrus Diac. lib 4. cap. 61. *Pylum* vocat, peractaque hæc dicit *diebus Pentecostes*: sed ipse Bibliothecarius: *Autumnus*, ait, *instabat*. & calor, & æstus senem Pontificem dissolvebat: mallem itaque. *Æstas instabat.* Et. *Pullanum* certè est *Palianum*) *in maritimis oppidum S. Silvestri in sui deditiònem convertit*. Nec turbet te, quòd dicat, *in Apuliæ partibus*, Concilium illud congregatum, in quibus haud censetur Beneventum; nam tunc, & aliquantò etiam post, passim unius Apuliæ absoluto nomine cunctam Italiam cis Tyberim exteri occidentales nuncuparunt, exque illorum usurpatione etiam incolæ, quandoquidem Nortmanni ob res primùm in Apulia præclarè, & feliciter gestas longinquorum ora ad se solos, & ad unam Apuliam converterant. Cæterum Barensis Archiepiscopi Risonis necem, Falconi leviter hic libatam, Ignotus ejusdem urbis civis fusiùs in suo Chronico superiùs laudato præsenti anno patratam exponit. In quem etiam annum noster obitum referens Papæ Paschalis, id juxta servatam à se annorum facit rationem; nam obiit ille, ut perhibet præfatus Bibliothecarius, 15. Kal. Februarii, collocatusque est 11. Kal. (hunc humationis ejus in diem mortis idem noster immutavit) hoc est desinente anno Falconiano 1117. & inchoante communi 1118. Ex hac autem, quam præsens Falconis textus ad descriptum annum strictissimam præfert narrationem, deciderunt, quæ notasse ait de ipse infra ad an. 1119. pag 206. se pridem ad excidio Montis Militia, & Montis Aperti. Sanè ea nisi ex hoc, non ex alio excidisse videntur loco.

Anno eodem. Pag. 201. Deinde prosperis ventis mare sulcantes pervenerunt Calenum.) Ergo ne Roma Calenum marino pervenit itinere Gelasius? Equidem Plinius lib. 3. cap. 5. mediterraneam eam urbem facit; sed quid Plinius? Auctores prorsus omnes à mari eam longiùs removent, quam non sic, sed primitivo vocabulo (derivativum est enim Calenum) appellant, *Cales*; ita ut de Caleno municipio, cive, agro, vino, praelo, aqua, &c multa apud veteres cum habeatur mentio, vix præter Plinium, alium reperies, qui absolutum præferat Caleni nomen. In quo fœdè sunt lapsi omnes ferè recentiores, vel Cales à Caleno pessimè distinguendo, vel utramque urbem unam rectè quidem faciendo, sed perversè Calenum nunc esse *Carnulam* (& ipsam mediterraneam) reputando, quæ sane est *Calvi*. At errorem ex Auctoribus videntur hausisse, qui per ætatem vixerunt Nortmannorum, Carinulamque omnium primi appellare Latino eloquio cœperunt Calenum; quam novam urbem Langobardi antè annos octingentos duobus ferè milliariis ad Septemptrionem secedentes ab antiqua, nec scio quo casu consumpta *Foro Claudio*, appellata quæ prius fuerat *Forum Poplium*, ut est apud Ptolomæum Geogr. lib. 3. Tab 6. Europæ, sive *Forum Popilium*, ut apud Dionysium Halicasn. lib. 1. sed apud Plinium lib. 14. cap 6. *Colonia Syllana*, nunc inanis locus, dictus *Civita rotta*, munitiori in secessu construxerunt, ac denominarunt *Calinium*, sed de his fusiùs alibi. Interim verò nunquam ad mare cum fuerit Calenum, nec ambiguum sit, Papam Gelasium tunc ad patriam urbem Cajetam se recepisse, haud difficili conjectura in Falcone nomen Cajetæ esse restituendum apparet; in qua aliquantisper ille commoratus, in Sacerdotem primùm, & mox in Papam consecratus est *infra Kalendas Martii*, ut perhibet Pandulfus Pisanus in ejus vita: ut verò Petrus habet Diac. lib 4. cap. 64. *in Quadragesima*; at noster magis signatè. *in Canonico jejunii tempore*, hoc est in quatuor temporum Veris: Diaconus enim ille adhuc erat cum in Papam fuit electus; quo anno 1118 dies Cinerum incidit in diem nonum, non infra Martii octavas.

An. eodem pag. 203. Deinde præfatus, & alii Romanorum Nobiles. &c.) Locus palam mutilus, sed & corruptus in voce *Calenum*, ut prædixi. Quæ autem hic desint, haud facilè divinaverim: non abnuerim tamen epistolæ Auctores extitisse eosdem Romanos

Pio:

Proceres, qui Gelasium, ut prædictus Pandulfus Pisanus perhibet, è manibus eripuerant Cencii Frangepanis: eam verò per nuncium missam Papa Capuæ manens accepit, ubi proximum Paschs solemni pompa celebravit, eodem Pandulfo, & Petro Diac. perhibente lib. 4. cap. 64. qui etiam ibidem Synodum habens, damnavit Regem Henricum, & idolum ejus, Antipapam scilicet Burdinum ut ait Abbas Uspergensis. Et fortasse eodem tempore *Landulphus de Graea, olim Beneventanus Camestabulus*, ut noster subjicit antedictis, *literas suas apud memoratum Gelasium notificando, Rectorem Stephanum Beneventanum, ex quo ipse depositus fuerat, justitiam egentibus, non feeisse*, nuntiavit. A quo pacto contigerit, ut Landulfus denuò ejiceretur, postquam in an. 1114. iterum præfatam acceperat Comestabiliam, in Falcone non legitur; intelligereque tantum datur, id patratum in an. 1117. nam in an. 1120. mense Augusti à Pontifice Callixto Beneventum revocatus fuit, *cum per triennium Montem Fuscum habitasset*.

An. eodem. pag. 203. Taliter igitur Gelasius acceptus, cum prædicto Anglorum Rege confabulatus est) Anglorum Rex, qui tunc erat Henricus 1. haud Falconi ante hac fuerat memoratus: quin illum Gelasius in Galliaa profectus alloqui minimè valuit, qui post Synodum apud Viennam Allobrogum collectam ineunte anno 1119. nè Gallorum quidem Regem, nisi per nuntios literasque quivit compellare, minores tantum Principes coram alloquutus. Certè res qui descripsere præfati Henrici, illum præterquam cum Callixto 2. apud Gisortium, & cum Innocentio 2. apud Carnotum, & Rothomagum, colloquium cum alio Romano Pontifice habuisse, non adnotarunt. Mancus itaque, & præterea depravatus est hoc loco Falco: nam de confabulatione inter Regem, & Papam per internuntios habita si eum capias, ineptissimi sermonis ipsum facis reum; qui nec silere debuisset, consimili ratione Gelasium tunc tum Gallorum Regem convenisse.

An. eodem. pag. 204. Confestim se infirmitatis validæ dissolutione teneri persentiens. &c.) Universus hic sermo usque ad præsentia anni finem in plusculis variat apud Baronium: locos confer, eamque sequere, quam sinceriorem reputabis lectionem.

An. 1119. & anno primo Pontificatus Domini Callisti 2. &c. *Mense Martio prædictus Beneventanus Archiepiscopus videns Civitatem variis prædarum afflictionibus ex omni parte confundi, & devastari, suæque Parochiæ Ecclesias à raptoribus vexari quotidie, Synodum decima die intrante ejusdem Martii celebravit*, &c. Excommunicationis sententiam in hac Beneventana Provinciali Synodo, cui præter alios adfuit Hugo Cardinalis, Beneventi Rector à Gelasio in Galliss proficiscente institutus, torsit Landulfus Archiepiscopus in Beneventanorum res, & negotia disturbantes. Sed ejusdem urbis ad tutelam eximiè se tunc præfatum Hugonem gessisse indicat Landulfus Pisanus: *Hugoni*, inquit, *Cardinali Apostolorum Beneventanæ urbis custodia, pro ut postea vidimus, non sine Sancti Spiritus oraculo* est à Gelasio *commendata; nam paulò post deficiente Papa, nisi ipse resisteret, & mille modis ipsis sagaciter obviasset, Nortmanni illam hodie, & non Papa teneret*: deque his successibus Falconem nè verbum quidem fecisse cum appareat, illum vel aliena injuria; vel propria incuria, sivè malis industria mancum putem, necesse est: qui prædictos Hugonem, & Landulfum amicitiam cum Jordano Ariani, & aliorum locorum Comite, genere Nortmanno, coluisse adversus Rainulfum Abellini, & Calatiæ, plurimumque pariter oppidorum Comitem, genteque etiam Nortmannum, & asseclas ejus, ad hunc & ad sequentem annum quam sobrjissimè adnotavit. Hugonis itaque industriæ adscribendum est, cunctos illos Proceres in Beneventi damna tunc unà non conspirasse.

An. eodem. pag. 208. Deinde Sacramento mediante, Comitis Jordani fidelis, & canonicus effectus est) Nimirum cum in Feudum accepisset à Jordano Castellum Templanum, factus est ejus *canonicus*: hoc est *tributarius*: nam pensio passim olim dicta reperitur. *Canon*: quoniam scilicet juxta Canonem, & certam regulam penderetur; unde Cassiodoro lib. 2. epist. 25 *solidi canonici*; & lib. 12. ep. 13. aliisque in locis sunt *Canonicarii*, qui tales Canones exigebant; deque his etiam vide Cujacium in expositione Novell. Justiniani 128. Porrò in Falcone paulò post lego. *duodecim milites illorum comprehendit, armis omnibus eorum acceptis; inter quos miles nomine Eteruus, & Arianum captivi sunt perducti*: non. *Eternus, & Brianus*.

An. eodem pag 209. Hoc anno XV. die intrante mensis Maii Beneventanus Archiepiscopus Landulphus. &c Restituo. *XII die intrante.* nam Landulfus eductis è vetusta tumba Sanctorum Lipsanis, ut ea in decentiori reponeret sepulchro, post transactum biduum, die videlicet 14 Maii, palam universo Beneventano populo per insecutos dies octo, nempe ad 21. usque diem, ipsa exposuit; & demum proxima luce, *in crastinum*, inquit Falco, *die videlicet decimo stante mensis Maii*, hoc est decem ejus Mensis diebus superstitibus, ipsoque die 22. in præparato loculo collocavit. Beneventanos autem regionatim ad eorundem SS. honorem vigilias per singulos prædictos octo dies celebrandas convenisse, simulque in Falcone nomina deesse duarum regionum, alibi est à me observatum.

An. 1120. Dominicæ Incarnationis. &c. *Deinde Cardinalem Ugonem Beneventum Regentem, & Stephanum Rectorem, Roffridumque electum accersiri præcepit* &c.) Paulò diligentiorem nunc te optassem. Falco; nam

Cardinalem Hugonem *Regentem*, Stephanum verò *Rectorem* cum appellas, discreta quidem ea fuisse officia innuis, alterumque altero præstantius, quæ viri imparis conditionis obtinerent; ut etiam facis ad an. 1127. ubi de Gualterio Archiepiscopo Tarentino Beneventum moderante, & Guilielmo tunc cum eo simul Rectore: sed talium nuncupationum discrimen tu te confinxisti, nec palam ipsorum munerum aperis disparitatem; qui promiscuè non semel Rectores vocas tùm eos, quos suprema illa potestate, tùm quos minori præditos fuisse, verisimile est; quin ad an. 1129. præfato Guilielmo Rectori substitutum ais Rectorem Girardum Cardinalem, haud planè eandem, ni fallor, sed celsiorem jam dictam dignitatem obtinentem, in qua positus qui erat, administrum habere solebat Rectorem inferiorem; ut ex Falcone metipso discere est ad ann. 1137. *Prius verò*, inquit, *quam Apostolicus* Innocentius *de civitate discederet*, *Octavianum Subdiaconum*, *virum prudentem*, *& sapientis animi*, *Rectorem Beneventi ordinavit*; *qui simul cum Domino Girardo* Cardinali *statum civitatis*, *& pacis firmamentum studiosè regebat*: vel etiam Comestabulum, & ipsum dignitate se minorem: Idem noster ad ann. 1132. fautores ait Papæ Innocentii statuisse Girardum Cardinalem Presbyterum Rectorem Beneventanorum, & alio die *tradidisse Comestabiliæ honorem*, *& potestatem Rolpotoni de Sancta Eustasio*; *qui taliter ordinatus*, *cœpit simul cum Cardinali illo Curiæ statum regere*, *& justitiæ vigorem unicuique dispartiri*. Comestabilia enim, sicuti ille minor Rectoratus, proxima supremo Rectori potestas censebatur, omnique alia erat iis inferior; indeque Landulfus de Græcia à seditiosis Beneventanis adactus est, ut *jurejurando firmaret* (verba sunt Falconis ad ann. 1114.) *quò Comestabiliam*, *& Rectoricatum*, *aut aliquam Baliam publicam non acciperet*. quarum licet altera militari, altera civili munere esset prædita, in Falcone tamen non leges, tunc apud Beneventum eas simul, sed modò illam, modò illam observatam: nimirum quoniam si pro temporis ratione armata erant tractanda, vir præficiebatur gerendo bello aptus; qui sub militaris magistratus titulo utramque obtinebat potestatem: unde est, quòd præfatus Comestabulus Rolpoto Curiæ statum rexisse, & justitiæ vigorem unicuique dispertiisse dicatur; & ad ann. 1133. quòd *cum B. Petri fidelibus Curiam animosè gubernarit*. Sin autem nulla armorum aderat occasio, non Comestabulus, sed Rector instituebatur; qui etiam pro opportunitate milites educebat ad bellum, ut de Guilielmo Rectore legitur ad ann. 1117. Quæ promiscua cum essent munera, ut dictum est, nunc intelligimus, non incongruè Landulfum de Græcia, olim Beneventanum Comestabulum, literas suas apud Papam Gelasium direxisse, *notificando Rectorem Stephanum Beneventanum ex quo ipse depositu fuerat justitiam egentibus non fecisse*. Comestabuli itaque, & Rectores illi minores, sivè uno, sivè altero vocabulo præfigurarentur, æquè forensibus, & bellicis præerant concertationibus: pari ratione ac ipsis supremis Rectoribus utraque committi consuebat cura. Honorius Papa, inquit Falco ad ann. 1127. *Gualterio Tarentino præcepit Archiepiscopo*, *ut Beneventum veniens*, *civitatis negotia studiosè curaret*, *& ejus consilio civitatē tueretur*. Et ad an. 1137. ait, Pontificem Innocentium sic Beneventanum Populum inter alia verba allocutum. *Cardinalem Girardum vobiscum morari permittimus*, *qui erga vestras utilitates assiduè invigilabit*, *& pacem inter vas continebit*. quæ tamen publico Ordine urbis consulto, sivè ut tunc loquebantur, consultis *Judicibus* ipsi Rectores curabant. *Amici*, inquit Falco ad an. 113 . *ipsius Crescentii* Cardinalis, *& præfati Judices ad eum animosè conveniunt*, *& eum hortantur*, *ut Curiæ statum simul cum eis obtineat*.

Ann. 1121. *Dominicæ Incarnationis*. &c. *mense Martio IV. Indictionis*.) Denarii numeri notam omisit Typographus nam hoc anno Indictio censebatur *XIV*.

An eodem. *pag* 219. *Quem juxta ritum Christianorum occisorum sepelierunt*) Hunc paulò clarius descripsit ritum Aymoinus Floriac. in vita S. Abbonis cap. 20. de ejus agens nece. *Dubitatum*, inquit, *aliquandiù est*, *quonam in loco poni deberet*. *Tunc in commune placuit*, *ut quando innocenter*, *ac pro veritate*, *quæ Christus est*, *interemptus erat*, *in Ecclesia poneretur*. & infra *Matutino sane tempore Feriæ quartæ cum ipsis*, *quibus indutus erat vestimentis*, *uti mos est sepeliri interemptos*, *inlotus etiam*, *lapidea tumulatus Sarcophago*. *In lotus*, inquit; nam defunctorum hominum cadavera communiter olim lavabantur, antequam humarentur, atque vestibus quantum licebat decentioribus induebantur; non sic occisorum sine causa: nimirum quoniam sanguis eorum, si dilutus non fuisset, Divinam vindictam in percussores indesinenter clamare credebatur; juxta id quod legitur Genesis cap. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Rex autem Chilpericus suorum temporum alter Nero, ut est apud Gregorium Turon. Histor. lib 6. cap. ult. cum fuisset interemptus, *ablutus*, *vestimentisque melioribus indutus in Basilica S. Vincentii*, *quæ Parisiis est*, *sepelitur*.

An. eodem. *pag* 220. *His ita peractis*, *prædictus Pontifex Callistus consilio invento Salernum ivit*, *quinta die intrante Mensis Septembris*, *ut pacis firmamentum cum Duce Guilielmo*, *& Rogerio Comite confirmaret*) Acta hæc dicit Falco postquam Callixtus Antipapam Mauritium ex Sutrina civitate vi extractum, *ad Monasterium S. Trinitatis*, *quod Cava dicitur*, *illum delegavit*; illuc, inquam, tunc primùm, ut ad Anonymum Cassin. est notatum, Et quidem etiam Baronius in Cal-

Callixti potestatem Mauritium hoc anno 1121. venisse assentitur, quod non antea contigisse, ad præfatum Anonymum exposuimus. At idem Dux Guilielmus, ut perhibet Romualdus Salernitanus, quem præfatus sequitur Baronius, in Beneventano Palatio in anno antecedenti, ante captum Antipapam, ligius homo Papæ Callixti factus, Ducatum ab eo per vexillum recepit; eodemque mense illum Trojam venientem officiosissimè coluit. A quo haud dissona tradit Petrus Diac. lib. 4. cap. 68. dicens, Callixtus Benevento Trojam descendisse, ac more antecessorum suorum à Duce Guilielmo fidelitate recepta, Romam esse reversum, ac Mauritium deinde cepisse. Nec ego temerè fidem his auctoribus denegaverim; verùm id non apud Beneventum, quod non siluisset Falco, plurcula Callixti ibi gesta prolixius elocutus; sed primùm apud Trojam, quam causam illuc procedendi habuisse videtur Papa; & demum iterum apud Salernum in ann. 1121. interventu etiam Siciliæ Comitis Rogerii, peractum reor.

An eodem. pag. 221. Apostolicus autem hoc audiens, &c.) Septima die Kalendarum Martiarum, desinente anno Falconiano 1121. inchoato autem anno communi 1122. coram Callixto Beneventi tunc degente, Falco perhibens proclamasse Agnetem Abbatissam Monasterii S. Petri Apostoli super Bethlcem Abbatissam S. Mariæ, hoc quidem dicto, non alio apertiori sermone prodidit, Papam Salerno digressum se contulisse Beneventum. Cui tunc, ut puto, Sugerius Abbas S. Dionysii, quod ipse de se ait in Vita Ludovici Grossi, *in Apuliam* (sic dicit Italiam hanc omnem cis Tyberim) *apud civitatem Beneventum* (non *Botontum*, ut depravatus ejus Codex; nec *Bitontum*, ut legit Baronius, qui hæc refert in antecedentem Callixti ad nos adventum, quando verè ille in Apuliam, ac Trojam processit) *missus ad Dn. Regem Ludovico pro quibusdam Regni negotiis occurrit*. Id autem in anno 1122. cum Beneventi Callixtus iterum adesset, accidisse, ex Sugerio metipso fatendum est; qui tradit, Mauritium Antipapam pridem devictum fuisse, annoque sequenti ab eodem Pontifice celebratum Concilium Lateranense, quod in anno actum constat 1123. ut paulò post dicam. Quos autem raptores Italiæ, & Apuliæ tunc à Callixto perdomitos idem ibi innuat Auctor, haud novi. Cæterum secundus iste Callixti adventus Beneventum latuit Baronium, quem non latuit Falco.

An 1122. &c. pag. 224. Contumelias multas, & convicia mihi inferens, minatus est: quia mantellum tuum ego curtabo.) In Sacris literis lib. 2. Reg. 10. Hanon contumeliæ etiam causa *præscidit vestes servorum David medias* (Septuaginta legunt. *Mantella*, quam lectionem noster imitatus videtur) *usque nates* Sed & Regis Rogerii Cancellarius Guarinus apud Petrum Diac. lib. 4. cap. 100. paribus minis opprobria etiam paria in Casinenses Monachos se illaturum vociferabatur; dicebatque, *se incisurum illis, & labrum, & nares, & vestes illorum medias usque ad nates*. qua contumelia, olim frequenter solita irrogari, qui afficiebantur, cum abirent, quia utraque pudenda manibus tegere conabantur, dicterio occasionem dedere, in eos usurpari consueto, quos aliqua cum ignominia ad sua rediisse, vel redituros notamus.

Ann 1123 Dominicæ incarnat. &c. mense Martio primæ indict. sup adictus Callixtus Pontifex consilio salutis accepto, Ultramontanos omnes fere Episcopos. &c accersiri præcepit. &c.) In præsentem etiam annum hanc Lateranensem Synodum conjicit Robertus de Monte, & Chronicon Ciccanense; à qua sententia stat quoque Rigordus in Ludovico, ut expositum est supra. Sed Baronius eam statuit ad antecedentem.

An. eodem. pag. 228. Tandem juravit ipse primum, &c.) Canonica ea dicebatur purgatio, de qua Jureto ad Ivonem, aliisque observatam, non repeto.

An. 1127. Dominicæ Incarn. &c. Et sic caternatim, cursu præcipiti populus omnis ad Palatium propetavit, cupiens Ducis illius defuncti cadauer aspicere, &c.) Eodem ritu à cuncto Clero, & Populo civitatis Trojæ, per turmas scilicet dispertito, Ducem Raynulfum sepulturæ traditum narrat idem noster ad an. 1138. Nec diverso admodum modo Hugo Falcandus ait comploratum primi Regis Guilielmi obitum. *Per totum*, inquit, *triduum mulieres, nobilesque matronæ, maximè Saracenæ, quibus ex morte Regis dolor non fictus obuenerat, saccis opertæ, passis crinibus, & die noctuque turmatim incedentes. ancillarum præeunte multitudine, totam ciuitatem ululatu complebant, ad pulsata tympana cantu flebili respondentes*. Sic etiam de Boni Neapolis Ducis morte, ut legitur in ejus Tumulo, Neapolitani *turmatim* condoluerunt Nec tantùm in luctu ejusmodi mos servabatur, sed etiam in publica lætitia. Idem Falco ad an. 1139. *Audiens*, inquit, *Populus Romanus Domini Papæ Innocentii aduentum, cateruatim obuiam exiuit, & illum gaudio magno, & honore suscepit*. Quin noo alio ordine ad sacras tunc procedebant, conveniebantque præcipuas solemnitates, easque celebrabant. Anastasium Biblioth. sic capio in Leone 3. dicentem, quòd Romæ, qua die idem Pontifex à Romanis clericis lingua, & oculis fuit privatus, indictis majoribus Lætaniis, *omnes tam viri, quam fœminæ devota mente catervatim in Ecclesia B. Christi Martyris Laurentii, quæ Lucynæ nuncupatur, ubi & collecta prædicta inerat, occurrerant*. Nec nisi catervatim etiam recedebant: idque est S. Paulino Nolano in Natali 7. *solvere cætus à Templo*: Catervas autem tales regionatim collectas disco ex Gisleberto in vita S. Romani lib. 2. cap. 15. apud Biblioth. Floriac; ubi de pueri cujusdam matre, surdi, & claudi-

quæ

quæ viderat per somnium, se ad Sanctorum Ecclesias illum deduxisse, sanitatemque ei expostulasse. *Quibus ita visis*, inquit, *superveniente diei splendore, audivit referri à commanentibus, quòd ad S. Romanum ire, ac peculiare deberent orationum celebrare sacrificium. Quem laborem tota cum illis suscipiens industria, eorum juncta agmini, unicum detulit pignus ad limina præfati protectoris.* Sed adverte, peculiare illud fuisse sacrificium, & laboriosum; nam solebant singularum regionum incolæ in singulos cœtus adunati, unà cum Ecclesiasticis viris suæ regionis, quibus præcipua cura erat processionem ducere, habereque tùm ad sui nominis, tùm ad suarum Ecclesiarum decus quam ornatissimam, statis diebus, si Festum in plures dies producebatur, ad sacras vigilias celebrandas procedere: sacra cantica canentes, cereosque, & lampades accensas, & vexilla simul gestantes, & pegmata majoris, minorisvè molis vario artificio elaborata, in Templo ejus Divi, cujus festum agebatur, aliquandiù ad devoti cultus argumentum asservanda. Cujus sacri ritus luculentum præfert exemplum noster Falco ad an. 1119. exiguumque nunc etiam à Campanis servatur vestigium in Festo Inventionis S. Stephani Protomart; qui machinulas à Sacerdotibus definitarum Ecclesiarum ad Cathedralem Ecclesiam delatas, appellant. *Fajos*: detorto vocabulo ab antiquo Langobartico. *Faræ*, quod apud Leges Langubard. lib. 3. tit. 14 & Paulum Diac. lib. 2. cap. 7. sivè 9. sonat idem ac *generationes*. vel. *prosapiæ*. Nam ipsi utique singuli *Faii* insignia quædam esse videbantur singularum regionum, quæ urbani populi convenientis ad eam synaxim stirpes complectebantur. Istamque nominis originem sequi penitùs placet: verò quamvis etiam simile videri posset, dictos esse *Phajos*, quasi *Phalas*: priscis sic appellatas *Turres*, teste Servio ad Æneid lib. 9 & Isidoro Ethim lib. 18. cap. 7. quibus ii forma maximè accedunt. At ab *Faiis*, hoc est ab ejusce nominis arborum, sive aliarum arborum virentibus ramis, quos celebri etiam in solemnitate Translationis S. Matthæi Apost. regionatim Salernitanus Populus, ac Diœcesani oppidatim ad Cathedralem Ecclesiam convenientes lætitiæ, & honoris causa antiquitùs importabant, sicut ex ejusdem Ecclesiæ vetusto libro Rituali ejusmodi imagunculis bellè depicto cognovi, minimè nostros structiles dictos credam *Fajos*. Multoque minus, quòd tanquam. *Phari*. annexis ardentibus cannelis, lucernisvè in noctu, dum procedebatur, prælucerent; nam accensæ quidem faculæ in ejusmodi processionibus, ut est dictum, præferebantur, tuncque ad vigilias faciendas, celebrandasque procedi, prisco sanè verbo dicebatur: sed minimè nocturnum illud constat tunc fuisse sacrum: Gislebertus inquit verbis supra relatis; *superveniente diei splendore, audivit* mulier *referri à commanentibus, quod ad S. Romanum ire deberent*, &c.

Au eodem. pag. 239. His taliter omnibus superiùs narratis evolutis, prædictus Pontifex Honorius nihil utilitatis, & virtutis erga civitatem Beneventanam ægre deprehendens, consilio salutis accepto III. Kalend. Januarias Capuanam civitatem adivit. Continuo prædictus Robertus Princeps officiosissimè illum excipiens, ad Palatium Episcopii Capuani gaudio magno eum castrametari præcepit &c.] Nec de discrimine, in quo Beneventana civitas tunc erat, nec de adventu Papæ Honorii ad eam, aliisque ejus gestis in hoc ann. 1127. quæ tamen oratio à præfato Pontifice in conventu Capuæ habita, inferiùs descripta, utcumque exponit; nec de Principe Roberto, est in antecedentibus quicquam dictum. Deficere nunc itaque ea in Falcone, nemo erit, qui non fateatur. Sed ipse ex industria fortassè, quamvis sanè rudi, Honorium cum faciat ea, quæ perpessus fuerat, in concione enarrantem, reliqua de Principe Roberto ex Petro Diac lib. 4. cap. 96 & ex Anonymo Cassin. à me castigato sunt petenda: scilicet eòdem anno 1127 quo è vivis decesserat Dux Apuliæ Guilielmus, in fata etiam concessisse Capuæ Principem Jordanum 2. (hujus obitus in antiquis Emortualibus notatur 14. Kal. Januarii) eique in Principatu successisse præfatum Robertum ejus filium. hujus nominis secundum; quod utique Falco pluribus exposuerat; sicuti ejusdem etiam descripsit inaugurationem; enarrans quo pacto *Archiepiscopus Capuanus* erat tunc Otho) *juxta prædecessorum suorum privilegium*, ac juxta antiquum Principum Langobardorum ritum, *præsente tanto, ac tali Pontifice Honorio cum turba virorum Religiosorum, quæ convenerat, & Episcoporum conventu* (*Episcopos*, non *Archiepiscopos* cum Abbatibus ad eam solemnitatem à Papa accersitos in Falcone legendum est; ni mavis utroque: nam sublimationi Principis Richardi 3 actæ in an. 1120. eidemque Auctori descriptæ, affuit etiam Roffridus electus Archiepiscopus Beneventi) *prædictum Robertum in Principatus honorem inunxit* (oleo scilicet sancto perfudit; *& confirmavit*: mense nimirum Januarii, ineunte communi anno 1128. qui Falconi usque ad sequentem Martium est 1127. Porrò quia Capuanus Archiepiscopus præfato Privilegio non antea donatus censendus est, quia Principatus Capuæ dignitas ab Othone 1. Imperiali auctoritate fuisset confirmata, præsidente tunc in ea urbe Pandulfo, cognomine Caputferreo, de quo pauca libavi lib. 1. plura dicturus lib 2. Hist. Langobard. ea planè prærogativa nec ab alio, quam à Papa Joanne 13. qui Campanam Ecclesiam per eadem tempora, & in an. 968. in Archiepiscopatum erexit, videtur auctus. Hanc autem nostræ Ecclesiæ Metropoliticam dignitatem ætate minorem facere cum nequeant, qui eam suæ Ecclesiæ

pari

pari decore aliquantò recentiùs præditæ anteferri dolent; mira res est, ad quot in dies nova se vertant argumenta, sed & diminuta etiam (non credam fraude) tanquam è suo, proferant prisca monumenta, & Auctores; quorum fallaciam nunc non detegam, nam ipsi sunt sibi invicem sui Indices erroris. At nobis cur hanc invident nostræ senectutis prærogativam, quæ recens est præ antiquissima illa abusque Ecclesiæ Christianæ primordiis enata Campanæ sedis dignitate? Sanè qui initio præsentis seculi de Regionibus Suburbicariis peracutè, summaque cum eruditione disputarunt, ultrò Campanam Ecclesiam, non aliam, in omni Campania per ea tempora Archiepiscopali munere exornatam consenserunt, ac velut rem exploratissimam constanter asserere, de cætero discordes, non dubitarunt. Orationem autem à Papa Honorio in Campano conventu habitam, & à Falcone descriptam, in multis leges apud Baronium meliorem.

An. 1128 Dominicæ Incarnat. &c. Pag. 248. *Sicque per civitatis plateam usque ad Carnariam S. Laurentii, heu miser, lapidibus obrutus, productus est.*] Per plateam Beneventi, inquit, non per plateas: quæ tunc quoque è Sacro Beneventano Palatio, in summa urbis re, & nomine regione sito, ducebat recto, nec minori itinere, quam omnis ejusdem urbis extenderetur, nuncque extenditur longitudo, ad Portam S.Laurentii, in regione positam inferiori. Apud quam exteriùs de more erat *Carnaria*, fuitque etiam ad Salernitanæ urbis Portam Novam, & ad Capuæ Portam pariter Novam, sivè Castelli olim, nunc dictam Portam Neapolis: hoc est locus sub dio, muris septus, ad quem suspendii morte, unde ei fortassè nomen: nam Latinè est *Carnarium* cella, ubi caro salsa suspenditur: alterovè supplicii genere perempti, sed & vilissima capita feminae humanda comportabantur: Italicè tunc dictus. *Carnaro*. & *Carnajo*. quem Florentina Academia in suo Dictionario, in verbo. *Carname*. valere ait. *sepoltura commune di Spedali, ò di simili luoghi*.

Anno Dominicæ Incarnationis 1130. &c. pag. 251. *Anno igitur ipso prædictus Anacletus Cardinalem suum, Comitem nomine, ad Ducem illum direxit, quem die Nativitatis Domini in civitate Palermitana in Regem coronavit Princeps verò Robertus Capuanus coronam in capite ejus posuit*, &c.) De Rogerio in Regem coronando convenerat primùm inter ipsum, & Anacletum apud Abellinum hoc anno, aliquanto ante 5. Kal. Octobris: & deinde prædicto die Anacletus, jam Abellino Beneventum reversus, Diploma conscripsit de Regio titulo, ac Regno eidem impertiendo, quod prostrat apud Baronium; & tandem in Dominicæ Nativitatis proximè subsecuta celebritate ea coronatio peracta est apud Panormum ordine, quem exposuit superioribus verbis Falco, sed fusiùs Alexander Teles. lib. 2. cap. 1. & seqq. Sed haud latet me esse, qui affirment, non semel, sed bis, nec tunc primum, sed anno antecedenti, Idibus Maii, Rogerium, proprie arbitrio persuasum, Regia se corona, etiam apud Panormum, redimitum fuisse per manus quatuor Archiepiscoporum; Beneventani videlicet, Campani, Salernitani, & Panormitani, adstantibus compluribus aliis Episcopis, Abbatibus, ac viris religiosis, præter Dynastas, nobilesque milites admodum frequentes. Qui ejusce narrationis auctorem se habere contextantur ineditum Chronicon Maraldi, nec dicunt quantæ antiquitatis, Monachi Carthusiani; quibus facilè assentiri non possum, tacentibus omnibus antiquis, & præcipuè Alexandro Telesino, qui Rogerii benevolus, & familiaris coronationem ejus summo sumptu, hominumque omnis conditionis frequentia in Dominicis Natalitiis, ac perinde in exitu anni 1130. Antipapæ Anacleti auctoritate actam, & à Falcone descriptam, literis cum ennuget: haud antecedentem, vel in ipsius Rogerii gratiam, siluisset, nec pompa, nec Antistitum, Procerumque minori conventu, quin nullo tunc in Romana Ecclesia schismate vigente; sed Honorio sedente, Rogerii eo temporis momento amicissimo, celebratam: uni Fazello superiori seculo descriptam Decade 2. lib. 7. sed vah quia inconvenientia simul componenti. Sane quisquis ille fuerit Maraldus, is quidem unius tantum meminit coronationis, sicut facit Fazellus; & præterea non incongruè coronam Rogerio à præfatis Archiepiscopis impositam, est commentatus; quippè Regem, qui Siciliam, cujus Metropolis Panormus, cunctamque Cis Tyberinam Italiam, Beneventano olim, Salernitano, & Campano Principatu ferè comprehensam obtinebat, ab Archiepiscopis earundem urbium condecebat coronari; quibus suos Principes inungere, ex antiquo more, & Privilegio competebat; atque ea ratione velut quadruplici corona unico actu redimiri, ad instar scilicet quatuor Dynastiarum eodem ab Rego sub unico Regno possessarum; nam id antiquitùs exemplo, ut autumabant, petito ex Sacris literis usurparunt: atque ut Hincmarus Episcopus Remorum in Coronatione Caroli Calvi de Regno Lotharii Metis acta in an. 869. quæ extat unà cum ejusdem Regis Capitulis, est ad Populum præfatus, *Reges quando Regna obtinuerunt; singulorum Regnorum sibi diademata imposuerunt*. Et præterea non ab uno Episcopo, sed a pluribus simul coronam Regi imponi solitam, quod in priori illa Rogerii coronatione observatum fuisse, Maraldus tradidit, ex altera ejusdem Coronationis Caroli Calvi descriptione, adjecta ad finem præfatorum Capitulorum clarè patet. Sed ad veram, & à nostro Falcone descriptam Regis Rogerii coronationem, ut me convertam; *Princeps Robertus Capuanus*, ait ille, *coronam in capite ejus posuit*; quod scilicet

suæ dignitati, qua cæteros omnes Barones, ipsumque Sergium Mag Militum Neapolitanum, ut est apud Telesinum lib. 2 cap 1. Rogerio tunc obnoxios supereminebat, ac subjectioni, qua eidem obstrictus erat, condecens fuit: nam Roberti Patruus, & decessor, Princeps Richardus a nt perhibet Gaufredus Malat. lib 4. cap. 26 *homo* Rogerii quondam *Apuliæ Ducis factus fuerat*, cujus Ducatus jam ad præsentem Rogerium pervenerant jura; simillimoque exemplo legitur apud Rigordum coronatus Remis Philippus Rex Francorum à Remensium Archiepiscopo Romanæ Sedis Legato, *astante Henrico Rege Angliæ, & ex una parte super caput ejus ex debita subjectione coronam portante*.

An. eod. pag. 51. Et Beneventus de Joanne de Rocca) Rectè quidem, non *Beneventus*. Sicuti vir alter apud Falcandum ab nomine urbis Salerni: *Salernus* est appellatus, ita & hic à Benevento *Beneventus*. Horum itaque filii si à genitorum nominibus fors tulisset, ut gentilitia traxissent cognomina, facilè nunc non nemo gentes sic denominatas genus duxisse ex Principibus earumdem urbium autumaret: scilicet quoniam pari ratione plures familias à possessis locis, & oppidis appellatas constat: At patrii etiam loci nuncupatio in stirpis nomen sæpius transivit, quod notum;

An 1131. pag. 58. Legatum suum ad Anacletum direxit, notificans omnia, quæ ei acciderant; & qualiter pro pecunia Rolpotoni ablata ipse cum amicis suis mortem quotidiè expectaret, &c. *nunc verò, & de pecuniæ illius redditione, & de cæteris, quæ ad vos misimus, quid sit agendum, nobis remittatis.*) Dissonam qui videas eodem in contextu sermonis formam usurpari, ne deesse hic quicquam suspiceris; sicuti nec ad an. 1137. pag. 310 ubi omnino par legitur elocutio: non enim infrequens fuit ea variatio apud Auctores mediæ ætatis. Vide Historiam Miscell. lib. 15. ubi de Justino Imp. & Anastasium Bibl in Silverio bis, & in Vigilio: omitto Anonymum Salernit ineditum.

Anno igitur 1132. Dominicæ Incarnationis mense Martio 9 Indictione) Scribæ. 10. *Indictione*. Et ad an. 1135. *Indictione 13.* non 12. Nec de recta dubites annorum consignatione, quibus cæteræ omnes benè competunt à Falcone assignatæ Indictiones; & præterea apprimè eis consentiunt temporum Characteres pluribus hujus Chronici locis descripti, scilicet ad ann. 1109. 1114. 1120. bis, 1131 & 1117.

An. eodem. pag. 260. Tandem civium Barensium traditione manifestata Civitas ipsa, ad Regis potestatem tradita est.) Non igitur vi capta à Rogerio fuit Baris; sed ejus cives deditionem fecerunt, nempè post tres ferè hebdomadas obsidionis, ut ait Alexander Teles. lib. 2 cap. 21 qui non in aliam sententiam est capiendus. Idque Falconis planè denotat sermo, usurpari solitus iis, qui in Forensibus concertationibus judicio victi manus dabant, ac manifesta e se de re minimè possessa, hoc est eam legitimis dominis renuntiare, publico scripto profitebantur. Sic etiam Aymoinus lib. 5. cap. 5. de Barcinone ab Imp. Ludovico Pio recepta. *Tradita*, inquit, *& patefacta civitate* (quod idem valet, ac *manifestata*) *primo quidem die custodes illuc Rex destinavit*.

An. eodem. pag. 261. Super etiam civitatem Abellinum, & castrum, quod sibi abstulit, in ejus potestate largietur.) Castrum, cujus nomen, vel Auctor, vel Librarius omisit, Alexandro Teles. lib 2. cap. 22. dicitur. *Merculianum*.

An eod pag. 265 At Princeps continuò Crescentium Cardinalem Beneventanum Rectorem, & Landulphum Beneventanum Archiepiscopum vocari mandavit; quatenus cum quibusdam sapientibus Civibus Beneventanis ad Regem ipsum festinarent, &c. *at ejus amore, & Anacleti fidelitate secum alligati, & sacramento confœderati guerram adversus Principem Capuanum, & Comitem Rainulphum facerent.*) Capuæ itaque Princeps Robertus Beneventanos ad Regem Rogerium ire persuasit, ut adversus se fœdera cum illo inirent? Quid sanè absurdius? Sed adverte, nè fallax lectio ad alia à verò æquè aliena commentanda te seducat; nam Falco inquit; *Princeps vocari mandavit*, &c. scilicet *ad se*. & præterea, quòd Card Crescentius, & Archiepiscopus Landulfus *assumptis secum Beneventanis Judicibus, & triginta aliis probis viris ad Regem festinaverant*; fœdera scilicet cum eo inituri. Non Princeps igitur, sed Rex illos vocari mandaverat; *qui in planitiem Pontis S. Valentini, civitati Beneventanæ proximam, tertiodecimo die mensis Julii intrante castrametatus fuerat*; & per Legatos semel, & iterum Principem Robertum interpellaverat, *ut justitiam sibi ex multis, variisque querimoniis consequeretur*; sed illum ad debita obsequia sibi præstanda allicere cum nequivisset, *dolore multo accensus, & quia quod mente conceperat aliter fieri cognovit, satis, satisque turbatus est; & continuò Crescentium Cardinalem Rectorem Beneventanum* sic planè legendum; non. *At Princeps continuò*) *& Landulphum Beneventanum Archiepiscopum vocari mandavit*, &c.

An. eodem. pag. 268. Mane autem facto circa Salernitanos fines applicuit, ibique fatigatus, & aliquantisper deposito cordis timore, circa fluenta Montis Atrupaldi quievit.) De Salernitanis finibus alibi erit sermo peculiaris. Nunc adverto, Atrupaldi montem ipsos esse colles, quos amnis Sabatus præterfluit, oppido imminentes *Atrupaldo*: quandoque etiam nuncupato *Atropaldo*, sivè si ejus primitivum nomen retinere malis. *Tripaldo*, quod etiamnum obtinet, cum dicatur. *L'Atripalda*. pro. *La Tripalda*; unde oppidani *Atrii Palladis*, vel *Atram Paludem* nomini occasio-

sionem dedisse, Poetico sanè figmento, sibi persuadent. Sed re vera com per Langobardorum tempora in adversa Sabati ripa civitas adhuc staret Abellinum (ibi nunc Monasterium, & Ecclesia S. Joannis Baptistæ, & rudera antiquæ urbis non obscura) speculatrix Turris à quodam Paldo in edito colle constructa fuisse videtur, dictaque perinde *Turris Paldi*, & per syncopen *Tri Paldi*, & tandem *Tripalda*; ad quam plerique Abellinates in patriæ excidio, quando ea in tutiorem paulò locum secedere coacta est, se receperint, sed tandem ad ima iterum sensim descenderint, tum aquarum ad varia opificia opportunitate, tum erga excavatum ibi antiquitùs cœmeterium S. Hippolysti Mart. devoto cultu allecti: sicuti S. Felicis apud Nolam, & apud Capuam S. Prisci Christi Discipuli cœmeteria, habitatoribus etiam ab antiquo frequentata fuisse constat. Sed hoc oppidum in Tabulis Monasterii Cavensis de a. n. 1174. scriptum legi *Truppoaldum*, ex Tabularii, ut reor, opinione: qui ab viri nomine ipsum appellatum audierat, nullumque *Tripaldi* vocabulo magis accedere sentiebat, quam *Truppoaldi*, viris olim imponi consuetum.

An eod. pag. 274. *Dies verò, quo bellum illud factum est in Vigiliis B. Jacobi Apostoli habebatur, octavo videlicet Kal Augusti.*) Cur 8. *Kal.* vigilias B Jacobi celebrari dicat, quæ hoc an. 1172. verè in Dominicam incidere; ipsamque Festum infra ad an. 1139. in 7 *kal.* conjiciat, ibi exponam. Cum autem prædicta die ingentem victoriam de Rege Rogerio Robertum Principem obtinuisse, nunc eius Beneventum pervenisset; *eu subitò*, inquit idem noster, *civitatis Populus gaudio magno repletus, in Episcopium, & Monasterium S. Sophiæ jubilando convenit, deinde cereorum magnorum frequentia, & luminarium lignorum accepta cum clericis, & Presbyteris catervatim ad B. Bartholomæi Apost. Basilicam, & Monasterium S. Sophiæ vigilias, & laudes persolucutes lætabantur*. Quod inobservatum præterire nolui, ut videres, sacras Vigilias clara die, sicut superius notabam, non in nocte à Populo, & Clericis turmatim cereos, & lignea luminaria deferentibus celebrari consuetas; quæ fanè luminaria Fais non correspondent Campanis; nam hi tanquam donaria quædam Divo oblata super Templi chorum affiguntur: illa è Templo reportabantur, ad eosdem usus, quoties accideret, adhibenda.

An. 1133 &c. *pag.* 280. *Falconem Notarium scribam sacri Palatii, istius Opusculi factorem.*) *Falco* certè dictus est hic auctor; non *Fulco*: ut alicubi legitur apud Baronium per Typographi fortè errorem. Quod nomen quia syllaba crescit in obliquis, Italicè dicitur *Falcone*; sed Beneventani ci ves efferunt *Falco*: quos non reprehendo; siquidem promiscuè olim vulgò dicebatur. *Falco*, & *Falcone*; *Leo*, & *Leone*; *Pando*, & *Pandone*; *Scipio*, & *Scipione*; *Ugo*, & *Ugone*, &c. unde ex iis variæ etiam gentes, & cognomina processere apud Capuam, & alibi: nempe *de Falco*, & *de Fulcone*; *de Leo*, & *de Leone*; *de Pando*, & *de Pandone*; *de Scipio*, & *de Scipione*; *de Ugo* sivè *de Uvo*, & *de Ugone*. quæ una gens est, inque ea ante annos ferè 60. in Poetices studiis emicuit Benedictus de Uva, pattuo meo Camillo amicissimus.

An. eodem pag. 283 *Præcepit etiam, ut Tancredus ipse manu sua funem laquei duceret.*) Attende quo more olim, qui suspendii morte erant plectendi, ad supplicium ducebantur; nam ex eorum collo pendentem laquei funem carnifex manu servabat, ac præibat. Petrus Diac lib. 3. cap. 47. ab hac est mente, animam dicens cujusdam Adonis ad æternos cruciatus damnatam, visam esse Gebizoni Monacho Cassinensi *jumentorum more ligatam ad supplicium trahi*. Nec aliter capiendus Ostiensis lib. 2. cap 2. iis verbis. *Videns*, inquit, *Adenulfus se non posse Principis manus euadere, funem in collum suum misit, & per manus conjugis suæ ad Principis pedes se trahi præcepit*: scilicet ut reus mortis.

Anno Dominicæ Incarnationis 1134. *mense Martio* 12. *Indictionis. Hoc anno præfatus Princeps Robertus cum duobus Consulibus Pisanorum, Alzopardo videlicet, & Cane, viris sapientibus, & cum aliis ferè mille Pisanis ad Principatum suum Capuanum reuertitur IV. Kal. Martii*. Si initio hujus anni Falconiani, inchoati à Martio, Robertus ad suum rediit Principatum, id utique non in 4. Kal. Martii, nam si in exitu ejus anni contigisset, sed in 4. Nonas incidit, vel Idus. Ipse planè Princeps, ut idem noster tradit, *an.* 1133. 8. *Kal. Julii mare ingressus, Pisas transfretavit*; *Pactumque cum Pisanis stabilivit, ut circa mensem Martium futurum cum centum navigiis paratis armatorum super uesandum Regem Rogerium festinarent*.

An. eodem. pag. 294. *Eadem die Castrum illud Altacauda, & Grutta, & Submonte ad Ranem de Fraineta pertinentia, comprehendit.*) Scribo. *Raonem*; ut pluries illum dicit Falco. quem non confundas cum altero Raoue, Ceppaluni similiter domino, jam ab anno 1120. præmortuo: nec distinguas à Radolfo, ut ipsum appellat Alexander Telesinus lib. 2. cap. 54. namque Nortmanni hoc nomen, *Rao*, videntur efferre etiam consuevisse, *Raino*, *Radolfus*, sivè *Raydolfus*, & *Ranolfus*, sivè *Rayuolfus*; de quo nunc non afferam exempla. Ipsum potiùs Telesinum præfato loco emaculandum collatione nostri Falconis obiter indicabo; qui Radolfum *de Frameto*, pro *de Fraineto*; *Grintla*, *Simonto*, & *Altacunda* habet, pro *Grutta*; *Submontum*; & *Alta*, sivè *Alzacauda*. Et insuper subsequenti cap. 55; sicut etiam antecedenti cap. 25. est depravatus in vocabulo oppidi. *Tressanctli*; pro quo utrobique nunc legitur. *Cressanta* nimirum errore nato, quòd Nortmanni in-

ducta super majusculum. *C.* transversa quadam lineola, facile lectorem fallebant, qui ipsum ab. *T.* ob consimillimam formam non distinguebant; unde ipse etiam Alexander cum esset *Abbas Cœnobii Telesini*, reputatus est, ac dictus *Abbas Celesinus*: Sed nec prætercam, eodem cap 55. legendum esse, *suis Proceribus, Baronibusque instanter omnibus mittens*: non. *Principibus* (*Procerum* etiam lego apud eundem lib. eud. cap 37. non. *Principum*) qui sanè sub magno cætero quin Comite Raynulfo fuere nulli: Falco hac pag. 294. dicit, *milites omnes, & Proceres*, virosque Ecclesiasticos tunc convenisse. Sed & ipse Auctor noster pag sequenti auxilio eget, verbo diminutus, ubi legendum. *quadraginta equites, & mille fere pedites Beneventanos transmisit*. Nunc deest. *pedites*.

An. 1136 &c. *Continuò ad Imperatorem festinans, invenit eum montes descendisse.*) Scribe litera grandiuscula. *Montes.* quo absoluto nomine nobis Italia dicuntur *Alpes*; pari ratione, ac *omnes altitudines montium*, teste Servio Æn. lib. 10; *à Gallis Alpes vocantur; propriè tamen montium Gallicorum sunt*: illorum scilicet, quibus Gallia ab Italia separatur.

Ann. 1137. & anno octavo Pontificatus Domini Innocentii &c) Descripta à Falcone hoc anno recitat ex eo Baronius verbis plerisque in locis, sed leviter, immutatis, sicuti nonnulla etiam alia anno 1138. & 1139

An eodem pag. 312. Et prædictus Apostolicus cum illo festinavit, nono die intrante mensis Septembris.) Hæc omnino cum iis congruunt, quæ in serie Abbatum Cassin. de tempore observabam, quo Innocentius, & Lotharius apud Cassinum simul fuerunt.

An eod pag 316. Ex tanto nobis concesso beneficio, & firmato, cives universi servitia, & honores præfato Regi polliciti sunt, & sine offensione ad ejus præceptum famulari.] Fortasse: *sine offensione Romani Pontificis*. Beneventani autem liberi ab exactionibus omnibus Rogerii Privilegio redditi, sua servitia ei promiserunt; sed pridem concesserat Anacletus. *Auxilium hominum Beneventi*, inquit in Diplomate superius relato, *contra hostes tuos largimur, & confirmamus*. Quod anno sequenti 1138. obsequii sui specimen eidem dedisse, perhibet Falco. cum ait. *Prædictus Rex Dominum Papam Innocentium in Patrem, & Dominum accepit, & civitati Beneventanæ, & per totius Regni sui partes mandavit, eum Patrem, & Dominum accepisse Nos autem literis ejus acceptis, Dominum illum, & Patrem vocavimus.* Schismati sic renuntiasse videtur Rogerius, pax tamen inter illum, & Innocentium, sequuta haud est, quem anno 1139. ut idem noster habet, præfatus Papa in Romana Synodo *vinculis excommunicationis alligavit*.

An. 1138 pag 511. Capuanos fines adivit, & Castellum. quod Calvum dicitur comprehendit.) Verè Calvum (ubi olim *Cales*, diutissimè quæ deserta mansit & ab ejus constructionis primordio in ipso confinio fuit agri Campani: quippè in an. 879. ab Atenulfo, qui dein Comes Capuæ, & demum Princeps Beneventi evasit, ædificari cœptum in limite Calinii, incurrente in Campanum, ex Erchemperto Num. 40. & 45. est intelligere; de quo offendebatur Capuæ tunc Gastaldus Pandonulfus. Eadem autem descriptio, cum postea suus ager Cal o fuisset assignatus, immutata non est, quod ex Præcepto Princ. Pandulfi in Hist. PP. Langob. lib. 1. & ex Privilegio quodam Reginæ Joannæ 2. in Archivio Campanæ urbis aperitur; atque etiamnum manet, de quo alibi.

An eod pag 324. Beneventum venit, & ipse intra Ecclesiam S. Petri Apostoli, propè civitatem sitam castrametatur.) Manent etiamnum hujus Ecclesiæ rudera *in planitie*, ut nostri Falconis usurpem verba ad ann. 1137. *juxta flumen Sabati*; eamque Theoderada, uxor Ducis Romualdi, qui sedit ab an 961. ad an. 977. construxit; *quo in loco multarum ancillarum Dei Cœnobium instituit*, ut perhibet Paulus Diac. lib 6. cap. 1. At hoc Rogerii tempore ibi non aderant Moniales, ut reor; quæ Monasterium S. Petri Apost. pariter nuncupatum, memoratumque Falconi ad an. 1121. intra urbem situm incolebant. Theoderada autem eam extra Beneventi mœnia construxisse videtur Ecclesiam, ut pio quodam affectu D. Petri in Vaticano campo extra Romam conditam Basilicam imitaretur; sicuti non alia occasione excitatas reputo extra Capuam, Tarentum, Viennam (Nolam mitto, aliasque urbes) Ecclesias eidem Divo, summo cultu olim habitas quarum prima descripta habetur nostro Michaeli Monacho in suo Sanctuario par. 3. altera Petro Diac. lib 3 cap. 43. & 57. tertia verò in quodam Diplomate memoratur Callixti 2. apud Bibl. Floriac. quæ deinde labentibus annis ignorata, vulgus, quem sequuti postea sunt doctiores, longè alias earundem construendarum excogitavit, pias quidem, rationes.

An. 1139. Dominicæ Incarnat. &c. Pag. 331. *Præfatus verò Princeps, & Richardus de Sapacanina.*] Non sic: sed. *Rapicanina*, quod oppidi est nomen in Episcopatu Allifano. Hic Richardus frater fuit Raynulfi, qui ex Abellini, aliarumque plurium civitatum, oppidorumque Comite. Dux Apuliæ ab Innocentio, & à Lothario fuit institutus; exque Comite Roberto natus erat, filio senioris Comitis Raynulfi, germani fratris Principis Capuæ Richardi I, ut alibi est dictum.

An eodem, eademque pagina. Decimo autem die stante mensis Julii, Pontifex ipse innocentius captus est.) Baronius non habet id. *stante*. & absolutè legit. *decimo die mensis Julii* ac perinde id contigisse censuit 6. Id. Julii. Sed certè Innocentius captus à Rogerio fuit 11. Kal. Augusti, decem tantum diebus Julii

sc-

restantibus; nam *quarto die*, inquit Anonymus Cassin. *pace facta confirmavit illi totam terram*: die nimirum 24. prædicti mensis; à quo noster die tantum discrepat. *Die verò illa*, ait, *in qua prædictus Apostolicus pacem cum Rege firmavit, B Jacobi festivitas celebratur*. Quocirca in eodem Falcone paulò ante hæc verba legam. *Rex ipse, & Dux filius ejus, & Princeps septimo die stante mensis Julii ante ipsius Apostolici præsentiam veniunt* non. *septimodecimo*. Sed in antecedentibus, ut dixi, nil mutandum. Nec ubi de eodem Rogerio pag 387. qui *die septimo stante mensis Maii Salernum transfretavit*, à quo simul loco Baronius expunxit tò. *stante*, Sane *quinto die stante mensis Maii* fortasse *VI*, non *V*.) *an.* 1120. à Campanis constitutum Principem Richardum, hujus nominis tertium, cum idem dicit Falco, ac subdit, *die Ascensionis Domini, quinto die ipsius Maii stante* à Campano Archiepiscopo illum consecratum, utique ipsam consecrationem 27. die Maii actam demonstrat; in quem præfato anno Festum contigit Dominicæ Ascensionis. Huncque Falconis locum familiari in sermone, meo more, apud amicum, doctumque virum, ut sæpe etiam pleraque alia antiqua minus trita, sic etiam olim enarrabam; qui applausu tunc suo meam amplexatus interpretationem, nescio cur postea eam scripto tradens, per me profecisse. (quod non hac tantum vice commisit) dissimulavit; Baroniumque gravissimum absque controversia; sed quem ea non semel fugerat, ut dictum est, maluit super hoc laudare Auctorem. Integros autem uniuscujusque mensis dies in tres sectiones; hoc est in dies intrantis, mediantis, & exeuntis, quos stantes appellabant, cum olim distinguerent (Synesius epist. 4. in dies tantum intrantes, & exeuntes partitur menses) de quo exempla sunt nimis obvia, priscorum Latinorum Nonas, Idus, & Kalendas aliquo pacto videntur voluisse imitari: sed ea præter alias adhibita exceptione; ut stantem diem ab ultimo mensis die distantem, non à Kalendis, & *à principio succeßuri mensis*, ut rem non sicut docueram, tradidit idem amicus meus, denotarent; quam differentiam Falco vel nesciens, vel non curans, non diverso calculo dies kalendarum, quo dies stantes supputavit; Festumque D Jacobi Apost. celebrari dixit 7. kal. Augusti, quod 8. kal. ac septimo die stante Julii veneratur; ad annum tamen 1131. Festum S. Angeli figit 3. kal. Octobris nullo errore: quippè ibi recensitus.

An eod. pag. 334 Deinde reversi usque ad Carbonarium foris civitatem, ubi stagnum luteum, putridumque inerat, Ducis ipsius suffocaverunt cadaver.) Extra urbes sub ipsis muris ad excipiendas sordes omnes de more cœnosa ista, & fœtida stagna tunc deputabantur. Loci quid tale descripsit Joannes Boccacius in Fabella de Magistro Symeone iis verbis. *Erano allora per quella contrada fosse, nelle quali i lavori di que' campi facevan votar la Contessa d Civillari, per ingrassare i campi loro*. Et fortasse locus pridem sub muro urbis Neapolis, qui etiamnum antiquo nomine appellatur *Carbonaria*, eidem usui fuit; sed multò quidem ante Francisci Petrarchæ ætatem, qui Gladiatorum munus se spectante ibi exhibitum ait lib. 5. Famil. epist 6.

An. eodem. pag 339 Sed solummodo terras ad Principatum pertinentes velle redintegrare.) Ad Capuæ nè Principatum Provincia trans civitatem Piscariam pertinebat? De hoc alibi viderimus.

An. 1140 &c. *pag.* 341. *Exierunt in campum, quem Neapolim dicunt*.) Hunc etiam campum demonstrabat Ignotus Cassin. Num. 28 & Joannes Diac. de Episc. Neapol. in S. Athanasio. Sed cur ipse præcipuè dictus fuerit *de Neapoli*, sive *Neapolis*, hoc operæ erat pretium, ut literati Neapolitani viri, omnigenæque antiquitatis periti intactum non præterirent.

An eod pag. prædicta. Civibus Neapolitanis ibi vocatis, negotia quadam cum illis de libertate civitatis, & utilitate tractavit.) De Neapolitanæ civitatis immunitate Rex cum ejus civibus tractavit, quam Falco consueto tunc vocabulo appellat *libertatē* Sicut ad an. 1137. *Precatur insuper*, inquit, *ut libertatem possessionum Beneventanorum, quam Imperator* Lotharius *concesserat, populo Beneventano ipse* Rex Rogerius *largiretur*. Quam sanè immunitatem Siculi eripi sibi timebant apud Falcandum. *Non difficilè*, inquit, *persuaserant, Cancellarium, si diù perseveraverit in eo culmine potestatis, universis populis Siciliæ libertatem, quam hactenus habuerant, sublaturum* Et infra. *Ut universi populi Siciliæ redditus annuos, & exactiones solvere cogerentur, juxta Galliæ consuetudinem, quæ cives liberos non haberet*. Nec diversæ rationis libertate, & immunitate Neapolitani prediti, ea participes fecerunt negociatores Ducatus Amalfitani, degentes Neapoli; de quo in Privilegio apud Latinam Historiam Neapolitanam lib. 1. cap. 12. sic legitur. *Ut sicut ista civitas Neapolis privilegio libertatis præfulget, ita & vos negociatores, campsores, sivè apothecari i in perpetuum gaudeatis*. Sed qua nam? pergit privilegium. *Ut nulla condicio* (scribo *conditio*) *de personis, vel rebus vestris, sive hæredum, & successorum vestrorum negotiatorum in Neapoli habitantium requiratur; sicut non requiritur de civibus Neapolitanis*. Haud igitur eo in Privilegio, ut censuit ejusdem Historiæ Auctor, *libertas Neapolitana præponitur, quæ ab ædificationis primordiis secum vixit*. quippè illam libertatem intellexisse videtur, qua municipia communiter omnia, fœderatæque civitates, ac perinde ipsi Neapolitani olim cum fruerentur, à quibus *stipendium, & naves*, ut est apud

apud Livium lib. 35 *Romani ex fœdere exigebant*, Magistratus sibi creabant; nec satis exploratum habetur, an ei cesserint, quando in anno Urbis conditæ 663. ante Christum natum ferè 90. Sociali bello universa pœnè Italia in Romanos quia conspiravit, *lege Julia ciuitas est sociis, & Latinis data; in quo magna contentio Heracliensium, & Neapolitanorum fuit*, teste Cicerone pro Balbo; *cum magna pars iuiis ciuitatibus juris sui libertatem ciuitati anteferrent*. Sed sanè ei tandem renunciarunt, ut indicio est idem Cicero cont. Rull. 2. qui enumeratis Coloniis, & Municipiis Campaniæ, quæ Rullus suis colonis occupare destinaverat, haud Neapolim, sed Puteolos in sua potestate tunc fuisse perhibet. *Caleuum*, inquit, *municipium complebunt. Teanum opprimeut. Atellam, Cumas, Neapolim, Pompejos, Nuceriam suis præsidiis deuincient. Puteolos verò, qui nunc in sua pot. state sunt, suo jure, libertateque utuntur, totos nouo populo, atque aduentitiis copiis occupabunt*. Porrò dein & ipsum *vetus oppidum Puteoli*, ut ait Tacitus Annal. lib. 14 *jus coloniæ, & cognomentum à Nerone adipiscuntur*, cum scilicet primitivæ coloniæ illuc deductæ, de qua Livius lib. 34 & Vellejus noster lib. 1. jam exolevissent jura; recentisque de qua Frontinus in Catal. Coloniarum, abolita fuissent. Sed eidem Tacito lib. 3 Hist. adhuc inter municipia collocari judico Puteolos; qui ait, ab Claudiis, Faventino, & Apollinari, & ab Apinio Tirone *Municipia, Coloniasque impulsas, præcipuo Puteolanorum in Vespasianum studiis, contra Capua Vitellio fida* (erat hæc certè Colonia) *municipalem emulationem bellis ciuilibus miscuisse*: quippè jus coloniæ adeptos fuisse, non coloniam missam prædixerat. Sic Pompejus, ut tradit Asconius Pedian. ad Orat. in Pison. Transpadanas Colonias deducens, *non nouis colonis eas constituit; sed veteribus incolis manentibus, jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod cæteræ Latinæ Coloniæ: id est, ut petendi magistratus gratia ciuitatem Romanam adipiscerentur*. Qualem etiam coloniam fuisse Neapolim, valde suspicor, quæ patrios Græcanicos ritus nunquam dimisit. Hæc autem civitas, *quæ, mirabile dictu, post Romanum Imperium*, ut cum Alexandro Telef. dicam lib. 1. cap. 12. & 66. cujus sententiam rigidè nunc non examino, *vix unquam à quoquam subdita fuit, nunc verò Rogerio, solo verbo præmisso, submittitur*. Græcis namque Impp. non armis domita, sed ex antiquissima subjectione: ut reliqua multo etiam tempore Italia: longo annorum curriculo obedíverat; de quo dicam lib. 2. Hist. Langob.

An eod. pag. prædicta. Donauit insuper unicuique Militi quinque modia terræ, & quinque villanos) *Unicuique Militi*, inquit, non *Comiti*, non *Magnati*, in feudum dedit exiguum terræ modum cum glebæ adscriptis colonis; ut præstito sibi perinde ab iis fidelitatis juramento, urbem in officio strictiori velut nexu devictam detineret. Alexandrum Telef. lib. 2. cap. 37. huc advoco, ubi de eodem Rege. *Eo quod*, inquit, *supradictorum adversum se Principum* (lego. *Procerum*, ut monui supra) *comperer at eum perjurio factam conspirationem, tanta quidem contra eos rapitur indignatione, tantoque meutis erupit furore, ut nou Comiti, non Magnati, nou etiam cuilibet Militi; qui ita perjurantes, in eum colla erexerant, penitùs pareeret*. Sed attende temporum vices. Rullus olim, ut Cicero perhibet de lege Agrar. 2. quinque millia colonorum Capuam scribi, quos è rusticis Tribubus sortiri decreverat, & in singul os tum dena, tum duodena jugera dispertiri jusserat, hoc est nostros terræ modios plus minus octo. Porrò Fazellus Poster. Decad. lib. 7. non contentus res plures, tempora, & personas perperam immiscuisse, hoc etiam addit; quòd postquam inter Innocentium, & Rogerium convenit, ipse *Rex Neapolim ingreditur, magno tum suorum, tum civium applausu; quo die centum quinquaginta milites instituit, duosque menses ibidem festos egit*; Noster sanè nil habet tale, quem pro hoc dicto ab viris parùm cordatis (tales enim nuperrimo experimento contra spem se prodiderunt meam) citari video. Et præterea ipse Falco disertè declarat, hoc anno *Rogerium medio mense Julio Salernum* è Sicilia *venisse, & quarto die intrante mensis Octobris mare ingressum, Panormum festinasse*; variis interim negotiis, itineribusque distentum.

FINIS.

HUGONIS
FALCANDI
HISTORIA DE REBUS GESTIS IN SICILIÆ REGNO;


Jam primùm typis excuſa, ſtudio, & beneficio

REVERENDI D. DOMINI MATTHÆI LONGOGÆI
Sveſſionum Pontificis & Regni Galliæ ab interiore
ac penitiore conſilio.

DE HUGONE FALCANDO

BREVIS NOTITIA

Ex D. Antonino Mongitore in appendice ad tom. 2. Bibl. Siculæ f. 51.



HUGO Falcandus auctor celebris Historiæ de rebus gestis in Siciliæ Regno, quæ prodiit primum Parisiis 1550. exinde inter rerum Siculatum Scriptores Francofurti 1579, Siculus à nonnullis extimatur. Siculum putant Augustinus Inveges in Panormo Nobili pag. 417. Joannes Buseus in Notis ad epist. Petri Blesensis epist. 46. pag. 683. & Josephus Ambrosius in descrip. festi epist. Marianæ pag. 564. Hi autem sententiam amplexi sunt Gervasi Tornacei, qui in ejus historiæ præfatione Siculum arbitratus, de Falcando ejusque historia, ait: hæcque supersunt reliquiæ hominis Siculi: quod ex eodem Falcando eruit; hic enim in præfatione ad Petrum Panormitanæ Ecclesiæ Thesaurarium de Sicilia, ejusque Calamitatibus pag. 2. ait: *Verum quia difficile est in morte Nutricis alumno persuaderi, ne lugeat, non possum, fateor, lacrimas continere, non possum desolationem Siciliæ, quæ me gratissimo sinu susceptum benigne fovit, & extulit, vel præterire silentio, vel siccis oculis memorare*: His verbis addit in ore libri Tornaceus: Siculum se innuit. Hinc in ipsa libri facie affixum Siculi nomen adjecit: [Historia Hugonis Falcandi Siculi] quod ab eodem Tornaceo additum puto. At ex allatis Falcandi verbis potius extra Siciliam, quàm in Sicilia natum colligitur: si enim Siculus fuisset, non in morte Nutricis alumno persuaderi ne lugeat, dixisset, sed in morte Matris Filio persuaderi. In verbis verò, quæ me gratissimo sinu susceptum benigne fovit clare patet Siculum non esse, sed alibi natum à pueritia in Siciliam delatum. In eadem præfatione pag. 12. Panormitani agri delicias describens addit: *quod si in parte aliam visum deflexeris occurret tibi mirandam Seges harundinum, quæ cannæ mellis ab incolis nuncupantur. Et paulò post, communes autem fructus, & qui penes nos habentur bis adjungere superfluum existimavi*. Cum autem extra Siciliam historiam scripsisset Falcandus, ut ex fine præfationis liquet; Nonnè ex allatis verbis se non Siculum innuit? Hinc meritò Marianus Valguarnera de Orig. & antiq. Panormi pag. 76. & 78. ex allatis verbis non Siculum Falcandum rectè deducit. Ideoque non audiendus Josephus Bonfilius in hist. Sicil. par. 1. lib. 4. pag. 189. In descip. Messanæ lib. 8. pag. 61. & 63. & in apolog. ad topografam Siciliæ pag. 3. qui Panormitanum vocat Falcandum: eoque animo id scripsisse puto Bonfilium, ut scilicet Falcandi auctoritatem enervaret, qui Panormi laudes in ipsius historia latè, ornatèque prosequitur, & innueret Falcandum, Panormi

encomia scribentem, patriæ studio permotum. Natione Normannum fuisse cum Valguarnera cit. pag. 76. statuo: Ideoque ab hac Bibliotheca excludendum.

Hæc eruditissimus Mongitorius de patria Falcandi, cujus codex manuscriptus estat in Bibliotheca S. Nicolai de Arenis Catanæ sine nomine Auctoris: unde Amicus & Inveges in Apparatu Sac. fol. 103. veluti diversam à Falcandi historia citant Anonymi manuscriptum de rebus gestis sub Guglielmo Secundo ab anno Christi 1150. ad annarum 1189. Nos autem tertio typis damus absque præfatione supradicti Tornacei, qui utramque Normannorum principum seriem, Apulienfium scilicet, & Siculorum mire confudit, & consequenter res ab illis gestas.



HUGO:

HUGONIS FALCANDI

IN SUAM DE REGNO SICILIÆ HISTORIAM

PRÆFATIO

AD PETRUM PANORMITANÆ ECCLESIÆ THESAURARIUM.

DE CALAMITATE SICILIÆ.



Tatuebam Petre chariſſime, poſt hyemis aſperitatem clementioris auræ beneficio mitigatam, lætum aliquid ac jucundum ſcribere, quod tibi quaſi quaſdam renaſcentis veris primitias dedicarem. Sed audita morte Regis Siciliæ, intelligens ac mecum reputans quantum hæc rerum mutatio calamitatis afferre: quantum illius Regni quietiſſimum ſtatum, vel hoſtilis incurſus procella concuteret, vel gravis ſeditionum turbo ſubverteret: repente conſternatus animo accepta deſervi, verſaque in luctum cythara malui flebiles modos & lamentationum lugubre carmen ordiri: licet repurgati cœli blanda ſerenitas, & hortorum ac nemorum amœna facies importunam animo lætitiam ingerentes, ad aliud me conentur abſtrahere, & flendi ac lamentandi propoſitum impedire. Quis enim lamentandi propoſitum impedire. Quis enim lamentationi locus eſt, aut querelæ: aut quis intempeſtive fluentibus non offendatur lachrymis, ubi jam annus pruinoſæ ſenectutis deterſa canitie, gratæ denuo juventutis pubeſcit in florem: & hybernis frigoribus ſuccedens verna temperies, feriatas avium fauces ad intermiſſæ ſuavitatem modulationis invitat? verum quia difficile eſt in morte nutricis alumno perſuaderi ne lugeat, non poſſum fateor lachrymas continere, non poſſum deſolationem Siciliæ, quæ me gratiſſimo ſinu ſuſceptum benigne fovit, promovit, & extulit, vel præterire ſilentio, vel ſiccis oculis memorare. Intueri mihi jam videor turbulentas Barbarorum acies, eo quo feruntur impetu irruentes, civitates opulentas, & loca diuturna pace florentia metu concutere, cæde vaſtare, rapinis atterere, & fœdare luxuria. Ingerit ſe mihi, & lachrymas à nolente futuræ ſpecies calamitatis extorquet. Occurrunt hinc cives, aut reſiſtendo gladiis intercepti, aut ſe dedendo miſera ſervitute depreſſi. Illinc virgines in ipſis parentum conſpectibus conſtupratæ: matronæ poſt varia & precioſa capitis, colli, ac pectoris ornamenta direpta, ludibrio habitæ, & defixis in terra oculis inconſolabiliter deplorantes, venerabile fœdus conjugii fœdiſſimæ gentis libidine violari. Nec enim aut rationis ordine regi, aut miſeratione deflecti, aut religione terreri Teuthonica novit inſania: quam & innatus furor exagitat, & rapacitas ſtimulat, & libido præcipitat.

Orditur deplorationem Siciliæ, cauſam ſcilicet hiſtoriæ texendæ, audita morte Gulielmi I.

Ficta hypotypoſis pathetica cum topographica apoſtrophe.

Hæc autem in Apulia vicinisque provinciis geri, licet horrendum ac triste sit facinus, & multo cum mœrore deflendum, utcunque tamen tolerabile putaretur si in Cispharinis tantum partibus Barbarorum immanitas desæviret. Quod si beatam illam Insulam omnibus quidem Regnis & præclaris dotibus & meritis amplioribus præferendam vis procellæ fævientis irrumpat, si jucundum ocium & quietem omni voluptatis genere gratiorem armorum fragor importunus exturbet, quis jam animo poterit imperare, ne dolendi modum excedat? quis non totus in lachrymas defluat, cum jam apparere cœperint vastitas urbium, civium cædes, fœdata pulvere fenum reverenda canities, matronæ pro sericis, faccis indutæ: pueri puellæque Barbaræ linguæ stridore perterriti, omnesque omnino indigenæ, de multa rerum copia ad ultimam egestatem, de gaudio ad mœrorem, de gloria ad ignominiam, de summo felicitatis culmine ad extremæ miseriæ dispendia devoluti? Atque utinam Constantia cum Rege Teuthonico Siciliæ fines ingressa, perseverandi constantiam non haberet, nec ei daretur copia Messanensium agros aut Æthnæi montis confinia transcundi. His enim in locis aptissimè gens illa consistat, ubi & cum crudelitate piratica Teuthonum confligat atrocitas, & inter ambustos lapides & Æthnæ flagrantis incendia, gens dura & saxea fævientis iracundiæ flammis exæstuet. Nam interiora Trinacriæ loca, eam maxime partem quam nobilissimæ civitatis fulgor illustrat, quæ & toti Regno singulari meruit privilegio præminere, nefarium esset & monstro simile vel Barbarorum ingressu pollui, vel irruentium terrore percelli, vel prædonum rapinis exponi, vel omnino peregrinarum legum barbarie conturbari. Nunc mihi velim edisseras, ad quem intelligis finem rem in tanto discrimine perventuram, quove putas Siculos usuros consilio? utrum ne regem sibi creandum existiment, & collectis viribus contra Barbaros dimicandum? an verò rei diffidentia & insueti laboris odio tempori servientes, malint quamlibet durum servitutis jugum suscipere, quàm famæ & dignitati suæ, & patriæ libertati consulere? Ego quidem hæc tacitus dubia mente pertractans, dum variis hinc inde rationibus distrahor, mecum ipse dissentio, nec satis liquet utrum horum eis censeam eligendum. Certe si regem sibi non dubiæ virtutis elegerint, nec à Christianis Saraceni dissentiant: poterit Rex creatus rebus licet quasi desperatis & fere perditis subvenire, & incursus hostium, si prudenter egerit, propulsare. Si enim amplioribus stipendiis militum sibi favorem conciliet, si collatis beneficiis animos plebis alliciat, si civitates oppidaque maritima diligenter præmuniens, in Calabria quoque præsidia per congrua loca disponat, Siciliam Calabriamque tueri poterit, ne in jus & potestatem transeant Barbarorum. Nam in Apulis qui semper novitate gaudentes, novarum rerum studiis aguntur, nihil arbitror spei aut fiduciæ reponendum: quos si coactis copiis ad pugnam jusseris expediri, ante fugere plerumque incipiunt, quàm signa bellica conferantur: si munitionibus servandis præficias, alii quidem alios produnt, & hostes ignorantibus aut resistentibus sociis introducunt. At verò quia difficile est Christianos in tanto rerum turbine, sublato regis timore, Saracenos non opprimere, si Saraceni multis illorum injuriis fatigati, ab eis cœperint diffidere, & castella forte maritima, vel montanas munitiones occupaverint, ut hinc cum Teuthonicis sum-

Promiscue in Sicilia degebãt Christiani & Saraceni.

summa sit virtute pugnandum, illinc Saracenorum crebris insultibus occurrendum: quid putas acturi sunt Siculi inter has depressi angustias, & velut inter malleum & incudem multo cum discrimine constituti? hoc utique agent quod poterunt, ut se Barbaris mirabili conditione dedentes, in eorum se conferant potestatem. O utinam plebis ac procerum Christianorum & Saracenorum vota conveniant, ut regem sibi concorditer eligentes, irruentes Barbaros totis viribus toto conamine, totisque desideriis proturbare contendant.

Ut quimus ajunt, quando ut volumus non licet.

Hei miseræ conditionis & damnatæ sortis Insula, quæ sic alumnos nutris & provehis, ut cum in optatum robur excreverint, prima ex te virium suarum experimenta capiant, & uberum tuorum pinguedine saginati, viscera tua recalcitrando discerpant.

Apostrophe ad Siciliam.

Sic olim plurimi tuo in sinu tuisque in deliciis enutriti, multis te postmodum injuriis, multis præliis afflixerunt. Sic & Constantia primis à cunabulis in deliciarum tuarum affluentia diutius educata, tuisque instituta doctrinis & moribus informata, tandem opibus tuis Barbaros ditatura discessit: & nunc cum ingentibus copiis vicem improbam tibi rependura revertitur, ut pulcherrimæ nutricis ornatus violenter diripiat, & munditiam tuam qua regnis omnibus antecellis, barbarica fœditate contaminet. Age nunc Messana, civitas potens & multa civium nobilitate prepollens, quo putas incolumitati tuæ prospiciendum consilio, ut possis Barbarorum primos conatus elidere, & hostiles copias à Phari transitu prohibere?

Apostr. ad Messanam.

Expedit tibi mature deliberare quid agas. Nam quia transeuntibus in Siciliam prima post trajectum ratibus Pharum occurris, primos etiam pugnantium impetus sustinere, primaque bellorum auspicia cogeris experiri. Certe si civium tuorum virtutem & audaciam, senes tuos maturandis aptos consiliis, juvenes rebus bellicis assuetos, murorum etiam ambitum densis turribus circunseptum inspicias, si vires tuas quibus sæpe Græcorum superbiam contrivisti, quibus Africam Hispaniamque depopulans, ingentem inde prædam & opima sæpe spolia revexisti diligenter attendas, multum hinc tibi roboris & fiduciæ, multum spei ac securitatis accrescet. Nihil tibi ergo formidinis, nihil terroris incutiat turbulentæ gentis barbaries, cujus si primos incursus fortiter resistendo sustineas, poteris durissimum de cervice tua jugum excutere, & immortalem tibi gloriam nomenque celebre propagare. Væ tibi Catinensium civitas, quæ adversantem toties experta fortunam, nullis unquam cladibus ejus sævitiam mitigare, aut compescere potuisti.

Apostr. ad Catinam civitatem.

Nam si veteres Annalium revolvimus historias, inveniemus te frequenter & pestilentibus exhaustam nebulis, & atroci bellorum clade consumptam, ignemque in te aliquoties de cavernosis Æthnæ fornacibus in modum fluminis emanasse. Quòd si nostri temporis mala, & quæ ipsi vidimus, volumus recensere, nuper te vehemens terræ motus tanta concussit violentia, ut cunctis ruentibus ædificiis, haud facile numerabilem utriusque sexus multitudinem lignorum, ac lapidum moles oppresserit. Nunc autem ut vel sic fortunæ lentescat improbitas, post multa & varia calamitatum genera turpissime tandem addiceris servituti. Jam Syracusana civitas, diuturnæ pacis pertedeat, jam si potes ad bellum tibi vires instaura, & ea qua florere soles eloquentia, civium tuorum mentes erige, murorum ambitum propugnaculis densis attolle, & angustum illud spacium quod duobus portibus interjectum, insulæ tibi no-

Ad Syracusana urbem, insulæ principem ut ait Solinus.

nomen invidit; extructis turribus præmunire festina; si forte Barbarorum possis incursibus obviam ire. Verum ad hoc tibi (pro dolor) vires non suppetunt, & conatus tuos tam inopia civium quam paucitas bellatorum elidunt. Servire Barbaris jam cogetur antiqua illa Corinthiorum nobilitas, qui patriis olim relictis sedibus in Siciliam transeuntes, & urbi construendæ locum idoneum perquirentes, tandem in optima & pulcherrima parte Siciliæ inter inæquales portus mœnia tua loco tutissimo construxerunt. Quid tibi nunc prodest philosophorum quondā floruisse doctrinis, & poetarum ora vatifici fontis nectare proluisse? Quid juvat Dionysii sibique similium de cervice tua jugum improbum excussisse? Satius quidem tibi esset ac tutius, Siculorum adhuc tyrannorum sævitiam pati, quam Barbarę fœdęque gentis tyrannidem experiri. Vę tibi fons celebris & pręclari nominis Arethusa, quæ ad hanc devoluta es miseriam, ut quę poetarum solebas carmina modulari, nunc Teuthonicorum ebrietatem mitiges, & eorum servias fœditati. Ideò ne solum natale fugiens & immersa maris spacia longis tractibus subterlabens in civitate Syracusana caput attollis, proximoque mari influens Alphęum quem ante fugeras in majori portu se tibi immiscentem offendis? Longe melior Cyane conditio tua, quę paulatim fluendo deficiens in eundem portum, vix modico rivo decurris, aquas tibi furtim occulteque subtrahens, ne contactu barbarico polluaris. Quid autem futuram Agrigentinorum calamitatem defleam? quid imminentem Marcarientium cladem recenseamus? Pręterео Cephaludi nova mœnia, misera turpique servitute damnanda. Taceo Pactensium agros furentis populi rapinis expositos. Ad te mihi veniendum est urbs famosissima, totius Regni Sicilię caput & gloria, quam etsi digne laudare non valeo, tacere tamen omninò non possum, tam accepti memor beneficii quam singularis glorię tuę miraculo provocatus. Quis enim tanto non succumbat oneri, vel quem ingentis ausi aliquando non pœniteat, si Panormum laudibus extollere, & ejus gloriam verbis ęquare contendat? Quia verò semel conceptum verbum intra pectoris claustra continere non possum, tentabo facultate qua valeo, pauca de laude ipsius breviter succinctèque perstringere, ut ex hoc ipso appareat quanta sit lamentatione deflenda, quę tantis fuerit dotibus gloriosa. Hęc ergo civitas in plano sita maris; ex uno latere crebris insultibus fatigatur, cujus tamen fluctibus retundendis vetus palatium quod dicitur Maris castellum, murosque multa turrium densitate munitos opponit. Alterius verò lateris partem oppositam Palatium novum insedi, mira ex quadris lapidibus diligentia, miro labore constructum, exterius quidem spaciosis murorum naufractibus circunclusum, interius verò multo gemmarum aurique splendore conspicuum: hinc habens turrim Pisanam thesaurorum custodię destinatam; illinc turrim Gręcam ei civitatis parti quę Khemonia dicitur imminentem. Medium verò locum pars illa palatii quę Joharia nuncupatur, plurimum habens decoris, illustrat quam multiformis ornatus gloria pręfulgentem, rex ubi ocio quietique indulgere voluerit, familiarius frequentare consuevit. Inde per reliquum spacium varię sunt circunquaque dispositę mansiones, matronis puellisque & eunuchis, qui regi reginęque serviunt ędificatę. Sunt & alia ibidem palatiola multo quidem decore nitentia, ubi rex aut de statu regni cum familiaribus suis secre-

Mœnia Syracusarum à Corinthiis constructa.

Panormi situs & descriptio in loco amęno & fęcundissimo, quæ alluitur pelago Tyrrheno,

cretius differit, aut de publicis & majoribus Regni negociis locuturus proceres introducit. Nec verò nobiles illas palatio adhærentes silentio præteriri convenit officinas, ubi in fila variis distincta coloribus sérum vellera tenuantur, & sibi invicem multiplici texendi genere coaptantur. Hinc enim videas amita, dimitaque, & trimita minori peritia sumptuque perfici: hinc exhimita uberioris materiæ copia condensari. Hic diarhodon igneo fulgore visum reverberat. Hic diapisti color subviridis intuentium oculis grato blanditur aspectu. Hic * exarentasmata circulorum varietatibus insignita, majorem quidem artificum industriam, & materiæ ubertatem desyderant, majori nihilominus precio distrahenda. Multa quidem & alia videas ibi varii coloris ac diversi generis ornamenta, in quibus & sericis aurum intexitur, & multiformis picturæ varietas gemmis interlucentibus illustratur. Margaritæ quoque aut integræ cistulis aureis includuntur, aut perforatæ filo tenui connectuntur, & eleganti quadam dispositionis industria, picturati jubentur formam operis exhibere. Porrò ex ea parte quæ urbem respicit palatium ingressuris Capella Regia primum occurrit, sumptuosi operis pavimento constrata, parietes habens inferius quidem preciosi marmoris tabulis decoratos, superius autem de lapillulis quadris partim auratis, partim diversi coloribus veteris ac novi testamenti depictam historiam continentes. Supremi verò fastigii tabulatum insignis elegantia cęlaturæ, & miranda picturæ varietas, passimque radiantis auri splendor exornant. Sic ergo dispositum, sic ornatum, sic omnimodæ voluptatis gratia delibutum palatium, tanquam caput reliquo corpori, sic toti supereminet civitati. Quæ trina partitione distincta, tres in se particulares, ut ita dixerim, continet civitates. Quarum quæ inter extremas media collocatur, nobiliori ædificiorum structura præpollens, ingenti murorum altitudine ab utraque dextra levaque sejungitur, latitudinis parum habens, in longum verò spacio majore porrecta: ut siquis duas æquales æqualium circulorum minores portiones ad chordam unam conjungat. Hanc item tres viæ dividunt principales, quę totam ejus longitudinem metiuntur. Harum media quę Vicus marmoreus nuncupatur, & rebus occupatur venalibus, à parte superiori vię coopertę ad palatium Arabum, indeque ad inferiorem portam juxta forum Saracenorum directè protenditur. Alia quoque à turre Pisana per viam coopertam ad domum Archiepiscopi juxta majorem Ecclesiam, mox ad portam Sanctę Agathes deinceps quę per domus Majonis Admirati ad prędictum forum Saracenorum pertransit, ibidem vię marmoreę conjungenda. Tertia sanè ab aula regia, quę palatio subest, per domum dicti Saraceni ad ędes Sylvestri Comitis, & capellam Georgii Admirati porrigitur, & inde ad propinquam Urbis portam obliquata deflectitur. At verò dextra pars civitatis à Monasterio Sancti Joannis propè palatium in Khemonia constituti habens initium, muris usque ad mare circunductis includitur. Pars autem sinistra ab ipsius item palatii confinio, ad Castellum se maris extendens, ibidem finem sortitur, ingenti nihilominus murorum vallata circuitu. Spacium quoque quod inter mediam Civitatem & Portum extenditur, ubi duę reliquię partes Urbis conveniunt, Amalfitanorum continet vicum, peregrinarum quidem mercium copia locupletem, in quo vestes diversi coloris, ac pręcii tam sericę, quàm de Gallico contextę vellere, emptoribus exponuntur. Quis verò pręclarę hujus urbis miranda ędificia, quis fontium passim ebullientium suavissimam ubertatem, quis sem-

* Vel forte exâthemata.

ſemper virentium arborum amœnitatem, aut aquæ ductus civium abundanter uſibus ſervientes, ſatis mirari ſufficiat? Quis inclytæ planiciei gloriam, quæ inter urbis mœnia monteſque, quatuor fere millibus patet, laude congrua proſequatur? O beatam cunctiſque ſeculis prædicandam planitiem, quæ intra gremium ſuum arborum fructuumque genus, omne concluſit: quæ quicquid uſquam eſt deliciarum, ſola prætendit: quæ voluptariæ viſionis illecebris cunctos ſic allicit, ut cui ſemel eam videre contigerit, vix unquam ab ea quibuslibet poſſit blandimentis avelli. Illic enim mireris vineas tam fœcundi ceſpitis ubertate, quàm præclari germinis generoſitate gaudentes. Illic hortos aſpicias mirabili fructuum varietate laudandos, turreſque ad hortorum cuſtodiam, & voluptatis opera præparatas: ubi & rotæ volubilis obſequio deſcendentibus, itemque aſcendentibus urceolis puteos videas exhauriri, ciſternaſque adjacentes impleri, & inde aquam per rivulos ad loca ſingula derivari, ut irrigatis areolis vegetentur & creſcant citroli anguſta brevitate contracti, & cucumeres tractu longiore producti, meloneſque ad formam magis ſphericam accedentes, & cucurbitæ per arundines connexas latius evagantes. Hinc ſi convertas oculos ad diverſas arborum ſpecies, videbis mala punica vel acetoſa, vel dulcia granis interius occultatis, exterius contra intemperiem aeris duro cortice præmuniri. Citros quoque triplici ſubſtantiæ diverſitate diſtingui, cum cortex exterior colore ſimul & odore caliditatis præferat argumentum: quod autem circa centrum eſt acetoſo liquore frigiditatis præſtet indicium: medium verò inter utrunque temperatius comprobetur. Videas ibi & lumias acetoſitate ſua condiendis cibis idoneas, & arengias acetoſo nihilominus humore plenas interius, quæ magis pulchritudine ſua viſum oblectant, quàm ad illud utiles videantur. Hæ quidem ab arbore ſua etiam cum maturuerint, difficile cadunt, & novis ſupervenientibus veteres credere dedignantur. Nam & tertii anni poma jam rubea, & ſecundi adhuc virentia, & præſentis anni flores in eadem poſſunt arbore pariter inveniri. Hęc autem arbor continue juventutis pollens inſignibus, nec fit hyemis ſterili ſenectute deformis, nec ingruente frigoris aſperitate frondibus ſpoliatur, ſed virentibus ſemper foliis veris temperiem repræſentat. Quid verò nuces amygdalæ, aut ficuum diverſa genera, vel olivas condiendis cibariis, & lucernarum fovendis ignibus oleum miniſtrantes enumerem? Quid loquar ſiliquarum vaginulas, & fructum ignobilem inſipida quadam dulcedine ruſticorum ac puerorum gutturi blandientem? Mireris potius palmarum procera cacumina, dactyloſque detonſæ arbori ſummo vertice dependentes. Quod ſi in partem aliam viſum deflexeris, occurret tibi mirandarum ſeges harundinum, quæ Cannæ mellis ab incolis nuncupantur, nomen hoc ab interioris ſucci dulcedine ſortientes. Harum ſuccus diligenter & moderate decoctus in ſpeciem mellis traducitur; ſi verò perfectius excoctus fuerit, in ſaccari ſubſtantiam condenſatur. Communes autem fructus & qui penes non habentur, his adjungere ſuperfluum exiſtimavi. Hæc igitur breviter perſtingendo deſcripſi, ut ex paucis multa, ex parvis majora, ſolliciti prudentia lectoris intelligat, ſimulque ut quemadmodum dictum eſt, liquidum fiat quantis lamentationibus, quantaque ſit opus copia lachrymarum, ut digne civitatis hujus calamitas defleatur. Vivas diu Petre chariſſime diuque gaudeas, & de ſtatu Regni tuoque, vicarias pro te literas mihi mittere non graveris.

Dactyli ſunt caricæ ſive fructus palmæ.

Cannamella uno verbo dicitur talis arundo, unde ſaccarum elicitur.

DE

DE TYRANNIDE SICULORUM.


REM nunc eam me scripturum propono, quæ sui ipsius atrocitate satis, abundeque sufficeret, vel omninò fidem excludere, vel suspectam reddere veritatem: nisi certè in Sicilia nihil miraculi esset ea monstra scelerum perpetrari, quæ potius tragœdorum sint deflenda boatibus, quam historicæ veritatis ordine contexenda; nec enim alibi rotam fortuna torquet celerius, aut majori mortalium ludit discrimine: Itaque loci ipsius inhumanitas, eorum quæ dicturus sum fidem faciet: eritque operæ precium tam atroces, quam repentinas rerum commutationes memoriæ tradere posternorum: ut qui fortunæ finibus alligati, suam ex rerum affluentia gloriam metiuntur, aliorum casu moniti, beatos se definant prædicare: ne toties miseros rursus se clamitent, quoties aut à dignitatis gradu deciderint, aut opimi acervi quomodolibet fuerint imminuti. Ad id quoque nihilominus operam sum daturus, ut pauci quorum inter tot, ac tanta pessimorum flagitia memorabilis fides enituit, meritis nunquam possint laudibus defraudari, perpetuisque in ævum successibus virtutis gloria propagetur. Quæ sicut præclaris ab initio factis virens, ut ita dixerim, enitescit, sic in posterum taciturnitate consenescens elabitur. Ita fit ut gloria quam ingenti quisque labore, summa industria, multisque periculis sibi ipse pepererit, in brevi favillatim decidens evanescat. Interest ergo multorum siqua fortiter acta sunt, ea posterorum cognitioni transmittere. Hinc enim accidit, non solum viros fortes meritum laboris fructum percipere, verum totius quoque posteritatis commodo provideri: præsertim cum ad virtutem plerunque liberi patrum provocentur exemplo, patriæque probitatis velut quædam in filios transfusa scintilla licet in quibusdam sopita sit, & quasi præmortua, facile tamen hæreditariæ virtutis memoria convalescat. Si qui verò suopte ingenio ac natura perpetuandi nominis amorem conceperunt: ipsa tamen patrum recordatio, eorum foveat desiderium, ac proposito robur adjiciat ad maturandum id quod speraverint, eos utique faciens promptiores. Hinc nimirum antiquitus Romani patrum domi conservabant imagines, ut antecessorum eis acta semper occurrerent, puderetque degenerem se qui lasciviam, ac turpi languere desidia, & amplectendæ virtutis quasi quandam necessitatem haberent præ oculis. Nec igitur inerti situ patiar eorum oblitterari memoriam, quæ non sine multorum periclitatione nuper in Regno gesta Siciliæ; partim ipse vidi, partim eorum qui interfuerant, veraci relatione cognovi. Non tamen id ago, ut omnia bellorum discrimina, militumque congressus aut quid in singulis urbibus oppidisve gestum fuerit, sigillatim expediam: satisfecisse videbor proposito, si qui laude digni fuerint eos non taceam: si majora rerum momenta breviter ac succincte transcurram, in his maximè, quæ circa curiam gesta sunt occupandus.

Historiæ vis, & utilitas.

Laudabile Romanorum institutum.

Brevis & credibilis narratio futura.

PRimum igitur satis constat, quòd cum Rogerius Comes Siciliæ frater Roberti Guiscardi Ducis Apuliæ rebus excessisset humanis, Rogerius ejus filius totam primum Siciliam, ac partem Calabriæ jure successionis obtinuit. Postmodum verò consanguinei sui Guilielmi Ducis Apuliæ morte cognita transiens in Apuliam, postquam universis Civitatibus, ac Principibus qui ei resistendum putaverant, expugnatis, ad suum cuncta redegit imperium: tandem Ducatum suscepit Apuliæ, minusque ratus idoneum tantam, ac tam late diffusam potentiam indignitate nominis coartari, Regem se maluit appellari, quàm Ducem, ex indeque Siciliam Regnum esse constituit.

Siciliæ Comitatus in Regnum transit.

Placet autem, nec à proposito quidem dissidet, de moribus ejus pauca summatim perstringere, cum satis incivile sit tanti viri mentione habita, virtutem ejus silentio præterire. Inter alias ergo naturæ dotes, quibus ingentis spiritus virum ipsa ditaverat, promptissimus erat ingenio, nec unquam adeò sibi diffidens, ut de qualibet re consultus, vel modicam responsioni moram innecteret.

Rogerius Primus Rex Siciliæ.

Quoties tamen ad majorum rerum examinationem ventum erat, contracta curia non pudebat eum singulorum prius opiniones audire, ut ex eis potiorem eligeret. Siquid autem ei super eodem negocio subtilius aut examinatius occurrebat, suam ultimus proferebat sententiam, ratione statim subjuncta cur hoc ei potissimum videretur. Cumque vigilantissimus viri animus altiora semper appetens, nullum inertiæ segnive ocio locum relinqueret, nihil tamen inconsulte aut ex præcipiti agere instituerat, ingentisque motus animi discretio temperabat adhibita: ut in consultissimi regis operibus nulla prorsus levitas appareret; nec erat facilè cognitu, utrum ne consultius loqueretur, an ageret. Ingens illi studium erat, & præsentia caute disponere, & ex præsentibus futura sollicite præmetiri: idque curabat ut non magis viribus, quam prudentia & hostes contereret, & Regnum suum productis finibus ampliaret, Tripolin namque Barbariæ, Africam, Faxum, Capsiam, aliasque plurimas Barbarorum Civitates multis sibi laboribus, ac periculis subjugavit.

Tripolis alia Africana, alia Syriaca in Phœnice.

Aliorum quoque regum, ac gentium consuetudines diligentissime fecit inquiri, ut quod in eis pulcherrimum, aut utile videbatur, sibi transsumeret. Quoscumque viros aut consiliis utiles, aut bello claros compererat, cumulatis eos ad virtutem beneficiis invitabat.

Francorum gloria.

Transalpinos maximè cum ab Northmannis originem duceret, sciretque Francorum gentem belli gloria ceteris omnibus anteferri, plurimum diligendos elegerat, & propensius honorandos. Postremò sic justitiæ rigorem, ut novo Regno per necessarium, studuit exercere: sic pacis ac belli vicissitudines alternare: ut nihil quod virtutem deceret omittens, neminem Regum aut Principum temporibus suis parem habuerit. Porrò quod quidam pleraque ejus opera tyrannidi dant, eumque vocant inhumanum, eo quòd multis pœnas graviores, & legibus incognitas irrogaverit, ego sic existimo, virum utique prudentem, & in omnibus circumspectum in novitate Regni ex industria sic egisse, ut neque flagitiosi quilibet de scelerum sibi possent impunitate blandiri, neque benemeritos nimia severitas absterreret; quibus ita mitem se præbuit, ne tamen ex nimia mansuetudine locus superesset contemptui. Ac si fortè in quosdam durius animadvertisse visus est, quadam ad id necessitate compulsum intelligo.

ligo. Nec enim aliter rebellis populi ferocitas conteri, aut proditorum poterat audacia coerceri. Is ubi post multos labores ac pericula, pacem Regno quoad viveret peperit inconcussam: ingentes etiam thesauros ad Regni tuitionem posteritati consulens præparavit, ac Panormi reposuit. Exinde jam ocio quietique deditus, faustaque se prole felicem existimans, filiis suis, Rogerio Duci Apuliæ, Amphulsoque Capuæ Principi, in quibus verissima paternæ virtutis reddebatur effigies, Regni sollicitudinem participandam crediderat. Qui postea non sine dolore patris incredibili, totiusque Regni luctu maximo, fati debitum agnovere, superstite Gulielmo Tarenti Principe, quem vix pater eodem dignum principatu censuerat. Huic igitur, quando jam alius nullus supererat, regium diadema pater imposuit, Regnique fecit participem. Nec multo post, ipse tum immensis attritus laboribus, tum ultra quam bona corporis exigeret valetudo, rebus assuetus veneriis immatura senectute consumptus cessit in fata. Cui succedens Guiliel. ejus filius, quem adhuc vivens regem fecerat, palatium ac thesauros obtinuit, Regnique curam suscepit. Eo tempore Regnum Siciliæ strenuis, & præclaris viris abundans cum terra, marique plurimum posset, vicinis circumquaque gentibus terrorem incusserat, summaque pace ac tranquillitate maxima fruebatur. Verum brevi temporis interjecto spacio, sic tranquillitas omnis elapsa repente disparuit; ut facile quidem ex hoc intelligas Regnorum fortunam, ac statum virtuti parere regnantium, tantumque Regni cujuslibet gloriam ampliari posse non dubites, quantum in Principe virtutis esse cognoveris. Gulielmus enim Rex cum patriæ solum potestatis, non etiam virtutis hæres existeret, in tantam est primum efferatus amentiam, ut optimi patris acta contemneret, suaque industria curiæ statum in melius reformatum pessum ire permitteret. Unde & quos familiares pater habuerat, eos partim condemnavit exilio: partim carcerum conclusit angustiis. Majonem quoque Barensem humili ortum genere, qui cum primum in curia notarius extitisset, gradatim ad Cancellariatus pervenerat dignitatem, magnum Admiratum instituit: monstrum utique, quo nulla pestis immanior, nulla ad Regni perniciem, ac subversionem poterat efficacior inveniri. Nam ingenium illi promptum erat ad omnia, facundia non dispar ingenio, simulandi ac dissimulandi, quæ vellet summa facilitas: præceps in libidinem animus, nobilium maximè matronarum, ac virginum concubitus expetebat, & quas honestius viventes audierat, earum vehementius pudicitiam attentabat. Dominandi quoque semel accensus desiderio, multa volvebat in animo, multis mentem fatigabat consiliis, & continuis scelerum stimulis agebatur: sed æstuantis animi tempestatem vultus serenitate celabat. Huic igitur maxima collata dignitate, totiusque Regni cura, & administratione commissa, in brevi sic actum est, ut Rex plenam verbis ejus fidem adhibens, nihil alii cuiplam credere, nihil prorsus ab alio vellet audire. Cæteros omnes excludens, cum illo singulis diebus solus habebat colloquium, solus Regni tractabat negocia, regisque animum quocunque libuerat inclinabat, cùm falsa pro veris ingerens, tum adulationibus illius temeritatem demulcens. Subit inde spes animum, efficere velle & conari quod mente conceperat; visaque temporis adesse opportunitas, ut maturet consilium: & quem regnandi libido præcipitem agit, mo-

Panormum Siciliæ caput situ, & opere munitissimũ.

Liberi Rogeri 3.

Capua insignis Civitas Neapolis.

Mors Rogerii.

Gulielmus Rex Siciliæ filius Rogerii.

Gulielmi ignavia & perversitas.

Majo Barensis Cancellarius, & Admiratus, sive Thalassiarchus.

ram omnem damnosam existimat. Nulla interim animo pax datur, nulla tranquillitas, omnia circuit, omnia præmetitur, omnia diligenter explorat, quo consilio, quibus artibus Regnum obtineat. Multaque diu præcogitans, intelligit viros nobilissimos quibus adhuc Regnum florebat Siciliæ, suum impedire propositum. Præ cæteris autem ei metum incutiunt Robertus Comes Lorotelli, regis consobrinus: Symon Comes Polycastrensis, Ebrardus Comes Squillacensis: quorum illi virtus haud dubia erat, sciebatque fidem eorum nulla fraude, nullis unquam præmiis corrumpendam: nec si superessent incolumes, sperabat rem posse procedere. Visum ergo primum aliquid ad eorum machinari perniciem, in eoque sceleris sui primitias prælibare. Placuit etiam, & ad id totis viribus nitebatur, ut Hugonem Archiepicopum, qui tunc Panormitanæ præerat Ecclesiæ, socium ac participem ejus haberet consilii: cujus fretus auxilio ad id quod separaverat maturius perveniret. Sciebat enim illum prudentem, providum, summæque virum esse industriæ, & ad quaslibet machinationes aptissimum; cæterum elati quidem erat animi, gloriæ cupidus, libidinique deserviens. Hujus primum Admiratus pedetentim pertentat animum, dehinc confidentius mentem aperit, propositi partem exponit, regnandi tamen dissimulat voluntatem. Nec difficile persuadet, ut amoto Rege inutili, ipsi tutelæ munus subeant, regnum pueris conservantes incolume, dum pubertatis annos impleverint. In hoc ambo consentiunt ut Regem deponant, cætera Majo reticet, ne facti socium atrocitate deterreat, sperans si tutor possit fieri puerorum, nullius se de cætero ad obtinendum Regnum indigere consilio. Dictum est præterea, quod ji juxta consuetudinem Siculorum fraternæ fœdus societatis contraxerint, seseque invicem jurejurando astrinxerint, ut alter alterum modis omnibus promoveret, & tam in prosperis, quàm in adversi unius essent animi, unius voluntatis atque consilii: quisquis alterum læderet, amborum incurreret offensam. Hac inita societate, præfatus Archiepiscopus instinctu, & consilio Majonis in familiaritatem regis admittitur, ut quicquid Admiratus regi suggereret, socii testimonio confirmaret. Dum hæc inter eos Panormi versantur consilia, Rex Pharum transire instituit, ac primo Messanam, dehinc paucis post diebus Salernum proficiscitur. Cumque ex diversis Apuliæ, & Terræ Laboris partibus ad videndum Regem proceres multi concurrerent, Robertus Comes Loroteili eadem ratione persuasus Salernum iter ingreditur. Cujus adventu præcognito, sic erga Comitem Majonis astutia regis animum immutavit, ut neque loquendi cum rege copiam impetraret, eoque non viso tristis iratusque discederet. Ibi Rex aliquanti temporis intervallo consumpto, paucisque nec dignis memoria gestis negociis, Panormum rediens, deinceps ac si humanos horreret aspectus, inaccessibilem se præbuit: nisi quod Admirato singulis diebus, Archiepiscopo plerumque sui copiam faciebat, audiens ab eis Regni sui negocia non qualia erant, sed qualia ipsi proposito suo conformabant. Sub id temporis Anscotinus Cancellarius, & Comes Symon cum magno exercitu in Apulia erant, ut Alamannorum Imperatori, cujus adventum fama prædixerat, obviarent, simul & ne quid ibi turbinis accideret providentes. Omnia enim jam timoris, ac suspicionis plena erant, nec satis liquebat qui Regis, quive Admirati essent: ita in incerto ambiguoque

Comes Lorotelli, Polycastrensis, Squillacēsis.

Hugo Panormitanus Archiepiscopus.

Siculorum fœdus.

Gulielmus Rex excludit amicos.

Anscotinus, Cancellarius. Symon Polycastrensis, Comestabulus.

que

que res erat. Nam Admiratus per totum Regnum propositi sui multos jam habebat participes & fautores: ejusque nomen haud aliter quam Regis ipsius ab omnibus timebatur. Eoque ipso spe subnixa regnandi cupiditas, acriores viro stimulos ingerebat. Scribit itaque Cancellario, uti Robertum Comitem Lorotelli tanquam ad audiendum Regis impium, Capuam evocet: idque modis omnibus agat, ut eundem captum sub fida custodia Panormum transmittat. Ut enim Rex idem vellet, multis persuasionibus effecerat, asserens quòd ipse Comes ad Regni subreptionem plurimum aspiraret, ipsumque Regnum ad se jure diceret pertinere: eo quòd Rogerius Rex avunculus ejus in quodam testamento suo præcepisse diceretur, ut siquidem Gulielmus ejus filius inutilis, aut parum idoneus videretur, Robertum Comitem, cujus virtus haud dubia erat, Regno præficerent. Comes ergo acceptis literis Cancellarii, cognitoque per amicos quid fraudis intenderet, animadvertit ejusmodi sibi expedire consilium, ut neque Regis imperio contumaciter obloqui videretur, & propositos sibi laqueos evitaret. Itaque cum quingentis fere militibus optimè armis instructis Capuam veniens, extra urbem in plano figit tentoria. Cancellarius ubi hunc venisse comperit, ilico denunciat ei, ut omissis militibus suis ipse cum paucis in urbem veniat, velle se cum eo secretè loqui, & Regis aperire mandatum. Ad id Comes, se urbem non ingressurum asserit, siquidem Cancellarius exeat, paratum audire quicquid exparte regia sibi præceperit. At ille contra spem suam Comitem dolos intelligens præsensisse, egressus est ad eum, dicens voluntatem Regis hanc esse, ut universos milites suos prout feudum suum exigebat, Boamundo Comiti assignaret. Quod quidem molestissimè Comes tulit, respondítque indignum, & contra consuetudinem esse, ut milites sui ducem alium sortirentur: ac si ipse proditor, aut bello videretur inutilis. Cumque instaret Cancellarius, persuadens ut regiæ satisfaceret voluntati, adjecit Comes, aut non sani capitis, aut proditoris istud esse mandatum. Ideoque se nullatenus id facturum. Sic inani spe delusus Cancellarius Capuam rediit, Comes in Aprutium iter convertit. Nec multo post in exercitu inter milites Cancellarii, & Comitis Symonis orta seditio eousque processit, ut in dominos quoque militum iniuria redundaret, multaque hinc inde verba minæque discurrerent. Quod utrum industria Cancellarii factum sit, casu ve contigerit, parum constat. Verisimile tamen est Majonis intercessisse mandatum, ipsumque Cancellarium in optimo Comite non videntem quid crimini daret, in excitanda lite id habuisse consilii, ut inde maledicendi causam eliceret. Nam & super hoc literis curiæ destinatis, rem non tam verè, quàm hostiliter expressit, & majori Comitem, quàm res exigeret criminatione pulsavit: dicens eum in exercitu crebras suscitare discordias, milites suos ad seditionem hortari: Comitem etiam Robertum ejus indicio propositas insidias effugisse nuncios inter eos discurrere, nescio quid eos fovere propositi, satis periculosè deinceps ei creditum iri exercitum. Hæc & hujusmodi plurima regi magnus Admiratus suggerens à Cancellario sibi transmissa, subjunxit, fidem plenissimam eisdem literis adhibendam. Nam se quoque dudum audisse, quòd Robertus Comes cum plerisque aliis contra Regem conspiraverat, Comitemque Symonem ejus ipsius factionis esse participem, quod claris nunc apparebat indiciis.

Insidiæ in Comitem Lorotelli cõsobrinum regis.

Seditio inter Cancellarii, & Polycastrensis milites.

Inde

Inde maturandum censet, ut emergentis mali periculum evitetur: ferro carnem putridam resecari, cum vicinas partes corruperit. Id eo facilius Regi persuasum, quod propinquos omnes consanguineosque habebat suspectos. Comes igitur literis Regiis citatur ad curiam, aliusque in ejus locum Comestabulus subrogatur. Sed eidem venienti, neque suam purgare licuit innocentiam, nec objectis ordine judiciario respondere. Statim enim non sine multa Majonis invidia, captus & in carcerem est retrusus. His eo modo gestis, ita Rex deinde suam omnibus avulsit præsentiam, ut per multum temporis spacium excepto Majone Admirato, & Hugone Archiepiscopo nulli penitus appareret. Quæ res argumento fuit, ut à plerisque mortuus putaretur. Erant qui venenum ei ab Admirato dicerent propinatum: nec erat difficile creditu, cum id eum machinari dudum audissent. Multi quoque cum ex diversi Apuliæ partibus venissent ad curiam, videndique Regem prout consueverant, eis copia negaretur, certissimos de morte ejus rumores per totam Apuliam detulerunt, nihil hæsitandum super hoc, quod fama prædixerat, asserentes. Tunc Apulorum inconstantissima gens, libertatem adipisci frustra desiderans, quam nec adeptam quidem retinere sufficeret, ut quæ nec bello multum valeat, nec in pace possit esse tranquilla, capessit arma, societates contrahit, Castellis muniendis operam dat. Alii quia jam diuturnæ pacis pertesum erat, sola raptantur inconstantia. Alios prædæ spes trahit ad bellum: plerique ea ratione concitantur ad arma, quòd Regis mortem censeant vindicandam. Multi tamen Admirati causam armis tuendam suscipiunt. Sic ubique re turbata tumultuque exorto, dubiis eventibus hinc inde sæpe confligitur. Comes Lorotelli, plerasque maritimas occupat civitates. Imperator etiam Græcorum à Comite rogatus auxilium, speque ductus recuperandi Apuliam, nobilissimos ac præpotentes viros cum maxima pecunia mittit Brundusium. In Terra verò Laboris non minori turbine cuncta cerneres agitari, aliosque ad Rege deficere, alios stare cum Rege. Robertus Surrentinus à Capuanis suscipitur, & hæreditario ad se jure pertinentem occupat Capuæ Principatum. Hæc ubi Panormi cognita sunt, inopinata res Admirati paulisper animum conturbavit, non tamen usque adeò ut vultum quoque sufficeret immutare. Nam in maximis quoque periculis ex industria dignitatem oris integram conservabat: ne si quoties timendum erat, vultus id fateretur indicio, hostibus quidem spem ingerens, suis nihilominus metum incuteret. Quod ergo ratus est optimum in tanta perturbatione consilium, eos qui nondum rebellaverant, literis regiis suisque crebrius exhortatur, uti virtutis suæ memores cum proditoribus audacter dimicent, habitamque de se hactenus opinionem ratam faciant, meminerint virtuti præmia, laudemque proponi. Contra verò pœnas, & perpetuæ notam infamiæ proditoribus irrogari. Ipse interim Panormi quoscunque potest sibi conciliat, propositum suum eis de morte regis aperit, censetque hoc maturius peragendum, timens ne si forte Rex id eum sceleris machinari perpenderit, crimine sibi majestatis objecto, capitali supplicio addicatur. Erat tunc Panormi Gaufredus Comes Montis Caveosi, vir utique summæ liberalitatis, armis eximius, admodumque consulti pectoris: sed mobilis erat ingenii, fidei vacillantis, novitates rerum semper exoptans. Hujus opem Admiratus plurimum sibi fore

Alius Comestabulus victo Polycastrensi.

Rex mortuus creditur, unde factiones ortæ.

Majonis vultus immutabilis.

Comes montis Cayeosi.

fore putans necessariam, ita commodissime sibi eum allici posse perspicit, si prius odium ei regis incutiat. Habebat autem ipse Comes oppida quædam in Sicilia, Nothum, Sclafanum, Calatanissetum. Sed Nothum cæteris specialius diligebat. Nam idem Castellum tum virorum frequentia, tum natura loci munitissimum erat, & defensioni locum præbebat aptissimum. Primum ergo Regi Majo persuadet, ut hanc sibi munitionem accipiat, dicens non sine periculo eam à Comite possideri. Dehinc ubi Comitem ex amissione oppidi satis comperit indignatum, secretò eum ad se præcipit accersiri: juratultra quàm credi facile sit, hac de re se dolere; regique cùm hoc præciperet, plurimum restitisse, sed tantam hominis esse temeritatem, tantam insaniam, ut neque cujuspiam consilium jam admittat, nec ab eo quod semel dixerit, qualibet possit persuasione deflecti. Quodque indignius est Salomonem etiam parum scisse commemorans, ipse cum sit mortalium stolidissimus sibi soli prudentiam, sibi virtutem ascribat. Præterea tyrannum hunc veriusquàm regem, nescio quid sceleris in animo gerere, facile ex verbis ejus posse conjici, si diutius regnaverit brevi futurum, ut virorum nobilium paucos superesse contingat, qui non aut suppliciis destinentur, aut carceri. Nec immerito, inquit, deteriora nobis contingerent: nam siquidem viri & non fœminis molliores essemus, si ratione utentes, & non brutorum similes animantium, hujus tantæ pestis exitio dudum querelas ejusmodi sopissemus. Sed fortè ad interitum fata nos trahunt, & imminentis mali necessitas cæcitatem nobis inducit. Certe fatum hoc temeritas nostra est, quæ jam ad extrema nos periculorum adduxit. Tunc Comes quid hæc sibi vellet oratio satis intelligens, subjungit in hac omnes opinione versari, quòd absque ipsius Admirati consilio nihil omninò Rex gereret, ideoque hujus rei culpam penes eum esse, qui regis insanias, & tyrannidem publicare deberet: nec alienam in se criminationem transfundere, sed ad omnium vindictam singulos exhortari. Facilè ei omnes obsequi, si voluntatem ejus cognoverint: sese quoque ad primum ejus imperium sanguinem regis hausturum. Ad hæc Admiratus Comitis laudare prudentiam, virtutem ad cœlum tollere, ipsumque cœpit amplecti, referens ei quod Archiepiscopus, aliique quamplures in id consenserint, ut interfecto rege ipsum Admiratum ei substituant. Inde magis tentandi gratia, quàm ex animo subjungit, indignum se esse qui tanto Regno præesse debeat: sanius sibi videri consilium, ut regis filius patri succedat. Sed, & quo id animo dixisset Comitem Gaufredum non latuit, respondit que hoc se nunquam passurum. Nam de semine tyranni nihil unquam nisi tyrannicum procreari, impioque patre genitos paternæ quoque futuros impietatis hæredes. Hoc unum se laudare, hoc velle, ut Admirato regia dignitas conferatur, Sub inferente illo sic futurum, siquidem ipsi placuerit, Comes ei suum ad hoc spondet auxilium: & ut nutantem adhuc animum certiorem efficiat, illi se jurejurando astringit. Exinde jam Admiratus perpetrando sceleri locum, ac tempus quærebat idoneum, existimans Comitem Gaufredum sibi per omnia fore subsidio. Comiti verò longe alia mens erat, aliudque voluebat in animo. Jam enim plurimos Barensium, qui tunc Panormi morabantur, ipse sibi jurare fecerat: erantque cum eo Symon Sangrensis, & Rogerius filius Richardi, pluresque alii nobiles

Majo serit odia.

Admiratus callide Regnum ambit.

les & factioſi milites, per quælibet eum pericula ſecutum, [illegible]dignum, turpe, miſerumque videbatur, ut cujus pater oleum Bari vendere conſueverat (ſic enim dicebatur) eum regnare permitterent. Sed neque diſplicebat eis regem interfici ob tyrannidem, quam in viros nobiles exercebat. Erat autem hoc eorum conſilium, ut quorum primum regem Admiratus occidiſſet, ipſi ſtatim in eum tanquam interfecti regis ultores irruerent, nec ſua diutius proditione gauderet, regiſque filium majorem natu patri ſubſtituerent hæredem. Ita Comes adverſus dolos Majonis fraudulenter agere inſtituerat: plurimum interim ipſi blandiri, rogare ne rem tantam negligendo differret: paratos ſemper habere ſecum milites: præſtolari de die in diem, ut Admiratus quod propoſuerat adimpleret. Ubi ſegnius eum videt rem gerere, tepidumque languere propoſitum, fidem ſuam illi ſuſpectam eſſe, ſibique parum credi certis colligit argumentis. Poſthabito igitur de morte Regis conſilio, Majoni parat inſidias, & vel in præſentia Regis, ſiquidem aliter non poſſit eum ſibi deſtinat occidendum. Quod quadam die non ſecus, ac providerat accidiſſet, niſi quòd jam in palatium percuſſoribus introductis, ſubito nunciatum eſt de partibus Apuliæ galeas adveniſſe. Ea re tunc ab incœpto milites abſterrente, Majo fortunæ beneficio liberatus evaſit. Comes autem videns id, quod geſtum erat celari non poſſe (nam & multi milites cum armis viderant introductos) pro tempore conſilium capit, & cum Admirato ſecretum habens colloquium, narrat ei ordine quid ſibi acciderit, & quanta ſit ſpe fruſtratus. Nam hodie inquit ad curiam optime venimus præparati, ultimumque vitæ tyrannus diem clauſiſſet, niſi galea Callipolitana, quam applicuiſſe audivimus, impedimento nobis fuiſſet. Admiratus autem fruſtra eum timuiſſe reſpondit; nam Callipolin totam ei juraſſe, & unius ſecum eſſe propoſiti. Eadem die ſuggeſtum eſt ei à pluribus amicorum, quod Comes Gaufridus cum armis curiam eum interfecturus intraverit. Quibus ille hæc omnia ſcire ſe dixit: ſuo totum id actum conſilio; regi timendum fuiſſe, non ſibi.

Inſidiæ in Majonem à Gaufredo Comite Mõtis.

Interea jam incipiente turbari Sicilia, Bartholomęus de Garſiliato cum quibuſdam aliis Buteriam occupat, locum utique munitiſſimum, & adverſus quoslibet obſidentium impetus prærupti montis beneficio facile reſiſtentem. Ad quem plures alii confluentes, cœperunt ex agris finitimis prædam agere, loca vicina populari, cum pleriſque potentibus viris ſocietatem contrahere. Ea res Majonem ad ultimum fere deſperationis compulit, adeò quidem ut incœptum facinus neceſſariò crederet differendum: nec aliter invaleſcentis mali poſſe diſpendium evitari: niſi regi ipſi dum adhuc ad debellandos hoſtes vires ſuppetunt, rem totam aperiat: alioqui totam Siciliam in brevi defecturam ad hoſtes. Quod ubi regi cognitum eſt, primum negligendo rem diſtulit, dicens non tanti viros eſſe momenti qui perſeverare audeant, ultro ab occupata munitione nuperrime diſceſſuros. Id enim regi conſuetudinis erat, ut difficile palatio vellet exire: ſed ubi neceſſitas eum compellebat egredi, quanta prius torpuerat invavia, tanto deinceps impetu, non tam audacter, quàm indiſcrete, ac temere raptabatur, quantislibet ſe periculis objecturus. Nec quid ſibi, quid adverſæ parti virium eſſet attendebat, par an impar hoſtes adoriretur parum ſollicitus. Mox ubi comperit eos, qui erant Buteriæ ab incœpto nolle deſiſtere, ſed acrius urgere propoſitum;

Buteria oppida capitur.

Ebrardus Comes.

tum, Comitem Ebrardum ad eos legatum mittit, ut sciscitetur ab eis quo consilio, qua mente Castellum suum occupaverint, quid se deinceps acturos existiment. At illi non aliter id se dicturos respondent, quàm Comes eis jurejurando se obliget, ut quicquid ei dixerint, ipse regi seriatim exponat. Præstito deinde quod petierant à Comite Sacramento, dicunt se contra regem nihil agere aut egisse, sed eo duci consilio, ut Majonis Admirati, & Hugonis Archiepiscopi proditionem detegant, impediantque propositum: quos adversus regem certissime noverant conspirasse, ipsumque Majonem ad Regnum totis viribus anhelare; ultro se Panormum ad regios pedes venturos, si de proditoribus supplicium sumptum audierint. Cum igitur hæc omnia Comes Ebrardus, ut erat incorruptæ vir fidei, non tam efficaciter, quàm audacter ad regis pertulisset notitiam, Rex primum novitate rei attonitus mirari cœpit, dehinc inhumanum ratus, ut crederet eum sibi mortem moliri, quem tanta sublimaverat dignitate; quid ei Comes dixerat, retulit Admirato, subjungens nunquam se de illo tale quippiam crediturum. Admiratus exinde Comitem Ebrardum suspectum habens, atrox in eum odium exercebat, sed id prudenti dissimulabat consilio, donec ultioni tempus congruum inveniret. Interim Comes Gaufredus Buteriam transfugit, per aliquot Castella sua militum relicto præsidio. Tunc verò Panormi tumultus ingens ex oritur, ubique civitatis timor & indignatio, tota plebs adversus Majonem fremit, ac murmurat. Comitem Symonem injuste captum, omnes unanimi voto deposcunt. Admiratus autem videns murmur invalescere, nec jam facile posse compesci, nisi plebis satisfiat desyderio, persuadet regi ut Comes Symon extrahatur de carcere. Quo ad jussionem regis educto, ita subito status civitatis immutatus est, ut cum eo pax, & tranquillitas urbi reddita videretur. Rex itaque ut in tanto necessitatis articulo nullum videt superesse locum ignaviæ, nec dilationis causam idoneam, vix tandem instinctu Majonis educit exercitum, Buteriam obsidet; ubi nisi Comitem Symonem secum duxisset, non parum fuerat temporis consumpturus. Cum igitur aliquandiu Castellum totis viribus oppugnasset, oppidani verò nihilominus audacter ei resisterent, & ad deditionem eos cogi fere jam impossibile videretur, demum hortatu, & consilio Comitis Symonis res est in transactionem deducta: Comitique Gaufredo, & sociis ejus ab Admirato, Archiepiscopo, ac plerisque Comitibus in animam Regis juratum, quod eos Rex incolumes libere ac secure, & absque impedimento extra regnum suum ire permitteret. Sic oppido recepto, totaque jam quiescente Sicilia, paucis post diebus Messanam proficiscitur, in Apuliam transiturus. Eodem tempore Cancellarium ad curiam venientem Comes Symon instigante Majone multis pulsavit criminibus. Qui cum singulis audacter se diceret responsurum, suis ei allegationibus uti non licuit; nam captum subito damnatumque carcer excepit; ubi etiam post aliquot annos diem vitæ clausit extremum. Rex itaque Pharum transiturus Comiti Gaufredo, qui parata jam navi, cæterisque ad transfretandum necessariis Messanæ morabatur, transitum interdici præcepit, & ipsum usque ad reditum suum diligenter observari. Multiplicato dehinc exercitu Brundusium venit; ubi cum Græcis confligturus, ad pugnam jubet milites expediri. Græci verò ubi Comitis Roberti, cujus præstolabantur adven-

Polycastrensis liberatur vinculis.

Buteria obsidetur à Rege & recipitur.

Anscotinus Cancellarius in carcerem missus objit.

Brundusium urbs ex Apuliæ primariis.

Gulielmus Rex Græcos vincit Brundusii.

ventum, vident se defraudatos auxilio, quod unicum restabat consilium fortunam eligunt experiri, Anceps in principio pugna fuit: inde Græci non valentes amplius hostiles impetus sustinere, fusi cæsique sunt; magna pars eorum cum ducibus suis Panormum transuecti. Ea Rex potitus victoria, Barum traducit exercitum, ibique populum ejusdem urbis inermem obvium habet, ut sibi parcatur orantem. At ille Castelli sui, quod à Barensibus dirutum erat minas aspiciens, Justo, inquit, vobiscum agam judicio: & quia domui meę parcere noluistis, certe nec ego vestris sum domibus partiturus. Vos tamen omnes libere cum rebus vestris abire permittam. Dantur ergo eis duorum dierum induciæ: ut interim exeuntes omnia sua secum asportent. Quod ubi factum est, muris primum æquatis solo, totius insecutum est excidium civitatis. Ita præpotens Apuliæ civitas, fama celebris, opibus pollens, nobilissimis superba civibus, ædificiorum structura mirabilis, jacet nunc in acervos lapidum transformata. Hujus rei fama Comitem Robertum, aliosque qui rebelles extiterant, valde perterruit: præsertim cum viderent de totius Apuliæ Civitatibus ad Regem omnes confluere. Nec jam facilè tantis erat viribus resistendum: omnemque spem veniæ crudelitas regis excluserat. Relictis ergo Castellis, oppidis, urbibusque quas possederant, multi Regni terminos exierunt. Plerique cum Comite Roberto in terram Aprucii transfugerunt. Robertus Surrentinus Capuæ Princeps cum nihil sibi fuga tutius comperisset, per terram Comitis Richardi de Aquila secure transiens, in transitu fluminis ab eodem capi jussus, regique traditus est. Quem Admiratus Panormi non multo post in vincula conjectum, oculis fecit privari. Eo facto Comes Richardus cum Regem antea plurimum offendisset, gratiam ejus promeruit: sed nec infamiæ notam penitus evitavit. Nam à multis crimini datum accepi, quod idem dominum suum summæ nobilitati ac mansuetudinis virum, cui Sacramentum quoque fidelitatis præstiterat, turpiter prodidisset. Rex autem Græcis devictis, fugatoque Comite Roberto, reliquos hostes suos persequens, cum omnes ante faciem ejus fugitarent, totius Apuliæ, ac Terræ Laboris tumultum compescuit; ac demum prospere gestis omnibus Pharum transiens Panormum rediit.

Barum Apuliæ Civitas excinditur, et æquatur solo à Gulielmo.

Robertus Capuæ Princeps captus exoculatur.

Comes de Aquila.

Gaufredus Comes exoculatus, & vinctus.

Interea Comes Gaufredus cui Phari transitus interdictus fuerat, suadente Majone privatus oculis, carceri datur. Comes Symon, qui Polycastri remanserat, ob idem accersitur ad curiam, ut quam primum venerit capiatur. Sed in ipso procinctu itineris felici morte preventus est. Præterea Comes Gulielmus Alesinus, & Comes Boamundus Tarsensis, cum pluribus aliis Panormi jam in vinculis tenebantur, inter quos erat, & Robertus Bovensis Comitis Ebrardi, ut ferebatur, avunculus, vir quidem armis strenuus, sed parum habens fidei, quem Francorum Rex ob proditionem, quam ibidem perpetraverat, ad tempus jusserat exulare. Filii quoque Ducis Rogerii, Tancredus, & Gulielmus nobilissima matre geniti, ad quam Dux ipse consuetudinem habuerat, intra palatii septa servabantur inclusi. Nec dum tamen Majonis quiescit animus, aut nefandum cessat propositum, cum tot præclaris ac nobilibus viris carceres plenos aspiciat, quorum aliis oculos fecerat effodi, alios cædi fustibus, quosdam in teterrimis locis cum serpentibus habitare. Uxores quoque, ac filias eorum è domibus suis abstractas diversis clauserat in locis; aliasque suæ deservire li-

Polycastresis mortuus.

Vincti & alii Comites.

Majonis atrocitas.

libidini, alias inopia cogente vænalem passim formam compulerat exhibere. His omnibus proditoris rabies expleri non potest: nihil actum putat, quia Comitem Ebrardum superesse videt incolumen. Sed neque satis scit, tanto viro criminis possit intendere, cujus fides omnibus evidenter apparet. Jam tunc ergo omnia Comitis facta dictaque subtiliter explorat, ut detraendi causam inveniat. Cum ergo quadam die Comes cum paucis venatum exisset, Admiratus illico Regem adit, nunciatque Comitem Ebrardum absque licentia curiæ cum multitudine militum recessisse: rebellandi hoc esse satis evidens argumentum, eum, siquidem abire libere possit, multos ejusdem propositi socios habiturum, suadetque missis absque dilatione nunciis Comitem ex itinere revocari. Comes autem regis mandatum audiens, omissa venatione redit Panormum, subitoque vocatus ad curiam, ibidem retentus est, & in vincula conjectus. Cui primum effossis oculis; non multo post Admiratus linguam quoque fecit abscindi. Jamque viris fortibus quoscunque sibi timendos Admiratus putaverat, aut captis, aut in exilium compulsis, totius Regni tumultus quieverat. Videns autem Majo superesse jam neminem, qui suæ possit vel audeat contradicere voluntati, ad perpetrandum, quod necessitate cogente distulerat, facilius rursus accingitur. Sed ita facillime sperat id posse fieri, si populi prius amorem sibi conciliet, si propinquis, & affinibus suis maximas Regni conferat dignitates, quorum adversus nobilitatis superbiam sese tueatur auxilio. Symonem ergo Seneschalcum maritum sororis suæ toti Apuliæ, ac Terræ Laboris Magistratum Capitaneum præficiens: Stephanum quoque fratrem suum Stolli constituit Admiratum. Ipse interim indigentibus multa largiri, omnibus præbere se facillime, legatos undecunque venientes plurimum honorare in animum induxerat. Strenuos bello milites Longobardos ac Trasmontanos indifferenter plurimis sibi largitionibus alliciens: clericos quoque magnis sæpe promovebat honoribus, prout cujusque dignitas exigebat. Ita modis omnibus sollicitus erat, ut nihil omitteret quod ad alliciendum plebis animos utile videretur. Dum hæc in regis perniciem premoliens Admiratus callide suum occultaret propositum, Regnum aliquandiu visum est quievisse, nisi quod Comes Robertus Terram Aprucii, vicinasque partes Apuliæ crebis adeò fatigabat incursibus, ut in Apulia necessario teneretur exercitus, ubi variis est sæpe pugnatum eventibus. Richardus de Mandra Comitis Roberti Comestabulus, interim cum Episcopo Tetino captus est, & Panormum deductus. Per idem tempus cum Imperatore Græcorum fœdus initum est paxque firmata. Græci Constantinopolin dimissi, qui post Brundusinum bellum in vinculis tenebantur. Jam itaque omnem rei difficultatem Majo superaverat: jam ad id pervenerat potestatis, ut non tam Admirati, quàm Regis videretur prædìtus dignitate. Jam Regis ipsius apertè prædicabat insanias: jam stultitiam ejus publice deridebat: & siquid tyrannicum aut inhumanum Rex eo suadente præceperat, velut innocenti cupiam oculos erui, linguam abscindi, vel aliquid talium perpetrari, ipse sua postmodum autoritate prohibebat id fieri, dicens non omnia, quæ tyrannus inconsulte, aut delirando jusserit, statim effici oportere. Alioqui innocentium vitam periclitari sæpissime. Nam ad hoc nitebatur, ut in Regem plebis exasperaret animos, & omnium ei conflaret invidiam. Eam plerique

In Comitem Ebrardum crudelitas.

Majo suis honores confert.

Pax cum Græcis.

Majo Regi conflat invidiam.

que causam fuisse existimant, ut idem Africam à Saracenis capi permitteret. Cum enim in partes Hispaniæ misso Stolio, Masmudorum Rex potentissimus Africam obsedisset, idque nunciatum esset in Sicilia, placuit ad auxilium Africæ Stolium revocari: cui tunc præerat Gaitus Petrus eunuchus; isque sicut & omnes eunuchi palatii, nomine tantum, habituque Christianus erat, animo Saracenus. Erant autem galeæ circiter 160. Quæ cum ex Hispania reduentes è stationibus Masmudorum possent jam conspici, cœperunt milites, qui Africæ erant, resumptis animis clamorem tollere, insultare hostibus, & venientes gelcas ostendere. Contra verò Masmudorum Rex inopinato galearum adventu perterritus, intra castra cogebat exercitum, qui tamen præ sui magnitudine Regi vix poterat. At ubi jam terræ Stolium propiuquabat, ingens in urbe cum lætitia militum clamor exoritur; & siquidem ut arbitrabantur, Stolium ex uno latere, ipsi apertis portis ex alio in hostes irruerent, ea die victus fususque Barbarorum cessisset exercitus. Sed secus actum est; nam Gaitus Petrus Magister Stolii totum id previdens, cum jam plerique vela deducerent, ultro mirantibus cunctis in fugam conversus, carbasa ventis exposuit. Cæteræ quoque galeæ fugientem Ducem, prout quæque poterat, sequebantur, Barbari verò quos proditoris dolus non latuit, 60. galeas armantes quas ad terram metu Stolii prius eduxerant, persecuti sunt illico fugientes. Septem galeæ captæ sunt à Masmudis: reliquæ turpiter, misereque re gesta, in Siciliam pervenerunt. Ea res & Barbarorum animos plurimum extulit, & obsessis desperationem incussit. Nam & pauci quidem, sed invicti bello, milites erant, & cibi præmebantur inopia; quicquid tamen in tanta rerum angustia virtus poterat, effecerunt. Nec enim solum tantæ multitudinis creberrimos impetus viriliter sustinebant, sed & singulis fere diebus egressi, Barbarorum proturbabant exercitum, non nisi post multam stragem hostium revertentes. Rex itaque Masmudorum consumptis omnibus, quæ ad obtinendam urbem sibi crediderat expedire, jam obsessorum militum audaciam consyderabat attonitus, eorumque virtutem, & constantiam mirabatur, & nullis urbem jam sperabat posse viribus expugnari, ultroque, nisi famis intolerantiam perfugarum indicio cognovisset, ab obsidione amoturus erat exercitum. Sed ubi contra consuetudinem humanam, nec equis jam parci, nec à canibus, aliisque immundis animalibus abstineri cognovit, cœpit milites ad deditionem hortari dicens, frustra suam eos indigentiam occultare, quæ patiebantur sibi non esse incognita; è Sicilia nihil venturum auxilii; nam se literas eunuchorum palatii nuperrime recepisse, quibus rei veritatem plene didicerat: denique nihil spei reliquum esse, ut evasuros se putent, sed eorum virtuti velle se parcere, & siquidem Regis Siciliæ tyrannidem metuentes secum morari maluerint, largissima eis quotquot fuerint stipendia se daturum. Sin autem in Siciliam redire prælegerint, datis quæ sufficiant navibus liberum eis transitum permittendum. At illi super hoc habentes consilium, paucorum dierum inducias petiere, ut missis in Siciliam legatis postularent auxilium: quo non impetrato, tum demum conditioni starent propositæ; nec idipsum eis negatum est. Sed cum eorum nuncii Panormum venientes urbis suæ periculum, & famem exponerent, omnia jam se passos quæcunque summa necessitas indixisset, peterentque fru-

Masmudorũ Rex potentissimus.

Gaitus Petrus Eunuchus.

Africæ arctissima obsidio.

Durissimum telum est fames.

frumentum saltem eo transmitti, nihil tamen multis persuasionibus effecerunt. Nam Admiratus falso Regi suggesserat, frumentum Africæ, quod per totum annum sufficeret, sed jubente fuisse repositum: foris autem publicè prædicabat in ea Regem esse sententia, ut diceret si caperetur Africa nihil se damni passurum; eaque civitatem plus oneris sibi esse quàm honori, cum in stipendiis militum, aliisque ad urbis tuitionem necessariis maximos quidem sumptus faceret, unde nihil unquam emolumenti speraret. Hoc autem ab Admirato sicut dictum est, eo fiebat animo, ut insani capitis esse Regem ostenderet: qui nobilissimæ civitatis amissione Regnum suum Mutilari jacturam non duceret, cum eidem posset facillime subveniri; nec animadverteret rei turpitudinem, aut quod inde Siciliæ periculum immineret. Igitur ubi Africæ cognitum est legatos elusos esse, jam nihil sperarent auxilii, sed neque fames ultra poterat sustineri, prius ob latæ conditioni stari placuit: ac tum demum Masmudis urbe tradita, acceptisque navibus, quę ad transfretandum sufficerent in Siciliam transierunt. At verò Majonis propositum amplius tegi non poterat, aut diutius occultari: nec erat dubium quin regnandi libidine traheretur: nemo tamen tam impiæ machinationis index erat: nemo tam apertam proditionem audebat Regi detegere. Sciebant enim omnes id eum minime crediturum, memores quid inde Comiti Ebrardo, aliisque quam plurimis contigisset. Praelegerant ergo silere, quàm subire periculum, attonitique rei exitum expectabant. Jamque totam fere Siciliam varii super hoc dissonique rumores impleverant; passimque vulgatum erat Admiratum diademata quædam, aliaque Regis insignia, quæ sibi præparaverat, multis familiaribus suis ostendisse: nec deerant qui reginam hæc ei de palatio dicerent transmisisse. Nam & ejus consensu totum hoc fieri, eamque Majoni putabant inhonesti contractu, fœderis obligatam. Plerisque falso videbatur id dici. Alii quoque nihilominus asserebant Notarium Matthæum Majonis familiarem Alexandro Papæ, qui tunc Romanæ præsidebat Ecclesiæ, multam pecuniam detulisse, idque consilio & ope Joannis Neapolitani, qui unus erat Cardinalium, impetrasse, ut amoto Rege Siciliæ, Admiratus, in ejus locum succederet, ad exemplum cujusdam Regis Francorum cui deposito, eo quod inutilis videretur, Romanus Pontifex Pipinum Caroli patrem substituit. Hæc & hujusmodi plurima totus jam triviatim populus loquebatur. Quidam in ipso palatio regem gladio feriendum, multi claudendum in Monasterio prædicabant. Erant & qui in aliquam insularum crederent deportandum. Hæc eadem in Apulia jam divulgata erant, omniumque mentes adversus Majonem indignitas rei commoverat. Melfenses igitur, qui primis semper consueverant rumoribus excitari, decernunt in primis, ut nulli deinceps Majonis mandato pareant, nec in urbe sua quemlibet eorum recipiant quos Apuliæ Capitaneos idem prefecerat. Comites etiam aliique viri nobiles, quibus præcipuè Majonis erat suspecta potentia, consilio super hoc habito sibi invicem juravere, quod Majonis mortem totis viribus totoque studio perquirerent, neque parerent deinceps curiæ, aut ab ea societate discederent: nisi prius illum, aut interfectum esse cognoscerent, aut extra regnum fuisse; idemque jusjurandum proposuerant, per totum Regnum, vel à spontaneis accipere, vel ab invitis nihilominus extorquere. Jamque multæ civitates

Masmudiis Africa tradita.

Alexander Pap.

Childericus stupidus Regno Franciæ ex actus coactus se monachum profiteri cujus loco favore, & beneficio Papæ Rom. Pipinus est insitus. Anno salut. humanæ 750. & regni Franciæ 331.

Melfenses in Majonem rebelles.

tes oppidaque quamplurima eorum se societati conjunxerant. Circuibant ergo totam Apuliam, ac Terram Laboris cum ingenti militum multitudine, ut universos sibi jurare compellerent. Erant autem in ea societate Comes Jonathas, Comes Richardus de Aquila, Comes Rogerius Acerianus, aliique Comites, ac potentes viri: cum quibus erat, & Comes Gilbertus consanguineus Reginæ, cui Rex nuper ex Hispania vocato Gravinæ dederat comitatum. Marius quoque Burrellus vir eloquentissimus Salerni habita oratione ad populum, satis efficaciter peroravit, maximæque parti civium persuasit, ut Comites reciperent, in eumque modum quo & ipsi juraverant Sacramentum eis præstarent. Per idem tempus Andreas de Rupe Canina, qui tunc in Campaniæ partibus exulabat, videns tanto schismate Regnum distrahi, congregatis militibus Aquinum cepit, oppidoque Sancti Germani, quod Cassino Monti subjacet, occupato, dehinc Aliphias usque pertransiit. Sed paulò post ab eisdem civibus, qui eum sponte receperant circumventus, cum paucis militum suorum vix evasit, tutiusque potuerat urbes hostium expugnare, quàm expugnatas deserere. Interim dum in hunc modum Apulia turbaretur, adhuc Sicilia quiescebat, nec ullis agitabatur tumultibus. Licet enim utraque gens infida, mobilis, proponaque sit ad quodlibet facinus perpetrandum, Siculi tamen cautius dissimulando celant propositum, & quos oderunt blandis adulationibus demulcent, ut improvisi lædant atrocius. Sed nec in Sicilia quenquam Admiratus relinquerat, cui ad audendum animus superesset. Nam Comes Silvester hominum timidissimus, quanquam Apulorum consilium approbaret, quibus etiam sese modis omnibus spoponderat futurum auxilio, suam tamen nullis audebat indiciis detegere voluntatem. Comes etiam Rogerius Creonensis, cujus filiam Majo virginitate privaverat, injuriam suam patienter dissimulans, vindictam Apulis reservabat. Admiratus ubi contra spem suam animadvertit Comitum vires in immensum excrescere, primùm Amalfiam, Surrentum, Neapolim, maritimas civitates, quæ nondum defecerant: dehinc ex altero mari, Tarentum, Hidruntum, Brundusium, Barolum, literas ex parte Regis transmisit, admonens ut nullis moverentur rumoribus, neque falsis Comitum vanisque sermonibus crederent, aut se proditorum turbæ miscerent. Sed eo res devenerat, ut Regis literas nemo susciperet, dicebatur enim per manus proditoris eas fieri, neque regis in eisdem, sed Majonis exprimi voluntatem. Stephanum quoque fratrem suum, qui militibus in Apulia præerat, ut Comitis Roberti crebros impetus sustineret, sæpius admonens hortabatur, ut amplioribus stipendiis militum sibi mentes alliceret, eosque tam muneribus, quàm promissis ad resistendum Comitibus invitaret. Nam Symonem Seneschalcum in quoddam munitissimum oppidum se receptare Comitum timor compulerat. Placuit etiam Majoni Mazariensem Episcoporum Melphiam mitti legatum, ut civium animos mitigaret, & eorum indignationem compesceret. At ille non solum ab incœpto Melfenses revocare non studuit, verum etiam amplius eorum mentes exasperans, plura de proditione Majonis, & atrociora quàm audissent eis narravit. Sed & Calabria jam ingruentibus Apulæ procellis quati cęperat, cujus antea fides difficillime consueverat vacillare. Ea res Admirato plurimum terroris attulit, visumque est mature

Conjurati in Majonem.

Andreas de Rupe Canina.

Comes Sylvester.

Rogerius Comes Creonensis.

Stephanus Stolii Admiratus frater Majonis.

Symon maritus sororis Majonis.

re

re talem eo mitti oportere legatum, cujus facile persuasionibus fides habeatur à Calabris. Huic autem legationi neminem magis, quam Matthæum Bonellum putabat posse sufficere. Nam & genere nobilissimus, integræque apud omnes opinionis erat, & eum plerique nobiles viri Calabriæ propinquitatis linea contingebant; sed & eum Admiratus non aliter quam filium diligebat. Videns enim eundem adhuc ætate juvene, ut qui prima lanugine genas vestiret, summe nobilem forma pulcherrimum corporis præstantem viribus, ultra quam id ætatis exigeret, optimam quoque terram in Sicilia possidentem, filiam suam adhuc parvulam illi desponderat. Idem verò militibus multa largiens, omnibusque se præbens affabilem, & in equestribus ludis, quæ vocant hastiludia, nemini posthabendus militum sibi gratiam, magnumque oomen pepererat. Cæterum inconstans erat animo, facilis à proposito resilire: quod persuasum esset audax promittere, ubi ad rem ventum erat, tepidior. Is autem cujusdam filiæ Regis Rogerii spuriæ, quæ Hugonis Comitis Molisini uxor fuerat, forma captus, desponsatæ sibi puellulæ, eo quod ignobilis esset, cœperat nuptias abhorrere. Sed & hoc molestissime ferebat, quod Admiratus re cognita palatium ejusdem Comitissæ diligentius custodiri præceperat, utriusque votum impediens. Cui igitur legatione suscepta Pharum transisset, & quibusdam potentibus viris Calabriæ, qui ad loquendum ei convenerant, adventus sui causam exponeret, Majonis innocentiam modis omnibus asseverans, Rogerius de Marturano, qui tunc in Calabria magni nominis erat, omnium qui aderant vice respondit, satis superque se mirari, quo consilio ad id temeritatis devolvi potuerit, ut nefandissimi proditoris mandatum exequens, contra omnium opinionem eum ostendere velit innoxium, adeoque causam Admirati tuendam susceperit, ut ejusdem conspirationis non immerito particeps æstimetur. Nam alios inquit Majonis deliramenta sectari, ejusque negociis, ac sceleribus immisceri æquiore tulerim animo, nec tanta dignum admiratione crediderim. Quosdam enim tenue patrimonium, & rei familiaris angustia cogit honestatem negligere, dum suam quolibet pacto tolerabilem faciant egestatem. Alios obscuritas generis altum aliquid sperare non finit, eoque miseriæ traducit, ut potentioribus adulando deserviant, summam beatitudinem æstimantes, si possint vel nobilium pedibus inhærere, eoque pacto quibuslibet se non vereantur objectare periculis, nec ullius reatum sceleris pertimescant. Differunt item ab his, sed non dispari laborant insania: qui cum ignobiles sint, nullaque genus virtute rediment, sublimia tamen sperare præsumunt, potentium virorum patrocinia multis ementes periculis, ut abjecti generis possit ignominiam diffiteri. Plerique nobiles criminosis actionibus bonam famam demeriti, fas & nefas æqua lance trutinant, nihil se deinceps sperantes acturos, quo possint semel inflictam notam infamiæ propulsare. Nonnulli quoque de proditorum semine procreati, patrum eligunt sequi vestigia. Ejusmodi quidem homines haud indigne ferendum est Majonis parere mandatis, ejusque limina frequentare. Te verò summæ nobilitatis, & integerrimæ famæ juvenem amplissimis ditem patrimoniis, nulla permittit ratio lucris turpibus inhiare. Præ oculis habe, qui te parentes genuerint, & omnem tibi delinquendi viam obstructam intelligens, aspernandique sceleris necessitatem in di-

Calabris Matthæus Bonellus amicissimus Majoni.

Hastiludia ludi equestres.

Rogerii Marturani prudentissima responsio ad Bonelli legationem.

dictam. Certe si neminem videres proditoris hujus obviare sceleribus, tu saltem nobilitatis, quam idem atrocissime persequitur, vindex esse debueras. Nunc autem cum omnes adversus eum unanimiter moveantur, tu solus eundem prædicans innocentem? Cujus dum asseris innocentiam, suspectum te facis: verendumque tibi ne famæ dispendium, ac læsionem incurras. Quis enim eo putandus nocentior, qui bonorum omnium sanguinem sitit, qui nemini nocet, nisi quem innocentem cognoverit: qui demum ei fraudulenter quærit regnum subripere, per quem in hanc eminentiam potestatis evasit? Tu consilium hoc innocentiam vocas, tu propositum hoc approbas, tu Regem occidi consentiens, aut honore privari cum ei Sacramento sis fidelitatis astrictus, aut eo deposito notarium hunc regem fieri dudum olei venditorem? At eo regnante secundus eris à Rege, summis fulgebis honoribus, optio tibi dabitur quem velis comitatum eligere. Sic tibi jam nisi fallor de futura prosperitate blandiris. O perditissimi virum ingenii; puta jam regem depositum. Quid ergò? Majonem regnaturum existimans? Eadem certe die qua regnum occupaverit, cum omnibus his, qui ejus familiaritati adhæserint, & si ferrum nusquam compareat, saltem lapidibus obruetur. Adde quod unus es in Sicilia cui virtutis aliquid vendicetur; te solum omnes respiciunt. Quicquid egeris, obscurum esse non potest. Eligere virtutem tuam malis, an scelera publicari. Pudeat te quidem omnium expectationem deludere. Pudeat inter primæ juventutis auspicia malarum artium rudimenta suscipere. Aspernare socerum, cujus affinitatis contagio tua sit nobilitas polluenda. Respue si sapis uxorem liberos tibi parituram degeneres, prolemque generis biformitate patri dissimilem. Adquiesce tandem amicorum consiliis, & ad communem omnium vindictam accingere, teque pariter & id nobilitatis quod superest, in libertatem vindica, nec patere truculentissimam hanc belvam in nostram perniciem diutius debacchari. Experiatur certè virtuti, licet innumeris eam persecutionibus oppressam attriverit, ad vindictam tamen scelerum audaciam, & ultores gladios non deesse. Regis quidem ipsius incolumitas, regnique salus, ac libertas in manibus tuis est. Nam cæteris omnibus hujus tam præclari facinoris impotentia condemnatis, tantæ laudis cumulum fortunæ tibi benignitas reservavit. Nec ad id cujuslibet procrastinationis dilatio necessaria est, aut temporis opportunitas expectanda. Adeò enim suis te fraudibus ac dolis circumventum existimat, ut neminem alium putet jam familiarius admittendum. Sive igitur eidem armatus, sive inermis, solus, an militum multitudine stipatus occurras, nihil ex hoc ei timoris, nihil suspicionis innascitur. Unde & eum secure potes ubicunque libuerit obtruncare. Quo semel occiso, nihil tibi verendum est, ne quempiam ad vindictam sui superstitem derelinquat. Age ergo juvenis enitere, ut gradum hunc felicitatis attingas; quo te virtus vocat sequaris intrepidus, nec poscenti fortunæ tuum deneges obsequium. Quod si te facturum non dubia nobis pactione spoponderis, præter eam quam inde consequeris immortalem gloriam, non deerit etiam mutua, grataque meriti compensatio. Nam id modis omnibus perquiremus, & impetrabimus, ut Comitissa Catacensis matrimonii tibi fœdere conjungatur, & omni dubietatis sublato scrupulo, hujus te pactionis reddemus certissimum, seu jurisjurandi religione malueris esse

Erotema per anaphoram; asyndeton, ut sit acrior oratio.

Comitissa Catacensis.

esse contentus, seu quolibet alio satisdationis genere tibi prospici endum esse putaverimus. Quantum autem eadem Comitissa nobilitate tibi præemineat, quàm potentium virorum nuptias recusaverit, non attinet dicere, cum nihil horum tibi putem incognitum. Hæc eo dicente, cœperat jam animus juvenilis ut facile movebatur amore laudis, accendi, ipsiusque Majonis detestari scelera, jamque ejus affinitatem plurimum abhorrebat: quadam tamen adhuc velut hęsitatione suspensus. Mox autem dum paulisper secum deliberans, hinc desponsæ sibi virginis genus obscurum, patris ejus infamiam, & quod ei periculum imminebat, inde pactas sibi Comitissæ nuptias animo metiretur, puduit eum super hoc hæsitasse, cœpitque in eodem proposito plenius roborari. Nec diutius moratus, Rogerius de Marturano aliisque qui aderant nobilibus viris respondit ea se quæ persuaderent confidenter ausurum, plenaque peracturum fiducia, si pactioni starent proposito. Sic ubi visum est utrique parti nihil eorum penitus quæ promiserant immutare ipsaque etiam postmodum Comitissa, necnon & ejus propinquis prædictum fœdus matrimonii ratum habentibus: utrinque præstito sacramento pactum ipsum mutuo roboratur, mortique Majonis terminus certus præfigitur. Additque etiam Mattheus Bonellus, si temporis interim occurrat opportunitas, nequaquam id sibi esse animi ut præfixam diem expectet, nec per se staturum quin illud quàm mature possit perficiat. Nec minus alibi quoque fortunam tantis Admirati fatigatam successibus, jam ab ejus obsequio descivisse perciperes. Cum enim instaret jam dies quem interficiendo regi idem providerat, placuit ei cum Archiepiscopo secretum habere colloquium. Cumque de rege maturius amovendo, de sedandis populis motibus, Regnique statu mox futuro deliberantes invicem disceptarent, suborta est inde controversia de thesauris, ipsiusque Regis filiis utrius deberent custodiæ committi. Dicebat enim Admiratus puerorum tutelam ac thesauros, totumque palatium sibi debere committi, quoniam oporteret Regni negociis insudare, maximèque thesauros necessarios esse ad tumultus rebellantium comprimendos, & arcendos exterorum incursus hostium: nec sine magnis sumptibus emersuras dissentiones, & intestina bella, posse compesci. Archiepiscopus autem ajebat id se nunquam passurum: nam ex ea puerorum tutela plurimum posse suspicionis innasci, maximeque roborari pręcedentem plebis opinionem: tunc omnes fore certissimos nihil illum aliud quam regnum appetere: tunc adversus eum modis omnibus asperandos. Suspectum enim tutorem pueris dari nec jura permittere, & si datus sit, removendum censere. Sanius autem esse consilium, ut Archiepiscopis, Episcopis, aliisque venerabilibus, & Religiosis personis, de quibus nulla posset haberi suspicio, puerorum ac thesaurorum custodia crederetur. Nam & reditus totius regni sumptibus faciendis suppetere: & si necessitas exigeret, ab ipsis eum thesaurorum custodibus quantum sufficeret accepturum. Sic igitur alternis disceptationibus ea controversia diutius protracta, cum Archiepiscopo à prędicta non posset avelli sententia, eademque Majoni penitus displiceret: quippe quem suis noverat machinationibus obviare, tandem iratus subintulit non ita se de Archiepiscopo meruisse, ut suo debuerit adversari proposito: sed nunc compensationem sibi mutuam reponi, quod eum sola gratia socium, & consilii participem ascivisset, cùm ejus non indigeret auxilio,

Bonellus spondet se Majonem interfecturum.

Disceptant Majo, & Archiepiscopus Panormitanus.

lio, & eo quidem ignaro, aut etiam reluctante facile posset quod profuerat adimplere. Verum hanc ad præsens nihil obfuisse discordiam: nec enim esse jam dubium quid in tali socio spei sibi debeat reservare. Preterea jam se pœnitere propositi, animumque suum ab incœpto penitus avertisse, nec unquam deinceps tale quidpiam admissurum. Tunc Archiepiscopus licet hæc eum ex animo dixisse non crederet, optimum quidem ait & satis approbandum consilium: nam & me quoque facti deterret atrocitas, nec absque salutis & famę nostrę periculo posset hoc fieri. In hunc modum contractæ dudum societatis fœdere dissoluto, Majo discessit, totis jam se nisibus præparans ultioni. Ac primo quidem erga socium ita Regis animum spe lucri, ut erat cupidissimus, irritavit, ut septingentas ab eo auri uncias extorqueret. At ille quanquam ejusmodi jactura satis efficaciter ad doloris eum impatientiam permovisset, pudore tamen & indignitate rei vehementius exæstuans, totum ad ejus rei vindictam ingenium transtulit. Cùmque prius tanto pacis ac dilectionis fœdere tenerentur astricti, ut se fratres invicem appellarent, nunc hostes atrocissimi, sed occulti in exitium suum plenis operabantur affectibus, non jam fortunas alter alterius petituri, sed vitæ dispendio, pœnęque capitis imminentes. Admiratus enim pestifera veneni potione meditabatur illum extinguere, ad idque locum ac tempus prestolabatur idoneum. At ille detestabile Majonis facinus tam per se, quàm per familiares suos multis detegens, ad vindictam eos tanti sceleris hortabatur, & jam conceptum de se suspicionem removens, adversus illum plebis animos irritabat, multos etiam milites ac nobiles viros plurimis sibi persuasionibus alliciens. Sub ea tempestate Nicolaus Logothetus, qui tunc in Calabriæ partibus jussu curiæ morabatur, Majoni scripsit epistolam, ubi quicquid à Matthęo Bonello gestum fuerat, pactaque inter eum, & Comitissam Catacensem habita, prout relatu didicerat amicorum, breviter enarravit. Ea res primo dubiam viri mentem longa deliberatione suspenderat, nec dum fide dignum censebat eum suis refragari consiliis, quem summa promotum diligentia tanquam filium educarat. At ubi multis id asserentibus pleniorem fidem adhibuit, jam de vindicta secum deliberans, ad id operam dabat, ne factum hoc impunitas sequeretur. Matthæus autem Bonellus ita re gesta, reversus in Siciliam jam Thermas pervenerat, quod oppidum ab urbe Panormo xx. milibus distat. Ibi quendam militem suum obvium habens, quem in Calabriam profecturus Panormi reliquerat, mentem ac propositum Majonis ejusdem persensit indicio, quòdque jam sibi venturo carcerem præpararet. Et quanquam Admirati literis crebrius citaretur, nec longam temporis angustia deliberationem admitteret, prudenti tamen consilio statuit non prius Thermis abscedere, quem missis nunciis animum illius pręleniat. Literis ergo Majoni directis narrat opera sua sedatos esse Calabriæ tumultus: Calabros omnes de inimicis amicissimos ei factos, & ad peragendum quicquid injunxerit expeditos, nihilq; jam aliud quam ejus imperia præstolari. Additque suam ipsius fidem hac in re maxime satis abundeque spectatam, qui tanto studio tantaque sollicitudine negocia gesserit Admirati, licet semper ejus nihilominus voluntati diligentissime fuerit obsecutus, suæ per omnia jussioni deserviens, ea spe quidem ac fiducia, ut quem suis videret insudare negociis, eum ampliori benevolentia, crederet amplectendum, pactasque sibi filiæ nu-

Odium inter Majonem, & Archiepiscopum.

Nicolaus Logothetus Majoni scripsit de Bonello.

Thermæ oppidum.

Bonelli literæ ad Majonem.

nuptias non differret; verum hoc in contrarium cessisse. Nam pro gratia potius ingratitudinem compensationis vice sibi repositam, jamque se longa promissionis expectatione suspensum diutius cruciari, suoque fraudari desyderio. Nunc id se rogare, id plenitudine votorum exposcere, ac per si quid de eo bene meruerat obtestari, ut qui timorem ejus in gaudium commutasset, qui timendum ac triste belli principium ad lætos exitus perduxisset, eum redeuntem promissi conjugii lætitia muneraret. Has igitur literas Admiratus inspiciens familiaribus suis eas ostendit, illisque præcipue qui adversus Matthæum Bonellum ejus indignationem commoverant, dicens palam esse nunc eorum falsitatem, quæ sibi dicta fuerant: iniquum esse tanti criminis eum argui, qui filiæ suæ nuptias tanta præ se tantisque votis expeteret, nec se deinceps crediturum si quis de eo mali quippiam sibi suggesserit. Dehinc illi quam maxima celeritate rescribit, uti securus veniat, & conceptam deponat sollicitudinem: suo quamprimum venerit satisfactum iri desyderio, eumque nuptias quas tam affectuose postulaverit, adepturum. At ille visis ejusmodi literis, tamquam ea nuptiarum promissione lenitus, læta fronte Panormum ingreditur: ibique ab Admirato benigne & cum honore susceptus, gratias ei agit, rogatque ut promissionem suam celeri prosequatur effectu. Hinc Archiepiscopum febribus laborantem secretius adit, eique quod gestum fuerat totum expediens, ab eodem plurimum admonetur, ut omnibus modis acceleret, & dilationis impedimentum omne submoveat: rem enim tantam non sine periculo jam differri. Interim ergo Matthæus Bonellus perpetrando facinori tempus idoneum sollicite perquirebat, sed & huic ejus sollicitudini fortuna non defuit, quæ quasi pœnitentia ducta, quod virum ignobilem tantis horrendum flagitiis in summo fere rerum culmine collocasset, jam ei præcipitium minabatur, & volubilis circuli super eminentiam sensim detrudens ad infima, circumductis anfractibus rotam cœperat obliquare. Cum enim jam Admiratus ipsi Archiepiscopo per manum cujusdam familiaris sui, quem donis ac promissis allexerat, venenum propinari fecisset, mirabatur eum tardius mori, diuque languere: & curis ingentibus angebatur, timens ne forte posset sanitati restitui. Idque ex impotentia veneni prævidens accidisse, præparat aliud multo vehementius ad nocendum & amplioris malitiæ. Quod secum deferens die quadam circa horam undecimam, Archiepiscopum invisit, eique assidens primo de valetudine ejus interrogat; inde subjungit, eum facile, si consilio amicorum crediderit, evasurum: rogatque ut faciem & expertissimam ad hoc genus ægritudinis medicinam accipiat, quam ipse in præsentia sua diligentissime fecerat præparari. Ad hæc Archiepiscopus tantum se jurat pati fastidium, tanta membrorum debilitate vexari, ut neque sine magno periculo corpus ita debile possit amplius inaniri, & ipse quamlibet medicinam solo visu abhorreat, sed & cum summa difficultate cibos accipiat. At Majo ne videretur importune instare, eoque ipso suspectus fieret, præparatam jubet potionem in diem aliam reservari: dehinc illi familiarius assidet, & blande super hoc eum redarguens, hortatur ne consilium amicorum tam negligenter audiat, neque suæ semper obtemperet voluntati, cum sciat eam esse legem ægritudinis, ut animus nociva frequentius appetens, ea quæ prosunt nihilominus aspernetur: vim sibi si sanari desyderet, aliquoties faciendam: sequ

Majo Bonello rescribit.

Bonellus Panormum redit.

Venenum Archiepiscopo Panormitano propinatum.

Majo invisit Archiepiscopum ægrotantem.

de illius ut propria salute, jurat perinde esse sollicitum; nam siquidem eum mori contigerit, nescire se quid deinceps sit acturus, quo se vertat, quam expetat societatem, cujus fidei se committat; nihil enim in alio quoquam spei aut fiduciæ sibi repositum. At ille gratias ei referens, impotentiam suam excusat, fidemque laudat amicitiæ. Ad singula prolixius respondendo, aliisque insuper de rebus verba multiplicans, mittit ilico qui Matthæo Bonello dicat, ut siquidem vir est, nunc accelerет, & ad peragendum quod promisit viriliter accingatur, milites suos occulte faciat armari, armatos congruis ipse disponat in locis: interim se Majonem variis sermonum ambagibus detenturum. Matthæus ergo Bonellus prout ei imparatum fuerat, in secretiore domus parte militibus convocatis, rem eis totam exponit, paucisque admonet, ut audaci fortique sint animo, sine metu, sine periculo facillime posse rem fieri. Sive enim nesciens hoc sibi periculum imminere securus exierit, non esse dubium quin omnis ei fugiendi aditus obstruatur, sive re cognita timens exire, aliud quicquam machinari voluerit, itidem eum in ipsis ædibus nihilo segnius obtruncandum, nec ei deliberandi spacium indultum iri. Nec verò longis erant persuasionibus onerandi, quos ad id perpetrandum & sacramentum astrinxerat, & Majonis dudum inflammaverat odium, & lucri spes vehementius accendebat. Inter hæc occasui solis jam succedente crepusculo, totam urbem subitis incertisque rumoribus videres attonitam, civesque hinc inde turmatim dispersos incedere, & quidnam esset rumoris quod urbem repente sic attonuerat, à se mutuo sciscitari. Alios autem obstippo quidem capite, sed arrectis auribus per plateas urbis conventicula facientes, varias super hoc dissonasque proferre sententias. Plurimorum tamen circa id versabatur opinio, ut Majonis instinctu Regem ad Archiepiscopum ea nocte venturum, in ipsaque via crederent occidendum. At Matthæus Bonellus ubi videt militum sibi promptam audaciam non deesse, Majonem ab Archiepiscopo satis commode detineri, noctem interim nihilominus opportune suas mundo tenebras injecisse, primum in via Cooperta ab eisdem Archiepiscopi ædibus ad palatium Regis protensa, qua Majoni fuga sperari poterat, plerosque militum per congrua loca disponit: dehinc eam qua transiturus erat occulte præmunit insidiis, ac sic ubi forte per venulas ut vulgo dicitur, in vias alias lateraliter effluebat, easdem militibus suis provide distribuit observandas; turbæ quoque quæ Majonem sequebatur, quosdam suorum præceperat immisceri. Ipse cum paucis ad portam sanctæ Agathes exeuntem prevenire constituerat Admiratum, eumque locum putabat opportunum insidiis, eò quòd ibi via plurimum coarrata, deinceps sese dispergebat in trivium, & præcedentis culpam angustiæ, dilatatione prodiga redimebat. Itaque ubi jam Admirato visum est re parum bene gesta discedere, jubet Archiepiscopus fores diligentissime quamprimum exierit obserari. Cum igitur Episcopo Messanensi qui ejus lateri adhærebat colloquens, prope locum insidiarum, in viæ jam angustias incidisset, subito Matthæus Notarius ejus familiaris, & Adenolfus Camerarius vix sequentis turbæ multitudinem transeuntes, ad eum perveniunt, ejusque auri immurmurant, Matthæum Bonellum cum plerisque militibus armatis visum esse in insidiis, ipsumque ab eodem sicut audierant debere interfici. Tunc Majo stans ac subiti mali rumore turbatus, Matthæum Bonellum ad se

Accersitur Matthæus Bonellus ad interficiendum Majonem.

Insidiæ in Majonem.

Vel cubicularius.

se præcipit accersiri. At ille sentiens se vocari, suaque Majonem jam non latere consilia, prosilit ex insidiis, strictoque gladio terribilis ei repente supervenit. Et ecce inquit, adsum, ò proditor pessundatæ nobilitatis ultor vel serus, ut nefandissimis sceleribus tuis modum imponam, unoque semel ictu in te tam Admirati quam Regis adulterum nomen abradam. At Majoni cum nec orandi veniam indulgeretur spacium, nec in extremo tamen vitæ discrimine fatigatum defecit ingenium. Nam in alteram partem defluens, & sublati ensis ictum evasit, & ferientis violentiam in irritum aliorsum reflexit. At ejusdem fortius redeuntis impetum evitare non potuit, acceptoque letali vulnere ad terram corruit moribundus. Hi verò qui sequebantur eum, subito disparentes, qua quisque potuit aufugerunt. Matthæus Notarius vir inter noctis tenebras graviter vulneratus evasit. Matthæus ergo Bonellus, ejusque comites ita re gesta, timentes Panormi diutius immorari, cum incertum haberent quo id factum animo Rex erat accepturus, ipsa nocte Cacabum quoddam ejus oppidum devenerunt. Tota verò civitas quæ prius ambiguis erat suspensa romoribus, proditoris morte cognita, sic exhilarata est, ut tunc primum in Majonem plebis odium appareret. Nam alii cadaver in media via projectum pedibus conculcabant, alii barbæ pilos protervius evellentes, ejus faciem conspuebant; nec verò deerant qui Majonem putarent adhuc vivere, tantique virum ingenii nunquam adeo consilii fuisse inopem, ut sic interfici potuisset: eum autem qui jacebat exanimis, aliquem ex militibus suis fuisse assererent. Eadem nocte Rex insolitum è palatio vulgi tumultum audiens, mirabatur quid in urbe turbinis accidisset, vidensque Odonem Magistrum stabuli, qui ob id ipsum nunciandum ad palatium accedebat, rem ab eo totam edidicit, indignatusque est plurimum tam audacter id injussu suo quempiam præsumpsisse. Nam & si contra regiam majestatem Admiratum aliquid machinari constaret, ad se tamen primo referri debuisse, sibique reservari vindictam. At Regina mortem Majonis multo molestius, nec adeo patienter audivit, & in Matthæum Bonellum ejusque socios majori quidem impetu indignationis exarsit. Interim ergo ex mandato regio delecti sunt qui civitatem tota nocte pervigiles circuirent, ne forte ex ea occasione inter cives seditionis aut discordiæ quidpiam oriretur. Plerique etiam domus Admirati custodiæ delegati. Propinquorum enim & affinum ejus domos, quia facile plebs inhiberi non poterat, permissum erat licite depredari.

Bonellus ad Majonem.

Cædes Majonis à Matthæo Bonello.

Cacabum oppidum.

Mors Majonis Regi nunciatur.

Regina gravissime dolet mortem Majonis.

Sequenti die Rex Henricum Aristippum Archidiaconum Cataniensem mansuetissimi virum ingenii, & tam Latinis quàm Græcis litteris eruditum, familiarem sibi delegit ut vicem & officium interim gereret Admirati, præessetque Notariis, & cum eo secretius de regni negociis pertractaret. Cum igitur hic & Comes Sylvester Admirati dolos ac propositum Regi plenius indicarent, & erga Matthæum Bonellum tentarent ejus animum mitigare, nullis tamen assertionibus illius indignatio poterat emolliri, nisi quòd in Thesauris Majonis regia quædam inventa diademata, scelerum ejus fidem fecere, tandemque Rex se deceptum non dubiis comperit argumentis. Eadem ergo die capti sunt Stephanus Majonis filius, ejusdemque frater Stephanus, uterque Admiratus, cum Notario Matthæo qui plurimum illi familiaris extiterat. Thesauris autem ejus quotquot inveniri potuerunt, ad curiam

Henricus Aristippum Admirati vices gerit.

Comes Sylvester.

sine

sine dilatione translatis, cum Andreas eunuchus ac plerique alii tortoribus traditi cogerentur indicare quicquid de rebus Majonis scirent, vel alicubi secretius occultatum, vel apud amicos depositum, multaq; eorum indicio fuissent inventa, tandem Stephanus ejus filius multis terroribus & minis adactus, jurabat se nihil amplius scire quod curiam super hoc edoceret, nisi quod olim patrem ut sibi videbatur dicentem audierat, Episcopum Tropeensem ab eo depositi nomine prope trecentas auri uncias accepisse. Episcopus ergo vocatus ad curiam jussusque reddere prædictas uncias auri, quas apud eum Majo deposuerat, respondit plura se quàm peterent redditurum, domumque reversus septingenta milia Tarenorum hostiariis qui cum eo missi fuerant assignavit. His ita gestis missi Cacabum legati, qui Matthæum Bonellum accersirent, Regemque nunciarent Admirati mortem post comperta ejus scelera lætis auribus accepisse, præstitoque etiam Sacramento metum omnem ac periculi suspicionem excluderent. At ille quanquam ejusmodi jurijurando parum crederet, sciens tamen Regem in se nihil ausurum, tum ob favorem plebis, tum quia Comites omnes qui ob id ipsum rebellaverant, totamque Calabriam sperabat sibi futuram auxilio, cum universis militibus suis Panormum securus accessit. In ingressu verò civitatis plurima tam virorum ei quàm mulierum turba obviam exierunt, cum ingenti eum gaudio usque ad portam palatii prosequentes. Ibi benignè susceptus est à Rege, & in ejus gratiam integre restitutus. Dehinc à majoribus curiæ sub eadem est frequentia plebis domum suam perductus, Eo igitur tam famoso facinore Matthæus Bonellus non solum in Sicilia, verum trans Pharum quoque per totam Calabriam, Apuliamque, ac Terram laboris adeo sibi plebis nobiliumque mentes allexerat, ut ejus universi virtutem & audaciam laudantes extollerent, nec in remotissimis quoque regni partibus ejus ad quenquam inefficaciter literæ pervenirent. Comitesque ipsi ac civitates Apuliæ cum omnibus qui eis confœderati erant, rebellandi jam causa sublata, ejus deinceps voluntatem & consilium expectabant. In Sicilia verò Panormique maximè totus jam apertè populus conclamabat, quisquis Matthæo Bonello nocere tentasset, hostem eum publicum judicari, seseque etiam adversus Regem, siquidem ob Admirati mortem in eum severius animadvertere præsumpsisset, arma sumpturos. Nam ei debere omnes obsequi, qui publico regni sublato periculo, libertatem omnibus reddidisset. At Eunuchi palatii quibus flagitiosus animus ac scelerum conscientia potentiam illius suspectam fecerat, eo quòd & ipsi machinationum Admirati conscii fuissent & participes, ad id operam dabant ut adversus illum Regis indignationem & odium concitarent. Itaque Reginæ ipsius freti consilio, solicitudinis suæ Regi causas aperiunt, asseruntque non negligendum ejus capiti nisi mature præcautum fuerit, periculum impendere. Nam Matthæum Bonellum ob id quod ei nuper acciderat, in tantam elatum superbiam, ut neminem sibi jam in regno viribus vel potentia parem existimet. Cumque quadam ductum temeritate totum ad se videat populum confluentem, virosque etiam nobiles suis per omnia parere consiliis, & jussionibus obsequi, nihil eorum quæcumque animus imperaverit putet illicitum, nec à plebe solum, verum & ab ipsis curiæ magnatibus eandem sibi velit reverentiam exhiberi. Interim eum sibi omnes astringere Sacramentis, & ignotis pa-

Stephanus Majonis filius.

Episcopus Tropeensis.

Matthæus Bonellus venit Panormum.

Eunuchi calumnias struunt in Bonellum.

pactionum fœderibus obligare. His accedere quòd universi Transpharirini proceres, quibus hoc ipsum desperationem incusserat, quòd eatenus Regem offenderant, ut eum sibi crederent implacabilem, literis suis juvenilem animum crebrius hortabantur, ut siquidem plenam consequi gloriam affectabat, si nulli deinceps subjacere periculo, eniteretur quatinus integram & regno libertatem, & sibi securitatem acquireret, quam adipisci Rege vivente non poterat, neque fallaci curiæ promissione seductus, æstimaret eum tam facile sibi placatum, cui manum dexteram amputasset. Sic enim Regem opinari, sic dicere interfecto Majonem manu se dextera mutilatum. His ergo persuasionum stimulis avidum gloriç juvenem plurimũ incitatum, promptumque audere & experiri omnia, & nisi citius ejusmodi consiliis provide fuerit obviatum, quocunque fervor animi, & juventutis impetus eum traxerit, facile secuturum, nulloque coercendum metu perjurii. Satis quippe vecordem esse & improvidum, quisquis existimet fidem eum cuipiam servaturum, qui tam jusjurandi quàm affinitatis jure posthabito, socerum suum, quem vice patris habuerat, cujus etiam opera patrimonii sui restitutionem impetraverat, tantis ingratus beneficiis prodiderit, interfecerit innocentem: falsum enim quicquid ipse cædisque factæ socii adversus Admiratum confinxerant: nec illum inventa in thesauris ejus diademata sibi præparasse, sed Regi, ut eadem in Calendis Januarii strenarum nomine juxta consuetudinem ei transmitteret: verum nunquam ob id solum à Matthæo Bonello tot contracta fœdera, tot societates initas, ut Majonem interficeret. Aliud eum majus ambire, altiusque fovere propositum, ad quod ejusmodi principio viam sibi commodè censuerat præparandam. Hæc & hujusmodi plurima sæpissimè Regis auribus inculcantes, id effecerant, ut neque jam Matthæum Bonellum inter familiares admitteret, neque Majonem ob aliam causam ab eo crederet interfectum, nisi ut communicatum cum quibusdam proditoribus de morte sua consilium, liberius posset compendiosiusque efficere. Sed hujus rei vindictam vix jam, ut erat ad puniendum facilis, moras sustinens, in tempus congruum necessario differebat, dum populi tumultu composito, novitatis fervor & impetus quievisset. Interim tamen ix. milia Tarenorum, tam ab eo quàm ab illis, qui pro ipso fide jusserant repeti jubet, quos idem olim ut patrimonium suum reciperet, curiæ spoponderat se daturum; eorum autem solutionem Admiratus genero parcens ignorante Rege distulerat. Itaque Matthæus Bonellus ex improviso repentina debiti veteris exactione pulsatus, simulque videns solito rarius ad curiam se vocari, neque jam ubi solebat admitti, mirabatur quid hoc novitatis portenderet. Sed & hoc ejus animo non parum metus ac suspicionis injecerat, quod Adenolfum camerarium plurimum posse videbat in curia, qui summum amicitiæ locum apud Majonem obtinuerat, & tam hunc quàm alios hostes suos audacius atque apertius in se odium exercere, eo quod eum Archiepiscopi viderent ope, & consilio destitutum, qui diuturna fatigatus ægritudine nuperrime mortem objerat. Hæc autem omnia non sine consensu Regis existimabat fieri, nec unquam viros ejusmodi adversum se quicquam ausuros, nisi Regis animum erga se crederent immutatum. Nam eò furoris, & audaciæ ventum erat, ut Philippus Mansellus nepos Adenolfi cum militibus armatis viam Marmoream noctu perambu-lans

Adenolfus Majonis amicus Regisq; cubicularius.

Mortuus Archiepiscopus Hugo.

Philip. Mansellus nepos Adenolphi.

lans, à plerisque visus fuerit domum Matthæi Bonelli tardius pertransire. Quod ubi Matthæo cognitum est, sequenti nocte militibus suis armatis primum circa domum suam per congrua loca disponens insidias, reliquos militum præcepit per viam Coopertam usque ad portam Galculæ replicato frequenter itinere transeuntes, ante domum Adenolfi morari diutius, sperans ita Philippum posse & ejus milites, siquidem ea nocte sicut in præcedenti exierint, vel ab istis per viarum transitus inveniri, vel ab illis qui in insidiis erant intercipi: simulque ut ostenderet eorum se non ignorare consilia, neque sibi militum deesse copias, aut virtutem, ut eos posset ad unum omnes delere, nisi Regis timor ejusmodi facultatis licentiam refrenaret. Sic mediam fere noctem ducentes insomnem, demum infecto negocio redierunt. Matthæus autem Bonellus cum his atque aliis pluribus rerum indiciis voluntatem ac propositum Regis agnosceret, aliter interim sibi providendum existimans, nondum deliberandi libertate sublata, Matthæo de Sancta Lucia consobrino suo, & quibusdam aliis nobilibus viris Siciliæ qui literis ejus citati Panormum convenerant, omnia pandit ordine quæ sibi acciderant; quodque hostes sui cum eunuchis societatem inierant, ut in se Regem exasperent, eosque facile quod voluerint effecisse. Jam enim se ab ipso Rege ad veteris debiti solutionem urgeri, à quo conservatæ salutis prœmium expectabat. Dehinc rogat eos obsecrans per fidem amicitiæ fœderisque nuper inter eos habiti sanctionem, uti hac in necessitate sibi non desint, qui pro salute totius Regni periculum istud subjerit, neque se communi quisquam oneri fraudulenter conetur subtrahere. Admonetque id mature capiendum esse consilii, ut hostium dolos Regisque deriiamenta præcaverant. Siquidem unius fuerint animi, & in una firmiter voluntate permanserint, ut omnem fortunam communicato velint periculo sustinere, nunquam sibi plebis animos, nunquam militum gratiam defuturam; ita quicquid aggressi fuerint, facile peracturos. Quod si dissimulando subterfugere quisque maluerit, neminem eorum qui in mortem Majonis consenserit evasurum. At illi rumorum novitate permoti, cum mirarentur & gravissime ferrent inde sibi periculum, & ingratitudinem emersisse, unde se benemeritos æstimabant, maximè tamen indignabantur Adenolfum Camerarium eò præcipitatum audaciæ, ut in Matthæum Bonellum manifestas auderet inimicitias exercere. Neque verò putabant tantam rem deinceps habendam neglectui, aut ejusmodi Regis tyrannidem, & insaniam oportere diutius sustineri: erantque qui jam tunc in ipsum Adenolfum ubicunque eum inveniri contingeret, impetum faciendum, neque tantæ ejus sycophantiæ vindictam ulterius protelandam censerent. Nam quicquid ab eis inchoatum foret, plebem avide secuturam. Alii verò rem incœptam moderatius & cum cautela dicebant felicius proventuram: neque nunc Adenolfi morte periculum minui, sed augeri, si flagitiorum caput quod ante præcidi debuerat, relinqueretur incolume: ad id dandum operam, ut malorum origine sublata cætera facile subsequantur; fontis enim scatebra prius consumpta, sine difficultate deinceps rivorum copiam exiccati. Hoc igitur apud eos præponderante consilio, placuit ejusdem rei sibi socios adhibere, Symonem Comitem, Rogerii Regis filium ex consuetudinaria matre progenitum Tancredumque filium Rogerii Ducis, ingenio magis & industria quàm corporis virtuto

Matth. Bonellus ad amicos.

Conjurati in Regem Gulielmum.

tute præstantem, cujus etiam supra meminimus. Sciebant enim eos quicquid adversus Regem decretum foret, facile consensuros. Nam idem Symoni Principatum Tarenti, contra patris testamentum abstulerat, dicens patrem in multis errasse spuriorum amore deceptum. Ducatum enim Apuliæ, Tarentiq; & Capuæ Principatū legitimis tantū filiis debere concedi. Ad Comitatus autem aliasque Regni dignitates non indignum esse liberos etiam naturales admitti. Tancredum verò sicut prædictum est, intra palatii muros tenebat inclusum, cujus etiam frater Gulielmus ibidem non sine magna Regis invidia, nuper obierat, adolescens utique pulcherrimus qui cum fere xx. ætatis annum ageret neminem militum viribus sibi parem repererat. Hos itaque sibi Matthæus Bonellus jurejurando, seque illis invicem obligat, multosque præterea milites, & potentes viros, in quibus & nobilem adolescentulum, Rogerium Comitem Avellini, Regis consanguineum non dissimili pacto sibi confederat. Erat autem eorum hoc propositum, ut in primis Regem caperent, captum in qualibet includerent Insularum, vel in alio quolibet loco juxta quod omnium communi decerneretur assensu: dehinc ejus majorem filium Rogerium Ducem Apulię novennem fere puerum Regem crearent: id existimantes populo gratum fore, seque videri nihil animo malo sceleratoque gerere, si tyranno ob facinora, sua sublato, filium ejus ipsi substituant. Ad hoc autem facillimus putabatur aditus præparari, si Malgerium Castellanum palatii quibuslibet possent promissionum pactionibus irretire, ut idem ab eos jusjurandum quod inter se fecerant, extorquerent. Nam aliter inchoata parum procedere videbantur, cum ille trecentos fere juvenes secum haberet assidue, ipsius palatii custodiæ præfectos: qui sic erant per portarum angustias distributi, ut quantumvis numerum militum ab ingressu facile submoverent, & si furtim aliquos ingredi contigisset, certum erat ibidem eos sine spe salutis intercipi, redituris exitu non patente. Verum id eorum desyderiis obstabat, quod idem Malgerius multæ austeritatis homo erat, nec facilis ulla persuasione quopiam inclinari aut hujusmodi se negociis immiscere. Timebant ergo rem secretissimam illius fidei, pressi hac ambiguitate, committere, indeque ad aliud necessario divertere consilium, sperantes idem se per Gavarretum palatii tutius effecturos. Castellanus enim ut discursandi crebrius necessitatem, & laborem subterfugeret, oneris sui difficultatem in eum trajecerat, & totam ei custodiendi palatii curam crediderat. Ad hujus quoque spectabat officium, eos qui per diversos carceres tenebantur inclusi, frequenter inspicere, eorumque statum mitius asperiusve, prout ei visum fuerat commutare, & prout vellet custodes singulis designare carceribus. Confidebant autem cupiditatem illius spem lucri non difficile secuturam: quodque non multum votis eorum viri facilitas repugnaret, præsertim cum jam plerique amicorum ejus in eadem confœderatione Sacramento tenerentur astricti, quorum indicio res ei secure poterat aperiri. Primum itaque sensim ejus animo pertentato, dehinc ejusdem certius agnita voluntate, quod speraverant voto plenius assecuti, spontaneum ab illo jusjurandum accipiunt, imperata se sine fraude, & ut ipsi disposuerant impleturum. Modus autem dispositionis hic erat, ut ad præfixam diem incarceratis omnibus quos etiam ab hac societate placuerat non excludi, vinculis relaxatis aperiret, carceres armaque singulis provideret,

Rogerius major natu filius Gulielmi.

Malgerius Castellanus palatii.

Castellani munus.

Consilium insidiosum in Regem.

deret, & ipsi dato signo quisque de loco suo promptius exilirent. In ipso enim palatio circa Campanarium eamque partem quę turris Greca vocabatur, carceres erant dispositi. His ita dispositis, Matthæus Bonellus Mistretum profectus est,ut eò frumentum armaque convehi faceret, cæteraque oppida sua rebus necessariis præmuniret. Recessurus tamen socios suos diligenter præmonuit, ut usque ad reditum suum prudenter & circumspecte se haberent, neque secretum illis creditum temere publicarent. Si quid interim præter opinionem cura dignum emergeret, suis eum literis evocarent; nam si res exposceret, cum ingentibus militum copiis sperato citius adfuturum. At illi non eam quam promiserant super hoc adhibentes diligentiam, secura rei principia periculoso satis exitu concluserunt. Quidam enim eorum cum amicissimum sibi militem ejusdem conspirationis optaret esse participem, quicquid actum fuerat ei seriatim exposuit jusjurandumque de non propalando consilio negligenter omisit, sive fidem illius ex sua metiens, sive rei periculum ut minus discretus parum intelligens. Sed & tempus ad hoc præfixum, reique auctores illud edocens diligenter omnia perscrutantem, demum expertus est verum esse quod dici solet, superabundantem non nocere cautelam. Miles enim præfatus gratias illi referens quod rem sibi perutilem indicasset, tanquam ad deliberationem in crastinum postulatis induciis, ad alterius amici sui notitiam audita pertulit, tam horrendum inquiens scelus non oportere dissimulando celari, quod si perpetrari contigerit, perpetuam Siciliæ sit allaturum infamiam, nec immerito Siculos omnes proditores deinceps appellandos. Verum id se præcauturum ne accidat, curiamque quantum mature poterit, & auctores sceleris, & conspirationis socios edocturum. Ille verò cum & ipse de conjuratorum esset numero, proditores eos appellans simulabat super his se plurimum indignari, laudansque viri propositum qui noluisset eorum consentire sceleribus, quàm primum avelli potuit ab eo, Symonem Comitem aliosque confœderationis Principes adiit, referens quid per sociorum negligentiam accidisset: hortatusque est eos ut ea nocte sibi consulerent; nam ad aures Regis die crastino quicquid egerant perferendum. At illi rem audientes plenam periculi, cum Matthæum Bonellum non pateretur angustia temporis accersiri, statuerunt per se susceptum implere negocium. Præmonitus ergo Gavarretus, ut, quia statutum tempus expectari non poterat, sequenti die, prout ipsi decreverant, incarceratos educeret, spopondit omnia provide se facturum, totamque rei difficultatem facile submovendam: eos tantũ oportere circiter horam tertiam præparatos affore, ut cum è palatio Rex in ampliorem locum exiret, ubi cum Archidiacono Cataniensi singulis diebus solebat de statu Regni differere, sine tumultu, sine clamore posset ibidem intercipi. Hæc igitur tam certæ promissionis fiducia labantes eorum animos in spem erexit, quibus inopinata res formidinis & diffidentiæ non parum attulerat, tum propter absentiam Matthæi Bonelli, cæterorumque qui cum eo recesserant, tum quoniam id quod cum summa cautione futurum providerant, quasi turbatim raptimque fieri fusuperingruens compellebat necessitas. Sequenti verò die Gavarretus nihilo segnius aut imprudentius quam disposuerat, promissionem suam celeri prosecutus effectu, viros nobiles quos jam armis præmunierat, è carceribus, eduxit sociis eorum prius in palatium introductis,

Mistretum oppid.

Nunquam nocuit nimium cavisse.

Gavarretus palatii.

Illi verò Symonem Comitem sequentes, qui cum in palatio nutritus fuisset, anfractus viarum cognoverat, ad eum locum ubi Rex Henrico Aristippo colloquebatur venerunt. Qui cum primo fratrem suum fratrisque filium Tancredum ad se venientes aspiceret, indignatus est eis aditum patuisse, mirabaturque quid eorum sibi vellet adventus. At ubi vidit cum armis reliquos insequentes, rem ut erat mente concipiens, fugæ se territus præparabat. Sed universis repente concurrentibus comprehensus est ab eis, cum in angulos & occulta palatii se recipere conaretur. Blandius tamen tyrannidis suæ causas ab eo sciscitantes, verbisque minus asperis ejus arguentes insaniam, spem effugiendæ mortis ei reliquerant. Mox autem cum videret Gulielmum Comitem Alesinum virum atrocissimum, Robertumque Bovensem notæ nihilominus crudelitatis hominem, strictis ensibus venientes, rogabat eos à quibus captus fuerat, ne eum ab illis interfici paterentur, cum ultro se regno cuperet abdicare. Arbitrabatur enim tam crudeles hostium manus se nullatenus evasurum, eaque non fallax fuisset opinio, nisi Richardus de Mandra quorundam in eum irruentium impetus propulsasset, vetuissetque Regem occidi. Huic igitur omnium communi providentia custodibus assignatis, deinceps ad interiora palatii progressi foribus proturbatis cœperunt singula loca disquirere, rapere, prædari quod cuique potissimum videbatur: alii gemmas, annulosque quia parvo loco concludi poterant; alii purpuras vestesque regias avidius appetebant: quidam aurea argenteaque vasa Tarenis implentes, porrigebant amicis domum interim deferenda; nonnulli quoque per fenestras palatii in plębem quę foris stabat Tarenos abundantissime dispergebant; nec deerant qui puellarum pulchritudinem crederent lucris omnibus præferendam. Sic homines ætate, moribus, genereque diversi, variis nihilominus dissonisque rerum studiis agebantur. Eunuchorum verò quotquot inveniri potuerunt nullus evasit. Plures autem eorum in initio rei ad amicorum domos confugerant, quorum plerosque repertos in via milites occiderunt, qui de Castello maris exierant, aliique qui jam cœperant per civitatem discurrere. Multi quoque Sarracenorum qui vel in apothecis sui mercibus vendendis præerant, vel in duanis fiscales reditus colligebant, vel extra domos suas improvidi vagabantur, ab eisdem sunt militibus interfecti. Postea verò Sarraceni perturbatione cognita, viribus se quidem ad resistendum impares arbitrati, cum eos præcedenti anno Admiratus omnia arma sua curiæ reddere coegisset, relictis domibus quas plerique eorum in civitate media possidebant, in eam partem quæ trans Papyretum est, secesserunt, ubi Christianis in eos impetum facientibus aliquandiu frustra conflictum est; nam illi ad introitus & angustias viarum nostris tutius resistebant. His ita gestis Comites eorumque socii Rogerium Ducem majorem Regis filium educentes de palatio, per totam urbem equitare fecerunt, ostendentes eum omnibus, plebique dicentes nequaquam alium deinceps Regem aut dominum appellarent: hunc eorum esse dominum: hunc avi sui Rogerii Regis auspicio regnaturum: hunc totius populi communi consilio coronandum: nihilque aliud expectari quam Matthæi Bonelli præsentiam, quem eo ipso die vel crastino non dubium erat venturum. Galterius quoque Cephaludiensis Archidiaconus Preceptor pueri, convocata virorum multitudine Regis tyrannidem publice prædicabat, & jusjuran-

Symonis Comitis ingressus ad Regē cum conjuratis.

Captus Gulielmus Rex, & in carcerē missus.

Regia à conjuratis spoliatur.

Cædes facta.

Saracenorū vicus Panormi.

Rogerius puer Dux Apuliæ Gulielmi filius per urbem ducitur.

Galterius prçceptor Rogerii pueri.

randum exigebat ab omnibus, quòd Symonis Principis (fic enim eum vocabat) parerent imperio multique monitis ejus perfuafi jurabant. Alii verò minus fideliter dicebant eum agere; nam fi Sacramentum ea tempeftate cuipiam effet præftandum, duci potius oportere jurari, quem Regem futurum effe fperabant. Sic illis ad libitum cuncta difponentibus, nemo jam erat, qui vel auderet, vel vellet eis refiftere. Nam & ipfi Epifcopi vel eorum facta publice laudabant, vel diffimulantes filentio confirmabant. Plebs autem cum Matthæi Bonelli confilio geftum audiffet, ejus præftolabantur adventum. Cum verò jam in diem tertium fuftinentes, eum neque veniffe cognofcerent, neque venturum quibuslibet indiciis perfentirent, cœperunt invicem murmurare dicentes, indignum effe fatifque miferabile Regem à paucis prædonibus turpiter captum in carcere detineri, neque populum id debere pati diutius, cum thefauros etiam ad regni defenfionem multis laboribus optimique Regis induftria conquifitos afportari videant, & penitus exhauriri. Quod ubi à paucorum ut accidit confabulatione profectum in vulgi multitudinem emanavit, repente quafi divino commonerentur oraculo, aut ardentiffimi ducis impetum fequerentur, omnes ad arma concurrunt, palatium obfident, Regemque fibi reddi depoftulant, interminantes fi diutius eum tenuerint, fe quidem fcalas aliafque ad expugnandum palatium machinas illaturos, ac de ipfis non fecus ac de proditoribus fumpturos fupplicium. At illi tam fubita mutatione rerum attoniti, primo tamen inftantes acerrime per muros diftributi depellunt, neque proprius accedere patiuntur, miffis eos defuper molibus proturbantes. Verum & pauci admodum erant, ambitufque caftelli diffufior ad defenfionem fui multo majorem virorum copiam expofcebat. Hoc igitur prævidentes, tentabant populi furentis iram & impetum mitigare, rogantes eos ut interim ab armis difcederent, & Matthæum Bonellum cæterofque proceres quorum id confilio geftum fuerat, expectarent. Sed eorum femel excitata rabies facile fedari non poterat, eoque magis inftabant acrius comminantes, nifi Regem eis oftenderent. Illi verò tametfi viderent ad defenfionem palatii fe nequaquam poffe fufficere, rem tamen ex induftria protrahere conabantur, fperantes Matthæum Bonellum interim affuturum. Hoc autem ut opinati fuerant minime procedente, tandem ad ultimum defperationis adducti, populo fpondent eorum fe voluntatis fatisfacturos: Regemque adeunt, & cum eo pacifcuntur, ut falvos eos & incolumes abire permittant; dehinc ad Johariæ feneftras eum perducunt. Tunc verò vifo Rege totius multitudinis clamor & tumultus ingens exoritur: portas ocyus poftulant aperiri, cenfentque non oportere proditores evadere. Rex autem manu filentium indicens, jubet eos quiefcere, fatis inquiens ad promerendum fidelitatis titulum fufficere, quod eorum fit opera liberatus: deinceps arma deponant, eofque libere finant egredi quibus ipfe quo maluerint, eundi conceflerit libertatem: alioqui eos poffe gratiam fuam quam integre promeruerant, irerum demereri. Sic igitur tumultu plebis utcunque fedato, referatis foribus exeuntes, Cacabum transfugerunt. Hæc autem licet fubita repentinaque rerum varietas, magnam tamen maiorum feriem intra breviffimi temporis anguftias contraxit, totique regno non parum attulit detrimenti. Non folum enim plurimæ nobilitatis amiffione debilitatum eft, & exhauftat thefaurorum parte non mini-

Vulgi murmur de Rege vincto.

Invaditur palatium, & Rex repetitur.

Rex è feneftra oftenditur plebi.

Rex liberatur carcere.

minima fuit attritum, sed & aliam irreparabilem quidem in multa tempora jacturam sustinuit, interfecto Rogerio Duce, cujus supra meminimus: qui tam avi quàm patrui moribus ultra quàm id ætatis exigeret, jam evidentissime cœperat insigniri: & alterius quidem prudentiam, alterius verò benignitatem cum utriusque nomine præferebat. Expediret quidem Siciliæ perpetuo Regem carcere detineri, vel certe capitalem subjisse sententiam, ne tam felicis indolis auspicio privaretur. Verum hæc insula ne tyrannis quandoque careat, eam sibi circa Regum filios consuetudinem vindicavit, ut morti meliores primum objiciat, eos sibi Reges constituens, per quos in ea perpetuæ possit tyrannidis privilegium conservari. Sic olim Rogerium Ducem Apuliæ unicæ benignitatis ac dulcedinis virum præmatura morte sustulit, ut Gulielmo regnandi non deesset occasio, qui quantum ejus frater prudentiam & mansuetudinem avide fuerat amplexatus, tantum crudelitati studuit & ineptiæ deservire; sic & nunc Rogerio Duce sublato, Guliel. distulit ut regnaret, quos eorum secuturos vestigia, quorum nomina sortiti fuerant, nemo qui utrumque noverit, ignorabit. Hic autem puer dum eos qui palatium obsidebant per fenestram minus caute prospiceret, sagitta percussus est: nec ejus rei satis certum auctorem fama produxit; communis tamen omnium opinio tanti sceleris culpam in Darium hostiarium refundebat. Alii verò qui secreta palatii fatebantur se plenius agnoscere, negabant ejus efficaciæ fuisse vulnus acceptum, ut mortem inferre sufficeret, ipsique Regi putabant ejus atrocitatem criminis imputandam. Cum enim ut ajebant, liberato patri puer applaudens occurreret, pater indignatus quòd illum quasi sibi prælatum hostes sui Regem appellaverant, repulit eum à se, & calce percussum quanto potuit impetu proturbavit. Unde vix ille digressus, ad Reginam quæ passus fuerat pertulit, nec multum postea supervixit. Rex itaque tam acceptis incommodis, quàm rei pudore vehementissime perturbatus, abjecta veste regia suæque dignitatis immemor, humi sedebat flens inconsolabiliter, & in stuporem ex dolore conversus, eatenus malis quæ sibi acciderant memoriam hebetemque mœrore mentem infixerat, ut neque sui curam gereret, neque quid sibi capiendum esset consilii, cum ejus hostes undique secus imminerent, ad animum revocaret. Apertis etiam & inobservatis palatii foribus, omnes ad se venientes benigne ac familiariter admittebat, illis dolorem & luctus causam insinuans, ut à multis etiam qui prius eum oderant lachrymas extorqueret. Tandem verò monitus & rogatus ab Episcopis aliisque qui ad consolandum eum venerant, descendit in aulam quæ palatio conjuncta erat: jussitque populum convocari, eo quòd amplitudo loci capiendæ multitudini vulgi sufficeret. Ac primum fidem illorum commendans gratiasque referens, quòd eum de proditorum manibus abstraxissent, dehinc exhortatus est ut in ea qua cœperant fidelitate permanerent siquid adversus eum deinceps hostes suos moliri contigeret, non satis certum inquiens quò se contulissent, aut quos haberent in Sicilia fautores, quorum freti consilio, tantum facinus perpetrassent. Adjecit etiam id sibi meritis suis exigentibus ob multa mala quæ fecerat accidisse: & hoc se quidem cognoscere, hoc fateri, deincepsque sic acturum, ut inflictum sibi divinitus correctionis flagellum, nequaquam obstinato videatur animo percepisse. Si quid à subjectis sibi populis quod juste dari debeat po-

stu-

Rogerius Dux Apuliæ fuit occisus.

Sicilia tyrannos alit.

Gulielmus Rex longe dissimilis fratris Rogerii.

Rogerius Guliel. filius occisus à patre ut ferebatur.

Rex mœstus ad populum loquitur.

ftuletur, non difficile conceffurum: confuetudines etiam fuis introductas temporibus, quæ vel juftam populi libertatem minuere, vel eos iniquis prægravare videantur oneribus, placere fibi penitus antiquari; de cætero enim malle fe diligi quàm timeri. Hæc & his fimilia quæ Rex non fine lachrymis demiffius loquebatur, Electus Syracufanus vir literatiffimus & eloquens ad populum referebat. Ut autem illorum fibi plenius conciliaret gratiam, portarum eis immunitatem conceffit, ut omnes cives Panormitani victualia fua vel empta, vel ex agris & vineis fuis collecta libere poffent inferre, nihilque ab ipfis quis exigeret. Quod plebi gratiffimum fuit, rem fe nunc adeptos effe quam diu defyderatam nunquam potuerant impetrare. Interea Panormi nunciatum eft Symonem quem Principem appellabant, Tancredum Ducis filium, Gulielmum Alefinum, Alexandrum Convei fanenfem, Rogerium Sclavum filium Comitis Symonis fpurium, aliofque quotquot in captione Regis confenferant, cum Matthæo Bonello Cacabi effe, plurimamque militum multitudinem illis adjunctam. Placuit igitur ad ipfum Matthæum mitti legatos, ut fcifcitentur ab eo quid erga Regem gerat animi, quid hæc velit militum concurfio, quid ve fe facturum proponat: dicantque non oportuiffe illum proditorum confiliis immifceri, vel eos poft audita quæ perpetraverant fcelera recepiffe. Hac autem legatione fungentibus ille refpondit, nunquam eorum fe quos proditores appellent fceleribus confenfiffe, nec eorum fciffe aut approbaffe confilium: fed tyrannicum & crudele fuiffe tot viros nobiles ad fe confugientes non recipere, capitalibus periculis exponendos. Enimuero Regem fi fua facta difcutiat, magis debuiffe mirari, quòd regni proceres velut in fervitutem fe redigi tandiu fuftinuerint, quàm quod adverfus eum multis injuriis provocati vix tandem impatientia doloris exarferint, ut enim cætera quæ perpeffi fuerant omittantur, miferrimum effe vel apud fervilis conditionis homines, filias fuas innuptas domi toto vitæ tempore permanere. Nec enim inter eos abfque permiffione curiæ matrimonia poffe contrahi, adeoque difficile permifsionem hanc hactenus impetratam, ut alias quidem tunc demum liceret nuptui dari, cum jam omnem fpem fobolis fenectus ingruens fuftuliffet: alias verò perpetua virginitate damnatas fine fpe conjugii deceffiffe. Nunc autem totius regni viros nobiles, feque cum illis hoc Regem poftulare, hoc requirere, ut his aliifque perniciofis legibus antiquatis, eas reftituat confuetudines, quas avus ejus Rogerius Comes à Roberto Guifcardo prius introductas obfervaverit, & obfervari præceperit; alioqui fi contra anteceflorum ftatuta niti voluerit, hoc eos minime diutius perpeffuros. Hæc ad Regem legatis deferentibus, refpondit malle fe regno privari, vel morti fi neceffe fit audacter occurrere, quàm ab eo metu vel minis indignum fe pactum eliciant. Quod fi depofitis armis dimiffifque proditoribus ad fe pacifice venientes aliquid poftulaverint, faciliùs eos quod petierint adepturos. Quod ubi Cacabi relatum eft, difplicuit univerfis qui aderant, & Matthæi culpantes ignaviam, perfuaferunt ei ut ad obfidendam urbem accederet. Quorum ille confiliis acquiefcens, Panormum profectus eft, tribufque fere milibus procul ab urbe cum militibus fuis confedit. Rex autem interim Meffanam mittit nuncios ad Stratigotum populumque civitatis, ut quotcumque galeas poffent viris armifque diligenter inftructas quàm ocyffime fibi trafmitterent;

Legati ad Matthæum Bonellum Cacabo.

Refpondet Bonellus.

Rex ad legatos reverfos.

Accedit Bonellus ad obfidionem Panormi,

At

At verò Panormi militum adventu præcognito, videre erat desolatæ miseræque faciem civitatis, cives trepidos, paventes, attonitos, omnemq; famæ strepitum arrectis auribus haurientes, & auditis animum committentes rumoribus, alii Matthæo Bonello quumprimum veniret sese dedere cogitabant, alii quia socios ejus offenderant, timebant se suaque prædam fore militibus. Nemo civium in armis spem posuerat, nemo de civitatis defensione sollicitus erat. His accedebat quod annonæ deficientis inopia futuræ famis in tolerantiam minabatur, nec enim jam frumentum eo poterat de locis finitimis comportari, cum ex omni parte viarum transitus milites custodirent. Igitur in urbe perturbata erant confusaque omnia: & siquidem Matthęus Bonellus in offenso pergens itinere proprius accessisset, poterat utique nemine prohibente civitatem ingressus, occupasse palatium, ipsumque Regem in vincula conjecisse. Sed alio fretus consilio Cacabum rursus iter instituit. Sed & multi milites ex interioribus Siciliæ partibus ad auxilium Regis confluxerant, quantumque illi roboris accrescebat, tantum adversæ parti diffidentiæ ac formidinis accedebat. Statuit ergo resumpto spiritu cum fortuna respirante progredi, & humilitate legationis abjecta, regiam in verbis prætendere dignitatem, cum nihil illi facilius esset, quam ab humilitate ad superbiam transvolare. Rursus itaque ad Matthæum Bonellum legatum misit Robertum de sancto Joanne Panormitanum Canonicum præclari nominis & examinatæ fidei virum, quem nulla conjuratorum unquam societas, nulla persecutionis procella, cum totum sæpe regnum concuteret, ab eo cui semper inhæserat proposito fidelitatis avulsit. Nunquam eum blanda fortuna sic extulit, ut innatæ semel modestiæ superbiæ quicquam aut tyrannidis admisceret; nunquam sic adversa defecit, ut fidem suam vellet potentium virorum gratia vel cujuslibet dignitatis precio nundinari. Hinc eum Archiepiscopus latenti odio prosecutus, parum perfecit, cum multas adversus eum consiliorum machinas erexisset. Hinc Admiratus ei, cum aperte non posset, occulte parans insidias obstulit quidem, sed nec omnino quod optabat effecit. Cum enim Rex à nemine rogatus vel monitus in id incidisset voluntatis, ut prædicto Roberto cancellariatum dare decerneret, idque Majo cognovisset ipsius Regis indicio laudavit ejus super hoc voluntatem, dicens hoc æquitati congruere, & regnantis majestate dignum esse propositum, ut qui fideliter ei diuque servierint, tandem regiæ liberalitatis beneficio non fraudentur. Verum quia legatos Venetiam curiam mittendos esse providerit, & ad hoc ipsius Roberti fidem & industriam constet esse perutilem, expedire ut hanc prius legationem obeat, quatinus & Regi promotionis ejus causa uberior suppetat: & ille peracta legatione diuturni fructum servitii post laborem gratius amplectatur. Quod ubi Regi persuasum est, ilico scripsit Petro de Castronovo qui tunc in Apulia capitaneus erat, uti Roberto de sancto Joanne Venetiam transituro navem fragilem & vetustate dissolutam, nautasque maris inscios, inertes, & improvidos assignaret; ut & putrida navis ad quoslibet undarum nisultus fathiscens non sufficeret sinum Adriaticum transmeare, nec ille nautarum peritia posset incolumis conservari. Qui trajecto Pharo cum in Apuliam pervenisset: Tranensis Archiepiscopus ei non solum hoc verbis exposuit, sed & ipsius ostendit literas admirati. At ille prudenti consilio non veritus salutem suam auro re-

Stratigotum videns strategum malis aut vocem à vulgo corruptam existimes.

Cacabum redit Bonellus omisso itinere.

Robertus de sancto Joanne legatus ad Bonellum destinatur.

Venetias prius mittitur.

redimere, propriis sumptibus navem nautasq; conduxit, & licet multis fatigatus periculis, insidias tamen Majonis evasit. Hic igitur Cacabum profectus post multas variasque disceptationes & controversias, eo fine conclusit negocium, ut Rex omnibus his qui ad Matthęum Bonellum confugerant, galleis quæ sufficerent assignatis, extra regni fines eos faceret salvos & indemnes perduci. Ipsum verò Matthæum omni quæstione remissa, tanquam fidelem suum benigne susciperet, suam ei gratiam plene restituens. Quod postquam est ex parte regia Sacramentis præstitis roboratum, Matthæus cum ingenti plebis alacritate Panormum veniens tranquillitatem urbi restituit. Alii fere omnes ad galeas producti, regni terminos exierunt. Pepercit autem Rex consanguineo suo, Rogerio Comiti Avellani, quod in aliis crimen atrocissimum judicabat, in eo putans ob ætatis lubricum errorem debere non facinus appellari, simulque prece motus & lachrymis Adeliciæ consobrinæ suæ ejusdem Comitis aviæ, quæ cum alium hæredem superstitem non haberet, nepotem suum tenerrime diligebat. Richardum quoque de Mandra tanquam de se bene meritum Panormi retinens, militibus suis comestabulum eum præfecit. Erant eo tempore familiares Regis per quos negocia curiæ disponebat, Richardus Syracusanus electus, Sylvester Comes Marsicensis, Henricus Aristippus, quem tamen Rex habens suspectum, latens adhuc odium dissimulabat, credens eum conjurationis in se factæ fuisse participem. Sed & idem capto Rege quasdam palatii puellas in domo sua per aliquot dies tenuerat, quod maxime Regis adversus eum indignationem commoverat. Cum autem eis terrarum feudorumque distinctiones ritusque & instituta curiæ prorsus essent incognita, neque libri consuetudinum quos Defetarios appellant, potuissent post captum palatium inveniri, placuit Regi, visumque esse necessarium, ut Matthæum Notarium eductum de carcere in pristinum officium revocaret: qui cum in curia diutissime Notarius extitisset, Majonisque semper adhæsisset lateri, consuetudinum totius regni plenam sibi vindicabat peritiam: ut ad componendum novos deferarios eadem prioribus continentes putaretur sufficere. Dum hæc ita Panormi geruntur, Rogerius Sciavus cum Tancredo Ducis filio, paucisque aliis qui prius à Matthæo Bonello discesserant, cum viderent eum ad iniqui pactiones fœderis inclinari, Buteriam, Placiam, cęteraque Lombardorum oppida, quæ pater ejus tenuerat, occupavit; & à Lombardis gratanter avideque susceptus cum se promitterent per quantalibet eum pericula secuturos: multique etiam ad ipsum milites confluxissent, in Saracenos prima jussit armorum auspicia prælibari. Lombardi verò nihil unquam libentius audituri jussionis ejus non tardi sunt executores effecti, & in loca finitima repentinos impetus facientes, tam eos qui per diversa oppida Christianis erant admixti, quàm eos qui separatim habitantes villas proprias possidebant, nullo sexus aut ætatis habito discrimine perimebant. Ejus tunc gentis haud facile numerabilis cecidit multitudo, paucique qui vel fuga furtim elapsi, vel Christianorum assumentes habitum propitiam sensere fortunam, in australem Siciliæ partem ad tutiora Sarracenorum oppida confugerunt, & usq; nunc adeo Lombardorum gentem exhorrent, ut non solum eam partem Siciliæ deinceps habitare noluerint: verum etiam accessum ejus omnino devitent. Sed & adjacentem Syracusanorum, & Cataniensium regionem,

Bonellus in gratiam restitutus apud Regem.

Regis familiares.

Defetarii libri.

Matthæus Notarius restitutus.

Rogerius Sciavus.

Lombardi sæviunt in Saracenos.

nem, Rogerius Sclavus crebris incursibus perturbabat, tantumque virtus & audacia viri circumjectis populis terrorem attulerat, ut neque regii comestabuli possent ejus impetum sustinere, cum assidue numero militum inferior eis congressus victoria potiretur. Ea res denuo curiam repentino terrore concussit, nec id arbitrabatur Sylvester Comes absque Matthæi Bonelli consilio geri, eo magis timendum illum existimans, quod curiæ familiarius adhæreret; nam apertos hostes posse facile devitari: familiares autem inimicitias difficilius quidem nec sine periculo præcaveri. Suspicabatur autem illum ut erat natura timidus, sibi primum insidias paraturum, eo quod ad auxilium Regis veniens videretur illius impedisse propositum, & nunc quoque nihilominus impedire. Cum ergo Rex præcepisset stipendia militibus dari, contra Rogerium Sclavum ejusque socios educturus exercitum: persuasit ei Comes ut Matthæum Bonellum prius captum carcere coerceret, quem si secum duceret, se quidem hostibus suumque traditum iri exercitum: nec ad palatium de cætero rediturum incolumem, neque verò servandæ jurisjurandi religioni locum esse, ubi absque perjurio non possit mortis periculum evitari, quod timore mortis admittitur, facile veniam promereri. Placuit ergo Regi quod ultro se facturum decreverat, hoc ab alio præmoneri, Comitisque laudavit consilium, idem sibi dudum placuisset testatus. Sciebat autem ipsum Matthæum extra palatium capi non posse, neque tantæ quempiam temeritatis futurum, ut hoc plebi saltem persuadere niteretur. Nam illum & in ipso palatio non sine periculo captum iri, totiusque Civitatis perturbationem factum hoc necessario secuturam. Verum ejusmodi popularis impetus hanc esse consuetudinem, ut ubi res per acta fuerit, in seipsum rursus deficiat, nec difficile compescatur: ideoque motum hunc populi contemnendum, neque rem propositam inde segnius peragendam. Itaque constituto quidem ab eis die Matthæus Bonellus ad Curiam vocatus est, nec defuit ejus lateri qui rem ei totam ediceret, Comitisque dolos & consilium aperiret. Sed confidebat ab hac immanitate Regem metu perjurii deterrendum, nec æstimabat eum etsi jusjurandum contemneret, hoc ausurum cum eo facto regnum amplius perturbatum iri cognosceret. Ita neglectis amicorum consiliis ad palatium securus ascendit. Sed antequam ad Regem accederet, à Castellanis exceptus est, & teterrimo carcere circunclusus. Moxque non solum palatii, sed & omnibus Galculæ portis diligentius obseratis: armati quoque viri per murorum ambitus sunt dispositi, ut si necessitas ingrueret, primos plebis impetos propulsarent. Quod ubi malorum audax prænuncia per populum fama dispersit, ilico plurima plæbis multitudo cum ipsius Matthæi militibus concurrentes, ad palatium recto tendebant itinere, ut eum inde vi eximerent, Comitemque Sylvestrum tanquam proditorem meritis pœnis afficerent. Qui cum portas clausas undique reperissent, omnemque viderent aditum prohiberi, cogitabant ignem portis immittere, magnam ibidem lignorum congeriem extruentes. Cumque nihil ita possent proficere, & huc illucque aliquandiu sine certo proposito discurrerent, tandem ex desperatione cœpit animorum fervor tepescere, timore Regis præcipitem audaciam coercente, subitoque cum fortuna multum avertente converti, quod cognatum est Siculis, maluerunt tempori servire quàm fidei, quantaque prius diligentia Matthæi Bonelli gratiam ap-

Sclavus metuitur.

Comitis Sylvestri consilium.

Bonellus ad Curiam vocatus in vincula conjicitur.

Vulgi inconstantia in Matthæo Bonello.

petebant, tanto elaborabant studio, ne viderentur illius amicitias coluisse. Neque tamen defuit tot amicis fortunæ disparentibus, qui virtutis nomen auderet amplecti, & qua se libertate periculi contemptor animus ad promerendam gloriç diuturnitatem evehat, experiri. Nam Ivo quidam ex militibus ejus cum videret Adenolfum Camerarium à curia redeuntem, memor inimicitiarum quas in Matthæum exercuerat, simulque dolore stimulatus, audacter in eum irruit, & equi velocitate fretus altius ensem sublatum cerebro fugientis immersit, ac deinde nemine prohibente per medium civitatis elapsus, cum jam ab urbe longius abscessisset, à militibus Regis comprehensus est, & Panormum reductus, justitque curia manum ei dexteram amputari. Matthæus autem Bonellus effossis oculis, nervisque super talum incisis, sublatus omnino solis aspectui, in horrendum detrusus est carcerem, tam suis quàm loci perpetuo tenebris obvolutus. Matthæus quoque de santa Lucia ejusdem consobrinus, Joannesque Romanus ejus seneschalcus privati oculis, diversis sunt carceribus inclusi. His ita peractis velut universis jam difficultatibus superatis, Rex educens exercitum adversus Rogerium Sclavum, rapto contendit itinere, primumque Placiam nobilissimum Lombardorum oppidum in plano situm evertit penitus ac destruxit: ubi cum inter Sarracenos & Christianos in exercitu orta fuisset seditio, plurima Sarracenorum multitudo cecidit acriter in eos irruentibus Christianis, neque metu vel interminatione Regis cessantibus, cum & ipse missis ad auxilium Sarracenorum comestabulis, prohiberet eos occidi. Inde Buteriam quò se post auditum ejus adventum hostes contulerant, obsidione vallavit. At Rogerius Sclavus ubi se vidit obsessum, primum breviter socios cohortatus, dehinc oppidanos admonuit, ut unius essent animi, neque diversa sentirent, aut Regis formidarent exercitum; nam si paucis diebus æquanimiter sustinerent, maximam partem Siciliæ totamque Calabriam eorum secuturam exemplum, patris etiam in eos quam plurima beneficia recensebat, simulque Regis exponebat atrocitatem, & tyrannidem in subjectos. At illi constanter & audacissime spoponderunt se nunquam ejus defuturos imperio, neque difficultatem aliquam aut periculum quominus ei pareant causaturos. In exercitu verò tædio jam cœperant affici plerique militum: quia videbant Regem in obsidione diutius moraturum: neque spes erat oppidum captum iri, nisi fames ingruens quod vix in multum tempus accidere poterat, ad deditionem cogeret oppidanos. Nam & loci natura munitissimum erat, nec ad sui defensionem virtute vel audacia sub Rogerio Sclavo, aut sub Tancredo prudentia consiliove poterat indigere. Ita crebri conatus obsidentium hostibus nihil oberant, illique licet audacter magnaque, ut sæpe descenderent, nihil aut parum lædebant exercitum. Rex enim cum sciret Tancredum fratris sui filiū astrologicis rationibus dies tam obsessis quàm obsidentibus utiles prævidere, ipse quoque cum Astrologis suis eosdem dies diligentius attendebat, indicans familiaribus suis diem quo descensuros eos prævideret, ut adversus repentinas eorum eruptiones exercitum præmunirent. Sic aliquandiu re protracta, difficultatem hanc solvit, inter proceres & plebem in oppido nata discordia. Nam Rogerii Tancredique voluntas & consilium erat, totius oppidi frumentum adunatum tam militibus quàm oppidanis per æquas portiones distribui. Plebs verò negabat victualia sua publi-

Animadversio in Bonellum & alios.

Placia Lombardorū oppidum eversum.

Buteria oppidum Lombard. obsessū

Astrologicæ rationes in bello.

publicatum iri, volebantque singulis oppidanis singulos milites assignari, ut eis in domibus suis necessaria providerent. Quod militibus suspectum quidem & fidei vacillantis indicium videbatur. Cœpit ergo plebs à militibus plurimum dissidere, adeo quidem ut se Regi dedere militesque regios in oppidum latenter introducere molirentur. Sed ubi Rogerius Sclavus, & qui cum eo erant hoc illorum percepere consilium, rebus omnibus jam diffidentes, statuerunt ipsi quoque pacisci cum Rege, ut oppido recepto salvos atque incolumes eos abire permitteret. Quòd eis facile Rex concessit, cum neque se tam maturè speraret oppido potiturum, & necessitate cogente proponeret in Italiam sine dilatione transire. Robertus enim Comes Lorotelli dum Siciliam fortuna crebris tumultibus fatigaret, maximam regni partem invadens, Orgeolum usque pervenerat, quod in Apuliæ Calabriæque confinio situm est, omnesque Comites qui primum ob admirati scelera rebelles extiterant, postmodum de Regis gratia desperantes, illi se conjunxerant, præter Gilbertum Gravinæ Comitem, qui Regis gratiam consanguineæ suæ Reginæ precibus impetrarat, & relicta societate Comitum exercitui præerat in Apulia, Roberti Comitis impetum quantum poterat moraturus. In Calabria quoque Comitissa Catacensis ad eum defecerat, Tabernamque castrum fortissimum tam militibus quàm aliis rebus necessariis præmunierat, ut si Regem Pharum transire contingeret, eò secum matre sua posset secure recipere. Rex itaque juxtà quod pactum fuerat, dimissis hostibus receptaque ac destructa Buteria, deinceps eam habitari prohibuit. Ac non multo post aucto exercitum in Apuliam transiturus Tabernam obsidere constituit. Prius tamen nequid in Calabriæ partibus improvisi reperiret obstaculi, Rogerium Marturanensem, qui non parvæ tunc auctoritatis apud Calabros habebatur, in Siciliam evocatum cum proditionis eum argueret, in carcerem retrudi jussit, oculisque privari, neque convictum, neque sollenniter in jure confessum, prout ordo judiciarius exposcebat. Cùm ergo Tabernam exercitum traduxisset, iniquam loci positionem & conscensum arduum conspicatus, cùm omnes fere de captione oppidi desperantes censerent in Apuliam ad majora negocia properandum, interimque Tabernam omitti debere usque ad reditum, nec ibi multum tempus inefficaciter consumendum, constanter asseruit non prius inde se quantum oppidum captum fuerit abscessurum, ipsaque die tam milites quàm pedites armati præcepit, & ad oppidum oppugnandum impetu facto conscendere. Oppidani verò desuper missis molaribus, etiam dolia quæ præacutis armata claviculis ad murum suspenderant, per præcipitium dimittentes, obrepentium multitudinem proterentes, facile proturbabant, quorum plurimis interfectis, reliqui frustra multumque fatigati, plerique etiam affecti doloribus & vulneribus, ad exercitum redierunt. Paucis autem interjectis diebus, jubente Rege denuo viros armari tentarique fortunam, omnes ad buccinarum sonitum unanimiter irruentes, primo tumulum quendam magnis occupavere conatibus arduum quidem, sed modica superius distentum planitie, qui ex uno latere muris oppidi contiguus adhærebat: dehinc illatis scalis, primo muros impetu non sine rei periculo transcenderunt. Neque satis video qui tam facilis in oppidum irruptio fieri potuit, nisi quòd oppidani loci fortitudini temere confidentes, muros negligentius observabant; nec enim ibi proditione vel

Orgeolum oppidum.

Buteria capta ex pacto & destructa.

Rogerius Marturanensis.

Taberna oppid. Calabr. oppugnatum & deletum cum propugnatoribus.

oppidanorum discordia quicquam accidit, & militum ejus virtus ac copia suppetebat, ducesque bellicarum rerum expertissimi, quibus & ad audendum animus, & ad providendum consilium non deesset. Hoc utiq; constat, quòd misere turpiterq; captū oppidum milites deprędati, Comitissam & matrem ejus, ipsiusq; rei principes Alferium & Thomam ejusdem Comitissæ junioris avunculos ad Regem cum aliis plerisq; militibus perduxerunt. Quorum Alferius ibidem jussu Regis est supplicio destinatus, Thomas verò Messanę suspensus. Reliqui milites partim abscisione manuum, partim oculorum amissione mulctati. Porro Comitissa cum matre sua Messanam, inde Panormum traducta est carceri mancipanda. Quòd ubi nunciatum est Comiti Lorotelli, Tabernam præter spem & opinionem omnium subito captam atque deletam, licet equitum peditumque numero longe Regis anteiret exercitum, metuens Longobardorum fidem ancipitem, quam non sine magno periculo damnoque sæpe probaverat, maluit cedere quam belli fortunam cum infidis militibus experiri, Tarentumque reversus aliquot ibi milites ad urbis præsidium dereliquit. Inde quædam oppida veluti cohortandi roborandique causa pervadens, cœpit paulatim in Aprutiorum terram iter deflectere. Eisdem diebus Joharius eunuchus magister camerarius palatii, cùm in exercitu multas à Rege præter meritum, ut ajebat, injurias pertulisset ac verbera, cum sigillis regiis ad Comitem Lorotelli transfugiens, in itinere captus est, & ad Regem perductus. Quem Rex impositum lintri, deduci jussit in pelagus, ibique submergi. Inde Tarentum perveniens cùm urbem facilè recepisset, quosdam milites Roberti Comitis, quos ei cives reddiderant, extra civitatem suspendit, totamque dehinc Apuliam ac Terram laboris pertransiens, universa recepit quę prius hostes invaserant. Quantum enim inconsulte dudum ab eo desciverant, tanta nunc ad eum levitate pariter confluebant. Universas etiam civitates & oppida quæcumque Comitem Lorotelli receperant, vel aliquatenus ei consentiendo visa fuerant recepisse, certam pecuniæ quantitatem redemptionis nomine sibi pendere constituit, volens ea pecunia quod de thesauris suis imminutum fuerat, resarcire: simulque justum existimans, ut qui domos & possessiones suas hostibus se dedendo, debuerant rigore juris amittere, levi saltem eas precio redimere cogerentur. Præterea Jonathas Comes Consanus, Richardus Comes Fundanus, Rogerius Comes Acerranus, Mariusque Burrellus, & alii qui societatem eorum sequuti fuerant, Regis adventu perterriti, partim in Aprucium, partim in Campanam transfugerunt. Rogerius quoque Comes Avellini, Regis iram censuit declinandam, eo quòd nuper injussu curię filiam Phœniciæ de sancto Severino duxisset uxorem, cujus etiam filius Gulielmus de sancto Severino cum Comite fugiens furorem regium declinavit. Comitissa verò cùm obsessum castellum defendere niteretur, capta est, & cùm matre sua Phœnicia Panormum transvecta. Dum hæc in Italia gererentur, interim fortuna Panormi novo inclementiæ genere sæviebat, Regisque discessum è Sicilia multorum est periclitatio consecuta. Nam Gaytus Martinus eunuchus, quem Rex ad custodiam civitatis ac palatii Panormi reliquerat, cùm in captione palatii fratrem suum à Christianis sciret occisum, nec ejus facti certos reperisset auctores, in omnes Christianos atrociter occulteque deseviens fratris mortem omnibus imputabat. Cum ergo plerique civium accusa-

Alferius Thomas.

Comes Lorotelli terretur.

Gaytus eunuchus trāsfuga,

Tarentum receptum à Rege. Urbs est Apuliæ insignis.

Gayti eunuchi sævitia in Christianos.

cusarentur; quòd palatium cum proditoribus ingressi multam inde pecuniam abstraxissent, idque juxta curiæ consuetudinem accusatores monomachia se probaturos assererent, eorum probationes tam promptè quàm libenter admisit, & victores quidem tanquam de Rege benemeritos collaudans, pœnas victis atrocissimas irrogavit: nactusque tempus ad ulciscendum fratrem idoneum, quod à paucorum temeritate fuerat inchoatum, ad multorum traxit perniciem. Hortabatur enim juvenes & propositis præmiis incitabat eos, maxime quibus nullum aut tenue patrimonium erat, quosque virtute corporis partam gloriam affectare cognoverat, ut ejusmodi civium accusationibus audacter insisterent, dicens ob idipsum eos efficacissime Regis posse gratiam promereri, & siquidem eos vinci contingeret, nihil mali passuros, cum Regis ipsius causam agere viderentur. Tantaque jam urbem rabies & furor incesserat, ut quisquis adversus quempiam vetus odium exercebat, vel cùm alio forte litigans in verborum proruperat contumeliam, statim ad Gayti Martini prætorium convolaret, qui semper ad hujusmodi suscipiendas actiones paratissimus, omnibus sui copiam faciebat, his de rebus maxime cogniturus. Eorum autem quos vinci contigerat, alios videntibus Sarracenis & illudentibus suspendebat, alios diuturnis cæsos verberibus, diversis afficiebat tormentis, & in his accusationibus admittendis summam diligentiam adhibebat: sed cum in campum pugnaturi descenderant, sua parum interesse censebat, uter eorum victoria potiretur, dum fratris mortem posset in altero vindicare. At ubi jam continuis malis & pœnarum atrocitate perterritis civibus, rarus procedebat accusator qui monomachiæ vellet subire discrimen, placuit mulierum quoque non solum honestarum & quę integræ erant opinionis, verùm impudicarum etiam & infamium delationes admittere: statuit servos nihilominus & ancillas super ejusmodi licite postulare. Quorum sępe suggestionibus vice probationum admissis, multorum quidem & opinionem læsit & fortunas exhausit, & corpora pœnis affecit. Interea Rex totius Apuliæ rebus sedatis tumultuque composito Salernum accessit. Cujus adventu præcognito, maxima pars eorum qui dissentionis principes fuerant, quos Salernitani capituri nos appellant, fugerunt, eò quod Comitibus Marioque Burrello juraverant. Cùm autem Salernitanorum majores Regi vellent occurrere, rogaturi ut urbem ingrederetur, simulque ut conjurationis principes universos fugisse nunciantes, eos qui remanserant excusarent, ille nec urbem ingredi voluit, & eos à conspectu suo submoveri præcepit. Nam adversus Salernitanos plurimum indignationis conceperat, & exemplo Bari totam decreverat destruere civitatem. Sed Matthæus notarius familiaris curiæ cùm & ipse Salernitanus esset, alios Regis familiares, Richardum Syracusanum Electum, & Sylvestrum Comitem multis precibus exoravit, ut modis omnibus eniterentur, ne tanta tamque nobilis civitas deperiret. Henricus enim Aristippus antequam in Apuliam pervenisset, jubente Rege captus fuerat, & Panormum reductus: qui etiam in carcere post non multum temporis, miseriæ simul & vivendi modum sortitus est. Electus ergo Syracusanus & Sylvester Comes diu multumque Regi supplicantes, multis ei rationibus persuadere conabantur, urbem famosissimam totique regno non parum decoris afferentem, ob paucorum scelera non oportere destrui, cum omnes ex urbe proditores aufugerint, ac si forte

quos-

Monomachia probare juxta consuetudinem curiæ.

Admissæ impudicarum delationes.

Rex Galielmus Salernū accessit.

Vel Capitaneos.

Henricus Aristippus mortuus in carcere.

quospiam illorum remansisse contigerit, eorum incumbendum supplicils, neque populum immeritum ob liena crimina puniendum. Rex autem cum difficile primum hujusmodi persuasiones admitteret, demum tamen multis assertionibus emollitus ab urbis excidio se temperaturum spopondit, præcipiens Stratigoto & judicibus ut quotquot de numero conjuratorum in urbe remanserat, ad se vinctos perducerent. At illi paucos ei viros quasi dissentionis principes tradiderunt: quos ipsa die jussit suspendi. Inter eos autem vir quidam eidem est supplicio projectus, judicio totius fere civitatis innoxius, qui ut communis civium erat assertio, non modo contra Regem nemini præstiterat jusjurandum, sed nec unquam in urbe visus fuerat seditiose quicquam egisse. Verum Matthæus notarius jurgiorum injurias ab illo propinquis suis illatas atrociter ulcisci desiderans, falsò suggesserat Regi, totius eum mali quòd Salerni gestum fuerat, caput & principium extitisse: cujus statim innocentia manifestis est indiciis declarata: & evidenter apparuit aliquid fuisse contra justitiam perpetratum, quod justi rerum omnium Judicis oculos offendisset. Cùm enim adeo serenus esset aer ut nullum prorsus in eo nubis vestigium appareret, tanta repente tempestas exorta est, tonitrua, coruscationes, & imbrium inundatio subsecuta, ut per totum exercitum instar rapidissimi torrentis, aqua decurreret, & tam ipsius Regis quàm cæterorum omnium tentoria paxillis avulsis, ruptisque funibus procella subverteret: tantusque Regem & universum exercitum terror invasit, ut rerum omnium jactura posthabita cogerentur de salute propria desperare. Illud etiam ad ejus rei vindictam plerique referunt, quod postmodum Matthæi notarii propinquis accidit, non sine totius dispendio civitatis. Nam cujus idem Matthæus adolescentem quendam neptis suæ nuptias recusantem, auctoritate metuque curiæ coegisset, & ad contraenda sponsalia corrogati de majoribus civitatis cum uxoribus plurimi convenissent, repente corruens domus, viros nobiles ac mulieres circiter LX. cum ipsa puella quæ nuptui tradebatur, oppressit. Ea res Salernitanorum animos non aliter conturbavit, quàm si Barbaris irruentibus captæ jam urbis viderent excidium imminere. Mulieres huc illuc sparsis crinibus discurrentes, vicos & plateas ululatu complebant. Civium autem quidam extrahendis de ruina corporibus operam dabant, alii domestica lugebant incommoda, vel amicorum mœstitiam solabantur: nonnulli quoque miseram desolatæ civitatis fortunam mirabantur attoniti. Nam & apothecis clausis contractus nulli fiebant, & scholæ velut indicto silentio quiescebant, ipsosque Judices miserandum urbis ac triste justitium ab examinandarum litium cognitione suspenderat. Tota civitas luctul vacans Matthæi notarii detestabatur scelera, qui tanti causam præstitisset incommodi; sed & de Rege nihilominus, ubi jam supra metum dolor excreverat, inconsulte plurima loquebantur. Verum hæc eatenus præoccupasse licuerit, ne majorem evagandi licentiam turbulenta narrationis series consequatur. Itaque Rex ubi sedata vidit omnia, neque jam hostes uspiam comparere, quorum alii transfretarant in Græciam alii cum Comite Lorotelli ad Imperatorem Alemannorum confugerant, plerique rerum omnium inopes in Campania morabantur, reversus in Siciliam palatio se conclusit, & ocio quietique vacare post laborem instituit, confidens non facile deinceps in regno quicquam turbinis emersurum. Nec multo post moriente

Syl-

Sereno aere tempestas à Deo immissa

Oppressi ruina domus.

Salernitanorum luctus.

Redit ad institutum.

Rex in Siciliã reversus.

Sylvestro Comite, Syracusanus electus, & Matthæus notarius soli consilio Regis inter erant, & regni disponebant negocia. Quibus sociis datus est Gaytus Petrus Eunuchus, qui post mortem Gayti Joharii fuerat magister camerarius palatii constitutus. Matthæus ergo notarius cum jam plurimum posset in curia, constituerat Admirati ritus & consuetudines imitari, omnibusque se præbens affabilem, eis maxime quos oderat arridebat, ipsumque Regem adulationibus jam cœperat demulcere, sciens ob id ipsum Majonem ei maxime placuisse. Largitatem verò Majonis avaritia præpeditus imitari non poterat, nec illi se cum impeditioris esset linguæ, facundia similem exhibere, sed & abjectus generique concors animus in eam quæ Majonem foverat regnandi spem, non sufficiebat illum attollere, licet totis nisibus affectare & perquirere videretur, ut solus regia præditus familiaritate locum admirati plenius obtineret, cum nomen efficaciter Rege vivente sperare non posset. Neque verò Syracusani electi collegæ sui fidelius amicitiam excolebat, aut alio venerabatur affectu quàm Admiratus Panormitanum olim Archiepiscopum diligebat. Electus autem non multum ejusmodi versutiis & simulationibus operam dare decreverat, ipsique Regi majori quadam fiducia loquebatur: indignum honestate sua judicans eatenus illi blandiri, ut vel occultaret veritatem, vel falsa pro veris impudenter ingereret. Eo tempore post subactos hostes & pacem integre restitutam, cum Rex nihil ultra sibi crederet formidandum, repentinus eum casus edocuit, ita fortunam plerunque mortales eludere, ut ubi minus quis præcaverit, citius damnum aut periculum incurrat. Pauci namque viri qui diversis ex causis adhuc in carcere tenebantur, ne palatium quandoque nullum tyrannidis prætenderet argumentum, cum jam de venia desperantes vivendi tædio vexarentur, fortunæ se commissum ire decreverant, ut vel ea favente cœptis evaderent, vel adversante, morti potius vellent occurrere, quàm ejusmodi miseriis affligi diutius, perpetuis horrendorum carcerum pædoribus cruciandi. Itaque custodibus carcerum mulis promissionum pactionibus prius corruptis, nacti tempus congruum quo post distractam curiam palatium inobservatum remanserat, cum pauci quidem essent numero, sed virtute præstantes, impetu facto primum ad portam palatii descenderunt, eo consilio ut Ansaldo castellano, quem ibi sedere cognoverant interfecto, facilius reliqua perpetrarent. At ille cum eos subito respexisset, jam eis sublatis ensibus imminentes, nihil ex timore perturbato consilio, extra portam quæ semiaperta erat, tam provide quàm prompte desiliens, eandem toto conamine post se retractam venientibus illis opposuit, inter extrinsecam intrinsecamque portam loco tutissimo constitutus. Illi verò spe frustrati ad inferiorem ingressum palatii se transtulerunt, sive ut ad Regem indeflexo gressu contenderent; sive ut ibidem in scholis Regis filios invenirent, quos eorum præceptor Galterius Cephaludensis Archidiaconus in Campanarum primis rei motibus præcognitis asportarat. Acciderat autem Gayto Martino post primam januam in introitu sedenti viros quosdam assistere, quorum unus irruentibus illis obvium se dedit & primos ictus excipiens, eorum impetum retardavit, spemque sustulit. Interim enim Gaytus Martinus foribus obseratis intra palatium se recepit. Ita cum nihil eorum quæ speraverant effecissent, subita virorum multitudine circumventi, quæ cum Odone magistro stabuli

Matthæus notarius imitari Majonem conatur.

Captivi erumpere quæritant.

repen-

Captivi interfecti.

repente confluxerat,ad unum omnes interfecti sunt.Cadavera eorum projecta canibus,prohibuit curia sepeliri. Rex autem ut ejusmodi casus discrimen in posterũ amputaret,& quod ei bis acciderat non oporteret eventurũ,denuo formidari,omnes incarceratos è palatio censuit removendos,quorũ alios jussit ad castellum maris trãsferri,alios per diversa Sicilię castella distribui. Robertus autem Calatabojanensis magister castelli maris ultimæ crudelitatis homo, cum esset eunuchorum amicissimus, & eorum omnino devotus obsequiis, quoscumque Christianorum captos ad eum perduci contigerat, ingentibus cathenis oneratos crebris torquebat verberibus, & eos in nova quædam detrudebat ergastula, quæ ut antecessorum videretur tyrannidem superasse, plena fœtoris ac formidinis ipse construxerat. Cives etiam multis afficiebat injuriis,quotiesque adversus eorum aliquem privatum habebat odium, aut ejus domum, vineam, hortum, vel omnino talium quidpiam affectabat, accusatum apud Gaytum Petrum, jussumque capi tandiu fame, siti, pœnisque variis affligebat, donec rem suam ut evaderet, gratis dare, vel minoris quàm valeret distrahere cogeretur. Volens autem plenius eunuchorum gratiam promereri, falso suggessit Gayto Petro, multos proditorum per Siciliam, maximeque per Lombardorum oppida remansisse, qui & opibus affluerent, & largissima prædia possiderent, impetravitque ut eosdem liceret ei capere, & quantam posset ab eis pecuniam extorquere. Ea præditus potestate, multos viros innoxios per diversa loca Siciliæ condemnavit, quibus hoc solum obfuit quod unde mitigari posset eunuchorum cupiditas inexpleta, penes ipsos contigit reperiri. Sed & Bartholomæus Perisinus, aliique Justitiarii, Stratigoti, Camerarii, Catapani, Gayti Petri patrociniis innitentes, innumeris plebem rapinis & injuriis atterebant; hoc in omnibus judiciis, præcipuum attendentes ut ab utralibet partium, vel ab utraque si fieri posset, pecuniam extorquerent. Per totam autem Apuliam & Terram laboris in eos plurimum qui minus poterant, redemptionis exactio sæviebat, expediretque regno Siciliæ hostilibus adhuc incursibus fatigari, ne domesticis populandum prædonibus traderetur. Cum ergo regnum ab externis tumultibus aliquandiu quievisset, Rex autem interim ocio quietique vacaret, timens ne quævis occasio voluptuosum ocium impediret, familiares suos præmonuerat, ut nihil ei quod mœstitiam aut solicitudinem posset ingerere nunciarent, ac se totum deinceps voluptati devovens, cœpit animo latius vagari, cogitans ut quia pater ejus Favariam, Mimnernum, aliaque delectabilia loca fecerat, ipse quoque palatium novum construeret, quod commodius ac diligentius compositum videretur universis patris operibus præminere. Cujus parte maxima mira celeritate non sine magnis sumptibus expedita, antequam supremam operi manum imponeret, dysenteriam incurrens cepit diuturno morbo dissolvi, ac duorum fere mensium spacio, protracta valetudine denuo convalescens, cum jam eum Medici crederent evasurum, repente recidivo morbo consumptus interiit. Qui cum adhuc in extremis ageret, magnatibus curiæ convocatis & Archiepiscopis Salernitano Rheginoque præsentibus ultimam voluntatem suam exponens, Gulielmum majorem filium post se regni successorem constituit. Henricus vero Principatu Capuę quem dudum ei concesserat voluit esse contentum. Reginam autem præcepit totius regni curam & administrationem, quę vulgo

Sævitia in Christianos.

Rex voluptatẽ in ocio venatur.

Dysenteria, i. tormibus intestinorum Guliel. Rex interiit. Salernitanus erat Rumoaldus. Rheginus verò Rogerius. Gulielmus Gulielmi fi-

vulgo balium appellatur, tandiu gerere, dum puer ejus prudentiæ esset quæ negociis provide disponendis sufficere putaretur. Electum quoque Syracusanum, Gaytum Petrum, Matthæum notarium, quos ipse sibi familiares elegerat, in eadem jussit familiaritate curiæ permanere, ut eorum Regina consilio quæ gerenda viderentur disponeret. Nec multo post ingruente mortis articulo, communi jam luce defungens, præsentibus illis atque flentibus, regno vitaque se pariter abdicavit. At illi metuentes ne subito dispersus rumor in populo motus quoslibet excitaret, jusserunt eum interim in ipso palatio sepeliri, simulantes eum adhuc vivere, donec ad curiam proceribus evocatis, quæ ad coronandum Regem putabantur necessaria, præparent. Quod ubi paucis diebus peractum est, primum in palatio more lugubri funere conclamato, repente totius luctus subsequutus est civitatis. Moxque proceres cum Episcopis & Magnatibus curiæ de loco ubi sepultum fuerat, in capellam corpus regium transtulerunt. Universi quoque cives nigris induti vestibus usque in diem tertium in eodem habitu permanserunt. Per totum autem hoc triduum mulieres nobilesque matronæ, maxime Sarracenæ, quibus ex morte Regis dolor non fictus obvenerat, saccis opertæ, passis crinibus & die noctuque turmatim incedentes, ancillarum præeunte multitudine, totam civitatem ululatu complebant, ad pulsata tympana cantu flebili respondentes. At ubi dies transierunt, luctui publico designati Gulielmus qui jam fere XIIII. annum ætatis attigerat, sub ingenti plebis gaudio Rex creatus per urbem sollenniter equitavit. Qui cum pulcherrimus esset, ea tamen die nescio quo pacto pulchrior apparens, & angustiorem quandam in vultu præ se ferens venustatem, adeo gratiam & favorem omnium promeruit, ut etiam hi qui patrem ejus atrociter oderant, neque putabantur fidem unquam ejus hæredibus servaturi, dicerent, humanitatis eum terminos trangressurum, qui adversus primum hunc aliquid impie moliretur. Sufficere enim malorum auctorem sublatum esse de medio, nec innocenti debere puero patris tyrannidem imputari. Erat autem ejus puer pulchritudinis: quæ facilius quidē parem excludere videretur, quàm superiorem admittere. Itaque Regina ut plebem ac proceres sibi filioque gratos efficeret, statuit eorum gratiam copia meritorum elicere, & fidem si fieri posset, immensis saltem beneficiis extorquere. Ac primum universa recludi jussit ergastula, plurimamque multitudinem virorum tam in Sicilia quàm in adjacentibus Insulis liberavit. Inde redemptionis onus importabile quæ totam Apuliam Terramque laboris ultima jam desperatione concusserat, omnino censuit amovendum: scripsitque magistris camerariis, ut à nemine deinceps quicquam nomine redemptionis exigerent. Familiares autem curiæ non in eo gradu quo fuerant aut dignitatis æqualitate voluit permanere. Nam Gayto Petro summa rerum omnium potestate concessa, super omnes eum eminentiori loco constituens, electum Syracusanum, Matthæumque notarium præcepit, ut ejus coadjutores, interesse quidem consiliis & familiares appellari, sed ejus in omnibus imperio subservire. Idem autem Petrus licet parum consulti pectoris, & incostantis esset animi, mansuetus tamen benignus, & affabilis erat, & nullum in actibus suis mali animi præferens argumentum. Largitatem quoque præcunctis amplectens virtutibus, dare quàm accipere beatius ęstimabat: unde & milites eum plurimum diligebant, & ejus

[Margin: Filius major Rex Henricus capuæ princeps. Regina Gubernatrix regni Margareta nomine.]

[Margin: Dissimulatur mors Regis.]

[Margin: Luctus ob Regem.]

[Margin: Regina conciliat omniū gratiam.]

[Margin: Gaytus Petrus quali ingenio.]

per omnia voluntatem, & imperia sequebantur, & nisi gentile vitium innatam viri mansuetudinem præpediret, nec eum pateretur Christiani nominis odium penitus abjecisse, regnum Siciliæ multa sub eo tranquillitate gauderet. Erant eò tempore Panormi circa curiam commorantes Archiepiscopi quidam Rumoaldus Salernitanus, & Rogerius Rheginus, Episcopi verò, Gentilis Agrigentinus, & Tustanus Mazariensis. Quorum Gentilis Agrigentinus Episcopus ob timorem Regis diu simulatæ religionis umbram amplexus, sub ejus obtentu, popularis laudis gloriam venabatur, & diuturnis jejuniis satagebat favorem regium promereri. Post obitum verò Regis sublato jam metu cœpit velut excusso fræno liberius evagari, & omissis jejuniis dissolutionem vitam agere, convocatisque militibus crebra convivia splendidissime celebrare. Interim inter epulas luqui plurimum, & quòd ei familiare semper fuit, de rebus notissimis audacter mentiri, ut qui consuetudinem ejus jam habebant expertam, ipsius impudentiam deriderent: qui verò minus eum nuverant, mirarentur apertissimam falsitatem Episcopum tam impudenter astruere. Tum genus suum, operaque sua magnifice loquebatur, tum se spondebat, si familiaris esset curiæ, malas omnes consuetudines abrasurum: neque sub se notariorum, & hostiariorum, cæterorumque officialium curiæ rapinis & exactionibus locum fore, sed ad certum mensuræ compendium omnia restringenda: Electoque Syracusano maxime detrahens, multorum ei conflabat odium, & apud plæbem proceresque, ejus opinionem lædere conabatur. Ad obtinendam enim Panormitanæ sedem Ecclesiæ totis ambo nisibus anhelabant. Hic igitur Archiepiscopo Rhegino viro inexpletæ cupiditatis & avaritiæ, qui ut propriis sumptibus parceret, alienæ mensæ nidoræ facile trahebatur, crebris ac splendidis inescato conviviis, adversas Electum Syracusanum animum irritavit, eumque sibi socium adhibens, Archiepiscopum Salernitanum ejusdem veneno conspirationis infecit, dicens Electi Syracusani superbiam jam ulterius sustineri non posse, satis eum superque de rapinis pauperum ingentem coacervasse pecuniam, & inferendo multis injurias, nec ipsis quidem Episcopis pepercisse; nunc elaborandum ut à curia separatus tandem intelligat alicujus eos esse momenti, quos in familiaritate regia constitutus erecto collo, rigentique cervice grandia verba trutinas, tanquam sibi subjectos despexerit, nulloque dignos honore putaverit. Matthæo quoque notario non difficile persuasum est, ut eidem se societati conjungeret, quem adversus Electum invidiæ stimulus incitarat. Occulte tamen id se facturum promisit, ne crudelitas nimia videretur in eum repente sine manifesta causa patenter irruere, cujus diu socius extitisset. Timebat enim, ne forte res aliorsum ac opinabantur vergeret; ideoque se non audebat hostem apertum ostendere. Enimuero præter eas quæ dictæ sunt, privatas singulorum inimicitias, alia quoque causa suberat, quæ in odium Electi satis eos efficaciter inducebat. Ajebant enim Transalpinæ gentis superbiam quę hactenus potestate prædita curiæ, fretaque Regum amicitia. Longobardos impune multis exacerbasset injuriis, deinceps à curia penitus excludendam, si prius Electum amoveri contigerit. Eo namque semel expulso, nec ejus gentis qnempiam in curia remansurum, ipsumque Regem cùm ad ætatem discretam pervenerit, eos habiturum familiares, inter quos nutritus fuerit, & quos eum usus longævus consue-

Gentilis Agrigentinus episcopus hypocrites & jactabundus, factiosus.

Archiepiscopus Rheginus alienæ quadræ sectator.

Matthæus notarius factionem sequitur.

In electum Syracusanũ multi conatus instinctu Gayti Petri.

suetudoque docuerit, neque peregrinis & advenis, quorum mores ut ignotos abhorreat, dignitates curiæ collaturum. Cœperunt itaque cùm Gayto Petro equitare singulis diebus frequenter ei assistere, & honorem ac reverentiam ultra quàm Episcopalis pateretur dignitas, exhibere. Inde familiarius eum admonent, ut notos & amicos circa se semper habeat; nec ignotum quempiam ad se patiatur accedere; nam Electum Syracusanum cum in curia superiorem paci non possit, cum quibusdam aliis iniisse consilium, ut ipsum interfici faciat: ideòque dandam operam ut illius possint insidiæ præcaveri. Ille ut erat pronus quicquid sibi suggestum foret credere, collaudans eos, rem ad amicorum transfert notitiam: quorum consilio statuit, non solùm à curia Syracusanum Electum expellere, verum etiam eligere viros, qui eum in ipsius ingressu palatii gladiis exceptum confoderent. Interimque Regis militibus eorumque comestabulis denunciari præcepit, ut nullus eorum cum electo deinceps equitare, vel ad curiam euntem sequi præsumeret. Electus licet multorum relatu quæ facta fuerant agnovisset, neque se tamen adversus eorum consilium aliquatenus præmunivit, neque segnius ob hoc ad curiam singulis diebus ascendit, ut quicunq; periculum rei cognoverant, securitatem illius, & fiduciam mirarentur. Cùmque sæpe palatium ingressus propositas insidias offendisset, eò viso Gaytus Petrus, ut erat natura mitissimus, ad ejus salutationem statim mutabat consilium, & à perpetrando scelere milites avertebat, illoque recedente, crebris Episcoporum stimulationibus denuo incitatus spondebat se proculdubio quod suaderent facturum. Ubi ad rem ventum erat, rursus à proposito decidebat. Videntes autem Episcopi Matthæusque notarius rem inutiliter diu protrahi, persuaserunt ei, ut si vellet pius in impium esse, bonumque pro malo reddere decrevisset, saltem illum à curiæ familiaritate semotum ad Episcopatum suum transmitteret, ejusque loco Salernitanum Archiepiscopum subrogaret. Quòd ille se facturum promisit, parumque diligenter rem exequens, eorum animos expectatione longa speque dubia suspendebat, ceterique jam dilationis tædio fatigati, ab eo quod incœperant facile destitissent, nisi Archiepiscopus Rheginus continuis eos persuasionum stimulis incitasset. Summo namque mane domos illorum incipiens circuire: ad perficiendum susceptum negocium singulos incitabat, & ne deficiendo tepescerent hortabatur: increpansque desidiam illorum, & inertes eos appellans, ejusmodi exhortationibus totum diei spatium consumebat, & diffidentes animos in spem iterum erigebat. Adhuc enim ob sanctitatis opinionem omnes eum venerabantur, & ejus libenter admittebant consilium, nondum ipsius hypocrisi denudata. Erat autem ætate jam vergens in senium, statura procerus, ultima consumptus & extenuatus macie vocem, adeò debilem habens, ut quasi sibilus audiretur faciem verò totumque corpus nigredini mixtus pallor infecerat, ut sepultis quàm viventibus videretur affinior, habitumque mentis calor extrinsecus indicaret. Laborem nullum difficilem æstimabat, unde lucri quidpiam speraretur, famis ac sitis ultra morem humanum patiens, ut sumptibus parceret, domi nunquam inter epulas lætus, in alieno nunquam tristis convivio. Totos sæpissime dies jejunus pertransiens, expectabat ut eum aliquis invitaret; frequenter enim consueverat eum vocare Episcopus Agrigentinus, aliique qui consuetudinem ejus cognoverant. Hujus indefinenter monitis Salernitanus

Rogerius Archiepiscopus Rheginus qualis.

Archiepiscopus ejusque socii, velut quibusdam stimulis incitati, multas adversus Electum Syracusanum machinationum adinventiones & versutias consumebant. Regina verò nihilominus eisdem consentiebat consiliis, nec illius ipsi persecutio displicebat, eò quod adhuc vivente marito suo, cùm pro quibusdam negociis suis aliquoties Electo preces porrigeret, ille ut in prosperis semper elatus, contemptorem induebat animum, superbe nunciis mordaciterque respondens, nunquam ejus petitiones efficaciter admittebat. Sed & Joannes Neapolitanus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui forte tunc aderat, videns eo schismate curiam laborare, partes suas interponere studuit, & Gayto Petro consentiens, Electum à curia nitebatur expellere. Quòd eo consilio facere putabatur, quia Gayto Petro deincepsque per eum Reginę persuaderi posse credebat, ut Panormitanam Ecclesiam ei regendam committerent: ipsosque sperabat dissentionis auctores ob invidiam Electi facile consensuros. Dum ita Syracusanus Electus gravi persecutionis turbine quateretur, nunciatum est Panormi Gilbertum Comitem Gravinensem, Reginæ consanguineum, post auditam Regis mortem ad curiam venientem Pharum transisse. Quo permoti rumore persecutores Electi, paulisper ab incœptis machinis quieverunt, ad aliam necessariò deliberationem traducti. Constabat enim ob hoc venire Comitem, ut totius regni Magister capitaneus esset constitutus, negocia curiæ post Reginam, Principe loco disponeret. Sed neque Reginæ sic ferebat animus, ut Gaytum Petrum quem plurimum diligebat, secundo post aliquem loco poneret, nec ea Comes venerat præmunitus manu militum, ut ipsa nolente cæteros posset à curia familiares excludere. Electus ergo missis ad eum occulte nunciis, persecutionem suam & quas passus esset injurias illi aperuit, monuitque ut circumspecte se habens Siculorum præcaveret fallacias, sciturus à Gayto Petro cæterisque sociis ejus proculdubio sibi paratum iri insidias. Ad hęc Electo Comes rescripsit, ut securus de cętero permaneret: nam se diligenter super his omnibus ejus ipsius consilio provisurum. Cùm autem Panormum venisse, cœperunt ad eum Gayti Petri fautores, crebtius convenire, studium ejus & prudentiam laudare, quòd audita Regis morte sine dilatione Reginam consolatum venerit: dein assentantes illi blandiri, & se suaque voluntatis ejus exponere. Interim ei latenter apud Reginam tum per seipsos, tum etiam interposita Cardinalis auctoritate detrahere. Nam & ipsa postmodum prodente cognitum est Joannem Neapolitanum ei suggessisse, & paratum fuisse jurare quòd Comes illi Balium & omnem imperandi facultatem auferre, sibique transsumere conaretur. Comes ubi certius expectationem suam animadvertit eludi, neque bonum erga se Reginam animum gerere, statuit asperioribus cùm ea verbis agere, eamque præsente Gayto Petro secretius alloquens, cùm de rebus illam plurimis convenisset, subjecit rem omnibus dignam videri miraculo, quòd non aliter curiam ordinaret, cùm in eo statu non posset diutius permanere. Jam enim universos proceres indignari, quòd omissis Comitibus, aliisque viris prudentibus, quorum oportebat consilio curiam Regi, toti Regno servum effeminatum præfecerit. Nec enim Regem sanum habuisse consilium, aut ejus debere super hoc jussionem impleri, qui viros contemtibiles immodeviratos homines ad regimen Regni putaverit posse sufficere. Sed & hoc insanius esse, quòd adversus Electum Sy-

Joannes Neapolitanus Cardinalis.

Gilbertus Comes Gravinensis venit Panormũ. Gravinensia autem comitatus in Regno est Neapolitano.

Electus ad Gravinensē.

Gravinensis rescribit.

Gravinensis dure loquitur Reginæ.

Syracusanum virum prudentem, Regnoque necessarium; ob quem solùm inconsulta Regis decreta videbantur aliquatenus excusari, nescio qui conspiratores eam moverint, & ipsum à curia censeant amovendum. At illa respondit, Regis ultimam voluntatem, quam maxime deceat observari, sua nunquam infirmatum iri opera. Quod si Gaytus Petrus ad administrationem Regni parum sufficiens putabatur, ipse cum eo familiaris in curia remaneret, ut auctoritate & prudentia sua quod deerat curiæ suppleretur. Tunc indignatus Comes, Bene, inquit, honorem mihi debitum ut consanguineo detulisti, præclare mihi locum reservaveras dignitatis, quę servo tuo parem me facere disponebas. At ego mores ingeniumque tuum cognovi, neque me latet consilium tuum, scio te quidem facturum ut ab administratione Regni turpiter expellaris. Jam enim per totam Apuliam opera tua fama dispersit: jam hic etiam quod plenius ibi dicta corroboret intellexi. His aliisque non mitioribus eam verbis aggressus, deincepsque paulatim in apertam verborum contumeliam prorumpens, tandem ad lachrymas coactam, nihilo tamen segnius ejus proposito reluctantem deseruit, iratusque domum reversus est. At Gaytus Petrus cum aperte Comitis animum ex ipsius dictis ut præsens aderat cognovisset, arbitratus ei viribus resistendum cœpit animos militum beneficiis sibi largisque donis allicere. Erant tunc consiliorum ejus participes duo viri nobiles, in quibus maxime confidebat, Hugo filius Atonis, vir tam prudens quàm armis strenuus, quem militibus suis ipse præfecerat, & Richardus de Mandra magister comestabulus, qui cum Roberto Comite Lorotelli rebus diu bellicis insudaverat, audaciæ plurimum habens, prudentiæ parum. Proceres ergo cæterique viri nobiles quicumque prædia vel feudorum quidplam possidebant, Comitem malebant præesse curiæ Capitaneumque constitui. Milites verò stipendiarii cum comestabulo suo præter paucos transmontanos, Gayti Petri munera sequebantur. Qui cum Richardi comestabuli fidem multis sibi non ambigeret beneficiis obligatam, eo tendebat ut eundem factum Comitem quasi propugnaculum quoddam adversus Comitem Gravinensem erigeret, ut velut ex æquo deinceps Comes Comiti plena posset auctoritate resistere. Quod non difficile porrectis super hoc Reginæ precibus impetravit. Hic itaque non sine multorum indignatione Comes creatus, tubis, tympanis, cimbalisque de more sollenniter præeuntibus, Bovianum, Venafrum integreque universa oppida quæ ad Comitatum Molisii pertinebant, obtinuit. Cepit interea Gaytus Petrus frequenter cum ingenti multitudine militum hostiariisque sagittariisque præcedentibus equitare, universis ad se confluentibus multa largiri, & sibi quos poterat Sacramentis astringere. Comes autem Gravinensis hæc omnia velut negligere dissimulando, paucorum Comitatu contentus esse, eoque ipso Gayto Petro suspectior fieri. Conjectabat enim notæ virum indnstriæ callidum dissimulare propositum, & occultè cum Electo Syracusano magnum aliquid machinari. Ex ea demum suspicione timorem concipiens, Comitis consilium per amicos diligentius inquirebat. Cumque multi nihil esse timendum assererent, & addita spe niterentur labantem ejus animum roborare: plures ad eum secretius accedentes, parari sibi latenter insidias astruebant. Ita variis dissonisque concussum rumoribus eò desperationis impulerant, ut non aliter se quam nocturna fu-

Respondit Regina.

Gravinensis iratus domū rediit.

Gaytus Petrus.

Richardus Mandrensis comestabulus Comes Molisii creatus.

Comes Gravinensis.

Gaytus Petrus metu perculsus ad Regem Massmudorum in Africam fugit.

ga

ga speraret manus Comitis evasurum. Itaque sagitteam quanta potuit celeritate faciens preparari, nautis, armis, cæterisque rebus necessariis eam præmuniit. Cumque thesauros suos fecisset illuc sub noctis silentio comportari, sequenti die post occasum solis fingens se novum adire velle palatium, quod in ea parte civitatis quæ vocatur Kemonia nuper construxerat, cum paucis eunuchis quos secum decreverat abducendos, ad mare perrexit: ibique dimissis equis navem conscendens ad Masmudorum Regem in Africam transfretavit. Quod eum summo mane fama per populum dispersisset, eorum qui partes ejus sequuti fuerant animos inopitatæ rei perturbavit eventus. Gilbertum verò Comitem ejusque fautores in amplioris spei fiduciam extulit, arbitrantes propositum suum nullo posse deinceps obstaculo præpediri. Dicebant autem plerique. & hæc erat plæbis opinio, quod Gaytus Petrus præter immensi ponderis aurum de quo dubium non erat, plurima quoque secum abstulerat regiæ dignitatis insignia. Quod tamen Regina constanter denegans, asserebat nihil eum penitus de thesauris regiis attigisse. Cum ergo post hæc ad palatium Episcopi Comites, & familiares curiæ convenissent,diuque super eo quod acciderat invicem disceptantes, causam modumque rei disquirerent, subintulit Comes Gravinensis hæc & deteriora se prius quàm acciderent timuisse;nam insanum fuisse consilium, servum Sarracenum qui Stolium quoque dudum prodiderat,in tantam attollere potestatem. Illud quidem majori dignum miraculo, quod non latenter introductis Masmudis in palatium Regem ipsum cum omnibus thesauris fecerit asportari. Quod profectò decreverat se facturum, siquidem ipsi liceret ea quam usurpaverat uti diutius potestate. Hæc & his similia Comitis dicta moleste ferens Richardus Comes Molisii, respondit Gaytum Petrum servum quidem ut ajebat fuisse, sed in testamento Regis solenniter manu missum, eamque libertatis dationem novi quoque Regis & Reginæ privilegio roboratam. Quod si vel ipse, vel alius quilibet in eam prorumpere velit audaciam,ut eundem Gaytum Petrum proditionis arguat, paratum se defensionem ejus suscipere, & singularis pugnæ judicio fidem absentis astruere. Qui cum instans periculum, & paratas insidias aliter evitare non posset, nihil mirandum si timore mortis aufugiens quocunque pacto vitæ consuluit: in eum culpam refundi debere, qui minis eum & terroribus adactum fugere compulisset. His itaque velut quibusdam litigandi jactis seminibus, alterna responsione Comitum, eò usque res processit, ut Richardus Molisii Comes eo quo loquebatur impetu Comitem Gravinensem timidum appellaret, indignumque cui Regis committeretur exercitus; & nisi qui aderant sese medios injecissent, inter eos orta discordia non sine partis alterius gravi dispendio sopiretur. Tunc jussu Reginæ precibusque magnatum curiæ remissis hinc inde verborum injuriis,ad concordiam sunt reducti, quæ tamen inter eos deinceps perfectè nunquam potuit solidari. Interea Regina persuasionibus Richardi Comitis & aliorum qui Gayto Petro faverant, adquiescens, occasionem sibi desiderabat congruam exhiberi, ut Gilbertum Comitem à curia removeret, ita tamen ne quid ejus opio facere videretur. At Matthæus notarius qui cæteris omnibus astutia præeminebat, ad Majonis artes confugiens, famam excitat aliquanto jam tempore quiescentem: rumores dispergit in populo, literas falsas conscribit Imperatoris Alemanno-

rum

Comes Gravinensis.

Richardus Comes Molisii tuetur Gaytum Petrum.

Monomachiam intelligit.

Matthæus notarius Majonis invitator.

tum adventum certissime continentes, easque velut à remotis Regni partibus Regi trasmissas coram omnibus evoluit, ac recitat; hoc enim ad ejus officium pertinebat. Hinc opportune Regina quæsitam occasionem eliciens, Comiti Gravinensi præcipit, multumque blandiens exhortatur, ut quia non negligenda necessitatis ingruat difficultas, cui potissimum ipse videatur sufficere, maturet in Apuliam proficisci, adversus Imperatorem exercitum præparet, civitates ne dubia fide vacillent admoneat, castellaque faciat præmuniri. Atque ille tametsi non ambigeret hos adversum se machinationum rivulos de Majonicis fontibus emanasse, videns tamen se contra Reginæ voluntatem nihil in curia profecturum, operæ precium ratus est eorum non adversari consiliis, ne si quod occulte se facturos speraverant, viderent secus accidere, posthabitis simulandi fallendique consiliis, aperte jam eum licet reluctantem ut pote fortiores expellerent. Igitur Apuliæ Terræque laboris Capitaneus constitutus cum filio suo Bertranno cui nuper Andriæ Comitatus datus fuerat, Pharum transiit, & in Apuliam reversus est. Ejus autem loco Regina Richardum Mandrensem Molisii Comitem, eo quod Gaytum Petrum fidelissime dilexisset, curiæ familiarem constituit, & majorem ei quam cæteris familiaribus contulit potestatem. Qui cum ob familiaritatem curiæ, tum ob præcipitem ejus audaciam, tum etiam quia militibus adhuc velut Comestabulus præerat, ab omnibus maxime timebatur. Interea litem adversus Electum Syracusanum, quæ timore Comitis aliquando tempore sopita fuerat, Episcopi rursus instaurant, Reginæ suggerentes illius opera factum, ut Gaytus Petrus aufugeret; nam Gilbertum Comitem ejusdem literis ad curiam evocatum, & in via clandestinis nunciis quid agere deberet edoctum. Satis eum impune Reginam totamque curiam offendisse, perturbasse, magnisque objectasse periculis: neque mirum, cum ipsa facinorum impunitas audendi quicquid libitum fuerit præstet illi fiduciam. Quod si solum ipsa consenserit, facile se facturos ut literis Pontificis Romani citatum oporteat eum Romam proficisci, nec in ea super hoc possit culpę quidpiam retorqueri, cum nec ejus factum videatur consilio. Post consecrationem verò suam velut jam curię familiaritate privatum, ad Episcopatum suum recto tramite reversurum. Assentiente Regina, idque sibi gratum fore modis omnibus attestante, die constituto Joannes Neapolitanus harum machinationum Princeps, vocatur ad curiam, paucisque de negociis Ecclesiæ Romanę pro quibus venerat verbis ante habitis, Papę literas demum ostendit, præcipientis ut omnes electi Siciliæ quorum ad Romanum Pontificem spectat consecratio, Romam pergerent consecrandi. His in præsentia Regis ac Reginæ totiusque curiæ perlectis, adjecit sibi Papam præcepisse, ut quod literis deerat ipse suppleret, & præfatis electis ex parte sua, certum quo consecrari deberent terminum præfiniret. Ad hæc Electus respondit paratum se mandatum Papæ libenter quamprimum potuerit adimplere, sed neque terminum quem Cardinalis ipse præfixerit, recepturum, nec omnino siquid præter literarum tenorem superaddere velit facturum. His aliquanta disputatione protractis, cum Electus prudenter ad singula respondendo spem Cardinalis aliquatenus elusisset, magna diei parte consumpta simul è palatio descenderunt. His diebus Gulielmum Regem quem viventem velut atrocissimum tyrannum oderant, plurimi mortuum deflevere, videntes privatis

Guilbertus Gravinensis Comes à curia per fraudem removetur.

Ejus filius Bertrannus Andriç Comes.

Richardus Mandrensis in summa potestate.

In Electum Syracusanũ.

Joan. Neapolitanus machinationum Princeps in Syracusanũ.

Respondet Syracusanus

Gulielmum Regem oderant viventē & mortuum deflevere.

vatis inimicitiis Regni postponi negocia thesauros multis artibus inaniri, & contra dignitatem curiæ Regnique privilegia plurima perpetrari. Electus quoque cum aliquando multis præsentibus vellet ejusdem Regis mortem damnosam innuere: Catonis dicta præsenti tempori coartabat, qui Pompeii morte cognita

Cato de Pōpejo Versus hexametri heroici.

Civis obit inquit, multum majoribus impar,
Nosse modum juris, sed in hoc tamen utilis ævo.

Aulicus scurra ad Cardinalem Neapolitanum.

Nec illud reticendum arbitror, quod cum ad Cardinalem magnates curiæ die quadam, cæterique proceres & Episcopi convenissent, aderat inter eos notæ loquacitatis & urbanæ quidam insaniæ, qui ob stultitiam suam libere quidem & nimis quandoque mordaciter in ipsos etiam familiares invehi consueverat, & assidue curiam sequebatur. Hic cum universos solitis verborum contumeliis afficiens ad risum singulos permovisset, tandem omissis cæteris Joannem Neapolitanum intuitus. Quot inquit, ò Cardinalis videtur tibi miliariis Panormum ab urbe Romana distare? Cumque responsum esset xv. dierum itinere. At ego, inquit, te videns toties tamque secure tanti difficultatem itineris quasi negligendo discurrere, non ampliori spacio nos ab Romanis abesse quam xx. miliariis arbitrabar. Nunc autem intelligo quia spe lucri ductus pericula tanta contemnis, sentiens in manus stultorum thesauros palatii devenisse. Quod si Gulielmus senior viveret, neque Romam redires ita suffarcinatus auro Siciliæ, neque Panormum toties recurreres, ut contentiones & rixas in curia suscitares. Hoc illius dictum cum astantibus placuisset, subito dispersum in populo, multam adversus Cardinalem plebis invidiam excitavit, versumque est in proverbium, Joannem Neapolitauum ab urbe Romana usque Panormum xx. miliaria computare. Ille tamen nihilo segnius Electum Syracusanum contemptus arguens, propinquum ei terminum assignabat, ut maturius iter arripere cogeretur. Electus autem videns illum in proposito pertinacem, timensque ne si contra Cardinalem adversante Regina quæ jura Regni tueri debuerat, aperte libereque velit contendere, Romani Pontificis offensam incurrat, ad aliud se transfert consilium,& Richardi Comitis qui plurimum apud Reginam poterat, multa persuasionum instantia largisque muneribus gratiam sibi conciliat, & cùm eo firmat amicitiam, cæterorum deinceps odia parvi pendens. Cùm ergo rursus omnes ad curiam convenissent, cœperunt fictis rogare precibus Cardinalem, ut majores Electo daret inducias. Qui cùm id se facturum negaret, responderunt ejus oportere fieri voluntatem, nec Electum debere vel posse Romanæ curiæ jussionibus obviam ire. Tunc Richardus Comes ex abrupto ut erat impetuosus, in verba prorumpens, Miror inquit, vos utilitate Regni posthabita, in eo fixos consilio ut Electum Syracusanum, virum prudentem & curiæ necessarium, velitis expellere, cui Rex & dum viveret præ cæteris familiaribus honorem exhibuit, & in extremis agens filios suos prę cunctis unice & attentissime commendavit. Ego certe neque salva fidelitate Regis id fieri posse perspicio. Sed neque Regina pati debet, ut idem vel consecrationis causa, vel occasione qualibet à curia separetur. Ad hæc verba Comitis mirantibus aliis atque tacentibus, cùm eum Cardinalis post consecrationem suam statim diceret reversurum, Regina mutato consilio respondit, Electi præsentiam curię necessariam esse, nec eum in præsens posse quopiam proficisci, alias itu-

Panormum xv. dierum itinere Roma distat.

Provebium natum ex cavillo scurræ

Electus amicitiam Richardi comitis conciliat.

Richardus comes loquitur.

Regina pro Electo ne Romā abeat.

iturum cùm temporis opportunitas pateretur. Sic hoſtium machinis diſſolutis, & conſiliis redactis in nihilum, Electus in curiæ familiaritate permanſit. Per idem tempus Richardus de Sagio Panormum veniens, uxorem ſuam ſororem Bartholomæi Periſini ſecum adduxerat, ut ea dimiſſa neptem Archiepiſcopi Capuani nobiliſſimam meretricem, cujus amore dudum captus fuerat matrimonio ſibi conjungeret. Hic cùm Apuliæ diu Capitaneus & magiſter Comeſtabulus extitiſſet, toties aliis rebellantibus fidem incôcuſſam retinens, nunquam ab Rege defecit. Quem Regina benigne ſuſcipiens, dedit ei Comitatum Richardi de Aquila fundani Comitis,qui ſine ſpe reditus in Romanorum finibus exulabat. De ſolvendo quoque matrimonio præcepit curiæ familiaribus, ut convocatis Epiſcopis aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, & auditis utriuſque partis allegationibus, quòd inde dictaret æquitas expedirent. At illi rogaverunt Cardinales, ut ejuſdem intereſſent examinationi negocii, eò quod ipſi promptiorem harum rerum haberent notitiam, cùm Romana curia frequenter ſuper hujuſmodi cauſis cognoſceret. Joannes ergo Neapolitanus eorum facile petitioni conſenſit. Epiſcopus autem Hoſtienſis vir honeſtatis non dubiæ, cùm ſocium ſuum vidiſſet muneribus & gratiam eſſe corruptum, eoque ipſo rectè judicandi libertatem ſublatam, nullis precibus adduci potuit ut eorum vellet judiciis intereſſe. Cauſa verò propter quàm prædictus Richardus putabat oportere diſſolvi conjugium, hæc erat, quòd ſe dudum ante contractum matrimonium cùm quadam uxoris ſuæ conſobrina rem habuiſſe dicebat. Cujus rei teſtes proceſſerant duo milites, hoc ſe vidiſſe certiſſime proteſtantes. Quòd cum adverſa pars denegaret, eſſentque quod falſum eos perhibere teſtimonium probaturi aſſererent cauſam ejuſmodi crederent, & ſi conſtaret adſolvendum matrimonium poſſe ſufficere, ſed ut objecti conſanguineæ ſuæ criminis injuriam propulſarent, Cardinalis rem breviter ſatagens definire, prædictos teſtes jurare præcepit. Inde ſoluto matrimonio, & ab utraque parte de non cœundo deinceps præſtito Sacramento, Richardo poteſtatem dedit ad ſecundas nuptias licite tranſeundi: illam autem juſſit ſine ſpe conjugii permanere. In quo licet eum Eccleſiaſtici viri qui aderant Richardi de Sagio & amicorum ejus gratiam ſequutum fuiſſe non ambigerent, illud tamen propenſius mirabantur, quòd viro qui deliquerat abſoluto, mulieri quæ nihil admiſerat, perpetuam continentiam induxiſſet. Cùmque latenter ejus impudentiam arguentes, tentandi gratia quærerent ab eodem, Utrum in cauſis paribus idem jus conſequenter admitterent, reſpondit ſibi licere quòd eis non liceret, neque nunc id ſe feciſſe ut id conſequendum aliis traderetur. Tunc etiam Panormi morabatur quidam Reginæ frater, qui morte Regis audita, nuper in Siciliam ex Hiſpania tranſfretarat: multoſq; milites Hiſpanos ſpe lucri ſecum adduxerat. Quem ut eorum plerique qui cùm ipſo venerant aſſerebant, Rex Navarrorum nunquam filium ſuum vel eſſe credidit, vel dici voluit, indignum exiſtimans eum quem mater multorum patens libidini vulgo concepiſſet, Regis filium appellari. Hunc ergo Regina cùm antea Rodericus diceretur, idque Siculi nomen abhorrentes velut ignotum & barbarum irriderent, Henricum appellari præcepit, & ei montis Caveoſi Comitatum integre dedit, oppidaque Siciliæ quę cùm eodem Comitatu Gaufridus Comes olim tenuerat. Idem autem Henricus

Richardus de Sagio Panormum venit ut ab uxore divertat.

Epiſcop. Hoſtiēſis vir honeſtus & integer.

Richardo licet ad ſecundas tranſire nuptias.

Frater Reginæ mortuo Rege venit in Siciliā ex Hiſpania nā Regina Hiſpana erat.

Prius Rodericus poſtea Henricus dictus homo iners & aleator.

ſtatura parvus, barbam habens rariſſimam, ſub pallida nigredine cutem fœdatus, indiſcretus, elinguis, præter alearum ac teſſeræ ludum nullius peritiam vindicabat: nihilque aliud affectabat niſi ut haberet qui ſecum luderet, & pecuniam quàm prodigus indiſcrete ac temere poſſet effundere. Hic aliquandiu Panormi commoratus, cùm immoderatis ſumptibus immenſam pecuniam à Regina ſibi traditam facile conſumpſiſſet, in Apuliam tranſire propoſuit: veniensque Meſſanam, multos ibi viros quales affectabat invenit. Hæc enim civitas ex convenis, piratis, prædonibus adunata, omne fere genus hominum intra mœnia ſua concluſit, nullius expers ſceleris, nullum abhorrens flagitium, nihil eorum quæ poſſit putans illicitum. Itaque latrones, piratæ, ſcurræ, aſſentatores, cæteriſque flagitiis inretiti, confluebant ad eum, & diem conviviis extrahentes, totis noctibus teſſerarum jactibus inſiſtebant. Quòd ubi Reginæ cognitum eſt, diutius ejus temeritatem redarguens, ſcripſit ei ut Pharum ſine dilatione tranſiret. Qui ſuadentibus ſociis vix inde tandem avulſus, in Apuliam iter inſtituit.

Meſſanæ civitas ad quam Henricus ſeceſſit inde verò in Apuliam.

Emenſo itaque poſt mortem Regis annuo fere ſpacio, cùm paulatim decidens procella curiæ reſediſſet, proceres Regni multis evicti Reginæ beneficiis interim quieſcebant. Ut enim incarceratorum multitudinem liberatam, ſervos libertate donatos, civibus immunitates conceſſas, conſuetudines quæ pernicioſæ videbantur exploſas, ut villas oppidaque multis nobilibus viris donata prætercam, octo Comites eodem anno creaverat. Richardum Mandrenſem, Bertrannum Comitis Gravinenſis filium, Richardum de Sagio, Rogerium Richardi filium, Jocelinum, Symonem Sangrenſem, Gulielmum Sylveſtri Comitis filium, Hugonem de Rupe forti conſanguineum ſuum, hominem omnis virtutis expertem, qui de Francia nuper advenerat: Rogerium quoque Comitem Accerranum, & Rogerium Avellini Comitem, ab exilio revocatos, priſtinæ reſtituerat dignitati. His ergo multiſque præterea beneficiis Reginæ liberalitatem experti tentabant ab innata rebellandi conſuetudine feroces animos cohibere. Curiæ verò ſtatus hic erat Richardus Moliſii Comes cæteris familiaribus poteſtatis eminentia prælatus, apud Reginam poſtulata facilius impetrabat. Electus verò Syracuſanus, & Matthæus notarius cancellarii gerebant officium. Gaytus quoque Richardus magiſter camerarius palatii, & Gaytus Martinus qui Duanæ præerat, conſiliis nihilhominus intererant, & cùm prędictis familiaribus negocia Regni tractabant. Porro Matthęus notarius cùm ſciret admiratum ſe non poſſe fieri, ob multam ejus nominis invidiam, cancellariatum totis niſibus appetebat. Electus autem in proximo ſe confidebat Eccleſię Panormitanæ regimen adepturum. Sed Regina longe diverſum fovebat propoſitum, & eandem dignitatem alii reſervabat. Scripſerat enim avunculo ſuo Rotomagenſi Archiepiſcopo, ut aliquem de conſanguineis ſuis vel Robertum de novo Burgo, ſi fieri poſſet, vel Stephanum Comitis Perticenſis filium ſibi tranſmitteret. Quorum quia alterum ſine dilatione venturum ſperabat, interim tam Electi Syracuſani, quàm Agrigentini Epiſcopi ſpem & deſyderium eludebat. Nec eam diu ſua fefellit opinio. Paucis enim interjectis diebus fama præcurrente compertum eſt Stephanum Comitis Perticenſis filium in Siciliam venientem ad Comitem Gravinenſem fratris ſui filium divertiſſe. Quem ipſe Comes multis honoratum muneribus, & de ſtatu curiæ diligenter inſtitutum, ad

Liberalitas Reginæ.

Stephanus comitis Perticenſis filius Panormum venit.

ad saluberrima Siciliæ loca transmisit, timens eum cum jam æstas ingrueret, ob intemperiem aeris in Apulia diutius detinere, simulque sciens Reginam illius adventum summo desyderio præstolari. Cùm igitur transito Pharo Panormum accessisset, curiæ familiares, Episcopique ac milites cùm comestabulis illi obviam exeuntes, ad palatium eum ut jussi fuerant perduxerunt. Quem Regina multo cum honore suscepit, & astantibus cunctis, Ecce inquit completum video quòd plenis semper votis expetii. Nec enim aliter quàm fratres proprios diligere quidem & honorare debeo filios Comitis Perticensis, per quem ut verum fatear, pater meus Regnum obtinuit. Nam idem Comes patri meo terrã amplissimam cùm nepte sua matre mea dotem dedit, quàm in Hispania multis periculis ac diuturnis laboribus expugnatam Sarracenis abstulerat. Nec ergo mirari debetis, si filium ejus matris meæ consobrinum, loco mihi fratris habendum censeam, & de remotissimis partibus ad me venientem gratanter excipiam: quem quidem volo jubeoque ut qui me filiumque meum diligere se fatentur, propensius diligant & honorent, ut eorum erga nos ex hoc ipso fidei dilectionisque quantitatem emetiar. Tunc omnes id se facturos libenter promptissime responderunt, licet inter eos essent nonnulli quibus illius adventus maxime displiceret. Interea Regina voluntatem ejus diligenter inquirens, cum intellexisset eum nolle diutius in Sicilia commorari, summa ope niti cepit, ut hoc ejus propositum immutaret, & gloriam ei divitiasque quas habiturus erat, si remaneret ostentans, simulque Transmontanorum inopiam ei frequenter objiciens, socios quoque ipsius propositis ingentibus premiis hortabatur, ut cùm eo se promitterent remansuros, intelligens non posse mentem illius aliter ad id quod postulabat inflecti. Quòd ubi plurima precum instantia multisque promissionibus vix tandem obtinuit, constituto die cunctis qui tunc aderant Episcopis proceribusque convocatis ad curiam, cancellarium eum instituit, jussitque ut universa curiæ negocia deinceps ad eum principaliter referrentur. Nec multo post cùm eum Archiepiscopus Salernitanus Subdiaconum ordinasset, missi sunt qui Canonicis Panormitanis dicerent, Regem ac Reginam precibus eorum quas sæpe porrexerant exauditis, liberam eis concedere potestatem, ut Ecclesiæ suæ pastorem eligerent, & ad palatium venientes, quem sibi putarent idoneum juxta consuetudinem in curia nominarent. At illi nulla super hoc inter eos (quòd rarò contingit) oborta controversia, concordes atque unanimes cancellarium elegerunt, gaudente populo, & quòd actum fuerat adprobante Gulielmo Papiensi Romanæ Ecclesiæ Cardinali, qui Panormum nuper venerat, in Gallias transiturus. Itaque duas Regni maximas dignitates adeptus, totius curiæ post Reginam, onus & honorem suscepit. Domui verò suæ præfecit Odonem Quarrellum Carnotensem Canonicum, qui remanendi consilium ei dederat, & cùm eo duobus annis se spoponderat remansurum, donec amicos in Sicilia probatæ fidei reperisset, aut aliquos de propinquis & amicis suis, quibus æque consilia sua crederet, ad eum de Francia venire contingeret. Nam eundem Odonem plurimum diligens consilium illius ultra quàm expediret ei, in maximis quoque negociis admittebat. Quem cum neque literarum exornaret scientia, neque prudentiæ secularis utilitas commendaret, tantæ nihilominus cupiditatis erat, ut nec in extorquenda pecunia modum attenderet, & in concilian-

Stephanus Cancellarius instituitur, & Ecclesiæ Panormitanæ pastor.

Duæ Regni Siciliæ maximæ dignitate.

Odo Carnotensis Canonicus.

liandis amicitiis virtutis fideique ratione nulla habita, solam quantitatem munerum sequeretur. Cum autem villarum, redituum, atque prędiorum ad cancellariatus jura pertinentium multa Syracusanus diu tenuisset Electus, à Rege sibi dudum ad tempus concessa, eo quod circa curiam moraretur, cancellarius volens beneficiis ejus animum mitigare, quem alia quoque de causa satis commotum esse cognoverat, duas ei villas optimas quę Siculi Casalia vocant, eorum vice quę tenuerat dari fecit, eo tenore, ut illarum altera quandiu moraretur in curia non careret, alteram verò ejus successores imperpetuum possiderent. Sed quanta celeritate curaverat Electi spem ac petitionem collato beneficio prævenire, tam mature compensationis improbæ vicem Electus ei studuit reponere. Quidam enim viri de remotis Apulię partibus ad curiam venientes his quę postulaverant impetratis, cum pro literis suis Petro notario consanguineo Matthęi notarii quod eis justum videbatur offerrent, ille verò multo majora petens, oblata sibi respueret, rem ad cancellarii notitiam pertulerunt, qui pręcepit uni ex astantibus notariis, ut alias literas super eodem negocio scriberet, ipsaque die prędictos viros absolveret. Petrus autem notarius videns eos qui prius importunè instare consueverant ad se jam non reverti, persensit illos literas suas ab alio notario recepisse: assumptisque quot visum est sociis viam qua transituri erant, observans, cum in ejus insidias incidissent, literas regias illis ablatas rupto sigillo frustratim discerpsit, ipsosque contumeliis & verberibus affecit. Quod ubi cancellario cognitum est, præcepit eosdem sibi viros in curia præsentari, vocatoque Petro notario cum factum negare non posset, jussit eum in carcerem detrudi. Tunc Electus Syracusanus nimis mordaciter respondit, contra jus & rationem eum sententiam ejusmodi protulisse, & in Francia forsitan ita solere decerni, sed in Sicilia nequaquam hoc judicium obtinere, non levis auctoritatis esse notarios curiæ, nec eos oportere tam facile condemnari. Ea res non parum cancellarii permovit animum, cum eum cui præter opinionem omnium duo Casalia nudius tertius gratis dari fecerat, tanta nunc in se videret asperitate verborum insurgere, neque sibi saltem in curia deferre, ut eum super hoc secretius aut moderatius conveniret. Nihil tamen ei respondit, sed injuriam suam patienter dissimulans, Ansaldum palatii castellanum accersiit, jussitque Notarium Petrum in carcerem sine dilatione retrudi, donec examinaretur attentius cujusmodi pœnæ subjacere deberet, quem & contra Regni pacem egisse, & regiæ majestati specialiter injuriam constaret ac dedecus intulisse. Post paucos verò dies rogatus à familiaribus curię liberum eum abire dimisit, prohibens tamen ne deinceps notarii fungeretur officio. Hac igitur occasione primo notariorum enormem studuit rapacitatem ad mensuram redigere, certumque modum quid à singulis deberent accipere, pro negociorum diversitate constituit. Sed & Stratigotorum nihilominus eorumque qui provinciis vel singulis oppidis pręerant, perniciosam licentiam refrenavit, quia plebem impune multis damnis & injuriis atterebant: justitiæ verò rigorem eatenus voluit observari, ut nec amicis quidem aut ipsis magnatibus curiæ parcendum crederet: nec à potentibus viris subjectos opprimi pateretur, nec omnino quamlibet injuriam pauperis dissimulando transiret. Cujus rei fama totum Regnum brevi pervadens, plebisque gratiam & favorem ei concilians, tanta nomen

Casalia Siculorum.

Petrus Notarius consanguineu. Matthæi Notarii incarceratus

Electus Syracusanus.

Cancellarius indignatus, qui & multa correxit.

Exponit qui sint Stratigoti.

ejus celebritate diffudit, ut omnes affererent velut confolatorem Angelum à Deo miffum qui curiæ ftatu in melius immutato aurea fecula revexiffet. Unde contigit ad curiam ex omnibus Regni finibus tantam virorum ac mulierum turbam confluere, ut & Judices examinandis litibus & notariorum numerus, licet nuper adauctus effet, vix literis fcribendis fufficeret. Interea qui ob confirmandam electionem miffi fuerant redeuntes literas Romani Pontificis affectuofiffimas attulerunt, afferentis promotionem fe cancellarii grato animo audiffe, & ejus electionem modis omnibus adprobatam, velle ratam & ftabilem permanere. Requifiti ergo fuffraganei Epifcopi Canonicique ut ipfi cancellario fecuritatis Sacramentum præftarent, affenfum facile præbuerunt. Cumque Mazarienfis Epifcopus & Maltenfis juxta propofitum fibi modum juraffent, Epifcopus Agrigentinus ut affectuofius ex animo videretur jurare, novis quibufdam & expreffioribus verbis ipfe fibi jurandi modum inftituit. Qui quanto cæteris juravit expreffius, tanto poftmodum quod juraverat deterius obfervavit. Verum hæc alias, nunc ad rei feriem revertamur. Videntes ergo Panormitani cancellarium neque precibus, neque premiis, aut gratia cujufquam ab æquitate poffe deflecti, multos apud eum accufaverunt apoftatas, de Chriftianis Saracenos effectos, qui fub eunuchorum protectione diu latuerant. Quorum ille neminem quem tanti criminis reum effe conftaret, impunitum dimifit. His animati magna pars civium ad accufandum Robertum Calatabojanenfem audacter profiliunt: concurfus fit ad cancellarium; omnes ingenti clamore depofcunt hominem fceleratiffimum meritis objectari flagitiis. Alii domos, alii vineas injufte fibi conquerum tua ablatas: plerique fratres aut confanguineos in carcere diuturnis cruciatibus interfectos, quędam etiam mulieri filiam fuam virginem ab eo dicebat illata violentia conftupratam. Nec deerant qui affererent eum in Caftello maris antiquiffimum Sarracenorum templum propriis fumptibus renovaffe: quod minime teftibus indigebat, cum hoc ipfa res patenter oftenderet. Præter hæc autem objectum eft illi, plerofque vini venditores quandam ab eo domum enormi precio conduxiffe, ut ibidem fub ejus patrocinio Sarraceni Chriftianas fœminas licite conftuprarent, & pueris abuterentur impune, cæteraque flagitia perpetrarent, ex quibus inhonefta lucra cauponibus accedebant, cum ipfo domus domino dividenda. Tantorum ille criminum objectione pulfatus, cœpit primo rem parvipendens negligere, interminari accufatoribus fuis, deterius eis poftmodum fe facturum, fibique facilem hujus occufationis exitum polliceri. Dehinc ubi pecuniam oblatam refpui, datifque vadibus rem diftrictius agi videt, ad eunuchorum patrocinia fe convertit. At illi Regis Reginæque pedibus provoluti cum lachrymis eos exorant, ne patiantur virum Regno perneceffarium, qui curiæ femper fideliffime fervire ftuduerit, condemnari: nihil mirandum afferentes, adverfus eum tumultus ejufmodi fufcitari, cum certum fit neminem populo placiturum, qui fideliter curiæ juffis obtemperare voluerit. Harum Regina precum affiduitate permota, cancellarium primo rogat, deinde renitenti præcipit, ut neminis adverfus Robertum Calatabojanenfem accufationes admittat. Rapinas enim & homicidia quæ feciffe dicatur, non ei, fed Gayto Petro cujus ea juffu fecerit, imputanda. Qui cum præeffet curię manifeftum quoniam idem Robertus ejus non

Securitatis Sacramentū Cancellario præftatur.

Epifcopus Agrigentinus.

Acufationes apud cancellarium.

Accufatur Robertus Calatabojanenfis.

po-

potuerit jussionibus obluctari. Inter has cancellarius angustias deprehensus, ignorabat quorsum animum inclinaret, aut quid sibi potissimum faciendum eligeret. Hinc enim populus acclamabat, non oportere sceleratissimum hominem impunitum dimitti negligenter à Cancellario, tepideque rem geri, videri muneribus eum aut gratia corruptum, à bono proposito decidisse; verum hac in re certissime cognitum iri, utrumne juris amorem cujus hactenus formam prætenderit, perpetuo velut innatum debeat conservare, an ad tempus ex industria simulatum, ut novæ potestatis auspicium oculis plebis objecerit. Hinc illum urgebat Regina, præcipiens ut plebis loquacitate posthabita porrectas accusationes dissimulando negligeret. Sed & curiæ familiares Roberti Calatabojanensis partes quantum poterant tuebantur, tam ut eunuchis ipsique Reginæ præstare viderentur obsequium, quàm ut adversus cancellarium plebis odium excitarent. At ille mediam quandam eligens viam, ut & Reginæ satisfacere videretur, nec omnino populi spem & expectationem deluderet, Reginæ pollicitus est omissurum se quæstiones ad curiam pertinentes quæ pœnam capitis irrogabant: super his autem quæ ad Ecclesiæ jura pertinere constaret, exactissime cogniturum: ipsumque Robertum si convictus foret, quatenus Ecclesiasticæ severitatis censura permitteret puniendum. Quod si niteretur ipsa postmodum impedire, facilius quidem se utraque privatum iri dignitate, quàm ab hac posse sententia detorqueri. Convocatis ergo curiæ familiaribus, & Episcopis aliisque personis Ecclesiasticis, Robertus sub multa frequentia plebis introducitur, omissisq; furtis, rapinis, injuriis, civium homicidiis, & illata constupratæ virgini violentia: perjurii, incestus, adulterii quæstio ventilatur. Cumque multis testibus objectorum veritas patuisset, de jure dictum est Robertum Calatabojanensem publice loris cæsum in carcerem denuo detrudendum, bonis ejus fisco addictis. Sed quoniam per urbem sub voce præconis solenniter circumduci non poterat, eo quod populus omnes viarum angustias observabat, ut lapidibus transeuntem obrueret, decretum est, ut circum ambitum ductus Ecclesiæ populum falleret expectantem. Licet autem illum ensibus accincti milites sequerentur & præirent, & ex utroque vallerent latere, vix tamen potuerunt accurrentis furorem populi declinare. Post paucos ergo dies cum pecuniam quam curiæ spoponderat se daturum, reddere nollet, aut ut aliis videbatur, non posset, ad Castellum maris ductus est, & carceri datus, in quem multos olim ipse conjecerat, ubi diversis consumptus pœnis interiit. Hoc factum omnibus Siciliæ populis maximeque Lombardis, quos innumeris ille malis attriverat, adeo placuit, ut universi faterentur si necesse foret pro cancellario se mortis periculum subituros. Curiæ verò magnates cæterique potentes viri qui jam non poterant libere solitam in subjectos tyrannidem exercere, cum omnia lucra curiæ viderent ad cancellarium ejusque familiares transisse, sibique de tanta munerum affluentia vix modicos arescentesque rivulos superesse, cœperunt familiariter inter se velut invicem se consolando conqueri, minus caute contumeliosa verba jacere, dicentes indignum esse, puerum hunc alienigenam maximis curiæ dignitatibus occupatis, in tantam prorupisse præsumptionis audaciam, ut neminem sibi socium adhibere dignetur, solus velit tanti Regni curam gerere, & singularis privilegio potestatis omnibus præeminere: se verò qui jam in fer-

Defenditur Robertus Calatabojanensis.

Pœna in Robertum.

Mors Roberti, unde Cãcellario gratia accessit.

Magnates invident Cancellario.

servitio curiæ consenuerit, qui difficultates plurimas & periculo consilio suo propulsari vel præcaveri docuerint, nunc humiles abjectosque despici, nulloque dignos honore censeri. Reginam cum Hispana sit, Francum hunc consanguineum appellare, nimis ei familiariter colloqui, & velut rapacibus eum oculis intueri: verendum ne sub nomine propinquitatis, amor illicitus occultetur. Gaytus quoque Richardus illi cum cæteris eunuchis infestissimus erat, eo quod Robertum Calatabojanensem contra voluntatem ejus damnaverat. Nec minus Bulcassem inter Sarracenos Siciliæ nobilissimus ac præpotens multam illi Sarracenorum conflarat invidiam, cum eum ab initio plurimum dilexissent. Indignabatur enim quod Gaytum Sedictum ditissimum Sarracenum, cum quo privatas habebat inimicitias, cancellarius nimis familiariter admitteret, & ejus consilio multa facere videretur: & inde se cum ei dona plurima contulisset, putabat contemni, nec ejus posse gratiam promereri. Cancellarius cum hæc omnia persensisset, cœpit rem dissimulans blandius eosdem ac familiarius alloqui, & multis eos beneficiis attentare, nec interim tamen quòd ad tuitionem sui necessarium videbatur omittere. Nam Berengario magistro comestabulo trans Pharum in terram quam ei curia dederat abeunte, Rogerium Tironensem de quo plurimum confidebat, illi substituit. Qui cùm multa generis nobilitate polleret, & virtutis esset haud dubiæ, fidem quoque servare studuit eatenus inconcussam, ut non solum adversus Regem neque conspiraverit, neque conspirantibus unquam consenserit, sed amicis quoque semper æque robustam fidem servaverit. Hic igitur & Rubertus de sancto Joanne, cujus supra mentio facta est, cum plurimos haberent amicos, neque Panormi facile posset aliquid cura dignum accidere, quod non ad eorum notitiam perveniret, conspirantium machinamenta Cancellarium edocebant, & quibus oporteret ea consiliis perpediri. Quorum siquidem ipse monitus Odonis Quarrelli consilio prætulisset, emergentes ab initio motus facile compressisset. Verum tanta cupiditas ejusdem Odonis mentem invaserat, ut ex sola munerum quantitate fidem omnium metiretur. Inde factum est ut auri gemmarumque splendore seductus, salubre consilium amicorum neglexerit, & velut anguens in sinu fovens, nonnullos hostium valde familiares habuerit. Interea cùm Matthæum notarium cursores suos cùm litteris ad fratrem suum Cataniensem Episcopum sæpissime præter consuetudinem mittere compertum esset, putabatur ei conspirationis modum in eisdem literis aperire, & quid eum facturum vellet in partibus Cataniensium edocere. Volens autem Cancellarius certis hoc experimentis cognoscere, misit Robertum Bellisinensem cum quibusdam aliis, ut viarum transitus observaret, & prædictos cursores quos sciebat nuperrime Cataniam fuisse directos, in reditu caperet, eisque literas quas deferebant, auferret. Quo vias negligentius observante, qui literas ferebat pertransiit. Socium autem ejus tardius subsequentem, cepit, & cùm se niteretur defendere, vulneravit. Ea re cognita Matthæus notarius illatam cursoribus suis moleste tulit injuriam, sibi quoque non parum timendum existimans, cùm opinionem suam apud Cancellarium læsam agnosceret. Nec multo post cùm Robertus Bellisinensis cœpisset febrili molestia fatigari, Salernus medicus Matthæi notarii plurimum familiaris, cujus etiam opera Salernitanæ urbis Judex fuerat institutus, ipsum Cancellarium

Regina Hispana erat, ut hinc vides.

Cancellarius fit blandior & benignior.

larium instantius admonebat, ut illum diligentiæ suæ sanandum committeret. Porro Cancellarius ob familiaritatem Matthæi notarii suspectum eum habens, timensque ne sub hac occasione vellet acceptam nuper injuriam vindicare, noluit ut ad illum accederet, sed alios ei jussit medicos provideri. Salernus tamen contra voluntatem ejus latenter ægrum adire studuit, velut in invitum beneficia collaturus, summaque diligentia domum in qua jacebat perquirens, eum aliquoties visitavit. Quo postea rebus humanis non sine magno Cancellarii dolore sublato, mirabantur qui aderant videntes, capillos ejus sponte defluere, cutemque lividam ad tactum manus avelli, & à carne facillime separari. Dicebant ergo venenum ei fuisse sine dubio propinatum. Quod cùm ad aures Cancellarii pervenisset, statuit ei veritatem modis omnibus explorare. Sed quoniam putabatur idem in quibusdam ægritudinibus posse contingere, misit Archiepiscopum Salernitanum virum in physica probatissimum, & Episcopum Maltensem aliosque prudentes & discretos viros qui rei modum & causam cognoscerent. Hi autem visa re constanter asserebant nunquam ejusmodi posse corruptionem ex ea quam passus fuerat ægritudine provenire. Cùm ergo quæsitum esset, utrum aliquis ad eum medicus præter eos qui ad hoc delegati fuerant, accessisset, dictum est ab his qui ægro assidebant, Salernum Judicem quidam ei quasi siruppum in vase vitreo porrexisse. Quorum unus manum ostendens late patenti vulnere fauciatam, dicebat hoc sibi ex ejusdem siruppi malitia contigisse. Ajebat enim quòd forte sociis recedentibus solus in domo remanens voluisset ex eadem potione latenter accipere, sicut imprudentium quorumdam mos est, velle quæcunque viderint attentare, maxime cùm ad expellendam ægritudinem quam passus nuper fuerat, illam sibi crederet profuturam. Quam tamen sic ferente fortuna concavæ manui prius infudit, digito manus alterius ipsam aliquandiu confricando. Cùmque paulo pòst eam in terram effudisset, cutem dicebat multis læsam apparuisse scissuris, eamque paulatim ut patebat, postmodum decidisse. Sed & Gulielmus notarius qui ante adventum Cancellarii Matthæo notario servierat, dicebat quendam ex hominibus ejusdem Matthæi sæpius ad se venisse, & causa domini sui rogasse importunius, ut ei domum in qua Robertus Bellisinensis jacebat, ostenderet. Hæc omnia cùm audisset Cancellarius, convocatis in domum suam Electo Syracusano, Matthæo notario, Richardo Molisii Comite, Rumoaldo Salernitano Archiepiscopo cæterisque Episcopis, ac plerisque Proceribus, rem eis totam exposuit, jussitque Salernum eorum consiliis accersiri. Qui cùm interrogatus esset, utrum ipsi Roberto medicinam aliquam obtulisset, audacter & prompte respondit, nunquam ei quidpiam se dedisse. At ubi productis testibus falsum dixisse convictus est, adjecit nihil ei se dedisse quòd læsionem posset inferre. Nam siruppum rosatum simplicem fuisse quem dederat, & eum quidem non à se factum, sed emptum ipsa die à quodam apothecario Justo nomine fatebatur. Vocatus autem Justus respondit eo toto mense qui transierat nihil ei se penitus vendidisse. Ita Salernus in omnibus quæ dixerat fallax inventus, objecti criminis suspicionem magnopere roboravit. Sequenti verò die congregata curia, vocatisque magistris justitiariis, cùm sollenniter accusaretur, conscientiæ flagitio præpeditus, ita misere respondebat objectis, ut plenam Judicibus fidem face-

Matthæi Bellisinensis Cancellarii amici mors cũ veneni suspicione.

Interrogatur medicus suspectus de morte Bellisinensis.

Alius pharmacopola vel myropola.

faceret, hoc eum maleficium perpetrasse. Itaque prolata in eum sententia, decrevere bonis omnibus spoliatum, capitali supplicio subjacere, solum ei vivendi spem in misericordia curiæ relinquentes. Qui detrusus in carcerem multis adactus est minis, & promissionibus attentatus, ut fateretur cujus id prece vel consilio fecisset, sed hoc ei persuaderi non potuit. Medicus incarceratus.

Cùm hanc in Siciliæ partibus fortuna conspirationis seriem ordiretur, aliam interim in Apulia multorum roboratam confœderatione texuerat. Cùm enim multi Proceres indignarentur Richardum Molisii Comitem tantæ subito dignitatis esse culmine sublimatum, Henricum fratrem Reginę montis Caveosi Comitem adversus illum stimulaverant, dicentes inertem eum à multis & timidum appellari, qui dedecus & injuriam sibi totique Regno simul illatam vel nimis patienter sustineat, vel consentiendo dissimulet. Nec enim ambigi parum honestam inter cessisse causam, ut Regina quàm primum Regni Balium adepta est, Richardum de Mandra nullius virum consilii nobilissimo Molisii Comitatu donatum prę ceteris omnibus sibi familiarem asciverit. Quòd si ipse quem res ad vindictam supra cunctos exposcebat à prædicto Richardo tantæ vellet præsumptionis pœnas exigere, suum ei nequaquam defuturum auxilium. Ad hoc Comes id hactenus se nescisse respondit, ignorantię,non timiditati quòd vindictam distulerit ascribendum: nunc jam ipsi quid actum iri velint confidenter dicant, prompte se facturum quicquid decreverint, neque sororis suæ dedecus ultra passurum. At illi Richardum Molisii Comitem vel interfici, vel à curia saltem amoveri censebant. Regni verò curam ad eum qui Reginæ frater & Regis esset avvunculus, pertinere. His ille ductus consiliis, multos milites Hispanos, qui partim cum eò venerant, partim ad eum nuper confluxerant, armis præmuniens, quam mature posset in Siciliam transire festinavit, plerosque etiam Procerum, quorum hoc agebat instinctu, secum ducturus. Nam Boamundus Comes Monopoleos vir prudens & facundus, Gulielmus de Gisoaldo, Richardus Balbanensis, aliique plures eum sequi decreverant, sperantes siquidem propositum suum adimpleri contingeret, facile se per eum quod à curia peterent adepturos. Nec dum enim cum hujusmodi consilia pertractarent, Cancellarii potestatem eò pervenisse cognoverant, ut omnibus in curia præemineret. Quod ubi paulopost fide non dubia perceperunt, primum ab incepto paulisper absterriti, deinde resumptis animis ad propositum nihilo segnius peragendum accincti, tandem in Siciliam pervenerunt. Quorum adventu comperto, causaque simul adventus præcognita, Richardus Comes Cancellarium adit. Henrici Comitis & Apulorum ei consilium aperit, rogatque obsecrans ne patiatur hominem insanum, & eos qui cum ipso venerint sola stimulatos invidia temeritatis suæ votum explere. Siquidem enim in curia eis seditiones impune liceat excitare, & in eos qui curiæ serviunt, conspirationibus factis licite debacchari, ipsi culpam oportere specialiter imputari, & in eum injuriam redundare, qui cum administrationem Regni susceperit, improborum debeat contumaciam coercere. Cancellarius autem licet illum sibi suspectum multorum fecisset opinio, ne tamen ipse contemni videretur, aut ea Regnum occasione perturbari contingeret, seditiosos à curia tumultus arcere constituit, & improbis Apulorum consiliis occurrere. Missis itaque litteris De Henrico comite apud Cancellarium.

regiis Henrico Comiti qui jam Thermas usque pervenerat, jussum est ad urbem eum accedere, Boamundum verò Comitem, aliosque qui cum eo erant Thermis interim mandatum curiæ præstolari. Venientem ergo Comitem Cancellarius benigno vultu suscepit, & post multam colloquutionem blandioribus eum verbis aggressus, hortari cœpit ac diligentius admonere, ne rebellandi multis occasionem daturus, haud facile reparabilem Regni quietem quibuslibet seditionum motibus exturbaret, nec Apulorum fabulis traheretur, quorum in eo semper hæsisset consilium, ut Regnum aliquatenus perturbarent, nihil esse quod eum exasperare debeat, cum & opes ei affluenter suppetant, & inter maximos Regni Proceres, loco sit non impari constitutus: id ei maxime cavendum, ne Reginam offendere præsumat, aut contra voluntatem ejus quidpiam agere, per quam hæc adeptus fuerit, & majora putetur nisi per eum steterit, adepturus. Ita multis assertionibus ex illius animo conceptum in Apulia furorem eliminans, vixque tandem ad innatæ stoliditatis simplicitatem eum retrahens, indignationem ejus compescuit, & Richardum Comitem accersiens, pacem inter eos & concordiam renovavit. Reginæ quoque nihilominus erga eundem Comitem animum mitigavit, quam plurimum quidem offenderat, multis in Apulia perperam ac temere contra mandatum curiæ perpetratis. Promisit autem se deinceps consilium in omnibus habiturum Cancellarii, nec ulterius Reginę voluntatem in aliquo transgressurum.

Cancellarius ad Henricū Comitē fratrem Reginæ.

Socios Henrici Thermis evocat Cancellarius.

Tum demum Cancellarius literis suis Boamundum Comitem, ejusque socios qui Thermis morabantur accersiit, eisque benigne susceptis, cum adventus causam inquireret, dixerunt id sibi principale fuisse propositum, ut visitarent eum, optantes ab eo cognosci, & inter fideles ejus milites accenseri, simulque ut per eum quędam quę petituri erant apud majestatem regiam obtinerent. At ille sibi gratum esse quòd venerint, opemque suam illis non defuturam respondit: suum tamen esse consilium ne quid in præsens à curia peterent, alias eorum petitionem efficacius admittendam. Sic ergo Panormi paucis diebus commorati, videntesque rem secus ac providerat accidisse, tandem in Apuliam redierunt. Boamundus tamen Comes, ut erat vir non negligendæ prudentiæ, multa Cancellario familiarius colloquendo favorem & amicitiam ejus obtinuit: quam postmodum non ea qua solent Apuli levitate vel inanibus verbis, sed fide non dubia, certisque rerum argumentis excoluit. Henricus autem Comes Cancellarii penitus voluntatem & consilium sequebatur, eique tanta se familiaritate conjunxerat, ut cum eo balneum frequenter intraret, cum eo singulis diebus ad curiam ascenderet, indeque revertentes, magnam diei partem secretius colloquendo transmitterent. Qui verò conspiraverant adversus Cancellarium, videntes si concordiam illam inter eos perseverare contingeret, machinationes suas sperato non posse fine concludi, modis omnibus perquirebant, quibus possent artibus eam amicitiam, & familiaritatem dissolvere, primoque mentem Comitis quibusdam insinuationibus pertentantes ajebant non oportere Reginæ fratrem in curia quempiam superiorem admittere, nec ejus frequentare domum, & inhærere vestigiis, à quo potius ipse debuerat visitari, nam ad eum potestatis prærogativam & totius Regni curam merito pertinere. Quibus ille, Francorum se linguam ignorare quæ maxime necessaria esset in curia, nec ejus esse respondebat industriæ, ut oneri tanto sufficeret,

Apuli leves in amicitia.

Henricus familiaris Cācellarii.

Tentant ęmuli dissolvere familiaritatē inter Cancellarium & Henricum.

Can-

Cancellario curam hanc rectissime debere committi, qui discretus esset & prudens summeque nobilis, Regi quoque nihilominus ac Reginę non dubia propinquitate conjunctus. Hac illi repulsa non contenti, milites Hispanos quos ei maxime familiares esse cognoverant, coeperunt secretius convenire, dicentes multæ mansuetudinis & patientiæ Comitem esse, qui Cancellarium quem velut hostem deberet persequi, potius diligat & honoret, propensiorem ei reverentiam exhibendo, & hoc eum forte videri prudenter agere, quod sororem nolens offendere docuerit animum patienter omnia sustinere, nisi patientiam hanc gravis infamia sequeretur; nunc reliquum quidem esse, ut haud inhonestis Reginæ votis deservire credatur, ipsiusque Cancellarii libidini seu potius incestui consentire, aut illicitam eorum familiaritatem se nescire fateatur. Patere autem omnibus hanc esse ut dici solet, nimis crassam ac supinam ignorantiam, ut quod omnes prædicant, solus ignoret. Hæc igitur à multis frequenter audita milites ad aures Comitis pertulerunt. Qui cum primum mente dubia vacillaret, dehinc ab ipsis rei principibus qui confixerant ea, cumulatius eadem audiens, plenam his quæ sibi dicta fuerant fidem adhibuit, relictoque Cancellario, consiliis eorum adhæsit, quod inde suaderent se facturum politicus. At illi rem quam multum desideraverant adsequuti, non distulerunt eum prestitis hinc inde Sacramentis quibus visum est pactionibus obligare. Hæc ergo conspiratio jam eò usque processerat, ut amicis Cancellarii plurimum terroris incuteret. Nam Gaytus Richardus magistor palatii quem eisdem constabat esse Sacramentis astrictum, magnas conspiratoribus vires addiderat. Nec enim contentus militibus suis, quibus ipse stipendia dabat, maximam partem militum Regis & universus curiæ sagittarios ita sibi donis ac beneficiis multis illexerat, ut ejus in omnibus voluntatem & imperia sequerentur. At Cancellarius adversus eorum insidias sese premuniens, statuit non jam omnes ut consueverant indifferenter admittere, sed certas horas constituit quibus ad eum omnibus pateret accessus, militesque suos eisdem horis paratos adesse præcepit. Sed & quinquaginta viros eligens qui post primam januam in vestibulo domus cum armis parati semper assisterent, numerum quoque militum studuit adaugere. Plerosque etiam milites transmontanos qui de Francia nuper venerant Hierosolymam transituri, secum detinuit, inter quos erat Joannes de Lavardino cujus acta Cancellario non parum attulerunt incommodi, quemadmodum sequentia declarabunt. Post aliquantum verò temporis Cancellarius cupiens patefactis hostium consiliis ad vindictam accingi, reique statum prius diligenter considerans, animadvertit nondum tantas sibi vires suppetere, ut auderet solemni judicio conjurationis Principes accusare, ne latentes & occultas insidias in apertam seditionem converteret. Sed nec oportere rem dissimulando diutius occultari, ne cum amplius virium collegissent, difficile posset eorum machinationibus obviam iri. Ad aliud ergo traductus consilium, Regi Reginæque persuasit, ut Messanam proficiscentes instantem hyemem ibidem transigerent, deinceps si visum foret ad primam veris temperiem in Apuliam transituri. Hujus autem diem & causam itineris Gilberto Comiti Gravinensi missis literis indicavit, scribens eidem ut negociis omnibus ad præsens posthabitis, quam celerrime posset Messanam veniens Pharum transiret; caveret autem ne sicut tempore

A Cancellario dissolvitur Henricus.

Cancellarius adversus insidias prҽmunitur.

pore Gayti Petri fecerat ad curiam inermis accederet, sed ita militibus armisque præmunitus, ne tamen exercitum ducere videretur. His diebus tanta contingerat inundatio pluviarum, quanta per multum temporis in Sicilia visa non fuerat. Unde curiæ familiares occasionem nacti persuadere nitebantur Cancellario, ut in proxime venturam æstatem iter propositum differret. Quod cum obtinere non possent, sperabant tamen Regem ac Reginam ipsumque Cancellarium ob imbres continuos & itinerum difficultatem ab eo quod proposuerant absterrendos. At ille nihilo segnius misso cum literis regiis hostiario, per universa quę in transitu erant oppida, jussit dilatari viarum angustias, & abrupta præscidi, omniaque transituro Regi necessaria juxta consuetudinem præparari. At verò circa præfixum terminum repente contra spem omnium cęli facies immutata quanta prius imbrium horruerat densitate, tantæ serenitatis indicio gratam cœpit deinceps spondere temperiem. Itaque Rex xv. die Novembris, ut constitutum fuerat, Messanam proficiscitur, relictis Panormi militibus ad ipsius custodiam civitatis. Erat tunc Messanæ Robertus Comes Casertinus cum filio suo Rogerio Tricarici Comite, & Regis ibidem præstolabat adventum. Audierat enim Gulielmum de Sancto Severino consobrinum suum qui nuper ab exilio revocatus fuerat, à Regina multis amicorum precibus impetrasse, ut ei terra sua quam extra Regnum fugiens admiserat redderetur: eaque de causa cum Advocatis suis ad curiam venerat præparatus, ut Montorium & Castrum Sancti Severini cæteraque oppida quæ prædictus Gulielmus tenuerat, ad se jure pertinere contenderet, ipsiusque Gulielmum patrem injuste ac violenter eadem possedisse. At Cancellarius cum neque Gulielmum quem sibi fidelem agnoverat, jacturæ vellet quidpiam sustinere, Comitemque timeret offendere, ne suspectæ viro fidei malignandi præberetur occasio, & huic patrimonium suum integre fecit restitui, & illi terram aliam in Apuliæ partibus eo tenore concedi, ut ea quam adversus Gulielmum intendebat actione sopita, nunquam super hoc de cætero controversiam suscitaret. Paucis autem diebus post adventum Regis majores civium cum magnis muneribus Cancellarium adeuntes rogabant eum instantissime, ut privilegium eis reddi faceret quod olim Rogerius Rex super quibusdam civitatis immunitatibus factum postea pœnitentia ductus eis abstulerat. At ille ratus sua plurimum interesse, ut eorum sibi concillaret animos, noluit oblata dona suscipere, sed eorum gratis petitionem implevit. Videntes interea Messanenses de totius Regni partibus ad curiam multam virorum ac mulierum turbam confluere, neque suo quemplam jure fraudari, sed in omnibus judiciis distincte rigorem observari justitiæ, ad accusandum Richardum Messanæ Stratigotum audacter prosiliunt: libellos accusationis conscribunt, eosque Cancellario porrigentes, ingenti clamore postulant judicio rem committi. Alii rapinas, homicidia, furta, incendia, consensu illius asserunt à maleficis accepta pecunia perpetrari: alii vineas aut domos sibi conqueruntur ablatas: multi stupra virginum, adulteria, plerique etiam judiciorum ei subversionem objiciunt. Cancellarius autem cum viri prudentiam & ingenium agnovisset, arbitratus eum parti suæ plurimum roboris allaturum, si mentem illius beneficiis sibi posset allicere, tentabat rem aliquandiu protrahendo furentis plebis iram compescere. Illi verò nihil ex dilatione mu-

Rex, Regina & Cancellarius Messanā proficiscuntur.

Richardus Stratigotus Messanensis à civibus accusatur.

mutato consilio, videntes Cancellarium negligentius ac tepidius respondere, rursus accusationes in scripta redigunt, eaque à summitatibus harundinum suspendentes, ante palatium ingentem clamorem attollunt, miserum esse dicentes cæteris omnibus jus suum consequentibus, solos Messanenses qui Regni fidelissimi semper extiterint, haberi ludibrio & eorum voces in curia non audiri. Tunc Regina clamorem vulgi non ferens Cancellario præcipit, ut eorum scripta recipiens, negocium hoc sine dilatione definiat. Cancellarius autem magistris Justitiariis causam delegat; præcipiens itidem ut Richardo Stratigoto diem dicant, & nusquam ab auctoris juris tramite recedentes, controversiam ipsam legitimo fine concludant. Qui die constituto diligenter allegationibus utriusque partis auditis, cum post ipsius negocii examinationem Stratigotus multorum reus criminum patuisset, lata sententia decreverunt eum post bonorum amissionem carcere vinciendum. Messanenses igitur ob redditum sibi privilegium, & Stratigoti damnationem Cancellarii nomen multis laudibus extollentes, ejus se beneficio libertati redditos fatebantur, paratos se dicentes ipsius gratia quantælibet difficultatis onus suscipere. Verum exitus rei fidem eorum ostendit tam Graja perfidia, quàm levitate piratica vacillare. Paulo post enim magna pars civium Henrico Comiti suadente Bartholomæo Perisino qui plurimum apud Messanenses poterat, occulte juravit. Multi quoque Calabrorum qui Messanam audito Regis adventu confluxerant, eisdem erant Sacramentorum nexibus irretiti: nec incertum erat Gentilem Agrigentinum Episcopum à Cancellario defecisse, neglecto quod ei præstiterat Sacramento. Interea Gilbertus Comes Gravinensis ex insperato superveniens, conjuratorum repressit audaciam, & incipientem jam apertis indiciis apparere, compulit inter suas iterum latebras occultari. Centum enim milites non dubiæ virtutis secum adduxerat armis, ut præmonitus fuerat, diligenter instructos, quos de nominatissimis Apuliæ ac Terræ laboris militibus multis cognitos bellis elegerat. Tota verò civitas variis jam cœperat rumoribus fluctuare, & plebem multosque milites adversus Cancellarium præter eam quæ jam plurimum invaluerat conspirationem, è vicino quoque causa suppetens instigabat. Nuper enim ad eum de Francia Normanniaque clientuli multi confluxerant, qui ut eorum mos est, in contumeliosa verba praecipites, & curiæ patrocinio licentius abutentes, Græcos & Lombardos proditores appellabant, multis eos injuriis lacessentes. Henricus ergo Comes crebris eorum qui conspiraverant exhortationibus & consiliis animatus, terminum certum constituit, ut in Cancellarium à curia redeuntem irrueret improvisus & incautum occideret. Cumque dies instaret quo id sibi faciendum decreverat, à multis occulte jusjurandum interim exigebat, inter quos Rogerium unum de Judicibus civitatis nocte quadam accersiens, petiit itidem ab eo ut juraret voluntatem Comitis se facturum. Qui cum respondisset, nequaquam adeo se temere juraturum, nisi rem ei manifestius indicaret, Comes ei de morte Cancellarii propositum suum aperuit, dicens multos Proceres & Episcopos, magnamque partem Messanensium in idem Sacramento sibi præstito consentire, diemque nihilominus ad hoc communi consilio præstitutam eidem exposuit. At ille gratum hoc sibi fore simulans, afferensque nemini sapienti displicere rem tantorum

Sententia in Stratigotum

Gilbertus Comes Gravinensis.

Insidiæ in Cancellariũ ab Henrico Comite.

Pro-

Procerum consiliis adprobatam, sed inconsulti ac præcipitis esse animi sine deliberatione rem tantam inconsulte promittere, vix tandem in crastinum inducias impetravi, interposita fide quod creditum sibi consilium nemini revelaret. Summo verò mane Cancellarium adiens omnia illi verba Comitis enarravit, multos inquiens adversus eum Siciliæ Proceres conjurasse, mature deliberandum qua via improbis eorum consiliis obvietur, unius ad hoc diei spacii indulgeri; diem enim crastinum ad peragendum eorum propositum certissime constitutum. Tunc Cancellarius vocatis ad se Gilberto Comite Guinensi, Boamundo Comite Monopoleos, Rogerioque Avellini Comite, quibus maxime confidebat, rem eos ex ordine totam edocuit. At illi periculum imminens attendentes, Rogerio Judici præceperunt, ut ad Comitem rediens ejus satisfaceret voluntati, ne si jurare nolens adversus cum confidentius loqueretur, ex hoc ipso quidpiam illi suspicionis ingereret. Neque verò perjurium incurrere vereretur, per quod ipsius Regis injuriam totiusque Regni dedecus & opprobrium propulsaret. Id cum ille non secus ac jussus fuerat peregisset: visum est Cancellario Regem ac Reginam super his convenire, eosque consilium & acta Comitis edocere. Quod ubi Regina cognovit, anxia cepit distrahi sollicitudine multæque fluctuationis æstibus agitari. Durius enim in fratrem decernere quidpiam tantamque præsumptionem animadversione digna punire: crudele quidem tyrannidique proximum videbatur. Sed & si fratri parceret, intelligebat Cancellario non dubium capitis periculum imminere, neque posse proditores ab eo quod cœperant absterreri, simulque considerabat indignum eum esse cui fraternus exhibetur affectus, qui sororis despecta reverentia, qui tot ejus beneficiorum immemor, id solum agere decrevisset quod ad ejus dedecus & infamiam non ambigeret retorquendum, multisque rebellandi præbes materiam, Regni pacem, & quietem niteretur modis omnibus impedire. Huic ergo deliberationi justa succedens indignatio, fraternam ab ejus animo clementiam exturbavit: placuitque congregata curia Comitem sollenni judicio conveniri, convictumque vel confessum interim in aliqua munitionum servari, donec ejus indicio cæteri possent proditores agnosci. Missis igitur hostiariis, curię familiares, Episcopi, Comites, cæterique Proceres cùm magistris Justitiariis ad curiam convocantur. Quibus admissis, cæteri omnes ab ingressu palatii prohibentur, præter paucos milites Cancellarii, quos ipse jusserat introduci, timens ne tumultus in curia vel seditio qualibet oriretur. Cùm enim sciret plęrosque Procerum qui aderant Henrici Comitis favere partibus, timebat ne si cum eo districtius agi cœpisset, rem in seditionem converterent, ideoque sub tunica loricam indutus, prædictos milites paratos ibidem adesse jusserat, & à quibusdam clericis suis aliquot enses latenter inferri. Cumque jam omnes in curia consedissent, Henricus Comes, ut à cohortatoribus suis edoctus fuerat, indigentiam suam cœpit exponere, dicens multis se debitis coartari, Comitatum montis Caveosi sumptibus vel angustiis non posse sufficere, petiitque Principatum Tarenti, vel Comitatum, quem in Sicilia Symon Comes olim tenuerat, sibi concedi, quasi justam habiturus adversus Cancellarium occasionem, siquidem hæc ei petitio negaretur. At Gilbertus Comes Gravinensis ex illius verbis oblata sibi copia respondendi, hoc ait, quæ velut ense stricto preces por-

Patefactæ Cancellario insidiæ.

Cancellarius lorica sub tunica armatus.

Henrici petitio.

Gilber. Gravinensis respōdet acriter.

porrigens timide nunc improbeque postulas, facilè dudum impetrare potueras, si in animum induxisses erga Regem ac Reginam te qualem oportuerat exhibere. Nunc autem hanc eorum animis de te non jam opinionem, sed firmam stabilemque sententiam injecisti, ut non solum indignum te credant qui ad altiora debeas promoveri, verum etiam id tibi dando quod possides, magnopere se fuisse deceptos existiment, neque dignum censeant in Regno suo quicquam à te deinceps possideri. Ut enim inmensam pecuniæ quantitatem in usus turpissimos temere prodigeque consumptam, ut oppida quæ tibi data fuerant domesticis rapinis & injuriis multis attrita prætercam: ausus es in ipsum Regem ejusque matrem nequitiæ tuæ venenum aspergere, ut Reginæ consuleres castella sua munire, eoque thesauros suos dum liceret transferre, dicens incertum esse, quem erga ipsam animum Rex esset postmodum habiturus. Regi verò persuadere tentabas, ut Regem tibi curam & administrationem concederet. Asserebas enim Reginam privatas utilitates sectantem Regni statum in deterius commutare, civitates oppidaque large distribuere, regios paulatim exhaurire thesauros: multa demum agere, quæ & Regnum evidenter pessundarent, & honori filii derogarent, & maternum prorsus affectum excludere viderentur. Rex verò temeritatem tuam agnoscens respondit, ubi matrem suspectam haberet, multo se tibi difficilius crediturum. Sic inter matrem & filium discordiam seminans, tranquillitati Regni, quam deflebas pessundari, provide consulebas. Hei mihi falsitatem impudenter conaris objicere: hæc eorum me scias indicio cognovisse: ecce præsentes sunt ambo, quod utrique dixisti coram utroque, nega si potes. Hunc autem ad aliud devolutus consilium, & proditionis furiis agitatus, eo te sceleris inmersisti, ut Cancellarii sanguinem tibi proponens hauriendum, eligensque tantis non solus involui flagitiis, cum id te facturum jurasses, multos idem jurare fecisti. Velim ergo te palam nunc in præsentia Regis edicere, quod Cancellario crimen intendas, cujus eum sceleris arguas, quid demum causæ sit quod tam atroces in eum inimicitias excitavit. An tibi debitam hæreditatem subripuit, aut patrimonii tui fines invasit? Numquid eum tibi damni vel injuriæ quidpiam intulisse conquereris? An quod verius est, invidia stimulatus in ejus odium exarsisti? Indignaris nimirum ejus arbitrio curiam Regis moleste fers eum vice Regis omnibus Regni populis imperare. Si parem gloriam affectas, virtute prudentiaque illi te parem exhibeas, & ambitam tibi dignitatem ultro concedimus. Quòd si temeritatis innatæ præjudicio condemnatus, eo aspirare non potes, neque nos certe patiemur sub rectore temerario Regni periclitari fortunam. Sed ad hæc mihi forte respondes, te semper in curia viros prudentes ac strenuos habiturum, & quod industria tua non possis, hoc eorum facturum consiliis; & id quibusdam forsitan vere dicere putareris, nisi terræ tuæ quàm opulentissimam recepisti, præsens calamitas argumento nobis esset, quid in te sit spei ac fiduciæ reponendum. Quod ergo jure tibi negandum palam non ausus es postulare, id facta conjuratione per te ipsum ausu temerario subripere conabaris. In quo & Regni quidem inventus es perturbator, & contra majestatem regiam contumax ac rebellis, eoque ipso meruisti non solum terram quam possidebas amittere, sed & capitalem subire sententiam, nisi veniam tibi velit regia benignitas

gnitas

gnitas indulgere. Henricus itaque Comes audiens ex insperato palam esse cuncta quæ gesserat, tanti se criminis objectione pulsari, neque dari sibi copiam, ut quamlibet dilationis interim causam opponeret, inter metum ac stuporem anxie deprehensus, tarde timideque respondit, nunquam se contra Cancellarium conspirasse. At Rogerius Judex productus inmedium, quòd ille negabat se probaturum asseruit, dicens se ipsum minis adactum nuper ei jusjurandum de morte Cancellarii præstitisse. Quibus verbis adeo Comitis mentem & ingenium perturbavit, ut nec illius dicta refelleret, nec objecta purgaret, sed in contumeliæ verba prorumpens Rogerium Judicem proditorem appellabat, ac perjurum, qui jurejurando neglecto, consilia sibi credita prodidisset. Ita sua ipsius confessione damnatus intra palatium jussus est custodiri, subitoque nunciatum est in curia milites Henrici Comitis armatos in domum illius se recepisse, totam urbem esse in motu, multos civium ad arma concurrere. Tunc Cancellarius milites Comitis Gravinensis suosque jussit armari, & ante palatium convenire, missique sunt per urbem hostiarii qui cives ab armis juberent discedere, populique metum sedarent. Inde voce præconis denunciatur Hispanis, ut omnis eadem die Pharum transeant, alioqui in crastino quotquot eorum inventi fuerint, in carcere retrudendos. At illi relictis armis ut eis imperatum fuerat, prout quisque celerius poterat, in Calabriam transierunt. Græci verò quod Messanæ gestum fuerat audientes, spe lucri fugientibus occurrebant, & multis eos verberibus affligentes, tandem saucios, nudos, omniumque rerum inopes dimittebant. Quorum magna pars in Solaviæ Silvæ nivibus perierunt, hyemis asperitate consumpti. Urbis ergo tumultu sedato, Bartholomæus Luscìensis Cancellarium adiens, ultro confessus est ejusdem se conspirationis fuisse participem, veniamque postulans & congruam satisfactionem offerens, Ægidii Venusini abbatis precibus impetravit, ut extra Regni terminos aliquanti temporis sustineret exilium, donec universis proditoribus expulsis, integræque paci curia restituta, Regis eum indulgentia revocaret, terra ipsius interim ab eodem Ægidio possidenda. Hujus sequutus exemplum Rogerius Sorellus, se quoque manifestavit jurasse cum aliis, multis persuasionum fraudibus circumventum. Sed idem venia non impetrata carceri datus est, eò quòd id tarde confessus fuerat, cum jam omnes conjurationis auctores, Henrici Comitis indicio proderentur. hostibus itaque cognitis, ingens Cancellarium sollicitudinum turba concusserat, ambigentem cui se consilio potissimum inclinaret. Amicorum enim ejus plerique conjuratorum numerum & potentiam attendentes, periculosum æstimabant in singulos vindictam extendere, nec eo modo posse malum hoc radicitus amputari, cùm certè pluribus eorum vel omnibus qui conspiraverant capitis, semper tamen superesse contigeret qui propinquorum vellent injurias vindicare. Ideoque Cancellario suadebant, ut eos deinceps mitigare potius quàm persequi conaretur: eisque simul ad curiam convocatis in præsentia Regis ignoscens, impunitatem concederet, & innocentiam suam paucis exponens, adderet se quidem ad vindictam viribus uti posse, sed malle vincere beneficiis quam in viros nobiles, quos honorare proposuerat, tyrannice desevire. Porro Gilbertus Comes Gravinensis cujus sententia prævaluit his omnino contraria sentiebat, neque cen-

sebat

Hericus Comes timidè respondit. Rogerius Judex in Henricum.

Urbis tumultus.

Se produnt conjurati in Cancellariũ.

Variant sententię de cõjuratis.

sebat oportere quempiam illorum impunitum evadere, quos tanti sceleris participes aut conscios esse constaret, maxime cum adversus Richardum Molisii Comitem, qui eum à curia dudum expulerat, videret ultionis sibi tempus congruum occurrisse. Alii terræ ipsius consuetudinem & tyrannidem plenius agnoscentes, cum futura diligentius providerent, ajebant illos oportere vel omnino non capi, vel captos in pelagus demergi, aut aliàs latenter interfici, vel membris saltem principalibus mutilari. Hoc enim modo Rogerius Regem prudentissimum Regno suo pacem olim integram peperisse. Utilis quidem & securitatis plena sententia, sed tantam crudelitatem in misericordiam pronior Cancellarius abhorrebat. Post paucos igitur dies cum ad curiam vocati Comites aliique Proceres ex ordine consedissent, Boamundus Tarsensis, frater Carbonelli adolescens egregiæ virtutis & nobilitatis præclaræ surgens in medio Procerum, dixit Richardum Molisii Comitem inter familiares curiæ Regis ac Reginæ beneficio constitutum, erga eos parum fideliter se gessisse, cum his qui adversus Cancellarium juraverant consensisset. Ipsum enim non solum ex ore Henrici Comitis eorum agnovisse propositum, sed & consilium adprobasse, nec ut debnerat adversus eorum insidias curiam præmunisse. Quòd si quidem ipse negare contenderet, se probaturum nihilo segnius asserebat. Comes autem audacter ei falsitatem objiciens, & oblatam probationem prompta defensionis instantia subsequutus, jurabat nunquam se contra Cancellarium mali quidpiam cogitasse, & ut erat impotens iræ, velut ex indignatione prorumpens in lachrymas, clamabat susceptam cùm Boamundo monomachiam, sibi esse pro minimo; nam se quidem adversus illum aliosque duos ei similes confidentissime pugnaturum, sed hinc ejus animo justam doloris causàm ingeri, quòd id de se Cancellario persuaderi potuerit, cui devote semper obsequi studuisset. Et nisi Comitis ei Gravinensis obsuisset odium, facile potuerat à Cancellario veniam impetrare, cùm nec eum jurasse constaret, neque jurantibus quicquam virium ministrasse. Dum hæc adversus Comitem agerentur, Robertus Comes Casertinus adjecit eundem auctoritate sua dudum in Apulia Mandram, & quædam oppida Regis in Trojanorum finibus invasisse, furtimque adhuc eadem ignorante curia possidere. Ad hæc ille respondit, quod Gaytus Petrus qui tunc præerat curiæ Mandram ei tenendam ad tempus ea lege dederat, ut inde singulis annis curiæ certam redderet pecuniæ quantitatem. Oppida verò quæ in partibus Trojanorum invasisse dicebatur, itidem sibi à Turgisio terræ illius Camerario fuisse concessa. Interrogatus idem Turgisius qui tunc forte præsens aderat, negavit eum hæc oppida sua licentia tenuisse. Jussi itaque sunt Proceres omnes præter curiæ familiares in partem secedere, super his que adversus Comitem dicta fuerant judicialem sententiam prolaturi. Erant autem illi qui ad judicium faciendum surrexerant, Boamundus Monopolis Comes, Robertus de Lauro Comes Casertinus, Rogerius ejus filius Tricariti Comes, Rogerius Comes Avellini, Symon Comes Sangrensis, Rogerius Comes Giracii, Rogerius Tironensis magister Comestabulus, Florius Camerotensis, Judex quoque Tarentinus, & Abdenago Hannibalis filius, qui magistri erant Justitiari. Quibus invicem super his disceptantibus visum est Richardum Molisii Comitem antequam Gaytus Petrus fugeret, Man-

Boamundus Tarsensis in Comitem Molisii.

Robert. Comes Casertinus Casertẽsis verò Comitatus est in regno Neapolitano.

Turgisius terræ Trojanæ.

Judicis in Comitem.

Mandram quam ab eo acceperat, licentia curiæ tenuisse. Post illius autem discessum, cùm eam teneret occulte, neque rem, ut oportebat ad Regis notitiam referret, non jam precario possidentem, sed invasorem rectius æstimandum, ut qui sua tantum auctoritate, non consentiente, sed ignorante curia, possideret, eumque de tota terra, quam tenuerat in misericordia Regis esse, tum propter id, tum propter prædicta oppida, quæ constabat eum sua itidem auctoritate contra fidem Regi debitam occupasse. Hanc ergo sententiam vice consensuque omnium Boamundus Comes, ut erat vir eloquens in præsentia Regis exposuit. Tunc Richardus Comes exclamavit injuste se gravari, odium æquitati manifeste præferri: paratum se probare quòd iniquam falsamque protulisset sententiam. Quibus verbis Boamundus Comitem prohibuit curiæ respondere, dicens injuriam hanc non in eos qui judicaverant, sed in caput regium principaliter redundare. Dehinc injunctum est Archiepiscopis & Episcopis qui aderant, ut in auctorem tantæ contumeliæ, quod æquum esset de juris severitate decernerent. At illi juxta constitutiones Regum Siciliæ, decreverunt, Richardum Comitem non solum de terra sua, verum etiam de membris & corpore Regis misericordiæ subjacere, eo quod judicium curiæ falsum dicere præsumpsisset. Captus igitur & militum custodiæ traditus, Taurominium jussus est perduci, & ibidem in castello quod in ardua rupe positum oppido supereminet, summa diligentia custodiri. His itaque duobus viris potentissimis ita captis, nemo jam conjuratorum supererat quem sibi crederet Cancellarius formidandum. Episcopus autem Agrigentinus, dum hæc in curia gererentur, præsentiam suam interim curiæ subtrahebat, gravi se fingens ægritudine detineri. Nec multopost Joannes de Sinopoli & Bartholomæus Perlisinus ejusdem criminis condemnati sunt, & in principatu Salerni per loca munitissima distributi. Galterius autem Modicensis super eadem conjuratione solenniter accusatus, pacta cum accusatore suo Monomachia, datisque fidejussoribus, diem constitutam jussus est expectare. Interea mortuo Simone Sangrensi, Richardus frater ejus illi substitutus Cancellarii partem totis viribus tuebatur. Hannibal quoque puer Rainaldi Comitis filius, Comes creatus, integrè terram patris obtinuit. Gilbertus verò Comes Gravinensis considerans Cancellarium opera sua tot hostium insidias evasisse, omnia sibi prospere cedere, nullumque ut æstimabat jam superesse periculum, in tantam est præcipitatus audaciam, ut Lorotelli Comitatum à curia postulans impetraret, eligeretque stabilem in quo erat gradum non dubio præcipitio commutare. Hoc facto multorum in se Procerum & civitatum Apuliæ contraxit invidiam, & inexorabiles inimicitias suscitavit. Nam accepto Comitatu Lorotelli, Roberto Comiti, cujus omnes reditum summis desideriis exoptabant, obstruxisse videbatur aditum revertendi, & spem quæ diu foverat eos penitus sustulisse. At Cancellarius licet nonnullos familiares curiæ aliosque multos contra se factæ conjurationi consensisse non ambigeret, tamen erga illos blandius agens eorum facta dissimulare proposuit, ne rem atrocius persequi videretur: simulque sperans eos aliorum pœnis admonitos à sceleito proposito posse facile revocari. De Henrico vero Comite montis Caveosi Reginæ consilium fuit, ut datis ei mille auri unciis, in Hispaniam eum ad fratrem remitteret. Jussit ergo vij. galeas armari, quæ Odonem

Quar-

Boemundus habet Volaterranus.

Constitutiones Regum Siciliæ.

Incarceratus Richardus Com.

Pacta monomachia.

Gilbertus comes Gravinensis.

Hericus Comes remittitur in Hispaniam.

Quarrellum in Franciam transiturum, & sub ejus custodia Comitem usque in Arelatensium fines transveherent. Interim autem in castello Rhegli servabatur, quæ civitas ex opposito Messanę super Pharum in extremis Italiæ finibus sita est, ut inde promptius eum & facilius galeæ susciperent, quàm primum Rex Panormum rediturus ab urbe Messanensi discederet. His itaque dispositis, xij. die Martii Rex iter arripiens, xx. die ejusdem Panormum pervenit. Gilbertus autem Comes Pharum transiens cum militibus suis in Apuliam reversus est. Odo verò Quarrellus Messanæ remansit, multum à Cancellario instructus & diligenter admonitus, ut omni dilationis occasione sublata, statim post discessum Regis galeas intraret. Interea Gaytus Richardus magister palatii Camerarius, Matthæus notarius, & Gentilis Agrigentinus Episcopus, aliique quibus Cancellarius rem dissimulando scelerum impunitatem indulserat, semel conceptam rabiem nitebantur ad effectum urgere, nec illius erant beneficiis emolliti, sed ex absentia Comitis Gravinensis considerantes Cancellario multum subtractum esse virium, facile suis eum patere jam æstimabant insidiis, tanquam improvidum & incautum, & velut omni difficultate superata, nihil ultra periculi formidantem. Itaque novas ex integro pactiones instituunt, mutuisque se rursus obligant Sacramentis. Dehinc adimplendo proposito dies certa præfigitur, & jurejurando præstito milites eliguntur, qui dominica in Ramispalmarum ubi Rex è palatio juxta consuetudinem exierit, Cancellarium gladiis in ipsa turba confodiant. Sed & multos civium tam Panormi quàm in quibusdam aliis oppidis adversus Cancellarium instigaverant, multa dando, multaque pollicendo, quibus non difficile persuaserant, Cancellarium, si diu perseveraverit in eo culmine potestatis, universis populis Siciliæ libertatem quam hactenus habuerant sublaturum. Cujus rei magnum illis visum est argumentum, quod Joannes de Lavardino cui rogatu Cancellarii terra Matthęi Bonelli nuper data fuerat, oppidanos suos tantis affligebat injuriis, ut omnium rerum mobilium quas habebant mediam partem exigeret: hanc enim esse suæ terræ consuetudinem afferebat. At illi libertatem civium & oppidanorum Siciliæ prætendentes, nullos se reditus ajebant, nullas exactiones debere, sed aliquoties dominis suis urgente qualibet necessitate, quantum vellent sponte & libera voluntate servire. Sarracenos autem & Græcos eos solum qui villani dicantur, solvendis reditibus annuisque pensionibus obnoxios. Cumque nihil hæc allegando proficerent, rem ad Cancellarii notitiam pertulerunt. Qui Roberti de Sancto Joanne Rogeriique Tironensis magistri Comestabuli neglecto consilio, maluit quorundam quos de Francia secum adduxerat temeritate seduci, qui super hoc nullam illis justitiam oportere fieri decernentes, dicebant intolerabilem hanc esse rusticorum audaciam, & siquidem eos id quod postulent obtinere contigerit, multis inde perniciosum exemplum datum iri, ut adversus dominos suos contumaces ac rebelles existerent. Itaque nihil eorum quæ speraverant impetrantes, coacti sunt injuriam suam patienter interim sustinere. Ea res hostibus Cancellarii plurimam opportunitatem attulit, ut adversus illum multorum civium, & oppidanorum odia suscitarent, dicentes id eum proponere, ut universi populi Siciliæ reditus annuos & exactiones solvere cogerentur juxta Galliæ consuetudinem, quæ

Rhegium.

Rex Messana redit Panormum.

Iterum conjurant in Cancellarium.

Villani.

Conjurati in carcerem missi.

cives liberos non haberet. Cancellarius autem agnitis eorum consiliis, ubi nulla vidit eos mansuetudine, nullis beneficiis à proposito revocari, primò Matthæum notarium qui cæteris astutia præeminebat congregata curia, judicio sollenni postulatum, neque defensionem congruam afferentem recipi jussit in carcerem. Inde capti sunt plerique milites, quos de morte ipsius jusjurandum præstitisse constabat. Cùmque Regina nullatenus consentiret, ut Gaytus Richardus caperetur, qui conjurationis caput erat & principium, vix tandem Cancellarius id solum obtinuit, ne liceret ei extra palatium egredi, neque copiam haberet militibus colloquendi. Episcopus Agrigentinus captis sociis nihil spei reliquum videns, ut ad peragendum propositum facinus tot partibus mutilata conspiratio convalescat, statuit adversus Cancellarium urbis Agrigentinæ,& adjacentium oppidorum populos commovere,& apertas in eum inimicitias profiteri, confidens Rogerium Comitem Giracii ejusdem conjurationis socium, & ejus hortatu multos alios consilium suum facile sequuturos, simulque sperans Gilbertum Leluciensem in Calabria juxta quod inter eos convenerat, inde facturum. Itaque sine licentia curiæ cum paucis militibus clam discedens occulta quadam via pervenit Agrigentum, convocansque populum Matthæi notarii & aliorum eis captionem exponit, dicens hoc esse propositum Cancellarii, ut omnes Siciliæ Proceres quotquot ei non consenserint primò capiat: inde veneno Regem extinguens Regnum ipse sibi transsumat, cum Regina quam propinquam suam nunc appellet matrimonium contracturus: eo ventum esse necessitatis ut oporteat Siculos omnes qui fidem Regi servare voluerint, unanimiter adversus proditorem insurgere, & antequam tam detestabile perpetretur flagitium consiliorum ejus machinas prævenire. Hæc & Agrigenti publice concionatus est, & Messanensi populo scripta dimisit. Verum Agrigentinis horum nihil persuaderi potuit, neque satis justa visa est occasio rebellandi. Rex autem ac Regina fugam Episcopi cognoscentes, Burgundium Justitiarium cum literis regiis Agrigentum miserunt, præcipientes Agrigentinis ut Episcopum tanquam proditorem sub ejusdem Burgundii custodia Panormum transmitterent. Qui cum ad curiam veniens, ea quę palam gesserat quibusdam niteretur ambagibus excusare, multorum convictus testimonio ductus est in castellum S. Marci, quod in valle Demenix situm est, ibidem interim servandus donec operum series ad Romanum Pontificem perferretur. Ita jam metu, reique difficultate sublata, viribus omnino destituta conspiratio, deinceps respirare non poterat, nisi novus denuo casus emergens novum induxisset periculum,& multorum prudentium virorum industria sopitum extinctumque pene malorum somitem unius viri temeritas suscitasset. Nam cum Odonem Quarrellum Messanæ diutius morari post constitutum abeundi terminum Cancellarius comperisset quod futurum erat præsaga mente concipiens, minis & contumeliis plenam ei direxit epistolam, præcipiens ut infra triduum post susceptas literas omni lucri spe neglecta, omnique danni posthabita ratione discederet. At ille fatali jam imminente præcipitio, cupiditatis tenebris excæcatus, nullis minis aut precibus, nullo poterat genere persuasionis avelli, ob id solum tanto se periculo negligenter objiciens, ut à navibus in Syriam transituris extorqueret pecuniam, non aliter eis indulta copia transeundi.

Episcopus Agrigetinus in Cancellarium.

Episcopus Agrigetinus custoditus.

seundi. Hac exactionem cives molestissime ferentes cœperunt inter se primum occulte conqueri; deinde licentius ac manifesti indignari, suamque ipsorum temeritatem & ignaviam accusare, quæ prædones alienigenas paterentur Regni thesauros, & de civium injuriis conquisitam pecuniam in Franciam asportare. Sed & Odonis Quarrelli clientes, quæ per urbem ebrii vagari consueverant, forte Græcos in domo quadam ludentes invenerunt, eorumque ludos improbe perturbantes, cœpere multis eorum verborum injuriis irritare. Qui ob timorem Cancellarii patienter aliquandiu sustinentes, rogabant eos ut abscederent, vel ab injuria temperarent. At ubi jam ira jugibus accensa contumeliis, propulsato metu patientiam eos dedocuit, raptis fustibus illos aggressi, improbam eorum loquacitatem multis verberibus represserunt. Odo Quarrellus ea re cognita Stratigotum accersiit, ipsosque sibi captos Græcos exhiberi præcepit. Stratigotus autem respondit variis urbem concussam rumoribus, & ad seditionem pronos civium animos, non oportere nunc amplius asperari, sed hanc interim quasi negligendo dissimulandam injuriam, & ultionem in tempus congruum differendam. Tum ille, ut semel ad iram motus, nullum admittebat consilium, subintulit, quidquid acturi essent reliqui istos impresentiarum ob illatum sibi dedecus puniendos, inefficaciter ejusmodi causas prætendi, ut factum hoc sequeretur impunitas, nihil sibi de rusticorum confederatione timores innasci, expedire nunc ut horum exemplo cæteri terrerentur. Cùm ergo Stratigotus ejus voluntati satisfacturus, ad locum ubi res acciderat pervenisset, plurimam ibi Græcorum multitudinem conglobatam invenit. Quos cùm cœpisset asperius convenire, responderunt non esse tempus hoc quo Stratigoti civibus debeant minari, sed blandiri, neque dictu segnius in eum pariter irruentes, cum equi rapiditate fretus in fugam se verteret, multos post eum lapides projecerunt. Videntes Latini qui ob navium redemptionem in odium Francorum inducti fuerant, Græcos quoque adversus eosdem novis injuriis lacessitos, cœperunt ad seditionem eos hortari, asserentes Francis id esse animi, ut omnibus Græcis expulsis, ipsi domos eorum, vineas, cęteraque oppida possiderent: Reginam verò nupsisse Cancellario, neque satis adhuc constare, quid Regi contigerit, sed eum liquidem vivat, magnu discrimini subjacere. Itaque tota jam civitas falsis rumoribus perstrepebat, & evidens rebellandi prætendens indicium eò rerum turbine laborabat, ut neque Stratigotus, neque Judices contra voluntatem plebis auderent juris quidpiam exercere. Quòd ubi Regi Reginæque cognitum est falsa civitatem opinione delusam, immensis tumultuum fluctibus agitari, Messanensibus in hunc modum scriptam epistolam direxerunt.

Odo Quarrellus.

Multitudo in Stratigotum.

✻ ✻ Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, una cum domina Margareta gloriosa Regina matre sua, Andreę Stratigoto, & Judicibus, & universo populo Messanensi, fidelibus suis, Salutem, & dilectionem. Certum est eos majestatem crimen admittere, non solum si quos tanta vis furoris exagitat, ut ausu nefario vitæ salutique nostræ insidientur, verum & quos in familiarium nostrorum necem aliquid clam palam ve moliri contigerit, quique adversus eos qui negociis nostris invigilant, quorum ope & consilio Regnum nostrum feliciter gubernatur, impietatis suę machinas putaverint erigen-

Epistola Regis & Reginę ad Messanens. hoc tātillum vacui Regis nomen ignotū reliquit, nisi is est quem superius Guilelmum nominavit.

gendas. Quod genus hominum cum ad totius Regni perniciem natum appareat, meritis quidem expedit obtrudi suppliciis, & quod in alios nitebantur atrociter exercere, in caput eorum justissime retorqueri. Inde est quod Gentilem Agrigentinum Episcopum, Gaytum Richardum, Matthæum notarium quos contra Stephanum Dilectum consanguineum nostrum & Cancellarium conspirasse manifestis rerum argumentis agnovimus, in præsentia nostra convictos damnatosque carcerali jussimus custodia revinciri. Statuit autem majestatis nostræ serenitas ejusdem Stephani precibus erga eos misericorditer agere, citraque juris severitatem punitis vivendi copiam indulgere. Hæc idcirco fidelitatem vestram latere nolumus, ne forte vos fallaci cujuspiam suggestione deceptos, aut aliis quibuslibet rumoribus perturbatos, contra voluntatem nostram agere, fidemque quam erga nos hactenus inconcussam servastis, aliquatenus violare contingeret. Itaque nos sanos & incolumes in palatio nostro summa tranquillitate gaudere, omnesque de civitate nostra seditionum motus & occasiones excludite, ut nostram possitis gratiam uberius promereri.

Finis epistolæ.

Has literas recipiens Stratigotus jussit ad Ecclesiam novam populum convenire, ut eas faceret coram universis civibus recitari. Cumque moram eo faciente populus diutius expectaret, cœperunt incitari, invicem colloquendo varias opiniones confingere. Alii Stephanum Cancellarium afferebant proculdubio Regem factum, & hanc ejus epistolam quam audituri venerant regias literas appellari. Nam Gilbertum Regem interfectum esse, Henricum fratrem ejus cum paucis militibus in castello maris clausum obsidione vallari. Alii quibus ratione magis utentibus tam aperta falsitas hujus rei fidem subtraxerat, velut moderatius astruebant non ipsum Cancellarium, sed Gaufridum quendam ejus fratrem regnaturum, & ob hoc Odonem Quarrellum cum ingenti pecunia transiturum in Gallias, ut ejus opera ductuque prædictus Gaufridus in Siciliam transfretaret, & Constantiam Rogerii Regis filiam uxorem duceret, inde sibi dandam occasionem existimans, ut videretur Regnum justius occupare. Cum ergo jam murmur invalesceret, & plebis indignatio multiplicatis rumoribus augeretur, exclamavit quidam ad ejus vocem facto silentio, solum hoc in tanto turbine superesse consilium, ut Odonem Quarrellum primo interficerent: dehinc Henricum Comitem qui Messanenses plurimum semper dilexerat liberarent. Tunc universi qui aderant non aliter quàm si consiliis illius se paritum ire jurassent: ad expugnandam Odonis Quarrelli domum neglecto Stratigoti mandato concurrunt. Sed cum primo impetu nihil agere potuissent, ad portum repente se transferunt, & septem galeas ibi repertas viris & armis complentes, Rhegium trajecto Pharo perveniunt. Rhegini verò consilio Joannis Calomeni qui tunc Calabriæ Camerarius erat, portas Messanensibus aperientes, eorum societati se jurejurando præstito conjunxerunt. Inde ad castellum, ubi comes sub paucorum militum custodia servabatur, confidentius accesserunt, dicentes militibus qui ad defensionem parati muros ascenderant, ut Comite sibi redderent: alioqui ipsos si vi capti forent, tanquam proditores ilico suspendendos. Sed nec eos posse quidem evadere: nam si forte, quod vix accidere possit ea tota dic sustinuerunt, in crastino Messanæ LX. galeas armatum iri, seque machinas ad expugnandam turrim necessarias allatu-

Vulgi variæ suspiciones.

Constantia Rogerii Regis filia, hæc fuit monialis deinde Regina.

Messanenses Henricum Comitem Rhegii vinctum student liberare.

laturos. At illi primo neglectis eorum minis instantes acerrime repellebant, & importunitatem piraticam multiplicatis lapidum jactibus proturbabant. Inde verò se paucos admodum esse considerantes, nec in toto castello tantum esse victualium quod per triduum eis posset sufficere, Messanensibus instantissime Comitem sibi reddi poscentibus responderunt; homines ignotos qui sine duce, sine rectore venerint, non oportere super his quæ postulabant audiri. Si vero Stratigotum, vel Judices, vel omnino quospiam de majoribus civitatis adducerent, eorum se verbis facile credituros. Quod illi statim se facturos polliciti Messanam reversi sunt, & Jacob Hostiarium, qui ad armandum stolium à curia missus fuerat, nolentem reluctantemque Rhegium perduxerunt. Milites igitur omni spe fiduciaque resistendi sublata, tandem illis Comitem reddiderunt. Quo post Phari transitum à Messanensibus non sine totius civitatis concursu multaque plebis alacritate suscepto, juraverunt omnes Henrici Comitis de cætero se per omnia secuturos imperium, nec ei vita superstite defuturos. Interim autem Odo Quarrellus in palatium Regis quod domui suæ proximum erat, cum omnibus rebus suis se contulerat, ibique virorum multitudine circa muros excubantium circumseptus, nec ipse poterat exire, neque per literas Cancellario quod ei contigerat indicare. Nam & palatii custos cum aliter irruentis populi furorem arcere non posset, eum se capitis sui periculo spoponderat servaturum. Comes igitur missis cum notario suo plerisque civium, universam illius pecuniam, aurum, argentum, gemmas, vestesque sericas scripto consignari fecit, & in interiore parte palatii summa diligentia custodiri. Ipsum autem Odonem lintri sub silentio noctis impositum, ad Castellum vetus quod in portu secus Ecclesiam novam situm est, jussit transferri. Interea Messanenses veriti ne Comes illum ea spe custodiri faceret, ut eo curiæ reddito veniam impetraret, eorumque societati se fraudolenter subtraheret, optimum arbitrati sunt, ipsum Odonem interficere. Hoc enim perpetrato non posse Comitem erga curiam deinceps excusari. Itaque magna virorum multitudine convocata Comitem adeunt, postulantes ut Odonem Quarrellum eis traderet puniendum; non enim eo captum fuisse consilio, ut incolumis servaretur, sed ut eo diris excruciato suppliciis, tam Regis quàm suas injurias vindicarent. Comes autem ne videretur eorum ingratus beneficiis, simulque videns & si reluctari vellet, plebis tamen oportere desiderium adimpleri, noluit eorum petitioni moras opponere, licet ei plurimum displiceret; timebat enim ne speratum finem non posset res inconsultè cœpta sortiri. At illi repente castellum adeunt, & Odonem Quarrellum à castellano sibi traditum exuentes, asino quem ad hoc præparaverant eum imponunt, pedibus ejus in anteriorem asini partem porrectis, capite verò in partem contrariam acclinato. Dehinc universo populo ad hoc spectaculum confluente, per medium urbis eum cum ingenti clamore deducunt, contumeliis interim ac verberibus insistentes. Ubi ad portam civitatis ventum est, quidam eorum cultrum Pisanum quantis potuit viribus illius immergens cerebro, cruorem qui ferro adhæserat sub omnium aspectu lingebat, ad inexorabilis odii magnitudinem exprimendam. Cujus exemplum sequuti cæteri membratim Odonem innumeris confossum vulneribus discerpserunt. Caput autem ejus affixum lanceæ per urbem diutius osten-

Liberatur Comes Henricus.

Ingens contumelia & atrocitas in Odonem Quarrellum.

Lingit sanguinem mactator.

ostentantes, ad ultimum illud in cloacas publicas projecerunt; quod inde furtim sublatum est, & traditum sepulturæ. Inter hæc autem Græci Transalpinos quotquot invenire poterant occidebant, donec Henricus Comes id fieri cum interminatione pœnę prohibuit. Messanenses igitur ut venturo Regis exercitui quatenus poterant aditus viarum obstruerent, primo Rimetulam castellum fortissimum occuparunt, castellani fide promissis facile corrupta. Inde Taurominium tam dolo quàm viribus aggressi sunt, ut Richardum Comitem Molisii liberarent, & oppido quidem non difficile potiti sunt, castellum autem nullis poterat viribus expugnari. Sed & Matthæi castellani fides licet multa premiorum pollicitatione multisque nimis attentata, nusquam tamen à propositi soliditate roboris excidebat. Demum verò uxoris ejus frater à Messanensibus missus exorabat eum cum lachrymis, ut tantæ consilio crudelitatis abjecto, misereretur uxoris ac liberorum quos in carcerem missos præceperant Messanenses interfici, nisi Richardum Comitem mature reddi contingeret. At ille respondit non solum necem illorum sibi tolerabilem fore, verum & seipsum morti paratum audacter occurrere, antequam hujusmodi proditione vitam fœdaret, quam hactenus nullius infamiæ nota respersferat. Tum is qui missus fuerat cum intelligeret illius animum ab eo quod dixerat non posse deflecti, Gavarreto ipsius castelli quem dudum noverat interposita fide multa pollicitus, persuasit ut quamprimum temporis opportunitas pateretur, Richardum Comitem solveret, & hostium ei carceris aperiret. Quadam ergo die dormiente Matthæo castellano, Gavarretus ut spoponderat Richardum Comitem à vinculis expeditum eduxit. Cumque mox ad castellanum itinere recto contenderet, ille ad strepitum pedum excusso somno cum vidisset Comitem, repente præterritus ensem arripuit & sibi paratas insidias in caput illius facile retorsisset, nisi proditor cujus id opera patratum fuerat amplexus improvidum ferientis conatum eluderet, & illi cultro quem tenebat superiorem dorsi partem inter humeros transfixisset: manu tamen Comitis quam ensi sublato prætenderat vulnerata. Ita Matthæo multis confosso vulneribus, Messanenses Taurominii castellum ipsumque Comitem alacres receperunt. Hæc ubi Cancellario nunciata sunt, tanto repente turbatus infortunio, consilium amicorum quod diu neglexerat, tum demum expetiit, visumque est persuadere Regi, ut exercitu congregato Messanam obsessum pergeret, quod ille facile pronaq; voluntate concessit, ad educendum exercitum certo ab Astrologis termino constituto. Interim autem Cataniensibus scripsit, ut nihil omnino victualium Messanam deferrent, neque naves Messanensium ibidem onerari permitterent, omnesque insuper Cataniensium naves ad terram subduci præcepit singulis earum carinis singulas tabulas subtrahendo. Ea res annonæ comportandæ subtracta copia Messanensibus famis necessitatem indixerat, cum nullum aliunde super hoc solatium expectarent. Calabria enim ejus anni sterilitate damnata, vix sibi sufficere poterat. Interea Randacini, Vacarienses, Capiciani, Nicosiani, Maniacenses, cæterique Lombardi, qui Cancellarii partes ob multa ejus beneficia tuebantur, haud dubiam proditorum invidiam ac scelera detestati, legatos Panormum miserunt rogantes Cancellarium, & ei modis omnibus persuadere nitentes, ut adversus Messanenses exercitum con-

Richardum Molisii Comitem Messanēses quęrunt vinculis liberare.

Richardum vinculis liberū recipiunt Messanenses.

Rex de oppugnanda Messana cogitat.

confidenter educeret. Nam eum quidem de solis Lombardorum oppidis XX. M. propugnatorum ubicumque preciperet habiturum. Quorum laudata fide Cancellarius terminum eis constitutum ad hoc exposuit, jussitque ut interim se rebus necessariis præmunirent. Rogerius autem Giracii Comes ubi vidit denuo conspirationem multum ex improviso virium collegisse, rebellandi desiderium, quod hactenus dissimulans occultaverat, apertis cœpit indiciis profiteri, castellaque sua muniens, Cephaludium adiit, & cum ejusdem civitatis Episcopo colloquium habens, persuasit ei, ut juraret nunquam opem suam adversus Cancellarium Messanensibus defuturam, adjeciteque ut ab universis civibus suis idem jusjurandum acciperent. Cancellarius tamen ejusdem urbis arcem munitissimam præoccupaverat, cum jam ab initio fidem Episcopi dubiam agnovisset, & ad ipsius arcis custodiam Andream hostiarium constituerat. Matthæus autem notarius cum in palatio clausus teneretur, audiens quod Messanæ gestum fuerat, simulque videns Ansaldum Castellanum amicum Cancellarii in superiore parte palatii valetudine detineri: ex illius absentia datam sibi perpetrandi quod optabat opportunitatem agnovit, & Constantinum ejus socium penes quem solum custodiendi palatii cura tunc erat, multis persuasionibus eo impulit, ut universos palatii servos qui fere quadringenti erant, jurare faceret, quòd die tertia quam eis præfixerat, Cancellarium ad curiam venientem, & cum eo Joannem de Lavardino, & Rogerium Avellini Comitem inter primam ac secundam portam interficerent. Jam tunc ergo conspiratoribus in spem & audaciam rursus erectis, in partes scissa civitas variis assensibus laborabat. Sed & plerique viri rapinis assueti qui circa viam Coopertam, & in superiori parte viæ Marmoreæ commanebant, videntes rixas & seditiones inter curiæ familiares exortas, societatis inter se fœdus injerant, non quia favore partis utriuslibet traherentur, sed lucri spem sequentes juraverant in illum quidem impetum se facturos, in quem primum acclamari contingeret. Optabant autem eum fore Cancellarium, eo quod in domo illius multam arbitrantes congestam esse pecuniam, credebant se quod optaverant ibidem uberius & facilius effecturos. Inter has rerum ambigultates & pericula, Cancellarius deprehensus ab Ansaldo Castellano statuit sciscitari quid ei potissimum in tanto turbine faciendum decerneret. Cujus consilium fuit: ut neglecto termino, quem Astrologi præfixerant, cum militibus suis, in aliquam munitionum Siciliæ se reciperet, & tam Lombardos quam cæteros quos sibi fideles noverat accersiens, quantum posset exercitum congregaret, ibique Regis præstolaretur adventum. Nam eum si Panormi diutius moraretur, vix tantas hostium insidias evasurum. Prævaluit tamen Roberti Comitis Melienti cæterorumque Francorum sententia, qui proditorum astutiam & curiæ consuetudinem nescientes, Panormi morari tutius asserebant, nec oportere Cancellarium sine Rege quopiam proficisci, ignorantes nusquam aptius insidias quàm in ipso palatio præparari, ubi nemini liceat armis se vel militibus præmunire. At ubi jam constituta dies aderat, servi ipsius palatii sperantes Cancellarium mane juxta consuetudinem ad curiam ascensurum, parati ante januam consistebant, ut eum venientem cum paucis admittentes, milites ejus excluderent. Odo vero magister stabuli, cum eorum intellexis-

Cephaludium Civitat.

Conspiratur in Cancellarium.

lexisset consilium, repente descendens è palatio, Cancellarium, quòd ei periculum imminebat, edocuit. Qui paucos amicorum secum retinens, milites & hostiarios, qui ante domum ejus convenerant, ut euntem ad curiam sequerentur, jussit abscedere. Constantinus itaque Castellanus ubi spem & opinionem suam elusam animadvertit, mittens plerosque palatii servos, quos civibus notissimos esse cognoverat, per singulas urbis regiones eos distribuit, jussitque clamare ut universi cives ad arma concurrerent, & domum Cancellarii qui paratis jam navibus cum thesauris regiis fugere decreverat, obsiderent. His urbe commota rumoribus, Herveus Floridus quem non tam familiaritas Cancellarii, quàm ipse de se plurimum loquens palatinis suspectum fecerat, cum Rogerio Comite Avellini secus palatium equitabat. Quem cùm vidissent clientes Gayti Richardi ac plerique alii viri, qui jam illuc armati confluxerant, irruerunt in eum, & equo dejectum gladiis transfoderunt. Inde Comitem persequentes cum extra portam urbis in planum quod palatio adjacet pervenissent, fugiendi spe sublata, jam in eum lanceas intendebant, cum Rex ut ad fenestras palatii quid tumultus esset prospectum venerat, exclamans multum illis interminatus est, nisi sibi vivum illum & incolumem assignarent. Sic eorum impetu vix compresso, cum aliter Comitem liberare non posset, jussit eum in castello maris summa diligentia custodiri. Tunc verò sagittarii curiæ qui nunquam in seditionibus ubi lucri spes appareat ultimi consueverunt occurrere, cum his quos superius conjurasse diximus, magnaque præterea confluentium virorum multitudine, domum Cancellarii circumvallant. Symon autem Pictavensis cujus diligentiæ domus ejusdem cura commissa fuerat, milites pedítesque prout locorum opportunitas exigebat, per murorum disponens ambitum, singula loca congrua defensione præmunivit. Militum verò maximam partem repentinus plebis concursus excluserat. Cancellarius ubi rem videt in id discriminis devenisse, cum plerisque viris nobilibus, quos à se non passus erat discedere, per Ecclesiam quæ domui suæ erat contigua, in Campanarii fortissimam, ut in plano munitionem se recipit. Erant autem qui semper ei familiarius adhærebant, Carbonellus & Boamundus Tarsenses, Gulielmus de Sancto Severino, Alduinus Catuensis, Hugo Lupinus. Robertus quoque Mellenti Comes, cum quibusdam Francis militibus. Interea Rogerius Tironensis magister Comestabulus, cum militibus suis superveniens, viros quos ibi repererat acerrime proturbabat. At ubi jam multitudo populi confluentis in inmensum excrevit, resumpris animis in eum pariter irruentes, tam ipsum quàm ejus milites fugere compulerunt, domumque Cancellarii quæ multo distendebatur ambitu, cœpurunt ex omni parte totis viribus oppugnare. Obsessi verò non solum de locis sibi designatis nihilo segnius instantibus resistebant, verum etiam apertis aliquoties foribus erumpentes, totam multitudinem audacissime repellebant, longiusque cogebant absistere, Matthæus quoque notarius & Gaytus Richardus de locis in quibus clausi fuerant exeuntes, pristinæ se dignitati, nemine prohibente reddiderant. Qui servis buccinariis accersitis, præceperunt ut ante domum Cancellarii tubis ac tympanis personarent. Tunc universa civitas tam Sarraceni quàm Christiani signum belli notissimum audientes, jussu Regis id fieri crediderunt, moxque cum ingenti clamore ac stre-

Constantinus Castellanus palatii custos in Cancellarium.

Herveus Floridus occisus

Cancellarius in Campanarium Ecclesiæ se recipit ubi obsidetur.

ftrepitu concurrentes cœperunt inftare vehementius; videntesque diutius infiftendo nihil proficere, tandem ad portam Ecclefiæ magna lignorum ftrue oppofita decreverunt ignem fupponere. Cùmque jam redactis in Carbones foribus liber patuiffet introitus, plerique milites Cancellarii quibus immenfa virtus periculi metum fuftulerat: oppofuerunt fe conantibus introire. Ibi diu multumque fumma virtute pugnatum eft: his quidem urgentiffima neceffitate vires & audaciam miniftrante, illis autem indignantibus, quòd pauciffimi viri tantæ multitudinis impetum fuftinerent. Prævalente vix tandem multitudine, fatigati fe milites in Campanarium contulerunt. At illi per Ecclefiam in domum Cancellarii libere tranfeuntes: milites peditefque qui muris defendendis operam dabant, repente captos vinctofque caftellanis palatii tranfmiferunt; quos autem repererant de locis adhuc munitioribus refiftentes, ut fe dederent bonis conditionibus effecerunt. Inde ad expugnandum Campanarium redeuntes, cum jam multis eorum vulneratis acrius inftando nihil agerent, variis huc illuc confiliis agebantur. Alii multa lignorum coacervata congerie, fupponendum ignem cenfebant; nam ex ejufmodi faxis conftructum effe Campanarium, quæ perfeverante diutius igne facile diffolvantur. Alii machinas ocyus inferendas, alii cratibus invectis fuffodiendum ab imo Campanarium decernebant. Interea cùm Rex ad matris petitionem è palatio vellet exire, ut ab obfidione populum amoveret, Matthæus notarius cæterique confpiratores qui aderant prohibuerunt eum egredi, dicentes non effe tutum illuc accedere; nam fagittarum ac lapidum circumquaque turbinem agitari. Cùmque viderent nullatenus ea die poffe Campanarium expugnari, timuerunt ne fi res produceretur in craftinum plebis tepefcerent animi, vel pœnitentia ducti defifterent ab incepto, cum id Regi difplicere cognofcerent. Statuerunt ergo cum Cancellario pacifci, ut abjurato Regno Siciliæ liceret ei in quam eligeret terram libere tranfmeare. Miffis itaque nunciis qui hanc ei conditionem proponerent, ita demum inter eos tranfactum eft, ut armata Galea Cancellarius cum paucis quos eligeret traduceretur in Syriam. Comiti verò Mellenti cæterifque Francis ad transfretandum navigia pararentur. Nobiles autem viri de Regno Siciliæ, qui cum eo in Campanario erant, terras fuas fecure ac libere poffiderent, militibus ftipendiariis indulta licentia, vel in curia commorandi, vel ad alium locum quemlibet tranfeundi; hoc ita fine dolo factum iri juraverunt, Richardus Syracufanus electus, Matthæus notarius, Gaytus Richardus, Rimoaldus Salernitanus Archiepifcopus, Joannes Epifcopus Maltenfis: ipfaque nocte galeam præparari fecerunt. Mane verò Cancellarium è Campanario cum paucis fociis extrahentes, ad portum eum Gallicum perduxerunt. Cumque Galeam afcenderet, Canonici Panormitani qui aderant rogabant eum ut à Sacramento fidelitatis eos abfolveret; at ille rem diffimulans, nihil refpondit. Tum curiæ familiares cœperunt primò blandius hortari, dehinc acrius & importunius comminantes inftare, ut electioni renuncians eligendi Paftoris Canonicis poteftatem daret. Ille verò videns armatam circumfremere multitudinem, tumultuari milites, Magnates indignari, quòd nec dum revertendi videretur animum abjeciffe, metu compulfus renunciavit electioni. Moxque galeam ingreffus, juffit eam à ter-

Cõbuftę fores Ecclefiæ.

Pactio inter tumultuantē populum & Cancellariū.

Cancellarius in Syriā navigio difcedit.

à terra propelli, suspectum habens populum magno illuc impetu confluentem. Itaque curiæ familiares ad Campanarium regressi, Comitem Mellenti cæterosque Francos eduxerunt, plebisque seditiosos impetus, & adventum Messanensium formidantes, in duobus castellis Parthenico Carinulaque fecerunt illos interim commorari, donec eis ad transfretandum navigia providerent. At Cancellarius à portu quàmprimum potuit avulsus, per Mazariensium fines australem Siciliæ partem circuiens Lecatulam pervenit, quod castellum in finibus Agrigentinorum situm est. Ibi necessario coactus ad terram egredi præmisit Episcopum Maltensem qui Dux ei datus fuerat, ut oppidanis ex parte Regis præciperet, ne illum aliquatenus impedirent. Jam enim galea procelloso maris turbine fatigata dissolutis compagibus naufragium minabatur. Cumque brevi temporis intervallo congrue resarciri non posset, neque sine certo capitis periculo liceret Cancellario triduum ibi transigere, navem onerariam in eodem inventam littore, à Januensibus emit, eisdemque nautis conductis in Syriam prospere transfretavit. Interea Gentilis Agrigentinus Episcopus qui in Vallem Demeniæ missus fuerat, revocatur, & curiæ familiaris efficitur. Henricus Comes, montis Caveosi, & Richardus Molisii Comes, cum plerisque Messanensium xxiiij. galeis armatis Panormum perveniunt, viribusque freti statum curiæ innovant, & x. familiares instituunt, Richardum Syracusanum electum, Gentilem Agrigentinum Episcopum, Rumoaldum Salernitanum Archiepiscopum, Joannem Maltensem Episcopum, Rogerium Comitem Giracii, Richardum Molisii Comitem, Henrici montis Caveosi Comitem, Matthæum notarium, Gaytum Richardum, Galterium Decanum Agrigentinum Regis præceptorem. In eo statu curia constituta decernitur imprimis, uti Gilbertus Comes Gravinensis, cum filio suo Bertranno Comite, pellatur è Regno, salvus tamen & incolumis, siquidem his curiæ mandatis ultro parere voluerit. Quòd si viribus uti & militibus adunatis reniti præsumpserit, cum eo deinceps hostiliter agi, & tanquam proditorem totis Regni viribus oppugnari. Hoc autem negocium Rogerio Comiti Albensi, Richardoque de Sagio Fundano Comiti delegatur. Qui de totius Apuliæ civitatibus immensum congregantes exercitum, Gilbertum Comitem in castello quodam, quò se cum uxore receperat, obsederunt. Nam audito curiæ mandato universi milites ab eo discesserant. At ille multam in se Procerum attendens invidiam, civitatum atrox odium nihilque spei sibi relictum intelligens, elegit se Richardo Comiti Fundano cum thesauris suis eo pacto dedere, ut liceret ei cum uxore ac liberis in partes Syriæ transmeare. Eo sic expulso, cogitabant etiam curiæ Magnates Hugonem Comitem Catacensem, quia Cancellarii consanguineus erat, expellere. Sed quia nullius consilii, nullius audaciæ homo erat, ut vel occulte paraturus insidias, vel ex præcipiti magnum ausurus aliquid timeretur, maluerunt ei parcere, sperantes eo ipso posse Reginæ indignationem aliquatenus mitigari. Post paucos dies Galterius Agrigentinus conducta plebis multitudine metuque compulsis Canonicis consentiente curia, non tam electus quàm violenter intrusus, Panormitanæ regimen suscepit Ecclesiæ. Ea res his qui Cancellario faverant, ipsique Reginæ plurimum spei subtraxit; sperabant tamen Romanum Pontificem id quod actum fue-

Lecata Castellum.

Gentilis Episcopus Agrigentinus revocatur in curiam.

Galterius Agrigentinus Regis præceptor.

Gilbertus Comes Gravinensis obsidetur.

Galterius Agrigentinus Panormitanus Episcopus.

fuerat; ratum non habiturum, cum non sponte Cancellarium, sed capitalibus minis adactum electioni renunciasse constaret. Quod autem vi metuve gestum fuerit, ratum non habere Prætorem. ejusmodi verò metum intercessisse qui & incostantissimum virum cadere posset, nulli dubium erat, neque tam manifesta res ullis testibus indigebat. His accedebat quod Petrus Cajetanus Romanæ curiæ Subdiaconus certissime promiserat, electionem hanc nihil roboris habituram, septingentasque auri uncias opera studioque Reginæ acceperat Romano Pontifici deferenda. Pars autem contraria cujus opinio prævaluit, asserebat in eo statu Romanam esse curiam, ut voluntati Procerum Siciliæ non audeat obviare, neque censeat immensam pecuniam ob firmandam electionem sibi oblatam in eo necessitatis articulo contemnendam. Hoc itaque negocio paucis diebus protracto, ne videretur præcipitari sententia, demum Romanus Pontifex electionem ratam habuit, ipsumque jussit electum à suffraganeis Episcopis consecrari. Qui tantæ dignitatis culmine sublimatus, repente statum immutavit curiæ, summaque sibi potestatem retinens, Matthæum notarium & Gentilem Agrigentinum Episcopum sub se familiares instituit.

Eodem anno quarta die Februarii circa primam horam ejusdem diei vehemens terremotus tanta Siciliam concussit violentia, ut in Calabria quoque circa Rhegium oppidaque proxima sentiretur. Catanensium opulentissima civitas usque adeo subversa est, ut ne una quidem domus in urbe superstes remanserit. Viri ac mulieres circiter XV. M. cum Episcopo ejusdem civitatis, maximaque parte Monachorum sub ruina sunt ædificiorum oppressi. Leontinm nobile Syracusanorum oppidum eadem terræ concussione subversum, oppidanorum plerosque ruentium ædificiorum mole consumpsit. Multa præterea in finibus Catanensium ac Syracusanorum castella diruta sunt; multis in locis terra dehiscens, & novos protulit fontes & veterum nonnullos obstruxit, eaque pars Æthnei cacuminis quæ Taurominium respicit, visa est aliquantulum subsedisse. Syracusis Arethusa fons nominatissimus quem ab Ælide Græciæ civitate fama est in Sicilia occultis meatibus derivari, de limpido turbulentus effectus, saporem salsum mula maris admixtione contraxit. Tajus, fons quidem aquis uberrimus, qui de pede montis juxta Casale Sarracenorum egreditur, quasi duarum horarum spatio manes obstructus, aquas continuit, magnoque dehinc erumpens impetum, sanguinei coloris latice per unius spatium horæ mirantium oculis indigenarum exhibuit. Messanæ verò mare cum tranquillissimum esset, in se ipsum primo se contrahens, paulisper cessit à littore, deinde pedetentim rediens præfixas littoris metas transiliit, murosque civitatis alluens, ipsis & se portis infudit. His aliisque prodigiis curiæ familiares eorumque fautores perterriti, arbitrabantur novitatem hanc rerum magnam Siculis calamitatem portendere. Timebant ergo ne Cancellarius ope & consilio Constantinopolitani Imperatoris, qui legatos ejus ut ferebatur, benigne susceperat, Regnum Siciliæ collectis viribus occuparet. Nec verò dubium erat plerosque Regni Comites ac Proceres illius adventum avidissime præstolari. Credebant autem etiam Robertum Comitem Loroteilli

Terræmotus in Sicilia, Catania, Calabria.

Leontinum Oppidum ex motu subversum.

Prodigia mira. Arethusa fons.

Tajus.

rotelli Reginæ voluntatem & imperium, cujus opera nuper ab exilio revocatus fuerat, proculdubio fecuturum. Dum igitur adversus ea quæ accidere poterant multis se consiliis, & artibus præmunirent: repente de morte Cancellarii certissimus ad curiam rumor perlatus, & Reginæ prorsus animum dejecit, & partem contrariam in id roboris ac securitatis evexit, ut nihil sibi deinceps æstimarent difficultatis aut pericuii formidandum. Itaque summa Regni potestas, & negotiorum cognitio penes Galterium Archiepiscopum Panormitanum erat, qui sibi Regem eatenus suspecta satis familiaritate devinxerat, ut non tam curiam quàm Regem ipsum regere videretur.

Cancellarius mortuus.

PETRI BLESENSIS
EPISTOLÆ SELECTÆ
AD SICULOS.

ADMONITIO
AD LECTOREM.



Etrus natione Gallus, Blesensis à Natali loco dictus; Anno 1166. cum Stephano, Comitis Perticensis Filio, è Galliâ in Siciliam appulit. Eos vocaverat Margarita Regina, Gulielmi II. Regis Mater, ut Filium adhuc adolescentem, Regali Prudentia, Pietate, & Litteris, instruerent. Principio Petrus benè acceptus Regi Preceptor datus est, & ipsum majores scientias edocuit; donec in Stephanum Perticensem, & socios Turbæ à Falcando memoratæ simul & Petrum, quamvis post annum è Sicilia discedere coegerunt. Hinc fas est conjicere quàm adversa mente Blesensis de rebus, & Regibus Siculis senserit. At nos hujus collectionis integritati studentes haud renuimus ab inimico homine historicas notitias, quæ appendicis loco Falcandum illustrare possunt, haurire. Prudens enim Lector considerabit in quibus circumstantiis & quam exulcerato Animo Petrus scripserit.

De Petro Blesensi videndi Natalis Alexander sect. XII. cap.6. A.18.
Ellier Dupin Biblioth. Eccles. sect. XII.
Gulielmus Cave Hist:Literaria.
Baronius Annal. Eccles. Anno 1167. *n.* 72.
Augustinus Inveges Annal.Panor.Tom.III.Anno 1166. *ad ann.*1170.

EPI-

EPISTOLA X.

PETRI BLESENSIS

AD G. CAPPELLANUM REGIS SICILIÆ.

Gualterum.

ARGUMENTUM.

Graviter queritur à Rege Siciliæ adolescentulo ad Ecclesiæ Agrigentinæ Episcopatum evectum hominem prorsus inidoneum: simulque ostendit Capellani, ad quem scribit, officio incumbere, de hoc lapsu Regem non semel tantum, sed etiam secundò & tertiò serio commonefacere.



DIU est, quod rumor insonuit, & publicè jam crebrescit, quòd Dominus tuus Rex Siciliæ salutis suæ, & paternæ traditionis oblitus cum Comite Lorocelli in ruinam, & desolationem Agrigentinę Ecclesiæ conjuravit. Intendit Episcopare fratrem Comitis, & ipsum reclamante Capitulo violenter intrudit. Tu verò cum scias eum statuam esse, & truncum inutilem, miror, quod non ascendis ex adverso, & te pro domo Israel non opponis. Infelix ego homo, cur non habeo copiam illius Comitis, ut aliquid persuadeam homini inhumano? Annunciarem impio impietatem suam, & si non lucrifacerem eum Deo perfectè saltem partes evangelizantis implerem. Zelus domus tuæ Deus comedit me. Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici tui, verè obliti. Verbum enim tuum est Domine: Domus mea, domus orationis, non intrusionis, vocabitur. Domum tuam Domine decet sanctitudo, non intrusio. Respice Domine in faciem testamenti tui. Zelare honorem, & decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, non irruat in eam in mundus, & incircumcisus. Consoleris Ecclesiam, quæ in conculcationem data est, & dicas ei. Noli timere filia Sion, Civitas Hyerusalem noli flere. Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei. Gloriam illorum humiliabo, qui te humiliant, & confundunt, ponam te in superbiam sæculorum. O detestanda operatio, ò adolescentia deploranda. Filius Ecclesiæ quare se erigit contra matrem? Cur abjecit consilium pietatis, & abjit in consilio impiorum? in una die peribunt cogitationes eorum: consilium autem Domini manet in æternum. Væ terræ, cujus Rex puer est. Doleo, quod inter primitias dominationis suæ, & inter initia unctionis Regiæ hoc præsumit. Virtus equidem consecrationis ab hujusmodi violentiis eum utinam temperasset: magna enim est hujus efficacia Sacramenti. Nam de David, postquam à Samuele unctus est, Scriptura testatur, quod directus est Spiritus Domini in David à die illa, & in reliquum Saul quoque die illa, qua Olei lenticula à Samuele perfusus est, mutatus est in virum alterum, & insiliente in eum Spiritu Domini, cum ascendisset ad cuneum Prophetarum, cum eis prophetare incepit. Caiphas, qui in illo consistorio, ubi de morte Domini age-

Guilielmus II. Vide: Notas.
Ezech. 13. 5.
Psal. 68. 10.
Isaia 56. 7.
Matt. 21. 13.
Psal. 92. 5.
Psal. 73. 10.
Psal. 25. 8.
Isaia 52. 1.
Joann 12. 15.
Psal. 86. 3.
Isaia 60. 15.
Psal. 145. 4.
Psal. 32. 11.
Eccles. 10. 16.
Quanta sit vis unctionis regia.
1. Reg. 16. 13.
1. Reg. 10. 9.

Joan. 11. 51. batur, sententiam protulit, dicens: Expedit, quod unus moriatur pro Populo. Sicut ait Evangelista, hoc à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetavit. Verum nec virtus unctionis, nec religiosorum crebra exhortatio, nec Dei timor, nec Ecclesiæ reverentia, nec suæ famæ dispendium, nec exemplum paternæ mansuetudinis à sua pertinacia hunc reflectunt. Duorum mihi nomina expressisti, qui familiares & domestici ejus sunt, quorum amicitias, licet ignobiles sint mente,& genere,gratantissimè acceptavit; hi ipsum in hanc temeritatem excitant, & incendunt. Sed certè inimici hominis domestici ejus. Proditoria istorum consilia prætulit inconsultissimus adolescens Domino Salernitano, & Comiti Avellni avunculis suis, quorum fidem, & prudentiam necessitas Regni frequenter experta est: qui dedecus pueri sua morte redimerent; nec Regni humiliationi usque ad effusionem sanguinis & perpetuitatem exilii consentirent. Sed Populi peccatis exigentibus elongavit à se amicos, & proximos incedensque per viam Roboam consilium venerandæ maturitatis abjecit. Porrò honorem sponsæ suæ zelabit Dominus, & malos malè perdens, retribuet abundanter facientibus superbiam. Et quia ille miserabilis adolescens in thesauros Ecclesiæ consilio malignorum manus rapaces injecit, vereor, ne in eum Dominus excandescat, & eveniat,quod dicit Job. Thesauros, inquit, quos devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet illos Deus. Luet, quæ fecit omnia, nec tamen consumetur. Non decebat, eum manus laicas ad sacra porrigere. Frequenter debueras ei suggessisse qualiter Oza fuit percussus à Domino, eo quod in arcam Domini manus, devotè quidem, sed indignè porrexit. Qualiter temporibus Jasonis ille perpetuus ignis, qui à tempore Ieremiæ usque ad Nehemiam duraverat, extinctus est, eo quod Antiochus occasione Jasonis ad sacerdotalia manum misit. Qualiter Regnum Balthazar à Persis occupatum est, & vastatum, indicio manus ultricis & scribentis, Mane, Thecel, Phares, eo quod vasa Domini inconvivio prophanasset. His & similibus eum deterruisse debueras, sed alligatum est verbum Domini in ore tuo, nec moveris super contritione Joseph. Times hominem, nec te zelus Domini, aut Ecclesiæ tangit afflictio. Porrò testimonio Job,qui timet pruinam, veniet super eum nix. Gloriosum est cuilibet Christiano si affligitur, dummodo non sit turpis, sed in Christo commendabilis afflictionis occasio. Nemo, inquit Petrus Apostolus, patiatur ut fur: sed si bene facientes, & benedicentes sustinetis, hæc est gratia apud Deum. Ideò ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quia digni habebantur pro Christi nomine contumeliam pati. Si exhortationem tuam contemptui habet, ipse contemptus tibi cedet ad gloriam. Lampas, ait Job, contempta apud cogitationes principum, parata sit ad tempus statutum. Et quod est tempus illud, nisi tempus, de quo dicitur: cum accepero tempus, ego justitias judicabo? Unum moveris, si non annuntiaveris impio impietatem suam, ipse in impietate sua morietur, & ejus anima de tuis manibus requiretur. Ovis tua est, & in periculum tuum ipsius custodiam suscepisti. Vide ne alios imiteris, qui lac, & lanam quærunt in ovibus, non salutem. Periculosum est tibi, si in tonsoris officium convertas ministerium pastorale. Tondet Absolon oves suas, & fratrem suum interficit: sic animam proximi sui Prælatus mortificat, dum eo enormiter delinquente, aut tacet, aut diffi-

Marginalia: *Romoaldo Salern. Archiepiscopo. Rogerio Com. Avell.* — 3. *Reg.* 12. — *Psal.* 30. 24 — *Impiũ est invadere in res sacras.* — *Job* 20. 15. — 2. *Reg.* 6. — 2. *Mach.* 1. 20. — *Dan.* 5. 25. — *Amos* 6. 6. — *Job* 6. 16. — 1. *Pet.* 4. 14. — *Act.* 4. 41. — *Job* 12. 5. — *Psal.* 74. 3. — *Ezech.* 3. 19. — *Rex est ovis sacerdotis pastoris.* — 2. *Reg.* 13. 23. & 29.

dissimulat, aut consentit, ut inde emolumentum temporale percipiat. Indubitanter quidem scio, quad si orasses instantius, perorasses, & ab hac inhumana tyrannide hominem avertisses. *al. indubitabiliter.* Diffusa est enim gratia in labiis tuis, vivusque & efficax sermo tuus, imò Domini, & penetrabiliter omni gladio ancipiti. *Psal. 44. 3.* Hic est vomer ille aratorius, quo Samgar sexcentos Philistæos occidit mandibula asini, qua Samson mille de suis hostibus interfecit: clavus Jahel: pugio Phinees: gladius Gedeonis. *Hebr. 4. 12.* *Iud 3 31.* *Iud. 15. 15.* *Iud. 4. 21.* *Num. 25. 8.* Quod si ex corde ageres causam Christi, daret voci tuæ vocem virtutis, atque voluntaria oris tui beneplacita faciens, cor Regis ad tuum verteret arbitrium ille, in cujus manu corda sunt Regum. *Iud 7. 21.* *Psal 18. 108.* Non enim, sicut dicit Dominus, vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis: Ipse est, qui dat verbum evangelizantibus virtute multa. *Prov. 21. 1.* *Matt 10. 20.* Ipse est, qui tibi opportunè astaret, si importunè & frequenter instares. *Psal. 67. 12.* Habet tuarum continentia litterarum, quod ipsum primò blandè & amicabilitèr convenisti: ipse autem respondit, se non esse in culpa, sed Comitem Lorocelli: cum verò eundem iterum convenisses, te, sicut asseris, reputavit insanum: ideò ori tuo imposuisti silentium, proprioque ipsum arbitrio dimisisti. Quod primò usus es blanditiis, prudentiæ adscribo: non enim litibus exasperandi sunt Principes, sed temperatius corrigendi, sicut Paulus Apostolus ad Timotheum scribens: servum inquit, Domini non oportet litigare, sed ad omnes mansuetum esse, & patientem, corripientem cum modestia eos, qui resistunt veritati. *1. Tim. 2. 24.* Sed qui semel, & secundò verbum exhortationis proposueras, eandem exhortationem debueras tertiasse: fortè aliquid efficaciæ contulisset numerus Trinitatis. *Peccantes sæpius monendi.* Goliath in tertio lapide prostratus est. Moyses magos Pharaonis in signo tertio superavit. *1. Reg 17 50.* *Exod 8. 18.* Doleo, quod ad excusandas excusationes in peccatis, culpam suam transfundit in alium, quam eum humiliter confiteri, & devotè corrigere oportebat. *Psal. 140. 4.* Graviter offenditur Deus, cum quis propriam malitiam dissimulando, eam ministerio prosequitur alieno: scriptum est enim, manus in manu non erit innocens malus. *Prov. 11. 21.* *1 Reg 18 18.* Sic dicebat Saul de David: non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum. *Ioan. 18. 31.* Sic Judæi linguis crucifigentes Dominum, dicentes tamen, non licet nobis interficere quenquam, tradebant eum occidendum militibus, ut ab eis culpa in alios transferretur. Quod insanum te reputat, non mirare: non est mirum, si insanus alios existimet insanire. Certè cum quidam filius prophetarum inunxisset Iehu in Regem, quæsierunt alii dicentes: ad quid venit insanus iste ad te? *4. Reg. 9. 11.* Sic apud eos, quorum interiores oculi ambitione, vel invidia excecantur, vilescit sermo Dominicus, & verba vitæ ædificativa vesaniæ adscribuntur. *al. effectiva.* Scio, quid Dominus tuus somniet, quid affectet in hac erectione sui Dagon, in hac intrusione tyrannica. Utinam maturius saperet, & intelligeret, utinam prudentius inter spiritualia & mundana discerneret: peremptorium enim est in Principe, vel auram adorare munerum, vel favorem quærere personarum: teste siquidem Propheta: in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus: transibunt verò iniquitates in pœnam, & munera in dolorem: *Psal. 25. 10.* quia testimonio Job, Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Iob. 15. 34.* Benedictus autem Dominus, qui Regem Anglorum Henricum à talibus hactenus conservavit innoxium. *Henricus II. Rex laudatur* Manus enim suas excussit ab omni munere:

 nec

nec in Prælatis Ecclesiæ promovendis ipsum unquam inflectere potuit, vel muneris oblatio, vel gratia personalis: ideò magnificavit eum Dominus in conspectu Regum, & juxta nomen magnorum, qui sunt in terra, thesaurizavit super eum gloriam, & honorem. Bene valeas amice carissime, & inceptæ correptioni diligenter insistas, donec Dominus tuus ab invio erroris sui in viam justitiæ revertatur.

Eccles. 45. 2.

EPISTOLA XLVI.

AD RICHARDUM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

ARGUMENTUM.

Causam Richardo Episcopo reddit, cur in Siciliam reverti nolit, quam ut æquo iniquius deprimit, sic Thomam Angliæ Martyrem plus æquo extollit. Tum Episcopum, utpote natione Anglum hortatur, ut in patrio solo reliquum vitæ conficiat.

CARISSIMO PATRI, AC DOMINO RICHARDO, DEI Gratia Syracusano Episcopo, Petri Blesensis salutem in vero salutari.



Uod me in Siciliam redire cupitis, & estis de mea revocatione soliciti, gratiarum actiones vobis refero, quantas possum: veruntamen non sum adeò prodigus vitæ meæ, ut velim requiem pro labore, securitatem pro periculis, pro ægritudine sanitatem, pro peregrinatione patriam, vitam pro morte, delicias pro angustiis permutare. Terra siquidem vestra devorat habitatores suos: nec parcit ætati, nec sexui defert, nec personam considerat, nec favorem conditionis, nec gratiam dignitatis acceptat. Triginta & septem animæ cum Domino Stephano Siciliam sunt ingressæ, omnesque in morte conclusi sunt, præter me & Magistrum Rogerium Normannum, virum litteratum, industrium, & modestum. Nos solos eduxit Dominus per misericordiam suam de medio umbræ mortis in fortitudine manus suæ. Cumque vix aut nunquam permittatur egressus his, qui semel ingressi sunt: nolo ingredi, *quia me vestigia terrent omnia, te adversum spectantia, nulla retrorsum*. Contraxit ab aëre suo Sicilia; contraxit, & à malitia inhabitantium in ea, ut mihi odibilis, & quasi inhabitabilis censeatur. Ipsam abominabilem mihi reddunt aëris distemperantia, & veneni distemperatio frequens, cujus immanissima crudelitate ibi periclitatur assiduè nostratum incauta simplicitas. Quis quæso ibi securus inhabitat, ubi præter cæteras passiones, montes ignem infernalem semper evomunt, & fœtorem sulphureum evaporant? Nam ibi procul dubio est porta inferi, de qua dictum est. A porta inferi erue Domine animam meam. Portæ, inquam, mortis & inferi sunt montes Trinacriæ, ubi absorbentur à terra homines, & descendunt in infernum viventes. Dulcedinem nativi aëris Anglici, omnemq; escam terræ nostræ, abominata est anima vestra, & appropinquavit usque ad portas mortis. Omnis quantuscunque cibus fuerit, sive potus apud nos, salutaris est & acceptus. In tenuibus diætis peccant vestrates: cumque vivant apio tantum, & fœniculo, in quibus ferè est totus vi-

Vide: Notas.

Horat. lib. 1. epist. 1.

In antip. Eccles.

victus vester: ex his tamen generatur humor, qui semper in causam morbi acutissimi, & mortis materiam computrescit. Illud autem adjicio, quod assiduè legitur in libro experientiæ: quia cum scriptum sit, quod omnes Insulares populi sunt, generaliter infideles, Siciliæ habitatores Sophistici amici sunt, & occulti atque perditissimi proditores. Vobis ista non scriberem, nisi vos hæc eadem certo, & frequenti experimento didicisse novissem. Inde est, quod cum alios fideles sibi populos flagellet Dominus in spiritu misericordiæ, & mansuetudinis; plebem Siciliæ flagellat, nunc in judicio Sodomæ, & Gomorrhæ, nunc in plaga Dathan, & Abiron, nunc in spiritu judicii & ardoris. Scitis, quod Ætna Mons frequenter ignes suos in immensum circumquaque diffundit: & adhuc per spacium diætæ unius undique combusta, & deformata est tota facies regionis. Sævientis flammæ procellosa vorago, omnes incolas, aut expulit, aut combussit. Hæreditas miserorum data est in combustionem, & cibum ignis: & ut expressius loquar, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum: In omnem terram, & in fines orbis terræ jam exiit plaga illa, qua nuper in Sicilia percussi sunt Catanenses in Vigilia B. Agathes, cum Episcopus ille damnatissimus, frater Matthæi Notarii, qui sicut scitis, sibi sumpsit honorem non vocatus à Domino tanquam Aaron, & qui ad sedem illam non electione canonica, sed Giezitica venalitate intravit, cum inquam, abominationis offerret incensum, intonuit de cœlo Dominus, & ecce terræmotus magnus factus est. Angelus enim Domini percutiens Episcopum in furore Domini, cum populo & universa civitate subvertit. Patet itaque, quia Beatissimæ Agathes offensam suis exigentibus peccatis incurrerant. Non sic quæso irascatur nobis Benignissimus Martyr noster Beatus Thomas. Si exarserit in brevi ira ejus, patientiam quam semper habuit non dedisçat, & iratus misericordiæ recordetur. Spes equidem mea est, quod quoties nobis Dominus flagellum suę indignationis intentat, stat Martyr in confractione pro nobis, atque gemitibus inenarrabilibus misericordiam Judicis interpellat. Exulta Anglia, exulta occidens, quia visitavit nos oriens ex alto. Thomam Apostolum India, & Orientalis regio jactitabat: sed Occidentalem respexit Ecclesiam, qui in Cœlis habitat, & humilia respicit. Dedit Dominus Angliæ Thomam nostrum, non invidemus Indiæ Thomam suum. Sit Thomas Apostolus in India: sit Thomas Martyr noster in Anglia, ut per hos duos testes Christi ab ortu Solis usque ad occasum sit laudabile nomen Domini. Eat, qui voluerit in Indiam ad suffragia Beati Apostoli: tam longa peregrinatio nimis laboriosa est mihi: mihi sufficit Thomas meus. Ille palpavit latus Domini, & fixuras clavorum; ille, quia vidit, credidit: Beatus, qui non vidit, & credidit, nec dubitavit: atque holocaustum Christo & pro Christo se obtulit. Non laboro Martyrem Apostolo comparare, cum Apostolus sit major Martyre. Sed gloriosum est nos habere Martyrem, qui Apostoli nomen habeat, & Apostolum miraculis aut imitetur, aut vincat. Non indignatur Apostolus, quia nec indignatur Dominus Apostolorum, & Martyrum, si quandoque Spiritus sanctus in operatione virtutum plenius & celebrius alicui se infundit. Et hæc, inquit Dominus, facietis, & majora horum facietis. Amor Martyris à proposito meo aliquantulum me abduxit, revertor ad propositum. Sed ad vos amantissime Pater in Siciliam non revertor.

Lege Fazell. lib. 7 1 dec. cap. 5.

Genes. 19. 24. Num. 16. 32. Isa. 4. 4.

Psal. 10. 6. Fazellus lib. 7. 1. dec. ait accidisse anno 1169.

Collatio Thomæ Mart. cũ Thoma Apostolo.

al. crebrius. Ioan. 14. 12

tor. Foveat Anglia me jam senem, quæ vos fovit infantem. Utinam relinqueretis terram illam Pater montuosam, & monstruosam, & ad nativi aëris dulcedinem rediretis. Ad hoc vos movere debuerant diuturnitas, & securitas vitæ, amor patriæ, naturæ lex, conditio nutrituræ, præcipuè autem, & præ omnibus amor Domini Regis Anglorum, qui vos brachiis sinceræ caritatis ampleƈtitur. Et nisi gratiam respueritis oblatam vobis in terra nativitatis vestræ, incomparabiliter præparavit gloriam, & honorem. Vestræ quæso nativitati sepultura respondeat: velitis apponi Patribus vestris, & Anglia cineres vestros, quos produxit, excipiat: dulce est in amicorum amplexibus mori, carorum lachrymis excipi, cum suis progenitoribus sepeliri. In cujus rei observantiam, sicut legitis, Sanƈti Patriarchæ plurimum fuere soliciti. Fugite Pater à montibus flammivomis, suspeƈta sit vobis Ætnæ vicinitas, nec vos morientem videat regio infernalis.

EPISTOLA LXVI.

AD GUALTERIUM ARCHIEPIS. PANORMITANUM.

ARGUMENTUM.

Gratulatur Panorm. Archiepiscopo, quod ex humili loco ad tantam dignitatem sit eveƈtus. Henrici Secundi Regis Anglorum staturam, moresque breviter describit, & cædis S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, & Martyris minimè Auƈtorem fuisse demõstrat.

QUODAM SOCIO, NUNC DOMINO, ET AMICO IN Christo carissimo Gualterio Dei gratia Panormitano Archiepiscopo P. Blesens. salutem, & continuos ad vota successus.



Enediƈtus Dominus Deus Israël, quia visitavit, & fecit misericordiam suam vobiscum, de pulvere egenum vos erigens, ut sedeatis cum principibus, & solium gloriæ teneatis. Terribilis est Dominus in judiciis suis, & in suis miserationibus magnus est, & laudabilis nimis: nam miserationes super
Psal. 144. 9. omnia opera ejus. Miserationum itaque, quas magnificavit in vobis, jugem habeatis, firmamque memoriam, nec illud Judaicum oppro-
Psal. 77. 11. brium notetur in vobis. Non fuerunt, inquit, memores beneficiorum ejus, & mirabilium, quæ ostendit eis. Nihil est, quod adeò provocet indignationem altissimi, sicut ingratitudo: ipsa est, malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, exterminatio meritorum. Ob reverentiam illius, qui de contemptibili paupertate vos extulit, plenioris exhibeatis humanitatis officium, hominibus transalpinis: illos enim qui eunt, aut redeunt à terra, in qua steterunt pedes Domini, potestis affligere multipliciter: potestis, sicut & decessores vestri, necessitates eorum humanioris gratiæ solatio relevare. Illud noveritis, quia Pater Orphanorum, & pauperum ipse est, qui exaltat humiles, & potentes humiliat, ipse pro suis pauperibus peregrinãtibus vos erexit, ut apud vos auxilium consuetæ benignitatis inveniant. Ideoque timendum est vobis, ne clamor, & querela eorum ad aures illius ascendat, qui est terribilis apud Reges terræ, qui judicat causam pauperum,

rum, & arguit pro mansuetis terræ. Deaona aurea, & lumbari serico, & samito, & aliis xeniis, quæ per latorem præsentium de vestra largitione suscepi, non quantas volo, sed quantas valeo refero vobis grates. Ex hoc enim patet antiqua liberalitatis vestræ integritas, quam nec intervalla temporum, nec locorum spacia, nec honoris assumptio, nec cætera amicitiæ destructiva subvertere potuerunt. Quòd autem à me cum omni instantia postulatis, ut formam & mores Domini Regis Angliæ vobis sub certa descriptione transmittam, meas quidem facultates excedit: ad hoc enim satis insufficiens videretur Mantuani vena ingenii. Ego tamen, quod scio, vobis sine invidia, & detractione communico. De David legitur, ad commendationem decoris ejus, quoniam rufus erat: vos autem Dominum Regem subrufum hactenus extitisse noveritis, nisi quia colorem hunc venerabilis senectus, & superveniens canities aliquantulum alteravit. Statura ejus mediocris est, ut inter parvos magnus appareat, nec inter majores minimus videatur. Caput ejus sphæricum est; tanquam sapientiæ magnæ sedes, & alti consilii speciale sacrarium. Ea verò est capitis quantitas, ut collo, & toti corpori proportionali moderatione respondeat. Oculi ejus orbiculati sunt, dum pacati est animi, columbini, & simplices: sed in ira, & turbatione cordis quasi scintillantes ignem, & in impetu fulminantes. Cæsariei ejus damna calvitii non veretur, superveniente tamen artificii capillorum tonsura. Leonica facies quasi in quadrangulum se dilatat. Eminentia naris ad totius corporis venustatem naturali est moderatione propensa, arcuati pedes; equestres tibiæ, thorax extensior, lacerti pugiles virum fortem, agilem, & audacem denunciant: in quodam tamen articulo pedis ejus pars unguis innascitur carni, atque in contumeliam totius pedis vehementer increscit. Manus ejus quadã grossitie sua hominis incuriam protestantur, earũ enim cultum prorsus negligit: nec unquam, nisi aves deferat, utitur chyrothecis. Singulis diebus in Missis, in consiliis, & aliis publicis actionibus Regni, semper à mane usque ad vesperam stat in pedes: Et licet tibias habeat frequenti percussione calcitrantium equorum enormiter vulneratas, & lividas, nisi tamen equitet, vel comedat, nunquam sedet. Una die, si opus fuerit, quatuor aut quinque diætas excurrit, & sic inimicorum machinamenta præveniens, artes eorum frequenter inopinata subitatione deludit. Ocreis sine plica, pileis sine fastu, & vestibus utitur expeditis, vehemens amator nemorum, dum cessat à præliis, in avibus, & canibus se exercet. Caro siquidem ejus se mole pinguedinis enormiter onerasset, nisi quia ventri insolentiam jejuniis, & exercitio domat: atque in ascendendo equum, & in excurrendo levitatem adolescentiæ servans potentissimos ad laborem singulis ferè diebus itinerando fatigat. Non enim, sicut alii Reges in Palatio suo jacet, sed per Provincias currens explorat facta omnium, illos potissimè judicans, quos constituit Judices aliorum. Nemo est argutior in consiliis, in eloquio torrentior, securior in periculis, in prosperis timidior, constantior in adversis. Quem semel dilexit, vix dedilígit: quem verò semel exosum habuit, vix in gratiam familiaritatis admittit. Semper in manibus ejus sunt, arcus, enses, venabula, & sagittæ: nisi sit in consiliis, aut in libris. Quoties enim potest à curis, & solicitudinibus respirare, secreta se occupat lectione, aut in cuneo clericorum aliquem nodum quæstionis laborat evolvere. Nam cum Rex vester bene litteras noverit, Rex noster longè litteratior est. Ego enim in litterali scientia facultates utriusque cognovi. Scitis,

1. Reg. 16. 12. Descriptio Henrici II. Regis Angliæ.

Rex Angliæ quotidie interest Missis.

quod

Guilhel. II. quod Dominus Rex Siciliæ per annum discipulus meus fuit, & qui à vobis verificatoriæ atque litteratoriæ artis primitias habuerat, per industriam, & solicitudinem meam beneficium scientiæ plenioris obtinuit. Quam citò autem egressus sum Regnum, ipse libris abjectis ad otium se contulit palatium. Veruntamen apud Dominum Regem Anglorum, quotidiana ejus schola est, litteratissimorum conversatio jugis, & discussio quæstionum. Nullus Rege nostro est honestior in loquendo, in comedendo urbanior, moderatior in bibendo, nullus magnificentior in donis, nullus munificentior in eleemosynis: ideoque quasi unguentum effusum est nomen ejus, & eleemosynas illius enarrat omnis Ecclesia Sanctorum. Rex noster pacificus, victoriosus in bellis, gloriosus in pace: super omnia desiderabilia hujus mundi zelatur, & procurat pacem populi sui. Ad pacem populi spectat immensitas illa pecuniarum, quam donat, quam recipit, quam congregat, quam dispergit. In muris, in propugnaculis, in munitionibus, in fossatis, in clausuris ferarum, & pi-
Regnum amplificavit. scium, & in palatiorum ædificiis nullus subtilior, nullusque magnificentior invenitur. Pater ejus potentissimus, & nobilissimus Comes fines suos amplissimè dilatavit: sed iste Patris facultatibus superaddens in
4 fortitudine manus suæ Ducatum Normanniæ, Ducatum Aquitaniæ, Ducatum Brittaniæ, Regnum Angliæ, Regnum Scotiæ, Regnum Hyberniæ, Regnum Walliæ, Paternæ magnificentiæ titulos inestimabiliter ampliavit. Nullus mansuetior est afflictis, nullus affabilior pauperibus, nullus importabilior est superbis: quadam enim divinitatis imagine semper studuit opprimere faustuosos, oppressos erigere, & adversus superbiæ rumorem continuas persecutiones, & exitiales molestias suscitare. Cum autem juxta Regni consuetudinem in electionibus faciendis potissimas, & potentissimas habet partes, habuit tamen semper manus ab omni venalitate innoxias, & immunes. Has & alias tam animi, quam corporis dotes, quibus ipsum natura egregiè præ cæteris insignivit tango
al. sub sarcina. summotenus, non describo: meam enim profiteor insufficientiam, crederemque sub tanta suadere materia Tullium, aut Maronem. Illud sanè tantillum, quod de forma, & moribus ejus ad instantiam vestram breviter delibavi, mihi temeritati à pluribus adscribetur: videbor enim, aut onus importabile præsumpsisse, aut plurimum de magnificentia tanti viri per invidentiam recidisse. Ego tamen vestræ serviens caritati, quod possum, facio, & quod scio vestræ postulationi promptissima voluntate communico, atque inter cæteros magnificos viros, qui de laudi-
Henricum Regem Angliæ non esse autorem Martyrii S. Thomæ. Lege G. Neubrig. l. 2. c. 25. bus Domini mei scribunt, ego cum paupere vidua minutum devotionis in gazophylacium mitto. Quod autem de morte Beati Martyris quæritis, in verbo Domini, & in ordine Diaconi vobis dico, me nullo modo habere in conscientia, ipsum hujus rei culpabilem extitisse: hujusque fidem plenissimam vobis facient Dominus Theodinus Portuensis Episcopus, & Dominus Albertus Cancellarius, qui propter hoc in partibus nostris Legatione fungentes exploraverunt, & innocentiam viri cognoverunt: atque sub umbra illius hoc à quibusdam attentatum fuisse, totamque hanc iniquitatem à Sanctuario processisse. Accepta siquidem ab eis canonica purgatione illius, illi de mandato Summi Pontificis publicè sententiaverunt, eum ab hoc crimine coram Deo, & hominibus esse innoxium, & in quosdam Magnates, quorum malitiam in hac parte manifestè convicerant, notam infamiæ retorserunt. Illud quoque noveritis, Dominum Regem, gloriosum Martyrem in omnibus angustiis suis patronum habere præcipuum. Eadem siquidem die, qua primo tumu-

lum

ium Martyris visitavit, Regem Scotiæ persecutorē,& impugnatorem fortissimum captum vinculis carceralibus mancipavit. Continuatoq; deinceps favore successū ope Martyris de universis hostibus gloriosissimè triumphavit. Sciatis igitur certissimè, quod caritatem illam, quâ se olim Rex,& Martyr mutuò dilexerunt, neque mors, neque gladius abolevit: Fortis enim est dilectio, ut mors: & cum omnia transeant, caritas nunquam excidit. Hæc est porta speciosa, quæ in subversione Hierusalem integra,& intacta permansit: cumque omnia evacuentur in morte, dilectio in morte non moritur, cujus fortitudini mors succūbit. Regnum quidem Angliæ, quod adversus Regem Stephanum armis strenuissimū sudoribus obtinuerat bellicis, licet adolescentulus,& contemptus, filii ejus consilio,& auxilio Regum,& Principum circumjacentium gravi seditione turbaverant. Ipse autem destitutus suis, & ab extraneis impugnatus, illo aspirante, in cujus virtute unus fugat decem millia, prævaluit universis, deditq; in manus ejus hostes suos Dominus, ad alligandos Reges eorum in compedibus,& nobiles eorum in manicis ferreis. Ille qui convertit corda filiorum ad Patrem, ipsos in afflictione filiali nutriens sedem Patris in tempora longa stabiliat,& faciat pacem. Scio enim, quod si bella iterū suscitaverint in parentum, succidet eos Dominus. Nam Dei judicio,& lege fatali sancitum est, ut quicumq; de consanguinitate illius bellis ipsum impugnare præsumpserint, non dimidiet dies suos. Hoc autem in libro experientiæ jam de multis legimus, & fide oculata cognovimus.

Neubrig. ib. cap. 33.

Caut. 8. 6.

1 Cor. 13. 8.

Polyd. lib. 12 hist. Angl.

Polyd. lib. 13.

EPISTOLA XC.

AD M. GUILIELMUM ABBATEM.

ARGUMENTUM.

Primò exponit qua de causa Siciliam cum consensu Regis Siculi deseruerit. Deinde fratri suo Abbati persuadere omnino conatur, ut insignia Pontificalia, ut mitram, anulum, sandalia à Papa accepta resignet, vel administrationi Abbatiæ renunciet.

CARISSIMO FRATRI SUO M. GUILILMO ABBATI Maniacensi Petrus Blesensis salutem, & Trinaeriam salutarem.



Quam atrociter conjuraverint in exitium Domini Stephani Panormitani electi, & Regii Cancellarii Siculi proditores, relatione non indiget. His enim, & aliis durioribus, quę frequenter auditis tinnierunt aures nostræ. Ego autem, cum in illa tribulatione, & egressu Domini medio emitræo laborarem, de mandato Domini Regis curiæ & Custodiæ Salernitani Archiepiscopi commissus sum, qui non minorem circa me diligentiam exhibuit, quam si Dominus, aut filius ejus essem. Ex quo autem convalui, accessi ad Dominum Regem, petens ab eo, & Magnatibus curiæ licentiam recedendi. Rex autem per Dominum Salernitanum, & per R. electum Syracusanum me sollicitari multipliciter fecit, ut in curia ejus, & in sigilli officio remanerem: sed non potui ad hoc precibus, aut promissis, aut muneribus inclinari.

Lege Fazelli lib. 7. Decad. c. 5 de reb. Siculis.

Romoaldi.

Richardum.

Blesensis sigillifer Regis Siciliæ. Terra siquidem illa devorat habitatores suos, timensque à militia inhabitantium in ea, in hoc redegeram meorum desideriorum summam, ut haberem licentiam, & cum securitate recessum. Quia igitur exire Siciliam in equis, & proficisci per Calabriam mihi, & omnibus qui mecum erant, suspectissimum videbatur: ibi quandam Genuensium navem, quam cœperant Siculi pyratæ cum hominibus, & mercibus dedit mihi Dominus Rex, munitam omni genere victualium cum mattis, cum culcitris, cum tapetis. Præstito itaque à Genuensibus juramento de exhibenda mihi fidelitate, ac tutela mei corporis, & meorum, qui circiter quadraginta poterant æstimari, ut evaderem mortem terræ, me morti maris exposui. Porrò blandiente suavitate vernali, & languentibus ventis, facta est stationaria navis nostra: nec mense integro potuimus viam peragere, quam quinque dierum spatio melioris venti beneficio debueramus percurrisse. Veniens itaque Genuam, & à Magnatibus terræ, & maximè ab his, qui apud Siculos in palatina magnificentia me viderant, cum honore susceptus sum, qui quantum obsequium, & honorem impenderint mihi, faciliè verbis explicare non possem. Retulit mihi quidam nuncius vester, qualiter Dominus Papa vos mitra proprii capitis, & aliis ornamentis Episcopalibus insignivit. De benedictione gaudeo: sed insignia Episcopalis eminentiæ in Abbate, nec aprobo, nec accepto. *Bern. ep. 41.* Mitra enim, & anulus, atque sandalia in alio, quàm in Episcopo, quædam superba elatio est, & præsumptuosa ostentatio libertatis. Talium usus est in Ecclesiis dedicādis, in cōsecrandis Virginibus, in ordinibus celebrandis. Quare igitur his utitur, aut potius abutitur, qui uti talibus prohibetur? Homini hęc abenti, & nō utenti, sunt potius oneri, & ludibrio, quàm honori. *Hippoc lib. 1. de ratione victus.* Ambigena non generant teste Hippocrate: quod igitur genitalia in mulo faciunt, hoc sandalia in Abbate. Nunquid emanavit hæc abusio Episcopalium à regula B. Benedicti? nunquid præcipiuntur emancipationes istæ in Evangelio, & Prophetis? *Alb M. li 18. de animal. tract. 2. c. 3.* Nolite quæso carissime frater detrectare obedientię jugum: nam per inobedientiam mors intravit: quæ adhuc seminare non cessat inter Episcopos, & Abbates jurgiorum fomitem, & materiam scandalorum. *Vide: Notas.* Adam per inobedientiam periit. Saul per inobedientiam Regnum perdidit. Nec blanditur sibi aliquis, quod per privilegium Romanæ Ecclesiæ ab inobedientia excusetur. *1. Reg 15. 23.* Deus, apud quem melior est obedientia, quam victimæ, quicquid emancipet, aut privilegiet homo, inobedientiam detestatur. Si unum præcipit Deus, & aliud indulget, aut præcipit homo, obediendum est Deo potius, quam homini. *3. Reg. 13. 22.* Scitis, quod Abdon missus ad Hieroboam à Domino, prohibitus est ab eo, ne in via comederet, qui cum alio Propheta, ut comederet, suggerente, & dicente se propter hoc missum à Domino, comedit. Sed licet authoritate alterius Prophetæ hoc fecisset, propter inobedientiam tamen à Leone devoratus interiit. Cum enim speciale mandatum Domini suscepisset ad suggestionem hominis, non erat in præcepto Domini dispensatio admittenda. Si Romanus Pontifex à jurisdictione vestri Episcopi vos exemit: nolite quæso uti privilegio, quod materiam rebellionis inducit. *2. Reg 6. 8.* Oza percussus est à Domino, quod in arcam Domini manus temeritatis erexit. *Num 12. 10.* Maria percussa est lepra, quia Moysen objurgavit. *Num. 16. 32.* Terra Dathan, & Abiron absorbuit vivos, quia contra Moysen, & Aaron se in superbiam erexerunt.

Com-

Complices etiam eorum pœnalis flamma combussit: exarsit enim ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores. Cum detestabilis sit ubique superbia, detestabilior est in professore humilitatis. Quod enim rubigo est in ferro, quod in veste tinea, quod fel in lacte, quod venenum in melle, hoc est superbia in habitu monacali Putatis in susceptione mitræ, sandaliorum, & anuli vestri Monasterii dignitatem plurimum promovisse: in his tamen nihil video, nisi inobedientiæ malum, seminarium odii, tumorem elationis, & superbiæ ventum. Superbia natione cœlestis est, semper in altum nititur, ut gravius cadat. Hodie autem in claustris imitatores, ac sequaces suos invenit primus filius superbiæ, ille Lucifer, aut potius tenebrifer, qui sibi sedem destinabat in lateribus Aquilonis, atque sibi similitudinem altissimi usurpabat. Ubi, & in quo laboraverat miser, qui jam sedere, & quiescere disponebat? Omnes alii mittebantur in ministerium, devoti, & humiles ad imperium creatoris. Millia millium testimonio Scripturæ assistebant ei, & decies millies centena millia ministrabant ei. iste autem erigebat sibi sedem, antequam laboraret. Ponam, inquit, sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo. Appetiit æqualitatem altissimi, meruitque quod suum erat perdere, dum rapuit alienum. Solus filius non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, cui ex natura convenit sedere, non sub pedibus, sed à dextris. Præcipitetur ergo ille filius superbiæ, & cathedra pestilentiæ subvertatur. Auferatur ei stola jucunditatis, quia ipsum manus creatoris induerat, spoliatusque gratuitis detrudatur in exteriores tenebras, & interminabiles flammas: quibus & illi deputati sunt pariter, qui in superbia, & abusione detrectant obedientiam Prælatorum. Quid enim aliud est positio sedis in Aquilone, & usurpatio similitudinis altissimi, quàm emancipatio, & insignium Episcopalium acquisitio in Abbate? Per salutem itaque Patris qui nos genuit, & per ubera quæ suximus in eadem matre, frater, unicè vos adjuro, & deprecor, ut in signum plenæ humilitatis, Pontificalia resignetis insignia: aut, si hoc fine scandalo fieri nequit, renuncietis in manu Domini Papæ Monasterii administrationem, & substituto ibi ad instantiam vestram Pastore idoneo vos ad claustrale otiū, & salubrem militiam convertatis. Vale.

Isa. 14. 13. *Dan. 7. 10.* *Isa 14. 14.* *Phil. 2. 6.* *Lege epist. 93*

EPISTOLA XCII.

AD M. GUILIELMUM ABBATEM.

ARGUMENTUM.

Gratulatur fratri suo Abbati, quod consilio suo obsecutus Abbatiam in manus Summi Pontificis resignarit, & dignitati superioris, subditi humilitatem, Franciam Siciliæ antepofuerit.

CARISSIMO FRATRI SUO M. GUILIELMO MANIACensi Abbati Petri Blesens. salutem, & perseverantiam in virtute.

MAgnanimitati vestræ congratulor, quia juxta parvitatis meæ consilium, rejectis insignibus, quæ propensior Domini Papæ gratia vobis indulserat, curam Maniacensis Monasterii sponte

te in ejus manibus resignastis. Nobilis, & magnanimi cordis est tanti emolumenti dignitatem relinquere, ad cujus acquisitionem plurimos anxia solicitabat ambitio. Honorabilior autem est in vobis contemptus honoris, quam illius adeptio: acquisisse enim fortunæ fuit, fortitudinis contempsisse. Venari honores, congregare divitias, & in eis quærere voluptatem commune vitium est, & publica ambitionis via est: insignis autem virtutum titulus est, triumphare de seculi pompa, mundique divitiis conculcatis se in paupertate sola divitem reputare. Dominus seculorum fugere nos docuit seculi digni-
Joan. 6. 15. tates. Nam postquam de paucis panibus quinque millia hominum refecerat, turbæ considerantes in miraculo Domini majestatem testimonio Evangelistæ voluerunt eum in Regem eligere, ipse verò aufugit in montem. Cum in manu Gedeon Dominus Israhel liberasset, dicebant ei. Dominare tu nostri, & filius tuus, & filii filiorum tuorum, quia liberasti nos de manu Madianitarum. Quibus
Jud. 8. 22. ille ait. Non dominabor vestri, nec dominabitur filius meus in vos,
lib. 7. c. 2. sed Dominus. Refert Valerius Maximus, quod cum viro cuidam approbatæ virtutis vestis imperialis cum diademate fuisset oblata, ille vestem respiciens: O pannum, inquit, nobilem potius quam
Stob. serm. 47 fecilem: quem si quis attendat, quantis solicitudinibus, & periculis, & miseriis sit refertus, nec in luto jacentem tollet. Iste anxia, & occulta divitum tormenta cognoverat. Nisi enim divitiæ, & honores variis anxietatum aculeis pungerent, nunquam spinis eas Domi-
Matt. 13. 22. nus comparasset. Mirabiliter elusa est sapientia hujus mundi: filiis hujus seculi assiduè convertuntur eorum divitiæ in miseriam, & tormentum: filii verò lucis experiuntur jugiter, quod carere divitiis
Matt. 11. 25. liberum facit & beatum. Confiteor tibi Pater Cœli, & Terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Pauper, & justus contemnit divitias, & nihil ei deficit, quia sufficit ei Deus. Dives autem, filius avaritiæ, cultor mammonę, servus pecuniæ, majorem in eo solicitudinem, & timorem, & miseriam invenit, in quo pleniorem sibi constituerat voluptatem. Si vultis in sancta reli-
Psal. 36. 16. gione, & aurea paupertate transigere dies vestros, fœlicitati vestræ non poterit Regum gloria comparari. Melius erit modicum super divitias peccatorum multas. Perdidisti dies, quos in opibus expen-
Psal. 83. 11. disti. Melior erit amodo dies una in atriis Domini super millia. Quamdiu eratis in Sicilia, eratis tanquam vas perditum. Nam illa regio infernalis, quæ devorat habitatores suos vestrum faciebat reditum desperari, nunc autem per gratiam Dei nativum aerem, &
al. venenum asp. vina Blesensia bibitis, cui Sicilia, si vos tenuisset, diutius more suo vinum aspidum porrexisset. Modo frater, in sepulchro jaceretis marmoreo: ubi ad inanis gloriæ quæstum forsitan superscriptum
Virg. 2. Æne. id. esset, Guilielmus Blesensis Maniacensis Abbas hic jacet. Frater, Poetæ testimonio, *levis est jactura sepulchri*. Nomen vestrum diuturniore memoria commendabile reddent Tragœdia vestra de flaura,
Scripta Guilielmi Blesensis. & Marco, versus de pulice, & musca, comedia vestra de alda, sermones vestri, & cætera Theologicæ facultatis opera, quæ utinam diffusius essent, ac celebrius publicata. Plus honoris accrevit vobis ex vestris operibus, quam ex quatuor Abbatiis. Species quidem auri deceperat vos; unde & quidam nostratum Siculas opes vitæ comparavere dispendio. Sed & Dominus Cancellarius, sicut & Hie-

rosolymitæ referunt, in fata concessit: cum enim herpes esthiomenus, qui vulgo lupus dicitur femur ejus enormiter occupasset, omnia in eo medicorum instrumenta frustrata sunt, tandemque in Sancta civitate inter brachia Regis, & cœtus Principum circumstantium, plangentium spiritum exalavit. Veridica etiam comeantium relatione cognovi, quod in ultionem Domini Stephani Catanensis Civitas terræ motu concussa est, & subversa: in qua filius ille superbiæ frater Matthæi Notarii, qui vobis Episcopatum supplantaverat fraudulenter, & adversus innocentes proditoriam suscitaverat factionem interceptus, & obrutus animam ministram iniquitatis, & ancillam Satanæ ructavit. Sumus frater in dulci Francia, quæ sola, teste Hieronymo, monstra non habet. Bonum est nos hic esse. Vivant in Sicilia, qui proditiones, & venena procurant, adulationis officiarii, & qui aures Magnatum, vento inanis gloriæ prurientes venenosa suavitate demulcent. *Vivant Arturius illic, & Catulus, maneant qui nigra in candida vertunt*: mihi sufficit, si illic vivam, & moriar, ubi natus sum, & nutritus. Vita circularis mihi accepta est, ut cum nascendi exordio vitæ meæ limitetur excursus. Vale.

Hulcus exedens.

Th. Fazellus 1. dec. cap. 5. Vide epist. 46

al. *ructuavit.*

contra Vigilant. initio.

Iuven. sat. 3.

D.P

ANONYMI
MONACHI CASINENSIS,
RERUM IN REGNO NEAPOLITANO GESTARUM, BREVE CHRONICON,

Ab anno Christi M. usque ad MCCXII.

E duobus Codd. mm. ss. 47. & 199. qui sunt in Casinensi Cœnobio diligenter exceptum.

DE CHRONICO
ANONYMI
CASINENSIS
JUDICIUM.



Hronicon hoc ab anno Christi 1000. ad annum 1212.continuatū cuidam Anonymo Monacho Casinensi attribuitur à Patre Antonio Caracciolo, qui anno 1626., Neapoli apud Scorigianum, typis mandari curavit in libro, cui titulus; *Antiqui Chronologi quatuor*. Sed, ut benè notat eruditissimus Peregrinius, non uni, sed pluribus ejusdem Cœnobii Monachis opus hoc debemus, quod iterum typis mandamus: nam, ut asserit laudatus Peregrinius, universum hoc Chronicon, non ex uno Casinensis Monasterii manu exarato Codice, nec ad eandem prorsus normam descripto, compilatum fuit; dum ejus pars, quæ ad annum 1152. pertingit, & quæ ab anno 1034. usque ad finem erroneam, ac ferè perpetuam unius anni anticipationem fovet, in Codice habetur signato num. 47: subsequentem verò partem ab anno 1154. ad annum 1195. codex exhibet signatus num. 199; qui simul anteriora illa continet ab anno millesimo, non tamen eadem prava annorū consignatione perturbata, quippè qui recentiùs, nec ineptè fuerit, ut plurimum, castigatus. Postrema tandem pars scripto Codici, num. 199. signato, adsuta, nō continuatio putanda est hujus Codicis, sed Codicis 47. Quod planè colligitur, quia ab anno exorditur 1153. tùm etiam quia eundem servat prochronismum ad annum usque 1188. quo vitio, ut diximus, prior pars illa Chronyci in prefato Codice 47. contenta simul laborat: ut meliùs videbitur in castigationibus Clarissimi Peregrinj, quas post Chronicon hunc iterum recudi curabimus, uti in Chronico Protospatæ, & Falconis Beneventani actum jam à nobis fuit.

ANONYMI
MONACHI CASINENSIS
RERUM IN REGNO NEAPOLITANO GESTATUM, BREVE CHRONICON,

Ab anno Christi M. usque ad MCCXII.

E duobus Codd. mm. ss. 47. & 199. qui sunt in Casinensi Cœnobio diligenter exceptum.

Additæ sunt Appendiculæ aliquot ex Codd. mm. ss. ejusdem Bibliothecæ Casinensis.



Nno 1000. Otho Imperator puer Beneventum venit. ✝ Quidam Nortmanni Hierosolymis venientes, Salernum à Sarracenis liberarunt. *Quæ Cod. Casinens. 199. plura habet, ✝ notavimus.*

1001. Objit Otho tertius Imperator Sutri, & Henricus filius patrui sui fit Rex.

✝ Beatus Dominicus migravit ad Christum.

1002. Hoc anno venerunt Sarraceni super Capuam.

1004. Terremotus ingens per XV. & eo amplius dies hunc montem exagitavit, ita ut in nonnullis locis Ecclesiam scinderet.

1007. Objit Landulphus Princeps Capuanus.

1010. Objit Joannes Abbas Beneventi.

1011. Sol defecit, & fames valida fuit.

1014. Henricus Rex venit Romam, & coronatus est à Papa Benedicto. Et Pandulphus Princeps . . . .

1016. Luna versa est in sanguinem.

1017. ✝ Nortmanni, Melo duce, cœperunt expugnare Apuliam.

1021. Daptus captus est à Græcis in turri Gariliani.

1022. Henricus Imperator venit Italiam, & super Trojam. Theobaldum ordinavit Abbatem. Pandulphum fecit Principem, qui fuit Comes Theanensis Pandulphum Principem vinctum secum absportavit. Objit Athenulphus Abbas.

1025. Objit Dominus Henricus Imperator, & Pandulphus Princeps solutus vinculis, anno uno obsedit Capuam cum Græcis, & tandem recepit eam.

1027. Idem Pandulphus Princeps ingressus est Neapolim, & obtinuit eam anno uno, & mensibus quinque.

1029. Luna quintadecima obscurata est.

1033. Solis pars maxima obscurata est in ipsa festivitate S. Petri.

1034. Objit Theobaldus Abbas.

1035. Basilius fit Abbas.

1036. Sexto Kal. Febr. Mons Vesuvius eructavit incendium, ita ut usque ad mare discurreret.

1037. Conradus Imperator ingressus est Capuam Vigilia Pentecostes, & in Pentecoste coronatus est. Athenulphus Episcopus reconciliatur. Pandulphus Princeps exiliatur. Guaimarius fit Princeps, & Richerius Abbas.

1038. Objit Conradus Imperator, Henricus filius ejus imperat.

1041. Luna XIII. obſcurata eſt per quinque horas V. Idus Febr. cum nulla nubes appareret in Cœlo.

1044. Richerius Abbas ejecit Normannos de terra S. Benedicti.

1046. Henricus Imperator venit Capuam, & reddidit eam Pandulpho Principi juniori.

1049. Hoc anno Leo Papa ordinatus eſt.

1051. Gaimarius Princeps interficitur, & Bonifacius Marchio.

1052. Leo Papa cum Normannis in Apulia dimicavit.

1053. Leo Papa objit.

1054. Victor Papa fit. Richerius Abbas defungitur, & Petrus Abbas ordinatur.

1056. Federicus fit Abbas, qui & poſtmodum Stephanus Papa.

1057. Hoc anno defuncto Stephano Papa, & hujus Monaſterii Abbate, Dominus Deſiderius omnium Fratrum umanitate Abbas eſt ordinatus.

1058. Nicolaus Papa ordinatur.

1060. Objit Nicolaus Papa.

1061. Alexander Papa ordinatur. Richardus intravit Capuam, & factus eſt Princeps XII. Kal. Junii.

1062. Luna quintadecima Eclypſim paſſa eſt V. Idus Novemb.

1065. Hoc anno Dominus Deſiderius Abbas cæpit ædificare Eccleſiam S. Benedicti in hoc Monte Caſinenſi.

1066. Stella Cometes apparuit. Gutfridus Dux cum exercitu venit Campaniam uſque Aquinum. Richardus Princeps terram Marſorum intravit.

1071. Eccleſia nova S Benedicti dedicata eſt ab Alexanndro Papa die Kalendarum Octobrium cum quinque altaribus ſanctis.

1072. Alexander Papa defungitur, & Ildeprandus Archidiaconus in Papam Gregorium ordinatur Menſe Aprili.

1074. Nocte Natalis Domini captus eſt prędictus Papa ſuper ſanctum altare à quibusdam Romanis, ſed vi, & conſtantia omnium Romanorum eodem die receptus eſt.

1075. Venit hoc anno Robertus Dux ſuper Salernum pridie Nonas Maji, & obſedit eam terra, mariq; & cępit eam die Idus Decem.

1076 Hoc anno Richardus Princeps cæpit obſidere Neapolim principio menſis Maji.

1077. (a) Richardus Princeps objit Capuæ quinta feria Cœnæ Domini, & Neapolis obſidione ſoluta eſt, & Jordanus fit Princeps.

1080. Heinricus Rex valida manu venit Romam, ſed obſiſtentibus Romanis cum Papa Gregorio ſine effectu regreſſus eſt. Robertus Dux Romaniam debellaturus ingreditur.

1082. Heinricus Rex iterum Romam veniens, Porticum S. Petri vi captam ex parte deſtruxit, & Archiepiſcopum Ravennenſem invaſorem Eccleſiæ Romanæ conſtituit.

1083. Idem Rex à quibuſdam Romanis intromiſſus, poſt duos menſes à Roberto Duce fugatus eſt. Idem Dux Papam Gregorium de Urbe erutum Salernum perduxit.

1084. Fames, & mortalitas maxima fuit. Gregorius Papa apud Salernum moritur: & Robertus Dux.

1085. XIII. Kal. Martii noctis initio ſtella clariſſima in circulum pri-

a Breve quoddā Chronicon Cataneì manu exſcriptū ponit obitum Richardi Principis ad ann. 1080. Protoſpata autē ad ann. 1077.

primæ Lunæ ingressa est. Desiderius Abbas Romæ in Papam Victorem eligitur die Pentecostes.

1086. Desiderius Abbas Papa ordinatur VII. Idus Maji, qui postea in hoc Monasterio, ordinato Abbate Oderisio, post tertium diem moritur. Pisani apud Africam certantes Sarracenos vicerunt.

1087. Otho Ostiensis Episcopus in Papam Urbanum eligitur IV. Idus Martii.

1089. Ecclesia S. Martini dedicata est à Joanne Tusculanensi Episcopo die Octavarum ejusdem B. Martini. Obiit Jordanus Princeps.

1090. Castrum Frattæ à Normannis furatur, & à nostris duodecimo die, magna Dei virtute, receptum est. Capuani rebellaverunt.

1093. Ecclesia S. Andreæ Apostoli dedicata est à Raynaldo Episcopo Cajetano III. Kal. Febr.

1094. Stellæ de Cœlo innumerabiles quasi pluere Mense Aprili prope diem versus Occidentalem plagam Cœli, ubique terrarum.

1095. Innumerat Francorum, & Ultramontanorum multitudo mare transivit.

1096. Stella Cometes apparuit. Hoc anno Urbs Antiochena à Christianis capta est III. Non. Junii, quinta feria.

1097. Civitas Hierusalem capta est à Christianis Idibus Julii. Dux Rogerius cum Comite Rogerio Capuam per quadraginta dies obsidentes receperunt, & Richardo Jordani filio restituerunt. Eo anno via ignea per totam noctem in Cœlo apparuit V. Kal. Octob.

1098. Luna duodecima in ortu suo defectum passa paulatim redintegrata est Nonis Junii, & Urbanus Papa moritur. Paschalis fit Papa.

1099. Guibertus Hæresiarcha invasor Romanæ Ecclesiæ moritur.

1104. Dominus Odorisius Abbas acquisivit Oppidum Pontiscurvi, & Castellum Vitecosi. Obiit Odorisius Abbas. Otho fit Abbas.

1105. Stella Cometes apparuit. & Heinricus Rex defungitur. Heinricus filius ejus imperat. Obiit Richardus Secundus Princeps. Robertus fit Princeps.

1106. Luna quartadecima obscurata est. Obiit Otho Abbas. Bruno Signinus Episcopus Abbatiam suscipit.

1107. Castrum Terami à Comitibus Aquinensibus invasum est, sed à nostris quintodecimo die receptum est.

1109. Stella Cometes apparuit.

1110. Heinricus prædictus Rex cum magno exercitu Romam veniens Paschalem Papam cum multis aliis capit; ad ultimum coronatus abscedit. Bruno Episcopus Abbatiam dimittit: Girardus fit Abbas: obiit Rogerius Dux, & Boamundus frater ejus.

1114. Gerardus Abbas Oppidum (a) Suivum acquisivit. Pisani Majoricam, & Minoricam insulas debellantes ceperunt.

(a) *For. Suppinum.*

1116. Terremotus magni fuerunt; ita quod multa ædificia per diversa loca corruentur, multi mortui sunt, lampades Ecclesiarum moveri visæ sunt. Luna quartadecima obscurata est.

1117. Obiit Paschalis Papa, Joannes Cancellarius eligitur in Papam Gelasium; tunc & Rex Romam occurrens, Burdinum invasorem submittit.

1118. Obiit Gelasius Papa apud Cluniacum, & Guido Viennensis Episcopus à Cardinalibus in eodem loco in Papam Calixtum eligitur.

1119. Idem Papa Romam veniens honorificè exceptus est. Objit Robertus Princeps, & Richardus filius ejus ungitur, quo paulo post mortuo Jordanus patruus ejus fit Princeps. Terremotus magni per plures dies in terra S.Benedicti, & circumquaque fuerunt, ita ut ædificia multa ruerent.

1120. Calixtus Papa Burdinum apud Sutrium captum, apud Cavas custodiæ mancipavit.

1121. Idem Papa eundem Burdinum de Cava extractum in Janula custodiendum tradidit.

1122. Objit Gerardus Abbas, & Odorisius fit Abbas. Stellæ innumeræ quasi pluere visæ sunt pridie Non. Aprilis hora matutina.

1123. Castrum Pici ab Odorisio Abbate acquiritur, & à Calixto Papa, & Jordano Principe Sancto Benedicto confirmatur. Objit Calixtus Papa, & Lambertus Ostiensis Episcopus in Papam eligitur Honorium.

1124. Richardus de Caleno terram S. Benedicti hostiliter ingressus Castella ejus incendit. Prædictus Papa Burdinum de Janula tractum in Fumonem relegavit. Henricus Rex objit: Lotharius fit Rex.

1125. Odorisio à Papa excommunicato, homines S. Germani Monasterium istud fraudulenter invadunt, ipsoq; depulso, Nicolaus ingreditur. Rocca de Janula destruitur. Castellum Sulu à filio Richardo de Aquila occupatur.

1126. Castellum novum à Landenulpho de Spinio occupatur. Castrum novum recuperatur. Odorisius Abbatiam foris jurat. Castrum Terellæ ædificatur. Nicolaus expellitur. Seniorectus fit Abbas. Dux Guillelmus, & Jordanus Princeps objerunt. Robertus fit Princeps.

1127. Papa in Apuliam contra Comitem Rogerium, qui Ducatum occupaverat cum expeditione properat. Ad ultimum, facta concordia, Ducatum ejus confirmavit.

1128. Rogerius Dux capit Trojam, & ferè totam Apuliam, & Capuanus Princeps illi hominium fecit.

1129. Objit Honorius Papa, & eo die sunt electi Gregorius S. Angeli in Papam Innocentium, & Petrus Cardinalis S. Mariæ trans Tiberim in Anacletum: & Innocentius ultra montes perrexit. Anacletus in Apuliam ivit, qui Ducem Rogerium Regem constituit.

1130. Rex Rogerius expugnat, & capit Amalphim.

1131. Rogerius Rex expugnavit Barium, & cum Principe, & Comite pugnans apud Nuceriam superatur maxima strage utrorumque. Rex Lotharius Italiam ingressus est.

1132. Lotharius Rex venit Romam, & accipiens coronam ab Innocentio reversus est. Sol fere totus obscuratus à sexta hora usque ad Nonam IV. Nonas Augusti. Rogerius Rex ingressus est Apuliam, & Comites Conversanensem, & Andrianensem exhæredavit.

1133. Robertus Princeps abjit Pisas, & Rex Rogerius venit super Principatum, & Comitem Raymonem. Principatum cæpit, Comiti dimisit terram, & reddidit ei Comitissam.

1134. Princeps à Pisis stipatus navali exercitu venit Neapolim. Aversani reddiderunt se ei, contra quem Rogerius Rex veniens fugavit eum, & Aversam in cinerem redegit. Raynoni, & Tugoni Comitatum abstulit, Rayno Comes, Neapolim fugit.

1135. Rex

1135. Rex Rogerius Alfuso filio Capuanum Principatum tradidit. Imperator Lotharius Liguriam ingreditur. Terremotus magni n hoc loco fiunt.

1136. Objit Senioretus Abbas. Raynaldus Tuscus fit Abbas. Imperator Barium usque pervenit, cui pęne se tota Apulia tradidit. Innocentius Papa cum Duce Bojoariæ per totam Tusciam iter agens omnibus ei se, præter Romam, usque Beneventum tradentibus apud Barium Imperatori jungitur. Papa, & Imperator, tradito Ducatu Comiti Raynulpho, revertuntur. Raynaldus hujus loci electus deponitur. Guibaldus ordinatur, qui post quadraginta quatuor dies recedit. Raynaldus fit Abbas. Objit Lotharius Imperator.

1137. Conradus fit Imperator. Objit Petrus Leonis, qui & Anacletus; sed post duos menses frater ejus cum suis elegerunt quendam Gregorium Hæresiarcham, qui post tres menses à Papa Innocentio deponitur. Rex Rogerius venit super Raynulphum Ducem Apulię, & exhæredavit Alexandrum de Claramonte. Aliphas redegit in cinerem, sicque in Siciliam reversus est.

1138. Innocentius Papa facta Synodo, Anacleti partem damnavit. Objit Raynulphus Dux. Mons Vesuvius per quadraginta dies eructavit incendium. Rogerius Rex venit Apulam, & cæpit eam præter Barium, & Trojam deinde venit Minlanum, contra quem Papa cum exercitu veniens juxta Gallucium in fugam versus comprehenditur, & quarto die pace facta confirmat illi totam terram à fluvio Carnello, & infra: filiisque Principatum, & Ducatum. Castellum Sancti Angeli igne crematur, & Mortula, cum S. Salvatore, & S. Victore, & S. Petro in Fia.

1139. Idem Rex ad hoc Monasterium venit III. Kalend. Aprilis, cui per chartulam Rocca de Bantra traditur pro Ponte Curvo, quem dicebat injustè à nobis detineri. Castrum quod Pesmontis dicitur cum Cardito, & Camino nobis tollitur.

1140. Terremotus factus est valde magnus.

1141. Hoc anno Rex iterum ad Monasterium venit IV. Non. Novemb. cum fratres facto signo ad Vesperam orationibus instarent, subito fulgur unum fratrem senem ante crucem sinistri chori stantem perculit, & occidit, & locum hunc multis in locis dissipavit.

1142. Luna quartadecima obscurata est à prima hora noctis usq; ad quartam. Pridie Non. Novembris Ecclesiæ S. Mariæ, & S. Alberti dedicatur. Objit Innocentius Papa. Cælestinus fit Papa. Rex iterum ad hunc locum venit. Terra Marsorum se ei tradidit. Thesaurum hujus loci omnem cum Tabulis ante altare tollit, pręter Crucem majorem cum Cyborio, & tribus tabulis altaris.

1143. Cælestinus Papa moritur, & Girardus Cardinalis S. Crucis in Papam Lucium eligitur. Rex iterum ad hunc locum veniens cũ Papa loquitur; & discordans Papa recedit; Rex partem Campaniæ cum Tarracina cæpit. Berrulas obsedit: deinde quodã pacto facto, quæ cæperat, reddidit, Siciliam abjit. Objit Alfusus Princeps; & frater ejus Guilielmus fit Princeps. Mare dulce factum est à Cajeta usque Neapolim. Jordanus filius Petri Leonis cum Senatoribus, & parte totius populi minoris contra Papam rebellat.

1144. Objit Lucius Papa, & Eugenius ordinatur, qui tertio die suæ electionis nocte cum omnibus Cardinalibus, & Episcopis Roma egref-

egressus fugit, & apud Farvensem Abbatiam Pontifex consecratur; & apud Bitervum Pascha celebrans, ibique per octo menses remoratus, demum cum Romanis pacifcens Romam reversus est. Stella Cometes apparuit.

1145. Eugenius Papa per Transtyberim exiens Bitervum devenit, & pacem cum Romanis reformans, muros Tiburtinæ Civitatis destrui præcepit, & apud Civitatem Lucensem abjit. Rex Rogerius cæpit Tripolim.

1146. Idem Papa Burgundiam ingressus à Ludovico Rege Francorum apud Divionem honorificè susceptus est, cum quo Pascha apud Parisius celebravit, ejusque tutelæ Regno Francorum dimisso, idem Rex cum magno exercitu Hierosolymam perrexit: quo etiam anno Conradus Rex Secundus Alamanniæ cum ingenti exercitu per Ungariam, Hierosolymam profecturus, Constantinopolim devenit, ibique Ludovico Regi sociatus, & ab Imperatore Emanuele cognato suo honorificè suscepti per Jeonium desertum ingressi sunt, & quamplures de exercitu fame perierunt, alii à Turcis occisi sunt.

Sol obscuratus est IV. Kal. Novembris; Eugenius Papa Antisiodorum veniens, Monasterium S. Mauri sub obedientia Cœnobii Casinensis manere confirmavit, Abbate prius ab obedientia Episcopi Andegavensis soluto; indeque Treverim veniens ab Archiepiscopis, & Proceribus Alamanniæ honorificè susceptus est. Rex Rogerius cæpit Africam.

1147. Idem Papa Rhemis Concilium celebrans quendam Hæresiarcham Hispaniæ, qui se Christum esse dicebat, perpetua custodia damnavit, sicque per Liguriam regressus est Bitervum. Conradus Rex Alamanniæ cum Ludovico Rege Hierosolymam ingressus, & per aliquot dies ibi remoratus, congregato exercitu Damascum obsedit, sed fraude incolarum deceptus per Constantinopolim, & Venetiam in Alemanniam rediit. Ludovicus verò Rex Antiochiam reversus est. Abjit Rogerius Rex. Guilielmus frater ejus fit Dux.

1148. Eugenius Papa Tusculanum, ingressus fultus auxilio Rogerii Regis, Romanos sibi rebelles expugnat. Ludovicus Rex a partibus Hierosolymitanis reversus, & à Rege Rogerio apud Potentiam cum honore susceptus IV. Nonas Octobris ad hoc Monasterium venit, susceptusque honorificè, post diem recedens tertium, & apud Tusculanum cum Apostolico colloquens, Franciam rediit. Eugenius Papa pacem cum Romanis reformans Romam reversus est.

1149. Eugenius Papa Urbe egressus, Campaniæ moratus est. Aqua turbida pluit pridie Idus Martii; Luna obscurata est Idibus Martii. Sanguis pluit in festivitate S. Joannis Baptistæ.

1150. Objit Sybilla Regina. Rex Rogerius constituit Guilielmum Ducem filium suum Apuliæ Regem.

1151. Objit Conradus Rex. Federicus fit Rex. Naassamonites gens Mauritaniæ Regem suum ejusdem Provinciæ laqueo suspenderunt; deinde iter agentes nobilissimam Urbem Buceam, & multas alias Civitates tum vi, tum dolo cæperunt, Rege ejus fugato. Eugenius Papa cum Romanis pacifcens Romam reversus est V. Idus Octobris. Terremotus multi, & magni fuere. Naassamonites Regem Buceæ in Constantina Urbe captum suspendunt.

1152. Sol passus est Eclypsim. Objit Eugenius Papa: & Conradus

dus Episcopus Sabinensis consecratur in Papam Anastasium. Rex Hierosolymitanus cæpit Civitatem Ascalonam. Rex Rogerius cæpit Civitatem, quæ quondam Ippone Regium dicebatur: Abbas Monasterii Sancti Mauri ad hoc Monasterium .·. .·. .·. .·.

Hactenus ex Cod. 47. Sequentia cum habet Codex 199.

1154. ✝ Objit Rex Rogerius mense Februarii die ultimo. Objit Anastasius Papa, & Adrianus Papa eligitur.

1155. Exercitu Regis Sicilię cum Asclentino Cancellario Campaniam ingreditur, & combussit Ceperanum, & Bacucum, & loca vicina: deinde rediens, mœnia Aquini, & Potencurvi, & aliorum Oppidorum dirui fecit, & omnes Monachos de Ecclesia foras expelli, exceptis duodecim. Imperator Theutonicus Romam venit, & clam coronatus recessit. Robertus Comes Lorotelli Regnum cæpit invadere. Comes Richardus de Aquila cæpit Suessam, & Theanum. Audita morte Regis Rogerii Comes Andreas cæpit Comitatum Alifiæ. Robertus de Surrento cæpit omnem Principatum Capuæ usque Neapolim, & Salernum. Adrianus Papa adiit Beneventum. Robertus Comes Lorotelli cæpit totam marinam, & Castrum Bari diruit.

1156. Vvilelmus Rex Siciliæ venit Brundusium, & cæpit illud mense Maji, die vigesimooctavo, & destruxit Barum, deinde venit Beneventum ad Papam Adrianum, cum quo pacificens secum permisit exire Regnum Comitem Lorotelli, & Comitem Andriæ, & alios socios eorum prece ipsius Papæ. Quo audito Robertus de Surrento fugit, sed captus apud Cajetam in carcerem est ad Siciliam deportatus, ubi cæcatus est, & non post multum temporis objit. Adrianus Papa coronavit Beneventi supradictum Regem Vvilelmum, & confirmavit ei Regnum, & regalia B. Petri de Regno. Abbas Raynaldus recuperavit gratiam Domini Regis Vvilelmi apud Salernum.

1157. Mense Novembris Comes Andriæ cæpit Terram Fundanam, & Aquinum, & Terram S. Benedicti, deinde cæpit Cominum.

1158. Comes Andriæ, VI. die mense Januario cæpit Sanctum Germanum, & Raynaldus Casinensis Abbas, & Alfanus Capuanus Archiepiscopus, & quamplures alii Casinum conscenderunt. Terram autem Sancti Benedicti reddidit se præfato Comiti Andriæ, qui sequenti die ascendit Casinum, & acriter pugnavit, sed nihil profecit; postmodum exivit de Regno. Imperator Constantinopolitanus fecit pacem cum Rege Siciliæ usque ad triginta annos. Theutonicus Imperator in Lombardiam veniens, Mediolanum, & Cremam obsedit, quam tandem igne combussit.

1159. Objit Adrianus Papa apud Adagne. Rolandus Cancellarius in Papam Alessandrum eligitur, & Octavianus à Monticello à paucis eligitur in Papam Victorem, qui perrexit ad Imperatorem Theutonicum in Lombardiam, & Papa Alessander mansit in Campania.

1160. Comes Robertus de Loritello, & Comes Andreas intraverunt in Regnum: Masenuti cæperunt Africam. Matthæus Borrellus interfecit Majorem Ammiratum apud Panormum.

1161. Incarcerati de Sicilia per vim liberati sunt. Buteria rebellata est; sed Rex eam capiens destruxit. Mense Augusti Luna duodecima obscurata est:

1162. Alexander Papa per mare ivit in Franciam, & à Rege Franciæ

ciæ, & Anglorum honorificè receptus eſt. Federicus Imperator deſtruxit Mediolanum, & ſubjugavit Lombardiam. Rex Siciliæ veniens in Apuliam deſtruxit Tabernam; deinde rediit in Siciliam; prius tamen præcepit cuſtodiri diligenter Monaſterium Caſinenſe.

1163. Menſe Julii fer. 4. Sol obſcuratus eſt. Rocca Gulielmi recepta eſt ab aulicis Regis.

1164. Menſe Aprilis, quartadecima die intrante, Victor ſchiſmaticus objit apud Lucam; & Guido Cremenſis in Papam Paſchaſium ordinatur.

1165. Alexander Papa per mare de Francia rediens Urbem intravit, qui à maxima parte Senatus, & à populo Romano honorificè receptus eſt.

1166. Rex Guilielmus objit decimaquinta die, menſe Maji, & Guilielmus filius ejus coronatus eſt menſe Julii. Raynaldus Abbas objit menſe Octobris. Theodorus electus eſt in Abbatem.

1167. Dum Imperator Fredericus oppugnaret Anconam, Raynaldus ejus Cancellarius expugnavit Romanos, ex quibus mille quingenti occiſi ſunt, vulnerati verò, & capti mille ſeptingenti; quod audiens Imperator, capta Ancona, venit Romam, & combuſſit porticum S. Petri. Alexander Papa exiens Urbe, Beneventum venit. Menſe Septembris objit Theodinus Abbas, & fuit maxima mortalitas.

1168 Guidus Abbas Venuſinus ordinatus eſt in Abbatem Caſinenſem. Comes Gilbertus, & Berteraimus filius ejus expulſi de Regno Hieroſolymam perrexerunt. Abbas verò Ægidius depoſitus eſt à Papa Alexandro, & reliquit procurationem Petro Caſinenſi Decano.

1169. Robertus Comes de Loretello cum Rege Guilielmo concordatus eſt. Multa mœnia diruta ſunt à terremotu in diverſis partibus.

1170. Alexander Papa rediens à Benevento recepit Tuſculanum ac proprietatem Romanæ Eccleſiæ.

1171. Dominicus Abbas de Sabucino electus eſt in Caſinenſem Abbatem.

1172. Dominicus Abbas in Epiphania confirmatus eſt in Abbatem à Papa Alexandro apud Tuſculanum. Luna decimaquarta obſcurata eſt, & terremotus fuerunt. Rex Guilielmus cum Principe Henrico fratre ſuo venit in Apuliam, ſed Princeps infirmatus rediit in Siciliam, & ibi mortuus eſt. Dominus Rex venit Capuam, & inde pergens Salernum, reverſus eſt in Siciliam.

1174. Menſe Aprilis Dominicus Abbas objit, Petrus Decanus electus eſt in Abbatem menſe Auguſti. Stolium Regis ivit Alexandriam. Fredericus Imperator venit Lombardiam.

1176. Chriſtianus Cancellarius Imperatoris, veniens ſuper Cellis obſedit eam. Comes Rogerius Andriæ, & Comes Tancredus cum aliis Comitibus contra eum perrexerunt illuc.

1177. Alexander Papa ivit Venetias, & ibi fecit pacem cum Imperatore menſe Julii in feſto B. Jacobi Apoſtoli.

1178. Joannes Abbas Stumenſis, qui vocabatur Papa Calixtus in decollatione B. Joannis Baptiſtæ Tuſculanum ad pedes Domini Alexandri Papæ III. venit, quem poſtea Rectorem Beneventi conſtituit.

1179. Alexander Papa celebravit Concilium in Eccleſia Lateranenſi

nensi mense Martii, ubi fuerunt Episcopi numero triginta & unus, exceptis Cardinalibus, qui fuerunt viginti duo & exceptis Abbatibus, qui præ nimia multitudine numerari non potuerunt, ubi Sancta Synodus promulgavit capitula viginti septem.

1180. Hoc anno homines Sancti Germani pertexerunt ad Dominum Regem apud Messanam, ut concederet illis privilegium contra Monasterium sed nihil profecerunt. Lando intrusus, qui est Papa Innocentius dictus, apud Palumbaram cum sociis captus, ad Cavas est in exilium deportatus.

1181. Alexander Papa objit apud Civitatem Castelli, & Ubaldus Ostiensis Episcopus ordinatur in Papam Lucium apud Velletrum. Dominus noster Rex fecit treguam apud Panormum cum Rege Maxamutotum usque ad decem annos, mense Augusti.

1182. Tribus diebus infra octavam Epiphaniæ tam maxima venti procella desævit per totam Italiam, quòd homines plures, & bestias interfecit, arbores exaruit, & herbas ad radices destruxit. A quinque annis, & infra fames fuit tam valida per totam Italiam, quòd diversis in partibus sauma tritici pro auri uncia non poterat inveniri, & omnium frugum terræ sterilitas maxima, & plures homines præ nimia fame herbas comedentes agrestes deperierunt.

1183. Rex Guilielmus Siciliæ Secundus, venit ad Montem Casinum septimo Kalen. Februarii, & alio die versus Capuam remeavit. Lucius Papa III. apud Velletrum promovit Guilielmum Abbatem S. Mariæ Regalis de Panormo in Archiepiscopum Montis Regalis. Christianus Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopus objit apud Tusculanum. Homines Malsenses destruxerunt Kapollam.

1184. Nono Kalen. Junii Terremotus adeò magnus, & terribilis fuit per totam Calabriam in (a) Valle de grati, & vallem de sinu Ecclesiæ omnes, & omnia ædificia murorum corruerunt, & Rufus Cusentinus Archiepiscopus, & multi alii sub murorum præcipitio suffocati sunt. Casinensis Ecclesia commutationem fecit cum Roberto Capuasino de Selectano cum Castro Fella. Lucius Papa dimisso Comite Bertoldo ad defensionem Campaniæ, per Vallem Orbeti Veronam accessit colloquium cum Imperatore.

(a) *Locus corruptus.*

1185. Pax firma inter Imperatorem Fredericum, & Regem Guilielmum facta est. Rex Guilielmus Siciliæ copiosum exercitum in Romaniam trasmisit, qui Civitatem Durachiæ, & Civitatem Saloniquium cæperunt. Præfatus Rex Constantiam amitam suam transmisit in conjugem ad Illustrem Regem Henricum filium Frederici Imperatoris. Novum genus hominum, qui Vendicosi dicebantur, in quadam parte Regni surrexit, quos prædictus Rex suspendi fecit, & diversis pœnis affligi. Supradicto stolio Regis, fraude, & vi Græcorum postmodum fortuna est adversata. Lucius Papa apud Veronam objit VII. Kalend. Decemb. & Archiepiscopus Mediolanensis in Papam Urbanum est substitutus. Baldovinus Rex Hierosolymitanus objit, & Baldovinus filius sororis ejus est factus Rex. Andronicus Constantinopolitanus objit, & Isalcus factus est Imperator.

1186. Dominus Petrus Sacerdos, & Abbas Casinensis objit VIII. Idus Julii.

1187. Saladinus mense Maji Christianos devicit; iterum in Junio in alio conflictu victoriam obtinuit. In Septembri 4. Idus Hierusa-

lem cæpit. Exiens Papa Urbanus de Verona, & Ferrariam veniens, obiit. Magister Albertus Beneventanus, Presbyter Cardinalis Sancti Laurentii in Lucina, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius, in Papam Gregorium Octavum est substitutus, & veniens in Civitatem Pisanam obiit V. Kalend. Januarii. Paulus natione Romanus, & Episcopus (a) Clandestinus in Papam Clementem est substitutus.

(a) Al. Prænestinus.

1188. Papa Clemens à Romanis magnificè est receptus. Roffredus de Insula VII. Idus Julii in Casinensem Abbatem honorificè est receptus.

1189. Guillelmus Rex Siciliæ sine liberis, & testamento moritur. Panormi oritur inter Christianos, & Sarracenos dissentio. Sarraceni multa suorum strage facta exeunt, & inhabitant montana. Roffredus Casinensis Abbas futurorum providens, cum vicinis Comitibus, & Baronibus confœderatur.

1190. Tancredus Comes Licii, qui apud Trojam cum quibusdam aliis juraverat fidelitatem Constantiæ uxori Henrici Regis Theutonicorum, & filiæ quondam Regis Rogerii, Panormum vocatus à Magnatibus Curiæ, de assensu, & favore Curiæ Romanæ coronatur in Regem mense Januarii. Rogerius Andriæ, & Richardus Caleni Comites, melius suæ fidei memores cum quibusdam aliis Tancredo resistunt; sed differente suprascripto Rege Henrico in Italiam venire, Tancredus Apuliam ferè totam, & terram Laboris sibi subjicit, cui etiam Munitiones, blanditiis acerrarum Comitis cognati sui, inductę, se reddunt. Item Comes Acerrarum, de Campania, & Regno, collecto magno exercitu pro expugnandis Capuanis, & Aversanis terram S. Benedicti aggreditur. Rex Henricus Henricum Testam cum exercitu mittit in Regnum, qui per Amiterninas, & Theatinas oras, intrans, plurima loca incendio, prædaque consumpsit; qui junctus cum prædicto Comite Rogerio in Apuliam vadunt, locaque quamplurima depopulantur. Cornitum capiunt, & incolas compellunt exulare; contra quos exercitus Tancredi muniunt Civitatem Airani, & loca vicina metuentes, bello campestri pugnare. Theutonici verò aliquandiu eos obsidentes, tum æstatis fervore, tum penuria depressi, obsidionem solvunt, & de regno exeunt. Comes Acerrarum invalescit: & supra dictum Comitem Rogerium dolo ad Concionem vocatum, fide rupta capit. Redit cum exercitu Capuam, & Aversam. Capua se reddit improvido consilio, sicut semper usa, cum jam Rex Henricus, cui favebat, appropinquaret. Fredericus Imperator Romanorum, supradicti Regis Henrici Pater, qui cum ingenti exercitu Hierosolymam iverat pugnaturus contra Saladinum, qui terram illam occupaverat, in flumine moritur. Henricus ejus filius Italiam ingreditur.

1191. Obiit Papa Clemens mense Martii. Jaquintus Diaconus Cardinalis in Papam Cælestinum consecratur, à quo supradictus Rex Henricus apud Sanctum Petrum in Principem Romanorum coronatur mense Aprili. Tusculanum Romanis conceditur destruendum. Henricus Imperator unà cum supradicta Constantia Imperatrice per Campaniam descendens in Regnum, Roccam Arcis violento capit insultu. Quod factum suos in audaciam, & nostros sic inducit indifferentiam, ut jam nec loca munitissima de resistendo cogitentur: unde Sorella, Atinum, & Castrum-Celii non tam in bello, quàm stupore devictæ, se reddunt. Abbate Roffredo apud Montem Casinum ad-

mor-

mortem pœnè infirmato, habito tractatu inter legatos Imperatoris,& Conventum Casinensem, qui multum Imperatori favebat, vocati sunt homines S. Germani, & ibi de mandato Decani, & Conventus juraverunt. Imperator, & Imperatrix primùm recta via, post Imperatorem per Soram, & Atinum, Casinum venerunt. Conventus eis jurat, Abbas minimè, sed obsides dat. Post aliquot dies veniunt in Terram Laboris, nullo resistente, preter Civitatem Neapolitanam, in qua receptaverat se cum suo exercitu, supradictus Comes Richardus. Imperatrix Salerni recipitur, & moratur. Imperator Neapolim obsidet, à mense Maji usque ad mensem Augusti, & tum infirmatus obsidionem deserit. Per Campaniam redit Casinum, pro Imperatrice mittit, sed eam Salernitani, fide rupta, detinentes ad Regem transmittunt. Imperator infirmus majori parte suorum aeris intemperie mortua, captis obsidibus de Santo Germano, & secum ducto supradicto Abbate, redit in Theutoniam mense Septembris. Comes Richardus cum exercitu, & Neapolitanis, egrediens, Capuam capit Civium proditione, ubi multi de Theutonicis gladio pereunt. Conradus Musca-in-cervello, in Castro Capuano aliquandiu resistit; tandem compositus cum Comite cum suis exiit illæsus, Capuæ nobilibus, qui cum eo erant, carceri deputatis. Stultus Paganus Castellanum Atini Theutonicum egredientem gladio dejicit,& Atinum pro parte Regis occupat. Comes Richardus recuperata Terra Labris, in Venafro Comitem Rogerium Molisi obsidet, quo se redempto ad S. Germanum venit, eumque quorumdam Civium Regi faventium, scelerata factione, obtinet. Atenulphus Casinensis Decanus, relictus ab Abbate procurator in Casino se recepit, & cum Monachis obsessus à Comite viriliter resistit. Comes, in Damanium Regis, capta Terra S. Benedicti, redit in Terram Laboris, mense Novembri. Legati Curiæ Romanæ Casinense Monasterium, Decanum, & Monachos interdicunt; nec hoc tamen separat eos ab imperii charitate.

1192. Decanus cum Diopulto Castellano Rocchæ Arcis, mense Januario, collecto exercitu de Campania, & Romanorum, descendentes per montem invadunt Sanctum Germanum. Balivi Regis, Monachi, & Laici, Regis fautores in fugam se vertunt. Cæteri non tam dominio resistere valentes, quàm contra violentiam prædonum se tuentes, magna intrantium strage facta, eos repellunt,donec viso Decano, in manibus ejus, se reddunt. Juramento impunitatis à magnatibus exercitus recepto, qui tamen obsides capiunt, & auferunt victualia. Idem Castellanus Soram capit; deinde simul cum Decano capiunt Plumbariolam, & Pinnatarium, ubi multa strage facta inhabitant, & consumunt omnia. Rex Tancredus veniens in Apuliam vadit usque Piscariam; & totam inde Regni terram sibi subjicit, preter Comitem Caleni, cum quibusdam Baronibus, deinde per terram Laboris redit in Siciliam, relicto Capitanio Richardo Comite Caleni, qui jam se reddiderat. Rogerius de Foresta Castellanus Atini Castrum Sancti Eliæ capit. S. Germanum collecto exercitu ab una parte obsidet,& usque ad muros violento insultu expugnat: labores consumit, & exportat; Caream, & alias Villas igni commendat; sed ut prædictus Comes Caleni cum magno exercitu in obsidione Civitatis apud Sanctum Angelum diu moratur. Qui ex condicto pariter venientes, violentos facit insultus, sed Decanus sicut in monachatu mo-

nasticum, sic in bello militarem gerens animum, absente Diopulto, per se Urbem tuetur, suos animat, portas reserat, & vigili cura discurrens ad omnes insultus se objicit, ita ut, si possibile sit, uno momento portis omnibus adsistere cernatur, mense Junii; Comes autem contra constantiam, ac animositatem Decani se videns non proficere, ab insultu cessat, & de viribus diffidens spem in corruptela reponit, & quem bello non potuit expugnare, blanditiis, & muneribus attentat. Sed & Castellanus Atini captum à militibus Regis, Fratrem Decani, variis tormentis affligit, cujus liberatio Decano offertur, aurum promittitur, cujuslibet in Regno dignitatis optio datur; sed fidelis animus, nec avaritiæ cedit, nec ambitioni; quinimò tormenta dissimulans jurat, se toleraturum magis ante oculos suspensionem Fratris, quàm fidem Imperii, & Abbatis sui relicturum. Ille in Castellanum sævit, montana castra S. Benedicti capit, & depredatur. Imperator Bertoldum Comitem cum exercitu mittit in Italiam, & cum eo remittit supradictum Abbatem, sed Bertoldus in Tuscia demorans, milites Abbati concedit cum quibusdam rediens Ceperani adloquitur supradictam Imperatricem jam à Rege remissam, ducentibus eam Cardinalibus ad hoc missis à Papa, qui putabat Romæ cum ea de concordia tractare. Sed eadem Augusta Urbis declinat ingressum, & per Tiburim in partes Spoleti recipitur. Applicat Abbas cum militibus, qui die quadam cum Decano euntes Atinum, Cancellos diruunt, magnam partem Atini depredantur, & comburunt, cæpissentque castrum, si consilio Decani stetissent. Sed Theutonicus furor eodem, quo venit impetu, recessit. Iterum eadem via Cominum intrant, Gallinarium capiunt, & inhabitant: post dies aliquot milites, qui conduxerant Abbatem, recedunt, paucis remanentibus. Abbatia ex parte favet Abbati. Castrum S. Angeli solita perfidia induratum, hostiliter resistit, latrunculos conducit, qui per sylvas, & loca opportuna insidentes, prædam eis referant. Castellanus Atini iterum invalescit, montana castra S. Benedicti capit, & tam ipsa, quàm in Castrum Sancti Eliæ gladio, prædia igne dissipat, & affligit. Inter has angustias adeò fames invaluit, ut sæpe apud Sanctum Germanum venderetur coscina frumenti plusquam una uncia auri, & sauma vini similiter, & capisa olei tari quinque. Diopultus auxilio Abbatis collecto exercitu Aquinum, ubi milites Regis erant, obsidet, & militibus exeuntibus obtinet, inde sic invalescit, quod omnia vicinia usque Suessam depredatur, & affligit. Prædictus Bertoldus Amiternum, & Valvas mense Novembri recipiens, subitò descendit in Comitatum Molisii, & Venafrum primo insultu capiens, usque ad consumptionem inhabitat. Obtinet castra vicina, in quorum quibusdam milites Regis capit. Rex Angliæ Hierosolyma rediens, in Theutonia captus, Imperatori datur. Post modicum liberatum, & secum retentum, Imperator, recepta ab eo fidelitate, coronat, & Regnum ejus auget.

1193. Bertoldus, relictis in Comitatu Molisii Conrado Musca-in-cervello, redit, & ducit in uxorem sororem Comitis Berardi, relictam Comitis Roberti de Caserta. Diopultus in prædam discurrens versus Campaniam, gradientem contra se Comitem Caleni capit, & transductum in Rocca Arcis captivum servat, & præda tali gloriosus usquequaque per Terram Laboris licenter jam discurrit, & deprædatur.

Supra-

Suprascriptus Abbas, exercitu collecto, recuperat Castellum-novum, & alia vicina Castra, pacto de reddendo se statuto tempore, nisi erit eis à Rege succursum. Castrum Sancti Angeli foris devastat, Bertoldus redit in Comitatum Molisii. Rex Tancredus in Apuliam veniens recepit filiam Imperatoris Constantinopolitani, in uxorem Rogerio filio suo dudum in Regem coronato. Exinde, collecto exercitu, venit ad Montemfuscum, contra quem Bertoldus castra movens, tentoria figit apud Paludam, ubi die belli condicto pugnare volentem Regem, quidam de suis retrahunt. Inter moras autem exercitus Imperialis penuria coactus redit in Comitatum Molisii. Rex verò transiens vi capit Roccham Sanctæ Agathes, & Castrum Sabiniani, ubi plures de Theutonicis captos, extremo supplicio damnat. Bertoldus Castrum Montis Rodonis obsidet, quia fidem ruperat, sed die quadam suas machinas exterius instruens, de machina interiori emisso lapide percussus moritur. Conradus supradictus parte quadam exercitus dispsa, Dux eligitur ab aliis. Obsidionem non deserit, donec Castrum vi capit, proditores in circultu suspendit; consumptisque rebus Castrum ipsum incendio primùm, deinde ruina usque ad solum evertit. Rex Tancredus, prosperis successibus animatus, venit in Terram Laboris, obsidet Casertam, donec Comes Guilielmus reddit se; deinde obsidet Torsam, & ipsi se reddunt, obsidibus datis. Conradus transit in Vallem Forconi, exercitum recreat, captis terris, quæ reddiderant se Regi. Rex venit Theanum, sperans ad se revocare supradictum Abbatem, sed vir consilii futurorum providus, & justitiæ conscius, nec muneribus Regis, nec terroribus Sedis Apostolicæ potuit inflecti. Rex ægritudine correptus rediit Siciliam, quo recedente, Conradus Cominum intrat, & devastat, & deducto Comite Caleni, recipit Diopultus Roccham Montisdraconis. Conradus verò in Apuliam transiens loca immunita cæpit, munita depredatur, & devastat.

1194. Suprascriptus Rogerius, & filius Tancredi objit, post quem & ipse coronato Vvillelmo filio suo decessit. Imperator exercitu collecto, mense Junio, Italiam ingreditur, Pisis, & Januæ parat exercitum navalem, & eo misso ipse in Regnum descendit, omnibus se reddentibus præter Atinum, & Roccham Vvilelmi. Capuani, & Aversani nec se reddunt, nec obsidentur. Neapolitani ex pacto jam Pisis habito, se reddunt. Imperator transiens, Salernum vi cæpit, & in ultionem suæ injuriæ habitatores partim gladio, partim carcere, nonnullos exilio damnat, rebus publicatis, & in prędam exercitus addictis. Deinde transit in Apuliam, & nullo resistente per Calabriam venit Messanam. Vvillelmus novus Regulus dimisso palatio matri, recipit se in Castrum munitum, quod dicitur Calatibilotta. Quo viso populus Panormitanus Imperatorem vocat, at ille præmissis nuntiis, & fœdere facto cum Regina, de dando sibi Comitatu Licii, & filio Principatu Tarenti, properat, & magnificè Panormum ingrediens, in Palatium recipitur, nec multò post idem Regulus fortunam cum corona deponens, ad pedes ejus venit.

1195. Imperator solemni curia in Palatio habita, ostensis litteris, quas conspiratione quorundam Magnatum Regni factas dicebat adversus eum, eundem Vvilelmum quorundam Regem, modò Principem factum, & plures Comites, ac Regni Magnates in vincula conjecit.

jecit. Constantia Imperatrix filium parit in Marca Anconitana, quem in auspicium cumulandæ improbitatis, inculcatis Avorum nominibus Fredericum Rogerium, seu Rogerium Fredericum vocat. Roffridus Casinensis Abbas, non segnis, Panormum vadit, ibique donum Atini, & Malveti ab Imperatore suscipit, qui rediens obsidet Atinum. Rogerius suprascriptus videns se non posse resistere, reddit Ipsi Atinum, recipiens Castrum S. Petri in fine. Imperator in Apulia redit, & conjunctus cum Imperatrice curiam solemnem habuit, qua finita, ipse Theutoniam rediit, Imperatrix in Siciliam vadit.

HOC CHRONICON VIDETUR CONTINUATUM FUISSE ab alio scriptore, in alio Cod. num. 199. in quo etiam scriptum est antiquis litteris Langobar. Chronicon Casinense Leonis Marsicani; Continuatur autem hoc modo.

1196. Dictus Imperator de Alemannia rediens ivit Panormum, ubi sicut Deo placuit, diem clausit extremum. Tunc exiens de Regno damnatæ memoriæ Marcuvaldus Consiliarius ejus, & aliquantulum commorans in Marchia Anconitana, mortua Panormi jam dicta Imperatrice rediens ille ad Regnum cum multo exercitu perditorum, & veniens cæpit Sanctum Germanum, & totam terram Sancti Benedicti dissipavit simul, & ex magna parte combussit, tradens spolia habitantium in ea, exercitui suo. Nonnulla quoque altaria, iniquorum manibus. Reliquiarum abstractione, violata sunt. Obsedit autem & Monasterium Casinense, ubi se concluserant duo Cardinales, qui venerant ex parte Domni Innocentii III. cum multis militibus de Campania in auxilium terræ. Sed Domnus Abbas prædictus ferre non valens multitudinem virorum, & mulierum, qui se ibidem receperant, data illi pecunia numerata, fecit eum de terra exire, commendato ab illo dicto Diopulto, Castello novo, Castello Fractarum, & Pontecurvo.

1197. Vadit ille Marcuvaldus Panormum, & illic recipiens quasi in custodiam dictum filium Imperatoris, cum tribulasset multos ibi, & ipse miserabiliter expiravit.

1198. Dictus Diopultus, cui hæserat omnis ille exercitus perditorum, cum apud Venafrum jurasset satis solemniter treguam, & pacem Domino Abbati, & hominibus Sancti Germani per fraudem de nocte veniens cæpit Sanctum Germanum, & multos de habitatoribus captivos tenens, omnia diripuit, quæ inventa sunt, inferens quæcumque mala potuit, sicut erat moris ejus, omnibus Castellis Monasterii, & habitatoribus eorum. Exivit autem de Civitate, sed vix ibi poterat aliquis sine timore, & tremore habitare.

1201. Gualterius Comes Brennensis mittitur in Regnum à Domino Papa Innocentio, & fretus auxilio Abbatis nostri, dictum Diopultum apud Capuam cum multo exercitu contra eum venientem fugavit. Diripuit omnia, & cunctum ejus exercitum dissipavit, capiens nonnullos eorum, & alios in fugam convertens IV. Idus Junii. Civitas Venafrana tota combusta est in vigilia Sancti Joannis Baptistæ. Cum auxilio dicti Comitis Gualterii Dominus Abbas Castellum Potecurvum, Castellum novum, & Fractas recuperavit, datis Roberto de Aquila, qui tenebat illa per dictum Diopultum Ecclesia San-

Sancti Magni in vita ejus, & Molendino de Reposorio apud Sanctum Germanum, & tenimentis dicti Petri de Manso.

1202. Fames valida per Regnum exorta est, unde nonnulli hac inopia coarctati mortui sunt.

1203. Dictus Diopultus à Castello Sommæ, tentus est, qui tandem evasit suis promissionibus deceptoriis. Comes Richardus de Aquila cæpit Suessam.

1204. Dictus Comes Gualterius cæpit Tarracinam, de Salerno, & licet aliquantis diebus ibi à Diopulto fuerit adeò coarctatus, ut carnes equorum cum suis compulsus sit edere, auxilio tamen Comitum, & Baronum, cum quibus juraverat homagium, liberatus est, & ipsum Diopultum cum suis omnibus de tota Civitate Salerni ignominiosè fugavit, obseditque Terram Majorem per multos dies, & eos, qui se ibi concluserunt, ad omnem inopiam coarctavit.

1205. Mense Januario dictus Comes Gualterius apud Sarnum cum suis decumbens, minus cautè, fortuna sibi novercante, fugatis suis omnibus, & de eis plurimis interfectis, captus est per Diopultum, & Generalem ejus, & conjectus in vincula, dicitur ibi diem clausisse extremum. Triumphans de hoste Diopultus, & seipsum humilians, obtinuit, ut Dominus Papa, missis Nuntiis fecerit supradictum Diopultum, & suos ab excommunicatione absolvi, credens eum Ecclesiæ profuturum; Qui postmodum Romam perrexit, & à Domino Papa Innocentio, & à Romanis bene receptus est: postea reversus est Salernum.

1206. Hoc anno mense Novembri Comes Diopultus cum pluribus Regni ivit Panormum, & traditum est ei Panormum cum Rege: post modicum verò temporis Cancellarius Gualterius junctis Theutonicis, habuit Regem Fredericus.

1207. Hoc anno mense Maji Comes pugnavit cum Neapolitanis, & ex eis magnam stragem fecit.

1208. Mense Januario, in vigilia Epiphaniæ Dominus Roffredus Casinensis Abbas Civitatem Soræ, quam homo perditissimus, & perfidissimus Conradus de Marley Theutonicus cum Roccha de Sorella . . . fuerat ab Henrico Imperatore VI. relictus Castellanus, Pesclum solidum, Roccam Arcis, & Broccum tenebat, conducta prædonum, & sibi similium manu, Campaniam, & adjacentia loca, & maximè Terram Sancti Benedicti depredabatur; in crepusculo diluculi cum gente ingressus est. Eo die per Civitatis transfugas, qui se receperant in . . . Avellum, quàm multæ Civitatis domus igne deflagravere. Illi autem de loco natura munitissimo à gente Abbatis expulsi, eodem die, in Sorellæ Roccam se receperunt. Alia igitur die Castellum Brocci expugnatum est, & Ars Sorellæ de Planello arctius est obsessa. Mense Februarii Arx dicta noctu expugnatur à nostris, uno tantum de nostris ab hostibus audaciter resistentibus, cæso. Captus Conradus, Sorellæ cum universis, qui fuerant illic inventi tenetur in vinculis, Roccham Arcis, & Pescum solidum reddere pro sua, suorumque qui tenebantur vincti, liberatione promittens. Prima igitur quinta feria Quadragesimæ, Hugo pro liberatione dicti Conradi, & suorum Stephano Camerario Domini Papæ Innocentii, & Richardo ejusdem germano Roccham Arcis assignat, recepta per eos à Domino Papa multa quantitate pecuniæ, & firmata

perso-

personarum, & rerum securitate. Mense Junii Dominus Papa Urbem exiens ad Sanctum Germanum contendit, convocatisque illuc Civitatibus, Comitibus, & Magnatibus Regni, de Domini Regis Frederici succursu, & Regni pace tractavit, constitutis ad hoc capite, & Magnis Justitiariis Apuliæ, & Terræ Laboris, Comite Petro Celano, & Comite Richardo Fundano. Deinde Montem Casinum Dominus Papa conscendit, ibique diebus multis propter clementiam aeris immoratus, à Prædecessoribus sui indulta Monasterio privilegia renovavit, & quædam de nuvo concedens, alienata de pertinentibus ad Hospitale, Vestiariam, vel Infirmariam, sive Cellariam revocari posse clementer indulsit. Descendens igitur à monte, rogatu Domini Petri Decani Casinensis, in Altare Sancti Nicolai de Sancti Petri Monasterio sacras Reliquias ipse recondidit in festo Beati Jacobi, VIII. Kalend. Augusti, sed quia propter ferventis æstatis inclementiam tædebat eum, constipante se turba celebrare divina, mandato suo celebravit Dominus Albanensis, & Dominus Sabinensis, facto sermone, devotè venientibus in Anniversario quadraginta dies de criminalibus instituit relaxari. Occisum à suis Philippum Alemanniæ Regem interim nunciatur. Deinde Soram Dominus Papa contendit, & per Atinum cum Cardinalibus transiens, à Domino Abbate Ecclesiæ Sanctæ Mariæ honorificè recipitur. Mense Octobris Richardus Fundanus Comes Capuam .·. .·. & Castellum obsidet .·. .·. .·.
.·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·.

Luna hic erat in Casin. Codice.

1209. Mense Septembri Otho IV. Dux Saxoniæ Imperii diademate insignitur in Ecclesia S. Petri in Urbe Romana à Domino Papa Innocentio III. & tunc orta est seditio inter Romanos, & Theutonicos, Romanis quibusdam, & Theutonicorum pluribus interemptis. Diopultus Comes, Dux efficitur Spoletanus. Terremotus magni per loca. In Valvis, & Rete Provinciæ Samnii munitiones diruuntur, & plura ædificia, & Castella. Fredericus Rex Siciliæ duxit in uxorem sororem Regis Aragonensis. Diopultus dictum Imperatorem Othonem introduxit in Regnum, cum Petro Comite Celani, & dedit ei Salernum, propter quod factus est ab eo Dux Spoleti. Hoc anno mense Madio Roffridus Abbas hujus loci mortuus est, & Petrus cui, prænomen erat Comes, promotus est in Abbatem in Natale Sancti Joannis Baptistæ.

1210. Dictus Imperator contra Juramentum, quod fecerat Domino Papæ Innocentio, Regnum intravit, & Capuam; propter quod Dominus Papa ipsum Imperatorem excommunicavit.

1211. Mense Januario objit Petrus Casinensis Abbas. Dominus Papa sententiam, quam tulerat in Othonem Imperatorem confirmat, excommunicans Canonicos Capuanos, quoniam ausi sunt celebrare Imperatore præsente, cui Neapolitana Civitas se dunavit, eique in Apuliam descendenti Civitates, & Villæ omnes spontè jurarunt.

1212. Prædictus Imperator in Alemaniam rediit, eo quod .·. .·.
.·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·. .·.

Cætera desiderantur.

In

In eodem supraſcripto Cod. 199. Bibliothecæ Caſinenſis ſunt pagellæ aliquot ad finem libri, in quibus Appendiculas baſce ſcriptas reperi, quas ſubjicio.

ANno Domini 1349. tertia Indict. die nono Septembris, fuit magnus terremotus in toto Regno Siciliæ, qualis non fuit ab initio mundi, niſi in morte Chriſti, & ſpecialiter in Epiſcopatu Caſinenſi, in tantum, quod totum Monaſterium funditus corruit, & remanſit in eo nulla domus erecta, & omnia Caſtra Monaſterii fuerunt diruta præter Caſtrum Sancti Victoris, & Fractarum. Id fuit hora Miſſæ. Itaque multi homines, & mulieres, & Sacerdotes,& Religioſi ſuper altaria, & in Eccleſiis mortui ſunt, præter eos, qui in propriis domibus, Caſtris, & Civitatibus objerunt. Civitas ergo Sancti Germani media corruit, præcipuè illa pars, quæ erat in plano, ſeu paludibus, & in ea innumera multitudo hominum, ac mulierum mortua eſt.

1362. Indict. XV. Menſe Martii Stella Cometes apparuit in Oriente, & viſa fuit per multos dies. Eodem anno, ſequenti menſe Madii objit Ludovicus inclytus Rex Siciliæ, & ſequenti menſe Junii objit Ludovicus de Duratio in Caſtro Ovi Neapoli,& immediatè poſt mortem dicti Domini Ludovici de Duratio, maxima mortalitas hominum ſequuta eſt in Civitate Neapoli, & per totum Orbem, ita ut in multis locis Caſtra, & Villæ vacuæ, & deſolatæ remanſerint. Eodem anno menſe Auguſto, à principio ferè ipſius menſis innumerabilis multitudo, bruchorum ab Oriente venientes totam terram occupaverunt, & tanta fuit multitudo ipſorum, quòd porci, & Gallinæ, & murilegi eos comedebant, & duraverunt in partibus noſtris per totum menſem prædictum, licet in partibus Apuliæ fuerint per totam æſtatem præteritam, imò per tres ſequentes annos duraverunt, non tamen generaliter, ſed per loca, comedentes omnes erbas virides, & folia arborum.

Anno Dominicæ Incarnationis 1388. Indict. XI. Januario menſe, die octava. Serotina hora una, & ſemis viſæ fuerunt à parte Occidentis ſtellæ ire per Cœlum, ſonitu horrifico verſus Neapolim, & Cajetam, quæ quidem ſtellæ claritate erant præſulgidæ,& tanti ſplendoris, ut quando earum diſcurſus fiebat, eſſe videbatur quaſi medius dies, quantitate erant indiſcretæ:nam aliquæ ipſarū tantæ quantitatis cernebantur,ac ſi eſſent magnæ trabes igneæ, in numero fuerunt.....

Cætera deſiderantur, huic explendæ lacunæ ducentorum annorum.

Anno Domini 1500. die ſeptimo Januarii hora diei tertia, & ultra, dum Miſſa celebraretur, fulmen erumpens à tecto portæ majori imminente, & etiam juxta altare majus pavimentum diſſipans, Sacerdotem myſterio incumbentem adeò conterruit, ut fere exanimis remanſerit, & juvenem quendam advenam non procul inde remotum in tantum afflatu percuſſit, ut immobilem factum, & humi proſtratum perfracta fronte miſerabiliter affecerit, partem inſuper Campa-

nilis, jam aliàs sæpè percussi, & collabentis dejecerit cum Campana majori.

Item ex alio Cod. Chronici Casinen. auctore Leone Marsicano, pagellis ante Chronici initium posito, hæc exscripsimus.

Ex Indicibus quibusdam emortualibus Religiosissimi Cœnobii Casinensis excerpsi Illustrium aliquot Virorum obitus certis diebus consignatos. Ejusmodi verò excerpta, quòd ad rerum nostrarum Chronologiam quodammodo facere videantur, ea huic Casinensi Chronico subjicere libuit. Habe igitur & pauca hæc, Lector, donec in tuorum studiorum commoda, si vita salusque suppetet, plura, ac majora depromam.

Ex Emortuali m. s. Mon. Casinensis num. 41.

VII. Idus Januarii * *th.* Carolus Rex Siciliæ MCCLXXXV.

VIII. Kalendas Februarii *th.* Rex Ferdinandus MCCCXCIIII.

In Conversione S. Pauli, hora 18.

Prid. Non. Febr. *th.* Raynaldus Barensis Archiepiscopus, & Monachus.

Non. Martii *th.* Boemundus Antiochiæ Princeps.

XIV. Kal. Aprilis *th.* Honorius III. Papa.

X. Kal. April. *th.* D. Petrus de Capua Diac. Card. S. Georgii.

Sunt in eadem Casinensi Bibliotheca opera hujus Card. nempe, Epitome sententiarum, & Lexicon Concionatorum, in expanso folio.

V. Kal. April. *th.* Clemens Papa III.

IV. Kal. April. *th.* Stephanus Papa, qui & Fredericus Abbas hujus loci.

XVI. Kal. Maji *th.* Sigilgaita Ducissa. Fuit hæc uxor Roberti Guiscardi.

XI. Kal. Maji *th.* Alexander II. Papa.

IV. Non. Maji *th.* Carolus Secundus Rex Siciliæ, MCCXIX.

Idib. Maji *th.* Guilielmus Rex Siciliæ.

VIII. Kal. Junii *th.* Dominus Gregorius VII. Papa.

III. Junii *th.* Henricus Imperator.

XVI. Kal. Julii *th.* Henricus Capuanus Princeps.

IV. Kal. Julii *th.* Maria Turritanorum Regina.

III. Kal. Julii *th.* Domnus Gentilis Neapolitanus Archiepiscopus, & Monachus.

VIII. Idus Julii *th.* Domnus Eugenius III. Papa.

XVI. Kal. Augusti *th.* Robertus Guiscardus Dux.

V. Kal. Augusti *th.* Leopoldus Dux Austriæ, & Stiriæ.

VIII. Idus Augusti *th.* Carolus Ungariæ Rex Anno Domini MCCXCV. VIII. Indict.

XI. Kal. Septemb. *th.* Domnus Gregorius Papa IX.

III. Kal. Septemb. *th.* Domnus Alexander Papa III.

Kal. Septemb. *th.* Adrianus Papa IV.

Non. Septemb. *th.* Rogerius Comes Tusciæ.

* *Hoc est, obiit. Nam Nota hæc th. in judiciis Thanaton idest mortem significabat, ad quod allusit Satyrographus. Et potis es nigrum vitio præfigere Theta. Mortem igitur sive obitū in hisce etiam emortualibus Indicibus significat.*

XVI.

XVI. Kal. Octob. *ob.* Victor Papa III. qui & Desiderius, Abbas hujus loci.
VIII. Kal. Octob. *ob.* Innocentius II. Papa.
III. Non. Octob. *ob.* Henricus Imperator.
VI. Idus Octob. *ob.* Amfusus Capuanus Princeps.
XIV. Kal. Novemb. *ob.* Bonifacius Papa VIII.
VIII. Idus Novemb. *ob.* Ayglerius Archiepiscopus Neapolitan. & Monachus.
XVI. Kal. Decemb. *ob.* Gulielmus Rex Siciliæ.
XIII. Kal. Decemb. *ob.* Constantia Imperatrix.
XII. Kal. Decemb. *ob.* Jordanus Princeps.
III. Non. Decemb. *ob.* Anastasius III. Papa, & Lotharius III. Imperat.
VII. Idus Decemb. *ob.* Otho Imperator.
XIX. Kal. Januar. *ob.* Callixtus II. Papa, & Agnes Imperatrix.
XIV. Kal. Januar. *ob.* Urbanus V. Papa, & Jordanus II. Princeps.
Prid. Kalend. Januar. *ob.* Domnus Odilo Cluniacensis Sacerdos, & Abbas.

Ex altero Emortuali præfixo Cod. m. s. ejusdem Bibliothecæ num. 334.

VI. Idus Febr. *ob.* Helbiria Regina, uxor Magni Regis Siciliæ & Apuliæ.
VIII. Kal. Martii *ob.* Rogerius Dux.
III. Kal. Martii *ob.* Rogerius Rex Siciliæ.
X. Kal. Julii *ob.* Rogerius Comes Siciliæ.
XVI. Kalend. Augusti *ob.* Robertus Dux Apuliæ.
VII. Kal. Augusti *ob.* Kuraza mater Madii Magni Ammirati Ammiratorum.
III. Idus Augusti *ob.* Drogo Comes.
VI. Idus Septemb. *ob.* Leo, pater Ammirati Ammiratorum.

CA:

CAMILLI PEREGRINII
CASTIGATIONES IN CHRONICON
ANONYMI MONACHI CASINENSIS.



Ni Anonymo, Casinensi Monacho, universum hoc adscribitur Chroniconicon, quod ab anno Christi millesimo nulla satis congrua, quam cognoverim, occasione deductum, ad annum pervenit 1212; Autorisque sui nullo nomine prodito, est non in uno ejusdem Monasterii manuexarato Codice, sed nec integrum, nec ad eandem prorsus normam, descriptum. Namque ejus pars, quæ ad annum pertingit 1152. in Codice habetur signato num. 47; librarique sanè errore ab anno 1034. ad finem usque fœdissimam, ac ferè perpetuam unius anni anticipationem fovet. Subsequentem verò partem ab anno 1154. ad annum 1195 Codex exhibet signatus num. 199, qui simul anteriora illa continet ab anno millesimo, non tamen eadem prava annorum consignatione perturbata: quippe qui recentius, nec ineptè, fuerit ut plurimum castigatus, sicut frequentes in eo rasuræ lincisque, quibus oportuit, nova superinducta scriptura demonstrant. Postrema tandem para scripto Codici adsuta est Chronicorum Leonis Ostiensis, & Petri Diaconi, quæ non ab anno 1195, ad quem subsistit modò dictus Codex 199, sed ab anno exorditur 1153 ita ut Actuarium, sive continuatio haud putanda illa sit Chronici descripti in Codice 199, sed Chronici in Codice 47: qualis planè esse videtur, eundem cum servet Prochronismum ad annum usque 1188, quo vitio, ut dixi, prior para illa in præfato Codice 47. simul laborat: ex occasione nimirum, mihi iterum in Serie Abbatum Casinensium, in Theobaldo exposita; quod *anni Dominicæ incarnationis, & indictiones, & cætera* (minio depicta) *quæ debuerant nigræ scripturæ* (scilicet singulis per singulos annos narratiunculis) *præponi, fuerunt postposita* ad jam dictum usque annum 1188; ad quem librarius hæc monuit his ipsis verbis; dicens insuper, subsequentia suo quæque loco fuisse descripta. *Dehinc verò*, inquit, *præponuntur anni Domini, & cætera*, nam anni etsi nullis eventibus clari, suo nihilo minus ordine notati ibidem fuerant Aspectus igitur, & ordo præfati Chronici in antiquis exemplaribus, omissa illorum munitiori, sed ad rem nihilo utiliori descriptione, est planè, quem dixi. Ex iis verò ejus editio, quæ adhuc unica habetur, subscripto ordine cum processerit; nempè para ejus, quæ ad annum pervenit 1152, cum fuerit deprompta ex Cod. 47; subsequens autem pars ad annum usque 1195 ex Cod. 199. reliqua tandem ex tertio superius dicto Codice manarit, factum hinc est, ut prior pars illa, ad sui Archetypi instar, malè consignatos annos nil melius repræsentarit; cætera autem pars, quæ ad exemplum Codicum notæ melioris expressa est, haud talem contraxerit deformitatem. Sed utinam priscus librarius, qui ex deperdito nunc Autographo novum ante alios omnes exscripsit exemplum; sive illud hoc fuerit, quod in Codice habetur 199; sivè aliud (nam exemplum in Codice 47. exaratum ex alterutro effluxisse videtur, quod ulterius producendum quoque fuerat, sicuti adsutæ ibi, consuetisque lineis interstinctæ, scribendoq; accommodatæ membranæ, quæ nunc vacuæ, indicant: nec sanè Codex 99, & ipse olim mendosus, Prototypum dicendus) utinam, inquam, notulas ut reor, ad antiquissimi exemplaris oram postea descriptas, recens librarius in exaratum à se Antigraphum inducens, eas ad respondentes Christi annos attentiori cura retulisset; quam inconvenientiam non censor ille, qui annos in Cod. 199, paucis exceptis, ritè direxit, nec alius postmodum advertit; unde multa in annis disparata, absurdissimè simul congesta præsenti in Chronico nunc habentur, quæ minimè credam, à primævo ejus Auctore, viro non prorsus inerudito, adeò ineptè fuisse confarcinata. Sanè in Lupo quoque, nè aliena, remotioraque à nobis dem exempla, non semel hunc ipsum commissum errorem, suis locis probatum est; quod etiam de annotata ibidem collectione annorum ab obitu S. Martini ad annum Christi 916. sentiendum judico; quæ haud ab eodem Auctore, genere Apulo, sed ex Francorum more à viro Franco ad oram prisci exemplaris fuerit, procedentibus annis, exarata; exque Codice illo in alios dein manarit. Verùm quid te diutius moror. Nostri nè Casinensis Anonymi, quæ nunc habentur in membranis exemplaria, alia aliis vicissim cum sint pinguiora, non id clarè probant? ipsa nimirum à suis librariis, sivè ab iis, qui denuò hoc opusculum describendum curarunt, pro arbitrio fuisse quà aucta, quà decurtata? Chronicon sanè metipsum ad annum usque 1137. ex Ostiensis, & Petri Diaconi Chronicis desloratum, nec ab unico continuatum Casinensi Monacho, observatu difficile non est; quod periade est, ac variè

à va

à variis fuisse acceptum; nam quisquis illud ad annum produxit 1195 Casinensem Abbatem Roffridum, tunc viventem, absolutè *Abbatem* appellat, secus autem, qui annos supplevit ad 1208, qui *Domnum* illum, & *nostram Abbatem* dicit. At reliquos quatuor annos neutrum, sed tertium quendam Monachum habuisse existimo adnotatorem; qui primi continuatoris morem sequutus, nec præmemoratum Roffridum, nec ejus successorem Petrum honestiori alio, quam simplici *Abbatis* titulo condecorat. Hanc porrò auctorum multiplicitatem ex aliis etiam probare possem adminiculis, sed id tanti non est; eruntque hæc ad rem præsentem satis.

Ann. 1001. *Objit Otho tertius Imperator Sutri, &c.*] Ostiensis lib. 2. cap. 24. obiisse dicit Othonem *apud Paternum, non longè à Civitate Castellana*, sed annum non admodum clarè prodit; cui de loco consentiunt plerique alii antiqui, de anno nihilominus subscribentes huic Anonymo. Alii tamen ab his discrepant, quos sequitur, ac tuetur Baronius, defunctum illum perhibentes anno sequenti. Sed Auctorum non semper nunc observo discrepantias, qui exules, exoletasque studiosius aucupor lectiones, & fugitivas. Hoc non prætercam, in Codice 199 deficere tò. *Sutri*: in quo etiam deficiunt nonnulla deinceps alia, quæ Codex habet 47, locis infra descriptis, eaque hoc loco congerere, opportunum duxi. In Codice igitur 199. hæc desiderantur Ad an. 1010. *Objit Joannes.* &c. ad an. 1022. *objit Athenulphus Abbas.* ad an. 1066. *Campaniam.* ad an. 1089. *B. Martini.* ad an. 1093 *Ecclesia S. Andreæ* &c. ad an. 1107 *Castrum Terami* &c. ad an. 1125 *Castellum Sain* &c ad an. 1129. *ivit* ad an 1136. *pænè totam quatuor.* ad an 1145. *apud.* ad an. 1146. *alii à Turcis occisi sunt.* ad an. 1150. *objit Sybilia Regina* ad an. 1151 *multi, &c.* ad an. 1152. *Sol passus est Eclypsim.* & infra *Rex Hierosolymitanus cepit Civitatem Ascolanam. Rex Rogerius*, &c. Item deficiunt ista alia, quæ tertius Codex habet. Ad an. 1158. *Casinensis* ad an. 1162. *Rex Siciliæ.* &c. ad an. 1176. *Andriæ.* & ad an. 1183. *Ecclesiæ.* Hæc curiosius notare non piguit, ut haberes, quæ quibus differant utraque scripta hujus Anonymi exemplaria, nam editus Codex affixo indicavit signo salutis †. quæ non sunt in Cod. 47. utque ex his noscas, quam variè, ut prædixi, præsens à librariis Chronicon fuerit acceptum.

An. 1001. Ex Cod 199. *Beatus Dominicus migravit ad Christum.*] Ipse falleris, non me fallis, Anonyme: ni tuus librarius, quod magis credam, sit falsi (saltem oscitantiæ) accusandus. Ostiensis sanè lib. 2. cap 60, ex quo tu ista, præfatum B. Dominicum, Monacum Casinensem, ad Dominum migrasse perhibet in anno 1031; idemque inedita acta ejusdem Divi, ac Petrus Diac. adstruit lib. 3. cap 39. bis. Manifestum adeo errorem nullus certè, nisi librarius, commisit; qui, ut infra alias sæpe, notulam ad antiquissimi exemplaris oram exaratam, novum in codicem intulit, & in locum non suum: quoniam scilicet illam inter binas columnas, ut loquuntur, defixam, qua forma præfatus Codex erat, ni fallor, descriptus: cum nesciret ad annum referendam 1031, ad respondentem ex adverso latere annum retulit 1001, qui in opposita columna erat notatus. Codex quidem Ostiensi, & Petro Diacono adsutus, ex amplissimis compactus membranis, etiam per columnas exaratus habetur.

An. 1004. *Terremotus ingens.* &c.] Ostiensis lib 2. cap. 25. id refert in annum octavum Abbatis Joannis, qui hic fuit Christi 1004. Vide Seriem Abbatum.

An. 1014 *Henricus Rex.* &c. *Et Pandulphus Princeps. . .*] in exemplaribus nullis est lacuna, quæ hanc plenam habent sententiam. *th. Pandulphus Princeps* hoc est. *Objit.* Symbolica igitur quæ erat obitus Pandulfi nota, cum visa fuisset. &. textum persuasit mêcum: de quo miror; nam Typographus cujusdem notulæ usurpatam significationem, quæ ab Lipsio De recta Pronunc. L. L. cap. 14, aliisque affatim exposita est, benè callens, ad an. 1077 obitum Richardi; ad an. 1104. obitũ Oderisii; ad an. 1117. obitum Paschalis; ad an. 1122. obitum Gerardi, & alibi pluries per. *objit.* expressit, qui per. *th.* in scriptis exemplaribus constanter fuerant demostrati. Sanè in Chronico Ciccanensi nondum edito, quod ex loco, ubi primum repertum, vocant Fossæ novæ, in quo alia multa totidem syllabis atque in hoc enarrantur, hæc ipsa de Henrici Regis coronatione & Principis Pandulfi obitu absque ullo defectu hoc anno habentur.

An. 1015. *Objit Domnus Henricus Imperator; & Pandulphus Princeps solutus vinculis, anno uno obsedit Capuam cum Grecis, & tandem recepit eam*] Scripta exemplaria. *vi recepit.* quibus favet Ostiensis lib. 2. cap. 57: sed per sesquiannum obsessam traditur: uter verius, dicam in Principum Capuæ Chronologia.

An. 1027. *Idem Pandulphus Princeps ingressus est Neapolis, & obtinuit eam anno uno, & mensibus quinque*] Ostiensis loco antedicto. *Tenuitque Neapolim Capuanus Princeps per annos fermè tres.* Igitur in Anonymo scriptum prius fuerat. *obtinuit eam an. II. & mens. V* altera autem unitatis nota in vetustissimo codice exoleta, recentiores librarii scripsere. *anno uno* &c.

An. 1033. *Solis pars maxima obscurata est in ipsa festivitate S. Petri*] *Ex certa Astronomicarum Tabularum observatione*, inquit Baronius ad an. 1033. num. 9, *constat hanc Solis Eclypsim contigisse hoc anno, 3. Kal. Julii, ipsa die Apostolorum Petri, & Pauli:* ut eam Glaber Rodulfus consignavit lib. 4. cap. 9. Dein Helgaldum reprehendit, ac Sigebertum, illam referentes ad an. 1031. Et Astronomorum quidem calculos pro Glabro ibi, ac pro nostro Anonymo hic stare, negandum non est. At Glaber nec sibi de anno prædictæ Eclypsis ad modum constare, hinc intelligi potest; quod ipse antedicto loco tradat, iterum quoque *post annos IV* (scribe. *VI.* hoc est in an. 1039.) *factam Eclypsim Solis, undecima die Kalendarum Septembrium, feria 4; hora 6. atque Luna, ut semper fit, vice-*

more repetebantur, non curabant Remenses. Ex hoc itaque ritu coronatus est Capuæ Conradus. Sed quod noster addit de reconciliato tunc Episcopo Atenolfo, id accipe de Campano Archiepiscopo eo nomine appellato, quem Princeps Pandulfus 4. ut perhibet Ostiensis lib. 2. cap 64. olim *carceri mancipaverat, præfatus autem Imperator sedi suæ restituit*; sivè ut Historiæ Neapolitanæ Latinus Auctor, ubi de Capuæ Archiepiscopis pag. 865. exposuit, *Archiepiscopum fecit, & elegit*. pro se Cavense ineditum laudant Chronicon, in quo tamen nil tale.

An. 1041. *Luna XIII. obscurata est per quinque horas, V. idus Febr cum nulla nubes appareret in Cœlo*] Scripti Codd. *V. idus Januarii*. Sed annus certè ex more anticipatus in Codice 47. restituendus est 1042, ut habet Codex 199. Præsens autem Lunæ deliquium haud ex luminarium oppositione factum videtur; siquidem frustra, ac falsò obscurata ea diceretur, *cum nulla nubes appareret in Cœlo, essetque decima tertia*. Astronomi sanè docent, meritò Plinius lib. 2. ca. 13. *Lunæ defectum non fieri, nisi plenæ, semperq; citra quam proximè fuerit*

An 1049 *Hoc anno Leo Papa ordinatus est.*] Alii etiam antiqui, ipseque Ostiensis lib. 2. cap 80. & seqq; quo auctore usus est hic noster, electum Leonem tradunt descripto anno 1049. Anonymus tamen novam hac vice tenens supputationem, in Codice 199 annum electi Leonis designat 1050. qui in Codice 47. est 1049. more ibi consueto.

An. 105 . *Guaimurius Princeps interficitur, & Bonifacius Marchio.*] Alter Salerni Princeps, alter Mantuæ Marchio. Utriusque autem cædes in Cod. 199. ad an. notatur 1052. quo Hermannus Contractus rei gestæ coævus Bonifacium peremptum prodit. Sed Guaimarium tunc quoque nece sublatum Chronicon exponit Cavense, quod etiam ex Ostiensi intelligi potest, perhibente l. 2. c. 84. *eodem anno illum occisum, quo inter Leonem 9. & Henricum i factu est commutatio de Benevento, & Episcopio Bambergensi*; quæ ex præfato Hermanno in exeuntem an. 1052. est referenda. Sed de his alibi.

An. 1061. *Alexander Papa ordinatur Richardus intravit Capuam, & factus est Princeps XII. Kal Junii*] Nicolaus in anno decessit 1061, extremo, ut volunt, Junio; cui subrogatus est Alexander post tres circiter menses, quod tradit Ostiensis lib. 3 cap. 21. Noster igitur more non suo, sed sui librarii, annum anticipans, obitum cum notasset Nicolai ad annum 1060, electionem Alexandri minimè in sequentem debuit referre. Qui anno etiam citius Richardum ex Aversæ Comite Principem Capuæ factum prodit; namque illo in anno 1058. ut ex antiquis Tabulis, & ex Romualdo Salernitano manifestum est, Capuam, sed limitata quadam potestate, obtinuit: plenissimè autem in anno 1062, quod Anonymus hoc loco notat, fusiusque Ostiensis lib. 3. cap. 16. perhibens simul, Richardum à Nicolao 2. apud Melfiam, Apuliæ urbem, Concilium celebrante in anno 1059. Capuæ Principatum obtinuisse. *Iisdem quoque diebus*, inquit, *& Richardo Principatum Capuanum, & Roberto Ducatum Apuliæ, & Calabriæ, atque Siciliæ* [intellige citra Fretum] *confirmavit, cum Sacramento, fidelitate Romanæ Ecclesiæ ab eis primò recepta*. &c. *Confirmavit*, inquit, quod noto, nè rem secus ac gesta traditur, quis capiat, hujus scilicet verbi usus frequenti tunc usurpatione; qua dicebant. *firmari*, & *confirmari*, quod firmiter, vel in perpetuum possidendum concedebatur: idem enim est *perpetuum*, quod *firmum*; quocirca ipsa concessionum Præcepta passim *firmitatis apices* olim appellata, ipseque subsignandi actus, uti nunc etiam vulgò, per *firmare*, & *confirmare* exponebatur: nempè quod scriptione firmarentur, perpetuoque mansura fierent ore promissa. Ostiensis lib. 1. cap. 18 *Princeps Radelchis, & Siconolphus Pactum divisionis Principatus inter se firmantes* &c: Capitulare demonstrans à me in Historia Principum Langobardorum evulgatum Falco Beneventanus ad an. 1121. *Pontifex Callixtus consilio invento, Salernum ivit quinto die intrante mensis Septembris, ut pacis firmamentum cum Duce Guillelmo, & Rogerio Comite confirmaret*. Et ut innumera alia exempla missa faciam, in Epistola etiam Episcoporum ad Regem Ludovicum inter Capitula Caroli Calvi num. 13 § 8 *Capitula, quæ habemus cum vestris fratribus, accepistis, & in Chirographo apud Marsnam manu propria confirmastis. Contra quod si forte aliquis egit, non propterea vos immunes eritis, si illud, quod teste Domino pepigistis, & confirmastis, observare, quod absit, non studueritis*. Sed hoc ex Sacræ scripturæ manavit fonte; in qua *confirmare sermonem, verbu, petiones*, & hujusmodi alia multa in eadem sententiam est observare. Unicum Regii Prophetæ non omittam locum Psalmo 116, quo Gentiles, & Judæos invitat Psaltes ad collaudandum Dominum; *quoniam* inquit, *confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum*. Nam appellatione, *confirmatæ misericordiæ* Cristus Jesus demonstratur, promissus Patribus, ut exponit Apostolus ad Rom 15. Dico, inquit, *Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum* &c.

An. 1060 *Stella Cometes apparuit. Gotfridus Dux cum exercitu venit Campaniam usq; Aquinum. Richardus Princeps Terram Marsorum intravit.*] Præpostero ordine Anonymus ista, nec scio an ex librarii culpa. Ostiensis sanè lib. 3. cap. 15, qui eadem fusius, nullo tamen anno exposito, Gotfridum Tusciæ Marchionem, alias Godefridum (fuit hic Dux quoque Lotharingiæ) adversus Richardum Romanam Campaniam, Romæque vicina loca invadentem processisse tradit, sed tandem cum eo concordatum *ad Pontem S. Angeli*,

geli, qui dicitur Todici. Plura ubi vide. Lupus Protospata Richardum intrasse Terram Campaniæ, obsedisse, ac comprehendisse Ciperanum, & devastando usque Romam pervenisse in anno 1066. est auctor; quo etiam anno insignem apparuisse Cometem per totam hebdomadem Paschæ, alii quoque antiqui tradunt. Dein itaque in anno 1067. Gotfridus Richardo obviam venit, qui annus Anonymo nostro ex consueta anticipatione est 1066. Cæterum quod Ostiensis de Gotfridi Marchionis munere ibi perhibet, nimirum consuevisse illum quoties ex Transalpinis regionibus *Rex Italiam deberet intrare, cum sua militia Regem præire*, ex parte etiam tangit Nicephorus Gregoras lib. 7; sed Marchionis dignitatem exterens, ac Græcus scriptor non benè callens. *Marchiones*, inquit, *qui non clari sunt apud Latinos, cum dignitatis gradum tenent, quem apud Romanos* Græcos uc appellat) *is qui vexillum imperatoris gestat*. Et infra. *Marchioni perpetuum munus attributum, ut novo imperatori vexillum præferat*. Marchiones quidem haud magno in honore primitus fuere, utpotè nec inter potestates, nec dignitates connumerati, quales soli Reges, Duces, vel Principes; atque Comites; sed tandem & ipsi in dignitate.

An. 1071. *Ecclesia nova S. Benedicti dedicata est ab Alexando Papa, die Kalendarum Octobrium cum quinque Altaribus sanctis*] In Codic. 47. annus notatur 1070, qui in Codice 199 est 1071, itemque in Ostiensi lib. 3. cap. 30. à quo perhibetur, Kalendas Octobris eo anno incidisse in Sabbatum, quod verum. Manifestum errorem in re celebri facile advertit, castigavitque qui hujus Chronici editionem curavit Caracciolus. Scribendum tamen erat. *Cum quinq; altaribus non suis*. non. *sanctis*. ad finem scilicet utriusque manu exarati Codicis.

An 1075 *Venit hoc anno Robertus Dux super Salernum* &c] Annus ad Anonymi mentem restituendus 1076. quem Codex 99 designat, eundemque adstruit Romualdus Salern. sequentem verò Lupus, qui audiendus non est, ut ibi dixi. Sed de his plenius alio loco.

An. 1076. *Hoc anno Richardus Princeps cæpit obsidere Neapolim principio mensis Maji.*] Non hoc anno, sed sequenti obsessam à Campano Principe Neapolim, notant Codex 199, Romualdus Salern; & Chronicon Cavense. At Codex 47, & ex eo editus, suum servante errorem. Vide quæ de his, deque obitu Richardi dixi ad Lupum, nè actum hic agam,

An. 1083. *Idem Rex à quibusdam Romanis intromissus*. &c.] Scripti Codd. *Idem Rex Romam à quibusdam Romanis* &c.

An. 1087. *Otho Ostiensis Episcopus in Papam Urbanum eligitur IV. Idus Martii*.] *Quarta feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ, octavo scilicet Idus Martii congregati sunt apud Tarracinam, Campaniæ civitatem* Ecclesiæ Ordines pro eligendo Romano Pontifice Victoris tertii successore; electusque tunc est Urbanus 2. *subsequenti die Dominico, 4. Id Martii*, ut tradit Petrus Diac. in Auctar. ad Ostiensem lib. 4. cap. 2. quem Anonymus hic noster ab anno 1075, & in subsequentibus habet Auctorem. Quadrant ista omnia in annum 1088; quod noto, ut commissum semel in hoc Chronico Procronismum constantissime fuisse observatum pateat.

An 1089. *Ecclesia S. Martini dedicata est*. &c. *Obiit Jordanus Princeps*.] In Serie Abbatum Casinensium, ubi de Odorisio, dictum est, Ecclesiam S Martini dedicatam anno 1090. *Perque idem tempus*, inquit Petrus Diac lib 4. cap 10, *Jordanus Princeps cum universam ferè Campaniam à jure Sedis Apostolicæ subductam in deditionem accepisset, apud Pipernum vita decessit*. &c. Obiit itaque Jordanus jam dicto anno, quod Lupus quoque perhibet; atque ut Campana Emortualia notant, 13. *Kal. Decembris*, Casinense die sequenti; Campani autem ineunte novo anno 1091. adversus Richardum 2. ejus filium rebellarunt, sed Anonymus noster utrumque annum ex librarii errore antevertit. Romualdus Salernitanus defunctum dicit Jordanum *Indictione* 14. scilicet inchoata, *anno Principatus* 13 nempè à morte Richardi patris, eodemque non exacto; apud quem annus Christi unitate excedit, restituique debet *MXC*, qui in calamo exaratis exemplaribus est *MXCI*. Auctor Chronici Cavensis, simulque alter Chronici Ceccanensis Auctor, dum calamo percunt, in unum eundemque annum, & Jordani mortem, & Campanorum defectionem retulere; ille in annum 1091; hic in antecedentem.

An. 1090. *Castrum Fratta à Normannis furatur* &c.] Scripti Codd; unàque Descriptio consecrationum Ecclesiarum Casinensium habent. *furatum*.

An. 1093 *Ecclesia S. Andreæ Apostoli* &c.] Vide Seriem Abb Casin. in Oderisio.

An. 1094 *Stellæ de cælo innumerabiles quasi pluere mense Aprili*, &c.] Typographi sanè defectum facilè supplebis ex scriptis Codd. *quasi pluere visæ sunt, mense Aprili*. &c. At annus Christi notandus 1095. tum ex Lupo, Sigeberto, aliisque, qui annus restituendus etiam est in Fragmento Historiæ Francorum à Roberto ad mortem Philippi Regis; tum ex Petro Diacono lib 4 cap 11. *Anno autem*, inquit, *Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo quinto, Prid. Non. Aprilis, quarta Feria post octavas Paschæ* (eo anno litera Dominicalis fuit. G. Pasche verò vigesima quinta die Martii) *à quarta fermè vigilia noctis usque in crepusculum stellæ innumerabiles de cælo versus occidentalem plagam ubique terrarum cadere visæ sunt*.

An 1096. *Stellæ Cometes apparuit. Hoc anno Urbs Antiochena à Christianis capta est tertio Non Junii, quinta Feria*.] Non repetam, quæ ad Lupum dixi de anno captæ Antiochiæ. Hoc addam, minimè ab Sigeberto, non, nullis-

nullisque aliis, ut ab Lupo, nostroq; sit Anonymo, nec non ab Petro Diacono lib. 4. c. 16; ejusce urbis expugnationem in eundem annum referri, quo visus est Cometes mense Octobri, sed in annum sequentem, Christi nimirum 1098. Addam insuper, præsentem in Codice 47. & in hoc typis evulgato annum 1096. esse 1097. in Codice 199: ad Auctoris scilicet, ut solet, mentem; qui Antiochiam anno expugnatam 1098. retulit ad antecedentem, Petrum Diac. sequutus, annos eo loci deducentem ab Christi Nativitate, qui ducere illos consuevit ab Incarnatione: pravè. n. ejus Codices editi, ineditique pro anno 1097. annum nunc repræsentant 1096, in eundem videlicet, & concessionem referentes Comitissæ Aldelgrimæ, & quæ ibi, & Cometes apparitionem, victoriamque de Antiochia à Christianis susceptam.

An. 1097. Civitas Hierusalem capta est à Christianis idibus Julii. Dux Rogerius cum Comite Rogerio Capuam per quadraginta dies obsidentes receperunt, & Richardo Jordani filio restituerunt. Eo anno via ignea per totam noctem in cælo apparuit V. Kal. Octobris.] De more annum anticipat Codex 47. & ex eo editus. Non sic Codex 199, in quo ista sub anno sunt 1098. Et sanè, quod ad Capuæ spectat expugnationem, omnino benè, ut pluribus ad Lupum est demonstratum. Idque non ut cætera alia ex Petro est mutuatus Anonymus, qui lib. 4 cap. 10. rem, non annum consignavit; & cap 16. Hierusalem captam, ac igneam in cælo viam noctu visam dixit *sequenti tempore* ab anno devictæ Antiochiæ, hoc est ab anno Nativitatis 1097, qui fuit Incarnationis 1098; nempè hujus verbi. *Incarnationis*. pro *Nativitatis* usurpatam in contexto custodiens acceptationem; quam nihilo minus non perpetuò servavit, sepè etiam tum in antecedentibus, tum in subsequentibus annos supputans ab Epocha Christi concepti, ut non uno constat experimento, deformens fovens, si cum aliis conferatur, inconstantiam. Hierosolymam sanè Christiani anno ceperunt 1099, ac die, quam Anonymus designat, Chronologis universis consentientibus. Cæterum his, quæ ad Lupum de poetica Torquati Tassii observabam fictione, dicentis Tancredum Boemundi nepotem octigentos è Campania, nec aliunde alios ad Hierosolymitanum hoc bellum equites duxisse, notula subjungenda in schedula mihi descripta, quæ Typographo omissa, haud commode tunc valuit, festinante prælo, suo loco reponi: eam nunc opportunè visum hic dare, quæ talis. Sanè si Fulconi in Hist. gestorum viæ Hierosolymitanæ sit fides, Itali omnes cis Alpes, nempè

„ —— *Ligures, Itali, Tusci, pariterq; Sabini,*
„ *Umbri, Lucani, Calabri simul, atq; Sabelli,*
„ *Aurunci, Volsci, vel qui memorantur Etrusci,*
„ *Quæq; etiā gentes sparguntur in Apulia rura,*
„ *Queis cōferre manus visum est in prælia dura;*
„ *Sub jugo Tancredi; & Boimundi corripuere,*
„ *Et contra fidei refugas patria arma tulere.*

idest sub utrinsque signis spontè militarunt. Vuillelmus etiam Tyrius lib. 1. cap. 13. ubi de eodem Boamundo. *Adhæserunt eis*, inquit, *& ejus Castris se adjunxerunt tam de Italia, quam de aliis Provinciis viri nobiles, & potentes plurimi*. Quamvis Robertus Monachus in Hist. Hierosol. lib 2. plures quidem confluxisse ad Boamundum, ac perinde ad Tancredum, sed non alios dicit, quam *opt mates Apuliæ, Calabriæ, ac Siciliæ*, hos scilicet *cum clientibus suis*, ut loquitur Ordericus Vitalis in Hist. Eccles. lib. 9.

An. 1098. Luna duodecima in ortu suo defectum passa. &c. Et Urbanus Papa moritur. Paschalis fit Papa] ista in Codice 47 more consueto, sub hoc sunt anno, quæ in Codice 199. sub anno sunt 1099. quo Urbanum 2. vita functum, eodemque electum Paschalem, certè non antè, consians est antiquorum omnium sententia. Petrus Diaconus igitur, qui lib. 4 cap 18. unà conspirantibus ejus omnibus exemplaribus, hæc retulit in annum *Dominicæ incarnationis* 1098. annos, ut iterum supra, auspicatus est ab Christi Nativitate, non autem ab Annunciatione; quam pariter servavit supputationem, annum consignans obitus Antipapæ Guiberti, de quo statim.

An. 1099. Guibertus Hæresiarcha invasor Romanæ Sedis moritur] Benè anno sequenti ab ordinatione Paschalis: sed Christi 1100, ut habet Codex 199: non 1099, ut Codex 47, & ex eo Editus. Quibus nil suffragatur Petrus Diac. lib. 4 cap 20. sivè 21, quin nec, ut volunt, Guiberti mortem anno millesimo centesimo posteriorem facit verbis illis, quæ in editione Veneta, ac Parisiensi diminute, in Neapolitana diminutè simul, ac depravatè, longèque aliter atque in manu descripto sunt Codice. *Porrò*, inquit Petrus in exemplari Cassinensi, *cum à Papæ Gregorii septimi decimus sextus, & Victoris tertii decimus quartus, & secundi Urbani transitu, ac subrogatione Paschalis secundi secundus jam annus esset elapsus, & ab Incarnatione Dominica centesimus, & nonagesimus nonus volueretur Guibertus Hæresiarcha invasor Romanæ Ecclesiæ vita privatus est*. Nam Petrus hoc loco, ut sæpe etiam in superioribus, annos Dominicæ Incarnationis non ab anno Christi concepti, qua Epocha alios Auctores mortem Guiberti in annum referentes 1100, malo ordine usos putavit; sed ab anno supputavit Christi nati: nempè eorumdem sic calligans quem existimabat errorem. Quam planè sententiam adscribendam illi esse, haud dubio (nec aliter ejus consistere poterunt dicta) qui tradat lib. 3, cap. 71. Papam Victorem 3. defunctum *anno Domini* 1087 (scilicet ab Incarnatione, qui fuit à Nativitate 1086.) verbis autem paulò antè relatis affirmet, revolutos ab ejusdem Victoris ad Guiberti decessum (hoc est ad annum, ut prædixi, Nativitatis 1099, Incarnationis 1100.) annos *quatuordecim*: in eadem nimirum hac summa ipso anno 1087. simul collecto. Sicuti eodem prorsus calcu-

landi modo ab obitu Papæ Gregorii 7. id est ab anno 1085, ad obitum Guiberti annos supputavit *sexdecim*; itemque ab obitu Urbani 2. à se descripto, ut superius exposui, ad annum Nativitatis 1098, Incarnationis 1099, colligit ad Guibertum decedentem *annos duos*, quem obiisse anno, sive dicas Nativitatis 1099, sive Incarnationis 1100, adeò claro pronunciavit sermone et virum demirer magnum asserentem, Patrum retulisse Guiberti mortem ad an. 1101. A qua nec stat, ni fallor, sententia, ut putant, Dodechinus in vita Comitissæ Mathildis, tradens præfatum Antipapam, qui

„ —— *per viginti tres annos denique Christi*
„ *Ecclesiam nisi toto turbarat iniquus*,

defunctum,

„ *Post annos binos, Urbanus erat quod ab isto*
„ *Seclo portatus, cælique choro sociatus*:

Nam viginti tres annos motarum à Guiberto rerum non ab anno numerat, ut benè observavit idem vir clarissimus Baronius, quo ille sedit Pseudo Papa, quod contigit ab anno 1080; sed ex quo, ut reor, excommunicatus, atque ab Archiepiscopali dignitate in Romana Synodo depositus fuit, anno 1078, Catholicamque in Ecclesiam, & in Gregorium 7, ejusq; successores indesinenter exarsit.

An. 1105. Stellæ Cometes apparuit. Et Henricus Rex depugnatur. &c. Obiit Richardus secundus Princeps, Robertus fit Princeps] De anno obitus Henrici, deque Richardi in Serie Abbatum Casin. ast nonnihil dictum. Robertum autem Richardi fratrem, ac successorem administrationem quidam Principatus post ejus mortem, sed minimè Principis nomen illicò assumpsisse, ex antiquo Diplomate discimus, in Archivo Monasterii S. Laurentii Aversanæ urbis adservato; quod datum asseritur *Anno Dominicæ Incarnationis* 1106, *mense Aprili, per indictionem* 14. ejusque initio sic legitur. *Ego Robertus filius bonæ memoriæ Jordani Principis, Procurator scilicet Principatus Capuæ cum subscriptis Baronibus, & cæteris aliis per interventum Goffridi de Medania concedo*. &c. In Principem verò illum consecratum anno 1107, mense ferè Aprili (certè non antè Martium, nec post Majum) plures docent antiquæ Chartulæ alibi commodius producendæ. At Richardo 2. etiam vivante, Robertus Principatum videtur concupitos; nam *anno 1104. surrexit contra Principem germanum suum*: quæ sunt verba in Chronico Ceccanensi anno prædicto. Nec melioribus est ille artibus, Richardo defuncto, Capuam adeptus; quippè (sic in Chronico Cavensi) *Anno MCV.* (scribo *MCVI.*) *Richardus Princeps, filius Jordani obiit. Robertus filius Jordani invasit Capuam, & ex parte eam succendit, nocte 4. Idus Januarii*. Nimirum Richardo eodem mense, ut Romualdus Salernitano. auctor est, vita functo, Campanos itaque inopino incendio perculsos (quo pariter stratagemate usus olim Richardus primus, atque Henricus Imp; ille Teanum, hic Romam subegit, ut apud Ostiensem observo lib 3. cap. 16. & 52.) facilius in Roberti potestatem devinisse, non insolens suggerit conjectura.

An. 1110. Henricus prædictus Rex cum magno exercitu Romam veniens, Paschalem Papam cum multis aliis capit; ad ultimum coronatus abscedit &c.] Scripti Codd. *ad ult. sine facto coron. absc.* Sed Codex 47. more suo hæc anno citius; Codex verò 199. ad an. 1111; ad quem etiam eadem referunt summa concordia antiqui Auctores omnes, & quod mireris, Petrus ipse Diaconus lib. 4. cap. 35. qui suo illo jam dicto calculo per integrum annum solebat præire. *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis 1110, Indictione 3.* (incidit hæc sanè Indictio in annum, quam à Nativitate dicimus 1110.) *mense Junio, sexto ejusdem, Stella Cometes apparuit*, proximo autem cap. 36. tradit Henricum adventisse Romam 3. *Idus Februarii* (scilicet sequenti anno 1111.) *Sabato scilicet ante Quadragesimam*, Quo charactare manifestissima annum à Christi Nativitate designat 1111. Hanc viri inconstantiam superius dolebam, quæ infra iterum vos vexabit.

An 1114. Gerardus Abbas oppidum Suivum acquisivit. &c] Nè cuio viro docto legendum crede *Supinum*. Sed. *Suium.* ut scriptua utarq; Anonymi Codex, itemque Petrus Diac. habet lib. 4. cap. 54. oppidulum nimirum, quod est ad Lirim flumen, vulgo *Suio*; ubi calentes aquæ, de quibus expiandus Plinius lib. 2. cap. 103. *Sed & fontium*, inquit, *plurimorum natura mira est fervore; idque etiam in jugis Alpium, ipsoque in mari inter Italiam, & Aenariam, ut in Bajano sinu, & in Liri fluvio, multisque aliis*. Nescio an ex his aquis idem *Liris sulfureus* dictus sit Silio Italico lib. 8; apud quem lib. 12.

„ —— *fumantem texere gigantæ Fregellæ*.

urbs scilicet & ista olim ad Lirim, sed supra Suium (ipsique Silio supra Aquinum, nè mi- rcuissa eum credas loca) ad Septemtrionem mill. pass. plus minus 18; fumantem enim Gigantem ab urba Fragellis comprimi, ac tegi, id valet juxta consuetam antiquis fabulationem, quod locum suapte natura subterraneos, ceremnalque alere ignes; ex quibus quidem ignitis locis tum sulfureos odores, tum fervidas emanare aquas, experimento non uno constat. Sed redeo ad Petrum Diaconum, in cujus Casinensi exemplari, & in editione Neapolitana acquisitum legitur Suium à Gerardo, *cum jam ab Incarnat. Domini annus millesimus, centesimus, ac quintusdecimus elaberetur, undecima Kal. Mar ii.* ad quem simul annum id descriptum habetur in Cod. 199. At ille *elabentem* appellans annum, qui ad undecimus Kal. Martii pervenerat diem, ab eodem mense annos Christi se ducere, atque ab ejus Incarnatione strictissimè accepta, aperit quam manifestissimè; quam pariter servat supputationem cap. 55; celebratam perhibens à Papa Paschali 2. Trojanam Synodum *sequenti an-*

ti anno post receptum ab Abb Gerardo antedictum oppidum Suium; nempè anno 1116; cum tamen acta illa fuerit, Petro metipso consentiente, anno 1115, ut dicam ad Falconem.

An. 1118. *Objit Gelasius Papa. &c. Guido Viennensi Episcopus; &c*] Scribe, ut in utroq; manu exarato exemplari. *Viennensis Archiepiscopus.*

An. 1119. *Idem Papa* (Callixtus) *Romam veniens, honorificè exceptus est. Objit Robertus Princeps, & Richardus filius ejus augitur. Quò paulò post mortuo, Jordanus patruus ejus fit Princeps Terremotus magni. &c.*] Romam advenit Callixtus, nemine ex antiquis discrepante, anno 1120, nec aliter in Codice 199; in quo æque ac apud Petrum Diac. lib. 4 c. 65. fine, Roberti etiam Campani Principis mors, Richardi filii ejus subrogatio, ac cætera superius descripta sub eodem habentur anno nunc dicto. Falco & ipse utrique consentit, qui nil de Terræmotu.

An. 1120. *Calixtus Papa Bardinum apud Sutrium captum, apud Cavas custodia mancipavit.*] Jam nil dicam de anno capti Burdini, nam piget de commisso à librario in hoc Chronico Proconismo totiens te admonere. Quod noto, hoc est; à nemine diligentius, quam ab nostro Anonymo loca descripta, in quibus Burdinus in vinculis detentus, ac levatus est, Apud Cavas custodiæ mancipatum illum nunc perhibet; inferius dicet translatum in Janulam (Arcis id nomen, quæ in declivi Casini montis Sancto Germano imminet) ac tandem in Fumonem. Petrus Diac lib. 4. cap 68. nil de Cavensi custodia, nec Sugerius in Ludovico Rege; sed uterque tantum de Janula. Scriptus autem Vaticanus Codex apud Baronium nil de Janula; quin de arce Fumonis ad Cavense Monasterium dictum Burdinum notat, non è contra

An. 1122. *Objit Gerardus Abbas, & Oderisius fit Abbas. Stella innumeræ quasi pluere visæ sunt Prid Non. Aprilis, hora matutina*] Hæc in Codice 199. ad annum sunt 1123. Et Gerardi sane obitum, Oderisique subrogationem haud alio anno contigisse (vel ad Petri Diaconi mentem) in Serie Abbatum Casinensium exposui. Qui tamen Petrus lib. 4. cap. 81 Editionis Venetæ, & Parisiensis, atque in Codice manu descripto, stallas cadere visa dicens, tempore Abbatis Oderisii in anno 1121, annos Christi ab Epocha sibi pluries observata non duxit, sed consueta incostantia annum antevertit, nulla coactus necessitate. Quem pariter Procronismum commisit cap. 84. juxta præfatarum editionum descriptionem, atque Codicem Casinensem; tradens Castrum, sivè Oppidum *Pica* ab Abb. Oderisio receptum *in anno Domieicæ incarnationis millesimo centesimo vicesimo tertio*; eidemque Abbati deinde confirmatum à Capuæ Principe Jordano, literis commonito Papæ Callixti, sub ipsis fermè dibus obitus ejusdem Papæ, qui è vivis discessit mense Decambri, anno 1124. Principis autem de eadem hac re Præceptum in Registro sane à Petro metipso exorato pag. 317. à tergo, datum legitur *anno 1125, mense Februario, indict. 3. anno sui Principatus quinto.* Quæ omnia Anonymus in Codice 199. congruè ad annum notavit 1124. sed nil de Præcepto Principis.

An. 1125. *Odorisio à Papa excommunicato &c. Castellum Sulu à filio Richardi de Aquila occupatur*] De his Petrus Diac. lib. 4. cap 83. & seqq. sed annum nullum manifestè exponit. In Cod. 199; & in Serie Abbatum à me descripta hic annus est 1126. *Suiu* autem (Castellum scilicet, de quo dixi ad an. 1114.) non *Sulu*. scribendum monui ad Lupum an. 884 quo Petri Diac. etiam dictis relato nunc loco firmatur.

An 1126. *Castellum novum à Landenulpho de Spinio occupatur. Castrum novum recuperatur; Odorisius Abbatiam foris jurat. Castrum Terellæ ædificatur. Nicolaus expellitur Senioreetus fit Abbas Dux Gulielmus, & Jordanus Princeps objerunt. Robertus fit Princeps*] Uterque scriptus Codex post Castrum novum occupatum à Landonulfo, qui est *Adenulfus* Petro Diac. lib. 4. cap 91, addit. *Castrum Pica redditur*; eodem teslante Petro ibidem. Sed Codex 47. annum præveniens, hæc ad 1126, alter ritè ad an. 1127. refert In Serie quidem Abbatum probatum est, Oderisium 2. depulsum an. 1126; quem sequenti anno Abbatiam foras jurasse, vel ut Petrus Diac. habet lib. 4. cap 92 *in manu Romani Apostolici illam refutasse*, rerum deinde gestarum series dictat. Eo etiam loco exposui, Abbatem Nicolaum dicto anno dejectum 1127. Nec Ducem Apuliæ Guilielmum alio defunctum anno, Capuæque Principem Robertum 2. patri Jordano successisse, ex Falcone, ut antiquas nunc non recitem Chartulas, est manifestum. Omittendum tamen haud judicio, à Petro Diac lib 4. cap 96. in editione Neapolitana, & in exemplari Casinensi annos præfato Duci adscribi *ferè XVI.* (Chronicon Salernitanum à me editum tribuit 17: puta inchoatos) quos priores ejus editiones depravatè præseferunt *XII*; siquidem Guilielmus post patrem Rogerium defunctum 8. Kalen. Martii, anno 1111, objit 17. Kal. Augusti, anno 1127.

An 1128. *Rogerius Dux cepit Trojam, & ferè totam Apuliam, Ec Capuanus Princeps illi hominum fecit.*] Nil de his Petrus Diaconus, quæ aliter ex aliis est mutuatus, & in Codice 199. ad annum adnotata habes 1129. De capta autem Troja ab Apuliæ tunc Duce, eodemque Siciliæ Comite Rogerio Alexander Telas, lib 1. cap 18. 19 & 24; quo postremo loco de *hominio* etiam ei facto à Capuæ Principe Roberto 2. his verbis. *Tunc temporis*, inquit, *& Robertus Capuanorum Princeps solo nominis sui terrore constrictus, suo subditur dominio.* Nè tamen credas, Principem spontè, nullaque coactum necessitate

Ro-

Rogerio se subdidisse, in quem ille jura dominii sibi ex Apuliæ olim Duce Rogerio, Roberti Guiscardi filio, nata reposcebat; nam Princeps Richardus 2. in anno 1098. *causa auxilii*, ut Gaufredi Malaterræ dicam verbis lib. 4. cap. 26. *quod ab ipso sperabat* (nempè ad Capuam recuperandam) *homo Ducis factus fuerat*. &c. At Telesinus definitum repetitæ hujus deditionis annum etsi non exponit, à nostro nihilominus haud abit; uterque enim Auctor perhibet, Rogerium statim post desponsam sibi à Campano Principe subjectionem, Ducis, Comitisque nomen, & dignitatem sprevisse, seque in Regem coronari, atque inungi curasse, in anno 1130, auctoritate accedente Pseudopapæ Anacleti 2. qui eodem anno, 16. Kal. Martii Romanam sedem invaserat, Beneventique constitutus 5. Kal. Octobris Diploma subscripsit de Regio titulo Rogerio impertiendo. *Anacletus* (inquit noster in Codice edito, & in Cod. 47. ad ann. 1129; sed in Cod. 199. ad an. 1130.) *in Apuliam ivit, qui qui Ducem Rogerium Regem constituit*: scilicet deinde apud Panormum coronandum; in quam etiam sententiam Petrus Diac. lib. 4. cap. 97. capiendus est, cum dicit ab Anacleto tributam Rogerio coronam, simulque factum tunc ei Privilegium. Audi Falconem ad an. 1130. *Eodem anno*, inquit; *prædictus Anacletus venit Beneventum: deinde Abellinum civitatem ivit* (medius hic est locus inter Beneventum, & Salernum, è qua Dux digressus advenienti ad se Anacleto obviam est factus) *& cum prædicto Duce Rogerio stabilivit, ut cum Regem coronaret Siciliæ. Et his statutis, Anacletus ille Beneventum revertitur* (tunc itaque exaratum fuit præmemoratum Diploma) *& Dux ipse Salernum. deinde Siciliam remeavit. Anno igitur ipso prædictus Anacletus Cardinalem suum, Comitem nomine, ad Ducem illum direxit, quem die Nativitatis Domini in civitate Palermitana in Regem coronavit*. &c. Alexander etiam Telesf. lib. 2. cap 3. Rogerium dicto jam die apud Panormum solemnissima pompa Regem salutatum affirmat; ex quorum Auctorum consensu redarguas oportet, qui hæc bis acta tradidere: primum in anno 1129, iterum in an. 1130. fanè Rogerius Ducis adhuc titulo utebatur, cum *Privilegium fecit S. Benedicto per manum Guarnerii Mazariensis Decani in anno Domini millesimo centesimo tricesimo*, de quo Petrus Diac. lib. 4. cap. 96.

An. 1130. Rex Rogerius expugnat, & capit Amalphim] In Codice 199. hæc ad annum sunt 1131; quæ non alio tempore gesta, ex Falcone intelligimus: perhibente Regem Rogerium illico post coronationem exercitu congregato Amalfim obsedisse, obtinuisseque. Verùm Falco ad annum id notat 1130, cum debuisset ad ineuntem annum 1131; quod factum scias, quoniam ipse annos à mense Martio auspicatur. Expugnata igitur fuit Amalfis per mensem, vel Januarium, vel Februarium, anno prædicto, qua subacta, inquit Alexander Telesf. lib. 2. cap. 11; *Rogerius victor Salernum revertitur*. Illuc Anacletus, Benevento discedens [manserat enim Beneventi, Conciliumque in Natali celebraverat] illum adivit, si Falconis rectè mentem capio loco relato. *Quibus omnibus*, inquit, *ita peractis, prædictus Anacletus die Kalendarum Martiarum Salernum ivit; deinde consilio accepto, Romam redeundi disposuit*.

An. 1131. Lotharius Rex venit Romam. &c. *Sol fere totus obscuratus à sexta hora usque ad nonam IV. Nonas Augusti. Rogerius Rex ingressus est Apuliam, & Comites Conversanensem, & Adrianensem exhæredavit*] Eodem anno, quo Lotharius Romam veniens coronatus est in Imperatorem à Pontifice Innocentio 2. Solis defectum 4. Non. Augusti, feria 6. hora 6. factum quoque ponit Robertus de Monte in Append. ad Sigebertum, sed ad Christi annum rejicit 1133; ad quem pariter annum hæc in Chronico notantur Ceccanensi, & in nostri Anonymi Codice 199; ibique Solem obscuratum perhibetur ab hora *septima*; itemque à Rege Rogerio *exhæredatos Comites Conversanensem, & Andrensem* [*Andrensem* etiam huic dicit Alexander Telesf. lib. 2. pluribus locis, nomineque *Gofridum*, qui Falconi est *Giffredus*] in Codice vero 47 *Comites Conversanenses*, numero multitudinis, ut apud Romualdum Salernit. *Rex Rogerius*, inquit, *iterum in Apuliam rediit* [scilicet anno sequenti postquam ad flumen Sarnum à Campano Principe Roberto, & à Rainulfo Comite bello victus in anno 1132. Siciliam se receperat] *Conversanenses obsedit, eorum Civitates, & castella viriliter expugnavit, & quosdam ex eis captos in Siciliam misit*. Ex genere itaque Conversanensium Comitum præter Tancredum ejusce Civitatis tunc Dynastam, prodiisse hinc intelligimus Alexandrum Comitem Materæ, & Goffredum Comitem Andrensem, sivè dicas Andriæ; in quos omnes Rogerium eodem hoc anno, quo Imp. Lotharius Romam advenerat, feliciter pugnasse, vinctosque eos Siciliam misisse, Goffredum scilicet, & Tancredum, Alexander Telesf. lib. 2. cap. 33. & seqq. atque Falco ad an. 1133. pluribus tradunt. Tancredo autem à Rege in anno 1132. Civitates, oppida dolo erepta, illumque ad transmarinas partes destinatum [Hierosolymam ad terminum statutum properaturum habet Telesinus lib. 2. cap. 21.] unàque prædictum Goffredum ad maximam afflictionem redactum, idem perhibet Falco, quæ alter modò laudatus Auctor non dissimulat, sed omnem rei gestæ invidiam in Comites multorum criminum reos convertit, quos in Regem iterum postmodum rebellasse, ultimamque rerum suarum cladem, Anonymo huic nostro præsenti anno descriptam, justè pertulisse, utpotè perjurii reos, exponit.

An. 1133. Robertus Princeps abiit Pisas. &c.] Princeps Capuæ Robertus bis Pisas petierat anno 1133. primum solus, secundum cum Pontifice Innocentio, mense Septembri. De his

Falco

Falco ad annum prædictum. In anno deinde 1134. illuc tertium profectus, à Rogerio interim Principatu est exutus, à quo Terra omnis Raynoni, sive dicas Raynulfo, ut alias, & nostro etiam intra ad an. 1138 dictus reperitur, pridem erepta, atque uxor Mathildis est ei reddita, eodem referente Auctore, & rei gestæ annum qui præterit, Alexandro Telesino lib. 2. cap. 54. & seqq. In nostro itaq; Anonymo hæc ad annum figi debent 1134. fide etiam accedente Codic s 99.

An. 1134. *Princeps à Pisis stipatus navali exercitu, venit Neapolim. Aversani reddiderunt se ei; contra quem Rogerius Rex veniens, fugavit eum, & Aversam in cinerem redegit. Raynoni, & Ilugoni Comitatum abstulit, Reyno Comes Neapolim fugit.*] In Codice 199. hæc sunt ad an. 1135; & in Chronico pariter Ceccanensi, atque in Falcone. Hujus sunt verba. *Hoc anno*, inquit, *Princeps ipse septimo die stante mensis Aprilis cum viginti navigiis Neapolim venit, & comprehendit Aversam.* & cætera fusius Alexandro etiam Telesino relata lib. 3 cap. 1. & seqq. Ambo autem manu exarati Anonymi Codd. non. *Ilugoni* sed *Ugoni*. Comitatum ereptum notant; quem Telesinus lib. 2. cap. 64. Comitem appellat, *Bojanensem*: hoc est *Bovianum*; illum que haud in an. 1135. quo Aversa incensa est, *Regi terras suas universas dimisisse, quas Bifernus fluvius Orientem versus præterfluit; necnon Castellum maris, situm scilicet, quo fluvius Volturnus cursus sui finem designat*: sed eodem tempore, quo Rayno, sive Raynulfus est ei reconciliatus: nempè in anno 1134. Hic autem Rayno cum ab Rege iterum defecisset, nec hilum in illum proficere posset, Neapolim se recepit dicto anno 1135; teste Falcone, quod verbis superius relatis notabat noster.

An. 1135. *Rex Rogerius Alfuso filio Capuanum Principatum tradidit. Imper Lotharius Liguriam ingreditur.* &c.] Iste *Alfusius*, sic etiam dictus Petro Diac. lib. 4. cap. 97. est *Amfusus* in Codice 199. tum hoc loco, tum ad an. 1144. nec aliter in antiquis Chartulis, & apud Alexandrum Teles. cui tamen dicitur *Anfusus*, ab nomine appellatus, ut Hieronymus Surita conjectatur, Alfonsi Regis Hispaniarum, ejus Avi materni, quod nomen Vuolfangus Lazius de Migr. Gent. lib. 10. detortum putavit, ex *Ildijonso*; atque hoc ex *Hildibuntzo*: vocabulo Gothico, *à favore* scilicet, & *amore fœderis*. Sanè apud Paulum Diac. lib. 6. cap. ult. *Aufusus* dictus est vir quidam ex sorore nepos Luitprandi Regis Langobardorum; & apud editum à me Ignotum Casin. Num. 8. legitur de *Afonse* Saracenorum Lybicorum Duce. sed hæc obiter. At Rex Rogerius Amfusum filium tertio loco genitum, & adhuc puerum Capuæ constituit Principem, cum haberet (verba sunt Alexandri Teles. lib. 3. cap. 27.) *alios duos liberos adolescentiores, ad suscipiendum militiæ cingulum utrosque adultos; quorum unum, qui erat primogenitus omnium fratrum, Rogerium nomine, jam Ducali honore, alium autem* (Tancredum appellatum) *Principatu Barensi prævexerat.* &c Campanus itaque Principatus post Barentem à Rege acquisitus, juniori obtigit filio Amfuso, cui Ducatus paulò post Neapolitanus est etiam à patre contributus, ut alibi fusiùs. Quod autem ad consignatum ejusce rei gestæ annum spectat, in Codice 199. notatur, institutum Principem Amfusum, Imperatoremque Lotharium in Liguriam advenisse uno, eodemque anno 1136. sed de Lotharii adventu postea videbimus. Amfusum verò Principis dignitate à patre decoratum statim post urbem Neapolim ab eodem Rege terra, marique sed frustra, oppugnatam, (id in anno contigit 1135. mense Septembri, auctore Falcone, qui tamen nil de Amfuso) atq; antequam idem Rogerius *mare ingressus, Siciliam, cum immensa expeditione veris tempore ad expugnandam rursus Neapolim reversurus, repetiisset*, credendum oculato est testi Alexandro Teles. lib prædicto cap. 27. & seqq Nostri itaque Anonymi textus hac parte luxatus censendus certè est, novique Campani Principis inauguratio ad jam dictum annum 1135 figenda, Kalendis Octobris, vel circa; quod etiam ex observata in antiquis Chartulis serie annorum ejus Principatus clarissime aperitur. Sed Lotharii in Liguriam, atque in Italiam adventus rectissime quidem in Codice 99. ad annum notatur 1136: quippe *mense Novembri, indictione* 15. vergente scilicet prætaino anno, positus ille apud Roncalias (planus, ac patens est campus non longè à Placentia super Padum Othoni Frisingensi in Friderico lib. 2. cap. 12. & Gunthero lib. 2.) legem condidit *de Feudo non alienando*, descriptam lib. 2 Feudorum Tit. 52: nec non, sub alio tamen titulo, lib. 3. LL. Langob. Tit. ult. Falco etiam diserte pro hac stat sententia, ex cujus narratione ista, quæ huc faciunt, excerpo *Anno*, inquit, 1136. *Dominicæ Incarnat. & septimo Papæ Innocentii præfatus Imperat.* (Lotharius) *Apostolico Innocentio mandavit, ut eum præstolaretur, quia Domino favente, sicut promiserat, in festivitate S. Jacobi venire despondebat* (scribo, *disponebat*) Et mox infra. *Princeps Robertus audiens Civitatem Neapolim famis periculo urgeri, cum quinque navigiis ad eandem civitatem venit, & imperatoris adventum firmiter propalavit, & cursu celeri Pisas revertitur. Continuò ad imperatorem festinans, invenit eum montes descendisse, & super Civitatem Cremonam castra sua posuisse.* &c. Lotharius itaque in anno 1136. in SubAlpinam pervenit Italiam, sivè in Galliam dicas Transpadanam (est namque trans Padum Cremona) quam noster in utroque scripto Codice hoc loco, & ad annum 1147. more aliis tum suæ, tum aliquantò antiquioris ætatis frequenter usurpato, nomine appellavit *Liguriam*, etsi hæc olim ultra Padum non porrigebatur. Quo circa Petrus Diac.

lib 4. cap. 97. præsenti cum viveret, ac scriberet tempore, ulteriusque Chronicon suum cum non produxisset, cur in annum id retulerit 1135, nisi illum nunc pariter credam, sic castigandum communem duxisse errorem, quem in supputandis annis Christi cæteros omnes fovere, sibi persuaserat, haud habeo, quid aliud dicam. Nam possem equidem, ut aliàs feci, hanc quoque culpam in librarii caput convertere, fecissemque; ni visum, non semper, nec tutò nunc ad hujusmodi Asylum commodum confugiendi locum esse. At *Liguriæ* vocabulo campestrem SubAlpinam, ut dixi, hic denotari Italiam, & trans Padum, ambigendum non est; quam hujus nominis acceptionem non advertens vir doctus, substituendum credidit. *Liburiam*; putans Anonymum loquutum de Campaniæ uberrima regione, hoc vocabulo, sed post Plinii Secundi ætatem, nuncupata; Clanio scilicet omne, Cumis, Puteolis, Neapoli, Acerrisque urbibus aliquando definita; quæ nihilominus sæpenumero in priscis monumentis, & præsertim in Registro Monasterii Monialium S. Blasii urbis Aversæ, atque in Historia Miscella lib. 16. dicta etiam reperitur. *Ligaria. Cumanos* (sic ibi) *Puteolanos, & alios plurimos in Liguria degentes* &c: ex consueto nimirum, mutuo, ac facili transitu, & conversione literæ *b.* in *u*: & *u.* antè *a.* in *ga*; ita ut unum, idemque hoc *Libariæ* nomen promiscuè *Liuuria.* &. *Liguria* olim scriptum, fuerique pronunciatum, Liguriam verò Sub Alpinam trans Padum procedere, ex Rigordo intelligimus in Philip. Rege, cum inquit *Eodem anno 1213. factum est bellum in Ligaria, in territorio Cremonensi.* &c. quod etiam adstruit Otho Frising lib. 7. cap. 14. de Imperatore loquens Henrico. *Verùm, inquit, Novariam, Liguriæ civitatem, dum per Longabardiam pergeret, ceperat* Sed & Notitia imperii Occidentalis Cap de Comite Sacr. Larg. nec non Paulus Diac. de Gest. Langob. lib. 2. cap. 11. sive 15, ut Anastasium mittam Bibliothecarium loco in Castigat. ad Lupum relato, qui Mediolanum, & ipsam transPadum inter Cremonam, & Novariam sitam, Liguribus, & Liguriæ adsignant. Hinc Guntherus suum de Imp. Friderico Historicum Poema *Ligurinum vocavit, quia Ænobarbo*, ut Vossius notat de Historicis Latinis lib 2. cap. 53, *negotium in primis fuerit cum urbe Ligurica, hoc est Mediolano, cujus incolas Ligures semper appellat* Quin idem Guntherus lib. 2. Ligurum Metropolim eam constituit, simulque Bernardus Abb. Bonævallis in vita S. Bernardi Claræ vallensis lib. 2. cap. 4. Cassiodorus insuper Variar lib. 12. epist. 14 Comum ex hac eadem descriptione *quasi murum quemdam* esse dixit *plana Liguriæ; quæ, inquit, post tergum campestria calta transmittit, amœnis vectatoribus apta, & victualibus copiis indulgenter accommoda: à fronte sexagenta millibus dulcissimi æquoris amœnitate perfruitur.* Hæc ille. Nec angustiores ejusce Liguriæ constituit fines Cassiodoro æqualis Ennodius in Vita B. Epiphanii, de cujus etiam ubertate, quæ populata à Burgundionum Rege fuerat Gundabado (de hac etiam clade idem Cassiodorus Var. lib. 12 epist. 28.) Italiæ Regem Theodoricum ad ipsum Epiphanium sic loquentem facit. *Illa mater, inquit, humanæ messis Liguria, cui numerosa agricolarum solebat constare progenies, orbata, atque sterilis jejunium cespitem nostris monstrat obtutibus.* Transalpina etiam Gallia post priscos, & exoletos Ligures suos recentiorem quoq; habuit Liguriam, quam præfato Cassiodoro lib. 8, epist. 12. memorari observo. Sed eam à Gregorio Turonensi lib. 1. Mirac. cap. 91. epitheto *amœnissimi loci* appellatam cum video, Regemque Alaricum vehementer studuisse, nè ejus prospectus Regias ædes lateret, suspicione tangor, an omnis aspectu jucunda, & læta, ubertateque clara planities ex jucundissima, uberrimaque Campaniæ Liguria, sivè Liburia, communi velut nomine *Liguria.* fuerit nuncupata; haud secus, ac præfatus Gregorius lib. 2. Mirac. cap. 35. & de Glor. Confess cap 84, aliique mediæ ætatis Auctores, *Falerna vina* dixere, etiam quæ alibi, quam in Falerno Campaniæ agro nata, illorum tamen generositatem æquiparabant? Sicut Paulinus etiam Nolanus epist. 10 ad Severum appellavit *Viam Appiam* (ut complurium recentiorum paria de hujus nominis usurpatione prætermeam nunc exempla) quæ ad Appiæ instar firmissimo silice inter Neapolim, & Nolam strata fuerat via; cum haud ille ignorasset, ut argumento est ejus locus in Carm. ad Cytherium, viam dictam propriè Appiam Roma Capuam ab Appio in Censura sua munitam, unde est denomina. Qua pariter figura idem his relatus Cassiodorus Var. lib. 12. epist. 22. regionem *supra sinum maris Janii constitutam, olivis refertam, segetibus ornatam, vite copiosam, non immerito Ravennæ Campaniam* vocatam ait, *eamque* (nec alias nunc afferam Campanias consimili occasione, atque ab exemplo nostræ nomen olim mutuatas) *suas habere Bajas* Scaliger sanè ad Auson. lib. 2. cap 16. *Alpes pro Pyreneis*, eidem Poetæ, ac Gellio dictas observans, id nisi ex utrorumque montium pari magnitudine, ac munere. quo illi Italiam à Gallia, hi Galliam ab Hispania discriminant, haud hii usurparunt Auctores. Sed ad nostrum jam institutum, à quo sumus digressi.

An. 1136. Obiit Senioretus Abbas. Raynaldus Tuscus fit Abbas. Imperator Barium usque pervenit. &c.] Cuncta hæc in Codice edito, & in Casinensi 47. sub anno descripta 1136; rectius in Codice 199 ad annum notari 1137, ex paulò ante dictis, & ex exposita in Serie Abbatum Casin. Chronologia satis constat: pro qua sententia stat quoque Auctorum ferè omnium unanimis consensus: Fit autem hinc manifestum, ab imposturæ, ac falsitatis excusari non posse culpa, quæ Sigonio probata suæque Historiæ Regni Italiæ inser-

inserta lib. 11: à Baronio damnata jurè est disputatio Cardinalium cum Petro Diacono coram Lothario Imp. habita ad Aquas Pensiles (locus est in Apulia, vulgò tunc *Lago Pesole*, in Episcopatu Venusino) anno 1138, mense Julii, ad calcem Chronici ejusdem Petri attexta, iisq; commixta, quæ eo loci ab ejusmodi disputatione prorsus aliena idem Auctor sincera fide descripserat: Lotharium scilicet dicens, una cum Papa Innocentio ex Apulia recedentem, perque Casinense Monasterium mense Septembri, anno 1137, inter habantem, Romam recto itinere pervenisse, non alias Cis Tyberinam hanc Italiam revisurum, qui apud Clusam Liguriæ (sic inquit) diem haud multo post objit. Sed est & alia in Actis ejusce disputationis temporum dissonantia; cum scilicet cap. 113. perhibetur, Lotharium in servitio Innocentii usque ad præfatæ disceptionis dies *per annum, & dimidium* in papilionibus commoratum (cap. 116. dicitur *per annum, & menses duos*) nempè postquam ille Italicum susceperat iter; quod sane temporis intervallum trium fuisset annorum, si Italiam adeuisset in anno 1135, ut Petrus statuit loco ad annum superiorem relato. Cæterum ambo scripti Anonymi Codices præterquam quod in annis, ut solent, in aliis hic quoque invicem variant; quæ in Serie Abbatum Casin. sunt mihi enarrata, ubi de Rainaldo Tusco, & supra ad an. 1101. Lectionem autem Codicis 47. editus cum expressisser, compediatam tamen vocem *Colim.* omisit (in Codice 199. descripta ea etiam est, sed in hanc formam. *Colcm̃t*) qua genus Abb. Rainaldi Colimentani, successoris Abb. Guiberti, ibi exponebatur; rantique fuit me in Dissertatione quadam Italicè descripta hoc advertisse, ut viri quidem diserti, sed ab criticæ studiis longe alieni, opinionem de Rainaldo hoc Colimentano diù sibi, sed & aliis pridem persuasam, præsenti tandem anno abjecerint, ac mutarint. Sed in utroque Anonymi Codice præter hæc est observandum, haud videri ex ipsius placito obitum Lotharii Imperatoris in eundem non referri annum, ad quem ibidem sublimatio notarur successoris ejus Conradi: qui cæterorum Auctorum insistens dictis, utraque sanè ista sub uno anno 1138. continenti, ut fallor, descripserat textu; sed librarii per summam oscitantiam ea dispertieruat, præfatum annum electioni præficientes Regis Conradi, qui erat Lotharii morti præponendus.

An. 1137. *Conradus fit Imperator. Objit Petrus Leonis, qui & Anacletus.* &c.] Scripti Codices, sed singuli suum in annis servantes tenorem, hæc paulò plenius *Objit Petrus filius Leonis, qui & Anacletus; sed ferè post duos menses fratres ejus cum suis elegerunt pro eo quendam Gregorium.* &c.

An 1138. *Innocentius Papa facta Synodo, Anacleti partem damnavit. Objit Rayaulphus Dux. Vesuvius per quadraginta dies eructavit incendium.* &c] Et ista in Codice 199. recto ordine ad annum sunt 1139; in quo habetur Vesuvium per quadraginta *fermè* dies flammas eructasse. Falco id perhibet accidisse anno nunc dicto, 4. *Kal. Junii*, ignemque visum *per octo dies*; cinerem verò *per dies triginta*: rem scilicet minutiori narratione consignans, quippè qui eadem vixerit ætate. Est etiam in præfato Codice 199. descriptum nomen, *Miniani* non *Minlani*, de quo dixi ad Lupum; nec ibidem, *S. Petro in Fia*: sed *S. Petro in fine*. ur item infra ad an. 1195: oppidum videlicet in Casinensis ditionis confinio, quod ab Teanensi, ac Venafrano hanc dirimit Comitatu.

An. 1141. *Hoc anno Rex iterum ad Monasterium venit. IV. Non. Novemb. cum fratres facto signo ad Vesperam.* &c.] In Codice 199. annus prænotatur 1141: Regemque ad Casinense Monasterium advenisse *III. Non. Novembris*, ac *tacto signo ad Vesperam* (vulgò dicimus *toccato il segno*) Fratrem unum fulmine peremptum: & reliqua.

An. 1142. *Luna quartadecima obscurata est.* &c.] Refert hæc ad annum 1143. Codex 199: hoc ordine. *Luna quartadecima tota obscurata est à prima hora noctis usque ad quartam, IV. Non. Februarii. Ecclesia S Mariæ, & S. Alberti dedicatur.* &c.

An. 1143. *Cælestinus Papa moritur.* &c] Cælestini Pontificis obitus in annum incidit 1144. & mensem Martium. Quo quidem anno, sicut hoc etiam loco Anonymus tradit, Amfusum Capuæ Principem diem objisse, eiq; à patre, ac Rege Rogerio suffectum, tum in eodem Principatu, tum in Ducatu Neapolis alterum filium, nomine Guilielmum, ex antiquis manifestum est chartulis. Ugo itaq; Falcandus certè est memoria lapsus, Guilielmum hunc ex Tarenti Principe in Regni collegam, & successorem à patre dicens postea adscitum, quem rectius Romualdus Salernit. (non tamen sine alio novo errore, de quo infra) ex Capuæ Principe in Regem evectum notat: dudum enim ante Amfusi mortem in fata etiam concesserat Tancredus Tarentinus, qui Barensis quoque dictus est Princeps, Duxque Apuliæ Rogerius in an. 1148. post Amfusum è vivis & ipse abjerar, solusque patri remanserar præsens Guilielmus. Primævi sanè Reges Siciliæ liberis secundo loco genitis Campanum Principatum tradere consueverunr. Sic ipse nunc dictus Rex Rogerius Capuæ Principem constituir Guilielmum, ex filiis tunc viventibus secundo loco natum [cur secundo filio Tancredo Barensem Principatum antea tradidisset, ad an. exposui 1135.] Sic Guilielmus iste cum esset Rex, primùm Roberto filio, eoque mortuo iterum Henrico, quarto loco natum, Campani Principatus honorem attribuit, primogenito scilicet Rogerio, qui in Regnum successurus erat, prima vice Apuliæ Ducatu concesso: altera autem vice, quoniam ambo jam dicti majores natu ejus filii diem objerant, Guilielmo contradito, inter viventes

tes ætatis sanè provectioris. Quem ex rationabili causa usurpatum tunc fuisse putamus morem; nam Ducalis ea dignitas ab eadem hac Nortmanica fuerat gente instituta, ejusque ditio Campano Principatu, utpotè quæ sub se reliquam omnem tunc complectabatur Italiam CisTiberinam, longe erat major; à quo honore ad Regiam ipse Regni primus institutor Rogerius ascenderat sublimitatem. Sed de his alias. Obitus igitur Pontificis Cælestini, atque Principis Anfusi, cæteraque in Anonymi Codice 47, & in edito sub anno descripta 1143, anno contigerunt sequenti, ad quem in Codice notantur 199. Hi verò ambo scripti Codices plura habent, quam editus, à quo etiam variant in hanc formam. *Rex iterum ad hunc locum veniens, Ceperanum abjis; ubi cum Papa loquitur, & discordantes, Papa recedit.* &c.

An. 1145 *Eugenius Papa per TransTyberim exiens, Bitervum devenis, & pacem cum Romani reformans, muros Tiburtinæ civitatis destrui præcepit.* &c.] Lege, ut in utroque Casinensi exemplari *pactum cum Romanis reformans*. Sic etiam infra ad an. 1148 sive 49. *Eugenius Papa pactum cum Romanis reformans.* &c. Ad quem locum suppositum quoque legitur in Codice edito. *pacem cum Romanis*. Est autem *pactum*, quod quandoque *Placitum*. dictum observo, tum induciæ, & pax ad definitum tempus, tum quælibet animorum post quamcumque discrepantiam concordia sub certa lege. In Glossis ad Regulam S. Benedicti cap. 1, in manu descripto antiquo Codice Monasterii Sanctæ Mariæ Monialium urbis Capuæ. *Testamentum, Placitum, vel Pactum*. Glossæ Basilicorum. *Pactum, Consonaus, Pactum, Fœdus Pacto, Pace*. In eandemque planè significationem omnino hoc vocabulum vulgò usurpari consuevisse, aperit Joannes Boccacius in Fabella inscripta. *Tofano di Arezzo*. inquiens. *Et così à modo del villan matto, dopò danno fè patto*. Hinc apud Constantinum Porphyr. de Admin. imp cap 9. *pactiotæ* idest. *fœderati*, sivè *tributarii* nam *pacta* res sunt etiam ipsæ ex inito pacto promissæ. In Historia Miscella lib. 9. Muhavias Arabum Princeps *dirigit Legatos ad Principem Constantinum, postulans pacem; & pollicetur annualia se imperatori pacta laturum.* Et infra. *Convenit inter utrumque in scriptis fieri pacis cum juramento sermonem super consonantiam annui pacti.* Non oportebat igitur locum turbare Anonymi. Sicuti nec ab Historia Erchemperti extremo fine, amputanda erant verba, quæ à me sunt restituta. *Cum autem*, inquit, *uterque se junxerit ad pactum, vel ad bellandum, quod deinceps egerint, præsenti Opusculo inseram.* in quibus. *pactum*. juxta priorem expositam est acceptionem. Sed de hoc, deque aliis pluribus Latinobarbaris vocabulis, quæ in Historiæ Langobardorum Principum libro primo occurrunt, commodius dicam in Glossario peculiari.

An. 1146. *Idem Papa Burgundiam ingressus*, &c.] Annus ex Codice 199. restituendus 1147. & infra ex utroque Casinensi exemplari legendum. *Iconium*: non: *Iconium & Principibus Alamanniæ*: non *Proceribus*.

An. 1147. *Idem Papa Rhemis Concilium celebrans, quendam Hæresiarcham Hispaniæ, qui se Christum esse dicebat, perpetua custodia damnavit* &c.] De impudentissimæ, vanissimæque hujus hæresis auctore in Concilio damnato Rhemensi pluribus Robertus de Monte ad an. 1148; cui proprio vocabulo dicitur. *Eon*. Vuillelmus etiam Neubrisensis de Rebus Anglicis lib. 1. cap. 19; cui est *Eudo*: Gallicè: *Eun*. & Otho Frising. in Friderico lib 1. cap. 54 & 55, istique nuncupatur. *Eus*; quo pariter nomine ambo Casinenses Codices illum indigerant, sic habentes. *Idem Papa Rhemis Concilium celebrans, Eum Hæresiarcham Hispaniæ, qui.* &c. Verba sunt præfati Roberti, nam aliorum nil opus dare. *A Papa Eugenio Remis 11. Kal Aprilis Concilium celebratur; in quo Hæreticus quidam de Brittannia adductus, damnatur; qui se Prophetam, vel magnum quemlibet, & nomini suo alludens (Eon enim dicebatur) Eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem, se esse dicebat* &c. quæ ibi vide; & crassam deride viri procacissimi, neptissimique nebulonis insipientiam: *ita planè* (dicam cum Neubrigensi) *ut Eun, & Eum nesciret distinguere.* Cæterum ex Roberto jam nosti Concilium hoc Rhemense actum esse in an. 1148; in quem etiam annum illum rejicit Codex 199. Eodemque ex exemplari scribendum inferius est. *Objit Dux Rogerius Gulielmus frater ejus fit Dux*: minimè verò, ut habet editus. *Abjit Rogerius Rex* &c, namque ibi sermo habetur de Rogerio filio Regis Rogerii, quem pater, se vivo, Apuliæ constituerat Ducem; quo mortuo alterum filium, Gulielmum nomine, Capuæ tunc Principem, in Ducem subrogavit; sed non hoc anno 1148, sicut in nostro Anonymo perperam librarii repræsentarunt, indiscretè simul componentes, quæ erant distinguenda, unoque sub anno minimè fuerant notanda: verum in anno 1149, *indictione* 12 quod antiquæ adstruunt Chartulæ, & Romualdus exponit Salernitanus. Hunc verò Ducem Gulielmum in anno postmodum 1151, mense Maji a patre in Regem fuisse evectum, idem Anonymus in Codice 199. custoditaque in prænarratis chartulis dictat annorum ratio; à quibus nonnihil discrepat jam dictus Romualdus, cum tradat, Gulielmum à Rogerio Regni collegam factum ex Capuæ Principe, quod sanè falsum. *Biennio*, inquit, *antequam moreretur* Rex Rogerius *Vuillelmum filium suum, Capuanorum Principem, in Regem Siciliæ fecit inungi, & secum jussit pariter conregnare*. At acciderint hæc biennio ante Regis obitum, nec ne, nil modo dicam: vide infra.

An. 1151. *Objit Conradus Rex. Federicus fit Rex. Naassamonites gens.* &c *Eugenius Papa cum Romanis paciscens, Romam reversus est*

V. Idus

V. Idus Octobris. &c.] Non quinto Id. Octobris, sed *Decembris.* habet Codex 199: nec ad annum hæc notat 1151, sed 1152; cui præter cæteros alios tum antiquos, tum neothericos Auctores adstipulatur Robertus de Monte. Sed ille *Massemutos* appellat, quos noster hoc loco per errorem, de quo infra, *Naassamonites*: sed rectius ad annum 1160. *Massemutos*, & ad an. 1181. *Maxamutos*. Insuper est Roberto *Rex Bulgiæ*, qui nostro dicitur. *Rex Buceæ*: id est urbis in mari Africano, vulgò nunc. *Bugia*; è qua Rex Massemutos timens, Constantinam in mediterraneis [*cirtam* putat Ortelius in Thesauro] se recepit; quæ interpretatus aliter est vir doctus.

An. 1154. *Objit Rex Rogerius mense Februarii, die ultimo. Objit Anastasius Papa, & Adrianus Papa eligitur*] Liberi erimus tandem ab hac molestissima temporum observatione, in quam adeò frequenter adegit nos depravatus Codex Casinensis 47, illo nunc deficiente in anno 1152, qui tellirul debet 1153; quippè nulla posthac de annis ab Anonymo descriptis habenda erit nobis cura; quos in Codice 199, unde præsentia Chronici subsequens pars ad annum usque 1195, est desumpta, & in tertio illo superius mihi indicato Codice, ex quo postrema pars est accepta recto ordine, sivè ut circumspectiori verbo dicam, ad mentem auctoris procedere, non habeo, cur non credam. Et Regis Rogerii ante omnia annum; & diem obitus ritè hic consignari, antiquæ Chartulæ, & Auctores consentiunt omnes. quin nec secus ejus Tumulus capiendus est, ut dicam ad an. 1172. nec ipse negat Romualdus Salernitanus, qui in aliam ab hac sententia à summo laudatur viro Baronio. Guilielmum enim verbis paulò ante relatis coronatum prodidit in Regem biennio ante Rogerii patris mortem: nempè rotundo ibi usus annorum numero; sed dein Rogerii designans obitum, non sic, inquiens. *Defuncto Rogerio, Vuillelmus filius, qui cum patre duobus annis, & mensibus decem regnaverat, illi in Regni administrationem successit.* Guilielmus itaque Rex coronatus in anno 1151, mense Maji. atque in exitu mensis Februarii, anno 1154, annos duos, & menses sui Regni decem numerabat, Porrò eodem anno 1154, mense Decembris defunctum quoque Papam Anastasium, electumque *in Papam* [sic in Codice 199.] Adrianum, est scriptorum omnium constans assertio.

An. 1155. *Exercitu Regis Siciliæ cum Asclentino Cancellario Campaniam ingreditur, & combussit Ceperanum, & Babucum, & loca vicina. Deinde rediens, mœnia Aquini, & Pontecurvi, & aliorum oppidorum dirui fecit.* &c.] Sunt hæc gesta, atque ab Asclentino *de Ecclesia Casinensi* [sic scripti Codices] ejus Monachi abscedere jussi, novo Regis Guilielmi furore exardescente in Papam Adrianum; quoniam, ut inquit Romualdus Salernitanus, non Regem illum, sed dominum Siciliæ in literis ei datis appellaverat Adrianus. Quæ repellere, vindicareque damna, quinimmò toto Guilielmum Regno proturbare conveniens sibi Pontifex ducens, tum alios minores, tum præcelsiores, præpotentesque ea tempestate in hac Italia Dynastas in illum commovit: Comitem videlicet Lorotelli Robertum, aliis dictum, de Basevilla; qui debitum, ut autumabat, sibi Regnum cœpit invadere, & Richardum cognomento de Aquila [*de Ling.* dicit Robertus de Monte] Comitem Fundanum: in Petri Diaconi Chronico antiquioris editionis lib. 4. cap. 106. appellatum. *Aquilanum*, qua vocabuli ambiguitate deceptus Sigonius lib. 11. de Reg. Ital. *Aquilanorum* nuncupatione perperam illum designavit. Cumque eodem tempore Robertus e. Capuæ olim Princeps, & Andreas Comes Rupiscaninæ [oppidi hoc nomen in Episcopatu Allisano] frater Comitis, & Ducis olim Apuliæ Raynulfi spe fulti Friderici Imp; qui Romam eo ipso anno ad suscipiendam Imperii coronam advenerat, ex longo decem, & octo annorum exilio ad avitas recuperandas ditiones animo intenderent, opportunoq; etiam Papæ Adriani favore roborati, atque [verbis dicam nostri Anonymi] *audita morte Regis Guillelmi* [lectio hæc est è manu exaratis exemplaribus, quam firmant Robertus de Monte, Ugo Falcandus, & Guntherus Ligurino lib. 5: non autem, ut habet editus Codex. *audita morte Regis Rogerii*] *Comes Andreas cepit Civitatem Alifiæ. Robertus de Surrento cepit omnem Principatum Capuæ usque Neapolim, & Salernum.* Fuit autem hic *Robertus de Surrento* idem ille Princeps hujus nominis secundus, qui in anno 1127, teste Falcone, ab Campano Archiepiscopo *juxta prædecessorum suorum Privilegium, præsente Romano Pontifice Honorio in Principatu honorem iunctus*, varios expertus deinde rerum casus, eidem Falconi, & Alexandro Telesino fusè descriptos, bis à Rege Rogerio Principatu exutus. primùm scilicet in anno 1134, iterum in anno 1137, ad Imp. Conradum Lotharii successorem profugus se trans Alpes receperat; quod Sigonius loco jam relato, nescio tamen ex quibus antiquis edoctus monumentis, adnotavit. Ibique, defuncto Conrado, ad hos usque annos manserat, ut Guilielmi Tyrii auctoritas persuadet lib. 18. cap. 2. *Exules quoque*, inquit, *quos tam ipse* (Guilielmus) *quam pater ejus de Regno ejiciens, bonis fecerat extorres paternis, viros inclytos, & armis potentes, Dominum videlicet Robertum de Surrento Principem Campanum, Comitem quoque Andream de Rupecanina, & alios multos exhortationibus suis* (Adrianus Papa) *provocaverat, ut in Regnum redirent, & ad jure hæreditario sibi debitas accederent possessiones.* &c. Idem etiam innuit, quamvis nostri Roberti nomen omninò reticet, Guntherus lib. 1; post descriptam Friderici Imp. electionem sic canens.

„ *Nec minus Apuliæ Calabris qui ex finibus alti*

„ *Sanguinis hic aderant proceres, quos ille locorum*

 „ *In-*

,, *Invasor patriis migrare Rogerius oris*
,, *Jusserat, & tota profugos regione fugarat,*
,, *Multaq; flebiliter crudelia facta Tyranni*
,, *Lequusti patria sese tellure fugatos,*
,, *Proscriptosq; bonis.* --- Subdit autem.
,, *Accipit hęc lętus Princeps. gaudetq; rogari,*
,, *Siguaq; trans. Alpes post prima biennia ferre*
,, *Regia cōmuni Procerū juramine faueit.* &c.

Et lib 4. enarrans receptas ab præfatis exulibus priscas suas ditiones.

,, *Interea patriis Andreas finibus exul,*
,, *Atq; alii Proceres, Siculus quos ille Tyrānus*
,, *Appuliæ totis dudum proscripserat oris,*
,, *Seù postliminio Romani jure reversi.*
,, *Principis, subjecta fines, ereptaque dudum*
,, *Jura, manu, firmasq; urbes, et castra teurbāt,*
,, *Omnibus attonitis.* Et iterum lib 5.
,, *Hic Comes Andreas Capuę proscriptaq; turba*
,, *Nuper ab exilio nostro sub Rege reversa* &c.

Qui tamen postremus Guntheri locus Capuam quidem à suo anteriori domino receptam, etsi subobscurè aperit; sed ejus simul detegit indiligentiam, qui nullum agnovisse videtur Principem Robertum; congeminatoque errore Comitem Capuæ facit Andream de Rupecanina, Roberti consanguineum: reclamante scilicet nostro Anonymo, jam dicto Tyrio, Romualdo Salernitano, & Ugone Falcando, qui non *Rubertum de Surrento*, ut alii, sed *Robertum Surrentinum* illud dicit. quo indicio doctus, (alia nunc omitto pro mea hac opinione argumenta) ipsius Falcandi dictionem cultiorem alicubi modò haberi, quam ipse efformarit, passamque in multis judico novitatem. Hic itaque Robertus in anno vigesimo octavo, ex quò primùm Capuę Princeps fuerat salutatus, nempè in *anno Christi 1155, mense Decembrio, Indictione quarta* (ex antiquis Chartulis hæc est temporis designatio, quas omnium primus palam dedit amicus vir Michael Monachus in suo Sanctuario) avitum Principatum tertia vice detinebat, quem in antecedente Septembri recuperarat: quamvis plerique recentiores, quorum antesignanus, ac princeps extitit Thomas Fazellus in Decade posteriore Rerum Sicularum lib. 7 cap. 4. hunc Robertum nuncupatum *de Surrento* alterum, ac diversum ab Roberto illo secundo statuerunt, patriaque putarunt Surrentinum; sed hunc commenti virum, coacti simul sunt asserere, Regi Guilielmo uno, eodemque prorsus tempore cum duplici Roberto pro Campano retinendo Principatu rem fuisse; quo dicto nil absurdius, nec ab antiquiorum narratione dissonantius. Verumtamen qua occasione Campanus Princeps Robertus hanc novam acceperit denominationem, comperti nil ego cum habeam, minus quidem peritè viri cæterum docti egisse se videntur in re manifesta, quandoquidem sub ætate Normanorum, quorum tempore hac acciderunt, haud cognomina ex urbibus, nisi aliquando possessis, desumi consueverunt; ex quò sanè more in antiqua Chartula à superius dicto Michaele Monacho relata, Philippus quidam præsentis Principis Roberti avunculus, idemque cognomine appellatus legitur *De Surrento*: quippe qui filius fuerat Sergii Principis Surrenti, ejusdemque Sergii filia, Philippi soror, conjugio copulata Principi Capuæ Jordano 2, secundum hunc genuit Robertum, quod ex vetusto Diplomate descripto in Latina Historia Neapolitana pag. 515 attentè idem amicus, & doctus vir observavit. Noster igitur Robertus vitam ducens exulem, ex ignota nunc occasione maternæ patriæ cognomen videtur usurpasse; qui cum filius fuisset Jordani 2, nepos Jordani 1, ac pronepos Richardi 1. Campanorum Principum Normannorum, *jure sibi hæreditario debitam*, ut Tyrius loquitur, Campani Principatus possessionem reposcebat; quod etiam affirmat Falcandus, *Robertus*, inquit, *Surrentinus à Capuanis suscipitur, & hæreditario ad se jure pertinentem occupat Capuæ principatum*. Quæ jura minime ex materno genere ei competere potuisse, ex satis, superque manifestum; nec in his diutius te Lector, nunc moror.

An. 1156. Vuilielmus Rex Sicilia venit Brundusium. &c.] Qua celeritate universum fere Apuliæ Lucatum, Capuæque Principatum Guilielmus amiserat, eadem protinus recuperavit: sibi repente conciliato Papa Adriano, *cum quo*, ut noster perhibet, *paciscens, securè permisit exire Regnum Comitem Lorotelli, & Comitem Andream* (sic legendum hoc loco, & ad an. 1157, & 1158. bis ex fide scriptorum Cadd: non *Comitem Andria*) *& alios socios eorum, prece ipsius Papæ*. Tyrius negat illis hoc permissum ex Adriani rogatu (Anonymo concordat Romualdus: Falcandus utrumque tacet) quinimmò tradit, *exclusos omnes alios à fœdere, qui Domini Papæ jussionibus tantis se laboribus immerserunt, & periculis*. Blondus nuperus auctor præ ista, quæ tractamus tempora, in Hist Dec. 2. lib. 4. perfidiæ nostrates accusat Barones; quoniam inscio Pontifice, Regi concordaverant; quam planè narrationem ex Adriani actis, sicut pleraque alia ibi à se descripta, est mutuatus; sed Baronius non hoc adversus Tyrium præsidio Papam protegendum duxit, nam virum non fugit scientissimum, Barones illos sola fuga, atque exilio vitam salvasse; quorum omnium unus Campanus Princeps Robertus sub ipsa fuga captus *apud Garillanum* (sic noster habet in manu exaratis exemplaribus; male editus Codex *apud Cajetam*) *in carcerem est ad Siciliam deportatus, ubi excæcatus est, & non post multum temporis obijt.* Tyrius de eodem. *Dum Garilianum*, inquit, *navigio transire parat, à suis vectoribus, cum suos jamjam transituros expectaret. captus est.* &c item Romualdus Salern. *Jam Garilianum fluvium pertransiens, Richardus de Aquila Comes Fundanus, qui homo ejusdem Principis erat* (conjuraverat & ipse in Regem *positis insidiis ipsum cepit*. (Falcandus insuper. *Per terram Comitis Richardi de Aquila securè transiens;*

ficus ; in transitu fluminis ab eodem capi jussus, Regique traditus est Eo facto Richardus gratiam ejus promeruit. Sic uno consensu laudati Auctores. Sed indicta aliis omnibus notat Chronico Ciccanense ad an. 1156 hia verbis. *Captus est eum suo filio, & filia in Trajectu*. Et ad an. 1157. *Mense Novembris venit Comes Andreas cum Romanis, Græcis, & alis multis ; acquisivit totam terram Fundanam, & cremavit Trajectum pro vindicta Principis*. &c. Eo enim loci scaphis trajici Garilianus multò ante hæc tempora consuevit ; unde novo ibi oppido, quod non admodum ab ejusdem fluminis refugit ripa, exque vicinis Minturnarum crevit ruinis, factum est nomen *Trajecta* ; qua forma in Capitulari enunciatur Principis Sicardi de anno 836 Num. 13. Et Roberti quidem secundi hic fuit vitæ finis, postquam tertia tandem vice Principatum Capuę detinuisset à mense Septemb. anni 1155. ad Junium anni sequentis, mensibus ferè novam ; annumque numerare cum cœpisset, ut Chartulæ antiquæ non unæ sunt documento, *vigesimum nonum* ab suscepto post patrem Jordanum 1. Principatu, hoc est ab Jannario anni 1127. Quo circa ex Campanorum Principatum albo expungendus, qui nunquam in vivis fuit, nullisque priscis auctoribus est cognitus tertius, externusque Princeps Robertus, ex patria sivè urbe, sivè gente falsò recentioribus reputatua *De Sarrento*. Cujus denominationis certa nos haud lateret nunc ratio, ni simul sub alto scriptorum omnium silentio, de quo miror, Surrentinæ urbis omninò per Normannorum tempora lateret, qui fuerint casus.

An. 1158. Comes Andriæ VI. die mensis Januario cæpit Sanctam Germanum. &c.] Jam paulò ante monui scribendum. *Comes Andreas*. estque idem nomen restituendum in Roberto de Monte ad an. 1156 Item inferius ex Casinensibus exemplaribus lege. *Terra autem S. Benedicti reddidit se præfato Comiti Andreæ*. &c. non. *Terram* ut in edito.

An. 1160 Comes Robertus de Lorotello. &c.] Totum hunc locum ad scriptorum Codicum formam sic reforma. *Comes Robertus de Lorotellis, & Comes Andreas intraverunt in Regnum. Masemuti ceperunt Africam. Matthæus Bonellus interfecit Majonem Ammiratum apud Panormum* Quos autē noster ad an. 1151. sive 1152. bis dixerat. *Naassamonites* pro. *Maasaemonites*, rectius nunc appellat. *Masemutos*. nam horum sermo (quod testatur Livius Sanutus lib. 8. Geographiæ Terræ Africæ pag. 99. à ter.) nonnulla cū retineat vocabula Araba, plerique fuere, qui eos ex Arabia Felici in Mauritaniam, quam incolunt, Tingitanam (Regnum hodie ferè est Marochi, ad montem Atlantem) digressos putarunt, & origine *Sabæos*, vel ut alii appellant apud Robertum de Monte ad an. 1152. *Moabitas*. At *Naassamonitæ* vel nulli unquam populi, vel iidem plane, ac *Musæmanes*, aliàs *Mæsæmanes*, Ptolomæo descripti Geogr. lib. 6. cap. 7. in Tab. 6. Africæ, qui Arabiæ incolas illos facit. Sed in quodam Diplomate Petri Regis Aragonum apud Baronium ad an. 1097 num. 92. *moneta Masemutorum*, quæ auri unciam valebat, dicta cum sit. *Massamutina* ; est hinc intelligere, nomen ejus gentis variè olim fuisse detortum, quod alii etiam aliter pronunciant: *Masmudæ*. *Masmada*. &. *Mamadæ*. Cæterum in anno superiùs descripto captam ab iis accipe non eam Africam, latissimam ad Meridiem regionem,

„ ——— *Italiam contra, Tyberinaq; longe* „ *Ostia*: sed urbem in ejus litore, nomine *Mahdia* incolis, ut perhibet Fazellus in Histor. Siculæ Dec. post. lib. 7 cap. 4. & alibi, *Tuneto* orientaliorem ; de qua iterum noster ad an. 1086. sive 1087. Romualdus Salern; Ugo Falcandus non semel, Robertus de Monte ad an. 1180, Petrus Diac. in Auctor. ad Ostien. lib. 3. cap. 69, nescioque an eadem acceptione S. Gregorius Mag. lib. 1. Ind. 10. epist. 30.

An. 1163. Mense Julii &c *Rocca Gulielmi recepta est ab aulicis Regis*] Scripti Codd *à Balivis Regis*. scilicet. *à ministris Regis*. quod etiam sonat id verbi apud Petrum Diac. lib. 4 cap. 103. *A Regis Balivis*, inquit, *securitate accepta*. Qui autem propriè fuerint *Balivi*, aliàs *Bajuli*, & *Baillivi*, eorumque Magistratus *Balia*, & quam multiplex etiam ejus nominis usurpatio, hujus non est loci aperire.

An. 1164 Mense Aprilis, quartadecima die intrante, Victor schismaticus objit apud Lucam &c.] In Codd 199. sed depravatè. *quartadecima die in Trano* &c.

An. 1166. Rex Guilielmus objit &c. *Theodorus electus est in Abbatem*] scribe. *Theodinus*. ut benè editus habet Codex ad an. sequentem, & utrobique ambo Scripti Codd.

An 1167. Dum Imperator Fredericus. &c. *Et combussit Porticum S. Petri. Alexander Papa exiens urbe, Beneventum venit. Mense Septembris objit Theodinus Abbas*. &c.] Uterque scriptus Codex Casin. *& combussit Porticus S. Petri*. exque iis subsequentia sic distingue. *Alexander Papa exiens urbe, Beneventum venit Mense Septembri. Objit Theodinus Abbas*. &c Roma clam discesserat Alexander, mense Augusti, ut ejus perhibent Acta apud Baronium hoc anno, perque Tarracinam, & Cajetam transiens, non ante Septembrem Beneventum pervenit.

An 1168. Guido Abbas Venusinus ordinatus est in Abbatem Casinensem &c.] *Ægidius* dicitur, non *Guido* in M SS. exemplaribus constanti scriptura hic, & infra, quam ibi editus etiam retinet Codex.

An. 1171. Dominicus Abbas de Sabucino. &c] Scripti Codd. *de Sabacina*.

An. 1172. Dominicus Abbas in Epiphania confirmatus est in Abbatem &c. *Rex Guilielmus cum Principe Henrico fratre suo venit in Apuliam ; sed Princeps infirmatus rediit in Siciliam, & ibi mortuus est* &c] Paulò pinguius hæc de Regis Gulielmi secundi in Apuliam

liam adventu, deque morte ejus fratris Henrici Romualdus Salernitanus, quem dicit à patre Guilielmo primo institutum Principem Capuæ post obitum alterius filii nomine Roberti (fuerat hic quoque Campanus Princeps ab anno 1158, nec dum novi quo anno decessit) annumque vitæ decimum tertium agentem præscripto anno 1171. fato functum assentitur. Diem ejus obitus sic præfert Emortuale Casinense *XVI. Kal. Julii ob. Henricus Capuanus Princeps.* cujus extat etiamnum Tumulus in Ecclesia Montis Regalis, Joanni Aloysio Lelli, & Georgio Gualtherio in antiquis Tabulis Siciliæ relatus; ibique etsi defunctus ille perhibetur in anno Christi 1170, iis versibus.

„ *Mille decem decies, decies septē datus annus*
„ *Te tollit, postquam carnē pius induit Agnus.*

id Romualdo, nostroq; haud adverfatur Anonymo, qui communem Christi secuti sunt Aeram. Quandoquidem præfati Tumuli Siculus planè Auctor minimè eandem, sed aliam Siciliensibus usu receptam usurpasse videtur Epocham, in Tumulo etiam Regis Rogerii observantiam; in quo duo pariter anni prævertuntur, defunctusque traditur Rogerius in anno 1152, quem plures nostrates antiquæ chartulæ viventem faciunt in anno 1153 obiisseque complurium etiam Auctorum testimonio constat in anno 1154 ut dictum est supra. Eundem quoque calculum ab Lupo observatum in designanda Epocha adventus Langobardorum in Italiam, fuisseq; integro biennio ab eo anticipatam, non hoc repetam loco. Quod quidem Prochronismum ad Græcorum sententiam, qui Natalem Christi, ut Joannes Georgius Heruvartus in nova sua Chronologia, biennio citius figunt, docto nè credas viro accommodatum. Nam Græci, eodem Heruvarto monitore cap 208, 234, 237, 260, & alibi, suo illo ratiocinio ducti, *annos Christi biennio plus numerant, quam nos vulgò solemus*; & sanè Lupus Langobardorum adventum, quem nost ad annum figunt 568, minimè retulit ad annum 570, sed 566. Redeo itaque ad Principem Henricum, Ugoni etiam Falcando memoratum, ubi de Regis obitu Guilielmi 1. *Qui*, inquit, *Guilielmum majorem filium post se Regni successorem constituit: Henricum verò Principatu Capuæ, quem dudum ei concesserat, voluit esse contentum.* Sic quidem cavit Rex ille, Romualdo insuper id ipsum affirmante his verbis. *Testamentum fecit, in quo Guilielmum filium suum maiorem, totius Regni hæredem instituit, Henrico alteri filio Principatum Capuæ, quem concesserat, confirmavit*, Quo circa ex certissimis documentis cum constet, fuisse hunc Henricum Capuæ Principem, investigent quæso eruditiores, cur ejus nomen datis tunc Chartulis, atque Notitiæ Judicati editæ à me lib. 1. Hist. PP. Langob pag. 156. quæ de anno est 1171, quando ipse vivebat Princeps, præfixum de more haud fuerit. Nam quod sub tutore, Rege scilicet, ac fratre ejus Guilielmo 2. utpotè ætate minor, ipse vixerit Henricus, erit, fortè, hæc rei gestæ ratio perquam vero similis, at Regem, quem summæ bonitatis concelebrat fama, minus in fratrem benevolum: quin & injustum prodit, vel ex patris Guilielmi primi & Rogerii Avi exemplo; qui filiorum suorum Amfusi, Guilielmi, & Roberti Capuæ Principum nomina chartulis post sua superscribi permisere, voluereque. Sed de his aliàs.

An. 1174. *Mense Aprilis Dominicus Abbas obiit. Petrus Decanus electus est in Abbatem mense Augusti. Stolium Regis ivit Alexandriam.* &c.] Interpungenda ita, ut in Codice 199. *electus est in Abbatem. Mense Augusti Stolium* &c. Tertius scriptus Codex præter consuetam in singulis annis usque ad an. 1188. anticipationem, hoc loco annum præfert MCLXXII. & statim annum MCLXXIII. deinde iterùm annum MCLXXII. utique mendosè; quos ad oram nescio quis, sed juxta ibi servatum recensuit Prochronismum.

An. 1179 *Alexander Papa celebravit Concilium.* &c. *ubi fuerunt Episcopi numero triginta, & unus.* &c.] scripti Codd. *Episcopi numero* ccci. &c quibus adstipulatur Guilielmus Tyrius lib 21. cap. 26.

An. 1181. *Alexander Papa obiit.* &c. *Dominus noster Rex fecit treguam.* &c.] Vixit igitur hic Anonymus per tempora ejusdem Regis, & post. Cæterum qua occasione Rex Guilielmus 2. cum Maſemutorum, & Marochi Rege inducias fecerit, quod hoc loco notat Anonymus, vide Robertum de Monte ad an. 1180.

An. 1181 *Tribus diebus infra octavam Epiphaniæ.* &c. *ad radices destruxit.* &c] scribe, *extraxit* & paulò post. *psamma tritici.* ut in exemplaribus.

An. 1183. *Rex Guilielmus Siciliæ secundus venit ad Montem Casinum septimo Kal. Februarii; & alio die.* &c] Mutilus est hic locus in Codice edito, quem uterque scriptus integrum præfert sic. *ven. ad Mon. Cas. sept Kal. Febr. ubi eo die pernoctans, & sequenti die ibidem permanens, post Solis occasum descendit. Alio die à S. Germano rediens, per Mortulam . . . . . per Suessam, versus Capuam remeavit.* &c. & infra. *homines Amalfenses.* non. *Malfenses.*

An. 1184 *Nono Kal. Junii Terremotus.* &c.] Putabat vir doctus corrupta verba illa. *in Valle de grati*; sed non sunt: sic enim dicta olim, atque etiamnum dicitur Vallis, regioque percelebris in Calabria citeriori supra Consentiam ad Septentrionem, Tarentinum adusque sinum porrecta, quam præterfluit flumen Crathis, vulgò *Grati*, unde illi nomen, Regiisque frequentissimè Tabulariis, nec non Richardo de S Germano ad an. 1234. memorata. Corrupta certè sunt verba illa. *Vallem de sinu*; quorum loco nescio an restituendum. *Valle de Salina.* sivè. *Salinarum*, à Ganfredo Malat. lib. 1. cap. 21. descriptam propè urbem Rhegium: in Calabris scilicet

ulte-

ulteriori; ità ut utramque penè Calabriam Terræmotu hoc concussam fuisse intelligamus. Nec sine mendo in Codice edito. *Castro Fella.* & *Comite Bertoldo.* quæ in manu scriptis sunt. *Castro Sella.* & *Comite Bertolfo.*

An. 1186. *Dominus Petrus Sacerdos.* &c.] Mancus locus, supplendus ex exemplaribus sic. *Dom. Petrus de Insula Sacerdos, & Abbas Casinensis in sancta confessione objit.* &c.

An. 1187. *Saladinus mense Maji.* &c. *& veniens in civitatem Pisanam objit V. Kal. Januarii.* &c] Deest denarii nota, nam scripti Codd defunctum notant Papam Gregorium XV. *Kal. Januarii.* eique substitutum Paulum Episcopum *Praenestinum.* non. *Clandestinum.*

An. 1188. *Papa Clemens à Romanis.* &c.] In tertio scripto Codice nulla ad hunc annum notantur gesta; sed ea tantummodo Librarii legitur admonitio, superius mihi bis descripta, qua suam ipse fassus incuriam, reliquos annos recto ordine digesturum se spondet.

An 1190. *Tancredus Comes Licii.* &c.] Pluriès hoc loco in edito Codice adversus manu descriptos peccatum; in quibus. Rogerius, Andreas non. *Andria*) *&* Richardus *Caleni Comites* &c. & infra. *Cui etiam munitiones blanditiis Riccardi Acerrarum Comitis cognati sui inductæ se reddunt* *idem Comes Romanorum, & Campania, &* Regni *collecto magno exercitu.* &c. postmodum. *muniunt civitatem* Ariani. iterum *fide rupta capit; & redit cum exercitu contra Capuam, &* Aversam. &c.

An. 1191. *Objit Papa Clemens.* &c.] Sub uno etiam fasce emendatiora ex scriptis Codd. hic dabo, quæ editus tum manca, tum depravata profert. Scribendum itaque *Quod factum suos in audaciam, & nostros sic inducit in diffidentiam, ut jam loca, etiam munitissima, de resistendo non cogitarent. Unde Sorella,* Atinum. &c. deinde. *& ibi de mandato Decani, & Conventus juraverunt Imperatori. Imperatrix primum recta via post Imperatorem per Soram, & Atinum, Casinum venit.* &c. & infra verò. *obsidionem deserit. Per Capuam redit* Casinum. &c.

An. 1192. *Decanus cum Diopulto* &c.] Et has cursim non magni momenti demonstro ex exemplaribus sinceras lectiones. *Cæteri non tam dominio resistere volentes, quam* &c aliquantò post. *capiunt Palumbarum. & Pinnatarium.* mox. *præter* Comitem *Celani.* inferiùs. *violento insultu oppugnant.* postea. *violentos faciunt insultus; sed Decanus, sicut in Monachatu monachi cum, sic in bello.* &c. ad hæc. *& Abbatis sui relicturum. Inde Castellanus favit.* deinceps. *milites Abbati concedit, cum quibus rediens.* &c. demum *coscina frumenti plusquam uncia auri, & psanma vicini similiter, & cossisa Olei taren. V.*

An. 1193. *Bertoldus, relictis in Comitatu Molisii Conrado Musca-in-cervello, redit.* &c.] Scripti Codd. *Bertoldus relic. in Comit. Mol. Conrado Musca. & Diopulto redit* &c. Facit hos quoque duplices Bertoldi administros Richardus de S. Germano ad an. 1193. à quo tamen secundes ordine non. *Musca,* sed dicitur. *Muscaincervello.* In Anonimo autem dein legendum. *egredientem contra se Comitem Caleni.* non. *gradientem.* & infra *Pacto facto de reddendo se.* &c. & iterum. *venit ad Montem Fusculum.* non. *Montem Fuscum* postremo. deinde *obsidet Aversam, & ipsi se reddunt.* non. *obsidet Torsam.* quæ lectiones omnes sunt è manuscriptis Codicibus.

An. 1194. *Suprascriptus Rogerius* &c.] Duo præter fidem Codicum Casinensium malè hic cusa: sed levia, alterum est. *& in præbendam exercitus addictis.* non. *in prædam.* alterum. *Calatabillota.* non. *Calatabilotta.*

An 1195. *Imperator solemni Curia.* &c.] In Codice 199, qui hoc loco deficit, textus iste ab edito admodum variat. Ibi sic habet. *quorundam Magnatum Regni factæ dicebantur.* item. *filium parit in Marchia Anconitana, quem in auspicium cumulandæ probitatis inculcatis duorum nominibus, Fridericum Rogerium:* seu &c. tertiò. *Qui rediens obtinet Atinum.* quartò. *reddit sibi Atinum* quintò. *Imperator in Apuliam redit; & conjunctus cum Imperatrice Curiam solemnem ibi habuit.* &c.

An. 1204. *Dictus Comes Gualterius capit Terracinam, de Salerno.* &c.] Ab antiqua Tarracina, quæ in Latio, alia hæc *Terracina de Salerno.* novum oppidum in Picentinis, memoratum etiam Richardo de S. Germ. hoc anno, & ad an. 1216. Idcirco interpunctio illa in edito Codice omnino molesta, in quo etiam male cusum infra. *Terram Majorem* pro. *Turrim Majorem.* de quo dixi in Italica Dissertatione. *De Portis.*

An. 1205. *Mense Januario dictus Comes Gualterius apud Sarnum cum suis decumbens.* &c:] Non *mense Januario.* sed. *mense I.* ut habet scriptus Codex: hoc est. *Junio.* Chronicon Ceccanense usurpato tunc more carmina solutæ commiscens orationi, expresse hunc Mensem notat.

„ *Quintus & annus Domini cũ mille ducentis,*
„ *Et fuit undena Junii lux in prima mensis,*
„ *Hic octava datur Indictio, quæ renovatur,*
„ *Cum Comes est Bramma Sarni devictus ad amnem.*
„ *Stultitia, casu, nec Marte, dolo superatur.* &c.

An. 1208. *Mense Januario in Vigilia Epiphaniæ.* &c. *constitutis ad hoc capite, & magnis Justitiariis Apuliæ, & Terræ Laboris Comite Petro Celano, & Richardo Fundano.* &c.] Compendiatam in exemplari vocem. *Mag.* quæ explicanda fuerat. *Magistris,* exposita à Typographo imperitè est. *Magnis;* quoniam septem, quæ suprema dicuntur Regni officia, passim *Magni* titulum nunc obtinent; ut *Magnus Justitiarius.* &c. At olim *Magistri* appellabantur quicumque aliis præerant, quod planum; unde dictus etiam *Magister latronum* apud Cæsarium Heisterbacensem lib. 7. Mirac. cap. 59. Sanè ambo

præfati Comites cum administrarent Regni tutelam, sub hoc ipso titulo *Magistri Justitiarii* alter eorum, Petrus Celanensis, designatus legitur apud Richardum de Sancto Germano. Ex quo pariter Auctore lacunam haud magnam in eodem Anonymo ad finem præsentis anni commodè poteris explere.

An 1212. Prædictus Imperator in Alemanniam rediit, eo quod.....] Sententiam Librarii defectu mancam, qui plura descripturus, pausam hic fecit, ex jam dicto Sangermanensi Chronologo sic supplebis. *eo quod quidam Alemanniæ Principes sibi rebellaverant*. Istaque ad hunc Anonymum satis.

Ad nomina verò illustrium virorum, quæ ex Casinensi Emortuali excerpta, post Anonymum in Codice edito sunt appicta, non habeo, quod dicam; sed addenda iis pauca hæc alia judico ex eodem antiquo exemplari.

Kal. Januarii. tb. Landulphus Princeps.
XII. *Kal. Feb. tb. Gerebertus Archiepiscopus, & Monachus.*
II. *Non. Febr. tb. Seniorettus Abb.*
VIII. *Id. April. tb. Richardus Princeps.*
II. *Non. Maji. tb. Petronax Abb. hujus loci.*
IIII. *Non. Junii. tb. Gisulfus Princeps.*
XVI. *Kal. Junii. tb. Euricus Capuanus Princeps.*
VI *Id. Julii. tb. Burrellus Comes.*
X. *Kal. Octob. tb. Andreas Archiepiscopus.*
VIII. *Id. Nov. tb. Regimprandus Levita, & Abb. hujus loci.*
IX. *Kal. Dec. tb. Aligernus Sacerdos, & Abb. hujus loci.*
V. *Kal. Dec. tb. Apollinaris Sacerdos, & Abb. hujus loci.*
III. *Kal. Dec. tb. Richerius Sacerdos, & Abb. hujus loci.*
IX. *Kal. Jan. tb. Gisulfus Sacerdos, & Abb. hujus loci.*



